


Augustinus Mattheucci hujus libri auctor, Lucensis, franciscanus Observantiæ, Theologiæ Lector, in Romana curia S. Rituum C. Consultor secretarius, 1am editionem anno 1709 dedit, 2m vero hanc an. 1717. Ni fallor, opus practicum commendandum est, etsi mihi videatur potius doctrinam de variis disciplinæ articulis, quam normam judicialem tradere. Imo doctrina non omnino completa mihi apparet. Alia edidit de Dogmatibus contra Hæreses, de foro sacramentali, de Beatificatione et Canonisatione, de quietismo, præsertim Officialis curiæ Regularis. Romæ 1702. 2 Tom. in 1 vol. in 4o in quo vindicat jura regularia.
hæc editio mendis referta crassissimis.

OFFICIALIS
CURIÆ
ECCLESIASTICÆ.



OFFICIALIS
CURIÆ ECCLESIASTICÆ

Ad Praxim pro Foro Ecclesiastico, tum Sæculari, tum Regulari, utiliter aptatus, ac Summorum Pontificum Litteris, Oecumenicorum Conciliorum Decretis, Sacrorum Canonum Statutis, necnon recentioribus Sacrarum Congregationum Rescriptis opportunè instructus.

AUCTORE R. P. F.

AUGUSTINO MATTHÆUCCI

Lucensi, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ Sancti Francisci, Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato, ac in Romana Curia olim Secretario.

OPUS PRÆLATIS, REGULARIUM Superioribus, Parochis, Confessariis, cunctisque Ecclesiasticis; necnon Theologis, Dogmatistis, Canonistis, Iusdicentibus, Causarumque Patronis, maximè utile, ac necessarium.



VENETIIS, MDCCXVII.

E Typographia Balleonii.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

6



BENEVOLO, ET AMICO
LECTORI.



Rodit iterùm, Amice Lector, *Officialis Curiæ* non restricta Regularis nomenclatura, sed ampla sub *Curiæ Ecclesiasticæ* prætexta; ad praxim pro utroque foro pluribus auctus, ut tuis votis respondeat: eadem ferè repetit, & majora tibi recenset: singula verò in ampliorem formam redacta, ut uberem rerum Ecclesiasticarum peritiam lecturo magis propinet. Ex authenticis Codicibus, probatisque Auctoribus ea fideliter collegi, digessi: & hinc publici juris facio. Non me præterit majora desiderari; at nec, aliis etiam adjectis, singula retulissem; propterea doctos aliorum labores non te tædeat percurrere; quoniam *exercitium lectionis, scientiæ reperit Margaritam*, ut loquitur *tex. in cap. Post translationem de renunciat.* Neque indè hasce meas repetitas vigilias supervacuas dixeris, sed opportunè paratas. Nam juxtà vulgatam paræmiam, *liber librum aperit*. Ideò te eas lectitasse non pœnitebit, & in eas sententiam benigniorem prolaturum expecto, ac mentis ingenuæ sensum, & assumpti operis finem ex Augustino plenè percepturum, eodem dicente *lib.* 1. *de Trinitate, cap.* 3. ibi: *Neque enim omnia, quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt; & fieri potest, ut nonnulli, qui hæc nostra etiam intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, in istos saltem incidant. Ideoque utile est, plures à pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios autem sic.* Ubi hæc recogitaveris, non dubito, quin æqui, bonique sis consulturus, susceptasque in tui utilitatem curas, & studium animo plaudente excepturus. Vale: sed te intereà monitum volo, quòd ipsa testimonia Augustini, quæ tibi in præsenti occurrent Opella, ex novæ editionis Codice per PP. Congregationis S. Mauri digesto fuerunt huc reportata.

FACULTAS ORDINIS.

FR. COELESTINUS A MEDIOLANO

Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ S. P. N. Franciſci, Lector Jubilatus, in hac Ciſmontana Familia ejuſdem Ordinis, etiam Diſcalceatorum, V-Commiſſarius Generalis, Reformatorum Diſcretus perpetuus, & ſervus.

CUm Librum, cui titulus eſt: *Officialis Curiæ ad praxim pro Eccleſiaſticis, tùm Sæcularibus, tùm Regularibus &c.* Rev. P. F. Auguſtino Lucenſe hujus noſtræ Provinciæ Obſervantis Romanæ Lectore Jubilato, & ex Cuſtode elaboratum, duo ejuſdem Ordinis noſtri Theologi de mandato noſtro reviderint, Nobiſque ſcripto retulerint, prælo dignum eſſe, utpotè nihil Catholicæ Fidei, morumque ſanctitati repugnantem, imò ſanam doctrinam redolentem; ideò, ut imprimi poſſit, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur, quantum noſtra intereſt, concedimus, & indulgemus. In quorum fidem præſentes propria manu ſubſcriptas, ac ſigillo majori munitas dedimus: Romæ ex Aracœli die 15. Septembris 1708.

Fr. Cœleſtinus à Mediolano,
V-Commiſſarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato Suæ Reverendiſſimæ Paternitatis
Fr. Franciſcus Cajetanus de Verona,
Secretarius Generalis.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per atteſtato del Segretario noſtro, nel libro intitolato: *Officialis Curiæ Eccleſiaſticæ ad Praxim &c. P. Fr. Auguſtini Matthæucci Lucenſis*, ſtampato in Roma nell' anno 1709. niente eſſervi contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 27. Maggio 1710.

Carlo Ruzini Kav. Proc. Riform.

Alviſe Piſani Kav. Riform.

Agoſtino Gadaldini Segr.

IN

INDEX TITULORUM.

Cap. I. Officialis quoad Abbatissæ electionem. pag. 1.
Cap.II. Officialis quoad Absolutionem a casibus reservatis. pag. 5.
Cap.III. Officialis quoad Allocutionem cum Monialibus. pag. 8.
Cap.IV. Officialis quoad Altaria privilegiata. pag. 13.
Cap.V. Officialis quoad Apostatas. p. 15.
§. Unicus. Appellatio. pag. 20.
Cap.VI. Officialis quoad Approbationem ab Ordinario ad sæcularium Confessiones. pag. 24.
Cap.VII. Officialis quoad Benedictionem. pag. 29.
Cap.VIII. Officialis quoad Bona Ecclesiasticorum, & Monasteriorum. p. 37.
Cap. IX. Officialis quoad Capellas. pag. 45.
Cap.X. Officialis quoad Celebrationem Missarum. pag. 48.
§. I. Constitutio Innoc. XII. super celebratione Missarum. pag. 51.
§.II. Dubia concernentia celebrationem Missarum. pag. 61.
§.III. Oratoria. pag. 72.
Cap. XI. Officialis quoad Clausuram Monialium. pag. 76.
Cap.XII. Officialis quoad Conciones, pag. 82.
Cap.XIII. Officialis quoad Confessarios Monialium. pag. 86.
Cap.XIV. Officialis quoad Confraternitates. pag. 88.
Cap.XV. Officialis quoad Conservatores. pag. 92.
Cap.XVI. Officialis quoad Conventus. pag. 98.
Cap.XVII. Officialis quoad Declarationem Regulæ S. Francisci. pag. 106.
Cap.XVIII. Officialis quoad Electionem Prælatorum. pag. 117.
Cap.XIX. Officialis quoad Exemptionem ab Jurisdictione Ordinarii. p. 130.
Cap. XX. Officialis quoad Exequias. pag. 139.
Cap.XXI. Officialis quoad Festos dies, pag. 146.
Cap.XXII. Officialis quoad Fori Ecclesiastici privilegium. pag. 151.
Cap.XXIII. Officialis quoad Habitum Regularem. pag. 160.
Cap.XXIV. Officialis quoad Immunitatem Ecclesiarum, & Monasteriorum. pag. 163.
Cap.XXV. Officialis quoad Incorrigibiles expellendos. pag. 170.
Cap. XXVI. Officialis quoad Indulgentias. pag. 177.
Cap.XXVII. Officialis quoad Interdictum. pag. 188.
Cap.XXVIII. Officialis quoad Juspatronatus. pag. 192.
Cap.XXIX. Officialis quoad Jus Regaliæ. pag. 205.
§.I. Suprema Romani Pontificis potestas in temporalia Principum. pag. 211.
§.II. Primatus Romani Pontificis supra jus positivum Ecclesiasticum. p. 212.
§.III. Primatus Romani Pontificis supra Concilium generale. pag. 218.
§.IV. Romani Pontificis infallibilitas, etiam extra Concilium. pag. 220.
Cap.XXX. Officialis quoad Legata facta Fratribus Minoribus de Observantia. pag. 225.
Cap. XXXI. Officialis quoad Litteras Apostolicas. pag. 241.
Cap.XXXII. Officialis quoad Moniales. pag. 250.
Cap.XXXIII. Officialis quoad Negotiationem per Ecclesiasticos. pag. 257.
Cap. XXXIV. Officialis quoad Novitios. pag. 264.

Cap.

Cap.XXXV. Officialis quoad Ordines, pag. 272.
§. Unicus. Irregularitas. p. 281.
Cap.XXXVI. Officialis quoad Parochos. pag. 287.
Cap.XXXVII. Officialis quoad Præcedentiam. pag. 297.
Cap.XXXVIII. Officialis quoad Prælatum Regularem. pag. 303.
Cap.XXXIX. Officialis quoad Privilegium Canonis. pag. 316.
Cap.XL. Officialis quoad Processiones. pag. 324.
Cap.XLI. Officialis quoad Professionem. pag. 327.
Cap.XLII. Officilialis quoad Quartam funeralium. pag. 336.
Cap.XLIII. Officialis quoad Quæstas. pag. 339.
Cap.XLIV. Officialis quoad Redditus Ecclesiasticos. pag. 341.
Cap.XLV. Officialis quoad Res Ecclesiarum, & Monasteriorum non alienandas. pag. 349.
Cap.XLVI. Officialis quoad Sacramentorum administrationem. pag. 356.
Cap.XLVII. Officialis quoad Sanctorum Canonizationem. pag. 359.
Cap.XLVIII. Officialis quoad Sepulturas. pag. 369.
Cap.XLIX. Officialis quoad Simoniam in Beneficiis. pag. 379.
Cap.L. Officialis quoad Simoniam in Electionibus. pag. 391.
Cap.LI. Officialis quoad Syndicos Apostolicos. pag. 400.
Cap.LII. Officialis quoad Tertiarios. pag. 403.
Cap.LIII. Officialis quoad Testamenta. pag. 407.
§. Unicus. Codicillus. pag. 418.
Cap.LIV. Officialis quoad Tribunal Regulare. pag. 418.
Cap.LV. Officialis quoad Visitationem per Prælatos. pag. 435.
§. I. Visitatio Ecclesiæ Parochialis. pag. 437.
§. II. Visitatio Regularium. pag. 440.
§. III. Visitatio Monialium. pag. 444.
Cap. ultimus. Officialis quoad Visitationem Ordinarii respectu Regularium. pag. 445.

AD LECTOREM.

Quibus rationibus, quibusque partium studiis hujus Operis auctor ducatur, ubicumque de Fori competentia Ecclesiastici cum sæculari, seu de Ecclesiastica Immunitate, & illuc spectantibus scribit, non fuit opus te admonere, Candide Lector. Facillimè etenim id ex lectura animadvertes, & ni fallor tam scribentis genium, & statum, quàm temporum necessitatem, seu mavis corruptelam agnosces. Caterùm ne imprimendi operis permißu, quæ continentur approbari, aut ad Fori praxim, aut quocumque alio modo existimares, præmittendum fuit eò impreßorum dumtaxat rationibus, & mercaturæ id datum fuiße, ac si id ageretur non deeße celeberrimos Doctores, solidasque doctrinas, quibus Principibus, & Magistratibus, contra novarum opinionum sectatores, sua jura probè constent.

O F-



OFFICIALIS CURIÆ ECCLESIASTICÆ.

CAPUT I.

Officialis quoad Abbatissæ Electionem.

SUMMARIUM.

1 *Præscripta, à Conc. Tridentino servanda in electionibus Abbatissarum.*
2 *Electiones per secreta suffragia sunt faciendæ.*
3 *Error, & ignorantia non excusat.*
4 *Ætas necessaria in eligendis.*
5 *Quo loco electiones sint faciendæ?*
6 *Abbatissatus triennium non excedit.*
7 *Superior non suffragatur in electione Abbatissæ.*
8 *Agitur de interessentia Ordinarii in electione Abbatissarum exemptarum.*
9 *Vota recipiuntur à Superiore Regulari.*
10 *Non adnotantur ab Episcopo, neque à Vicario, aut Cancellario.*
11 *Abbatissæ exemptæ non confirmantur ab Ordinario.*
12 *Quænam Moniales sint ineligibiles?*
13 *An Conversæ suffragium habeant in electionibus.*
14 *Quænam Moniales in electionibus Abbatissarum Ordinis S. Claræ vocem activam habeant?*

1 IN Abbatissarum electione, sicut & cæterorum Superiorum, ea in praxi sunt observanda, quæ *Tridentin. sess. 25. c. 6. de Regul.* expræssè, ut infra, disponit: *In electione Superiorum quorumcumque &c. & Abbatissarum ac aliarum Præpositarum, quo omnia rectè, & sine ulla fraude fiant in primis Sancta Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Et infrà: *Si verò contra huius Decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit.* Ex quibus liquet, Concilium ea statuere, quæ ad id conducunt, ut electiones sint liberæ. Quippè liberiùs quisque profert, quod in conscientia sentit, si de secreto non dubitet: & faciliùs vitantur incommoda, quæ è publicatione possent in Monasteriis, propter necessitatem simul vivendi, oriri, ex observatis ab *Engel. Colleg. universi juris Can. lib. 1. tit. de Electione num. 35.*

2 Nec secreto Electionis officit assumere duos probatos, prudentesque viros, qui eligentium suffragia audiant, & notent. Quia id non facit, quin electio sit ipsis Monialibus secreta, prout notat etiam *Pellixarius de Monialibus cap. 10. sess. 2. sub sect. 1. quæst. 10. n. 99.* & sunt necessariò adhibendi tanquam Scrutatores, ut de electionis validitate sint testes, & sine fraude, ac dolo contingisse sciant.

Quare sive tota Monialium scripto, sive oretenùs Superiori dentur, nullo modo debent ipsarum nomina publicari. Ad[...]t, si Scrutatores publicando scrutinium, simul publicent nomina eligentium, vel, si nomina describantur in decreto electionis, electio est nulla, quia non secreta, ut tradit Passerinus *de elect. c. 17. quæst. 13. nu. 11.*

& declaravit Sacra Congr. Episcop. *in Melphiten. electionis Abbatissæ 3. Augusti 1696. Monacel. for. p. 1. for. 22. tit. 11. n. 14.* Atque ita Scrutatores vota, non nomina Monialium debent notare. Ubi verò electio fit per schedulas, sunt istæ comburendæ ante publicationem decreti electionis coram ipso Præside nte, juxta *const. Et communis cura Sixti V. Bullar. Roder.*

Officeret electioni, si una ex suffragantibus voce intelligibili, & alta suffragium redderet Præsidi sic, ut, quæ magis essent propinquæ, cui esset datum, audirent; etenim in casu secreta nec diceretur, nec esset; sed nulla. Quod, attento Decreto irritanti ibidem apposito, dubium non est, cum clausula *Decreti irritantis* ipso jure actum contra ipsius tenorem gestum annullet, ex Glossa in Clementina, *Cum ei de Concess. præbend. verbo præsupponendum*. Et firmant Doctores apud *Sperell. decis. 161. num.* 11. addentes, nec vigore consuetudinis sustineri electionem aliter factam; quia, ut ipse notavit, decretum irritans omnem tollit consuetudinem in contrarium, etiam futuram; eoque sustinet formam substantialem induci.

Hinc notandum, quod licèt ex omissione eorum, quæ sunt de solemnitate non substantiali, electio ipso jure non irritetur sed annullanda reddatur: oppositum sequitur in eorum defectu, quæ sunt de ipsius substantia.

Nec favet electioni, quòd Monialis ex errore, & Iuris ignorantia (quæ per DD. tam in muliere, quam in minori præsupponitur) votum reddiderit, quia *ex c. quodam de præbend. in 6.* & ibi Glossa, *& c. quia Cunctis de concess. præb. item in 6.* decretum irritans, etiam ignorantes ligat quoad nullitatem actus, non quod pœnam, *Gonzalez in primum tit. 2. cap. 2. num. 12. de constit.* nam ignorantia eorum, quæ sunt de substantia, actum non legitimat. Et patet ex clausula, quæ sæpè in Pontificiis constitutionibus apponitur, ut sequitur: *Irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari*. Et in terminis decrevit Sacra Congregatio Concilii apud *Sperell. loc. cit. num.* 34. ut infra: *Electio Abbatissæ facta per vota non secreta per ignorantiam hujus Decreti, (nempè cap. 6. sess. 25. de Regul.) non valet, nec Episcopus potest dispensare, ut valeat: Sanctissimus tamen dispensat, consideratis circumstantiis.*

4 Eligendarum qualitates, & ætas habentur ejusdem *sess. c. 7.* ibi: *Abbatissa, & Priorissa, & quocumque alio nomine Præfecta, vel Præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post professionem laudabiliter vixerit.*

Annus quadragesimus debet esse completus, ut firmat S. C. C. in una *Neapolitana sub die 24. Septemb. 1678. lib. 10. Decretor.*

Si verò non sit in Monasterio quadragenaria: *Ex iis*, subdit Concil. *quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur*. Quòd si nec etiam huius ætatis reperiretur, postulanda esset à Sede Apostolica.

5 In loco patenti electio fiat, *ex eodem c.* ibi: *Is verò, qui electioni præest, Episcopus, sive alius Superior, Clausuram Monasterii non ingrediatur, sed ante Cancellorum fenestellam Vota singularum audiat, vel accipiat.* Per disjunctivam *Audiat*, vel *Accipiat*, datur libertas, ut electio fiat, vel per schedulas quæ continentur in verbo *Accipiat*, vel oretenus, quod continetur in verbo *Audiat*.

In reliquis, ut caput concludit, *serventur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones.*

6 Abbatissæ triennium Præfecturæ non debent excedere, ad tenorem Constit. Gregorii XIII. *la* 80. *Bullar. tom.* 2. incip. *Exposcit debitum*, ibi: *Abbatissæ aut aliæ præfectæ non ampliùs perpetuæ, seu ad vitam, sed triennales tantum, à Conventu cuiuscumque Monasterii juxta decreta Sac. Concil. Trident. & Regularium suorum Ordinum instituta, eligantur, & præficiantur; quæ postmodùm, elapso triennio, suis Officiis perfunctæ præesse desinant, omnique prorsùs perfunctæ auctoritate, & à regimine, & administratione Monasterii per triennium à die finitæ administrationis inchoandum, abstineant; quo elapso, servata eadem forma Concil. Triden. iterum, & pluries eligi possint.*

Quod inviolabiliter, & perpetuò in futurum observari præcepit, & iterùm statuit Sixtùs V. allegata Const. *Et communis cura*, quoad eas curæ Fratrum Minorum de Observ. commissas, ut sequitur: *Abbatissæ, vel aliæ Præfectæ quorumcumque Monasteriorum Monialium ipsorum Fratrum curæ com-*

commissarum, ad summum triennales sint, & suis officiis, elapso triennio, perfuncta &c. Sed saltem per integrum triennium, à die finiti sui officii administrationis numerandum, nullum Abbatissatus, seu præfectura Monasteriorum, aut aliud officium, neque aliquam potestatem, vel auctoritatem in eis obtinere, vel exercere possint, aut debeant.

Ubi verò Abbatissa ex gratia S. Congregationis eligitur pro secundo triennio, non potest iterùm à Monialibus eligi ad tertium triennium sine nova dispensatione, qua pro eo habilitetur. Quoniam gratia utique concedit, quod de jure haberi non potest, at non alterat naturam rei concessæ. Proindè, cum Abbatissatus de jure petat, expleto triennio, vacationem ab officio; dum conceditur pro tempore determinato, concessio est in terminis limitatis absque alteratione, & extensione ad aliud tempus, prout Sac. Congreg. deputata ab Innocentio XII. *pro causis Congregationis Cassinensium* 26. *Febr.*1692. respondit ad *quintum*: contra *Pelizar. de Monial. cap.* 7. *num.*47. *Monacell. ibid. num.* 12.

Unde, completo triennio, si casus occurrat, ut non eligatur nova Abbatissa, non potest illa, quæ tempus implevit, continuare in regimine, titulo Præsidentis, vel alio; sed gubernium dandum est seniori Moniali, ut censuit Sac. Congreg. Episcop. *in Mazarien.* 18. *Martii* 1700. apud *Monacell. cit. n.* 11. Proinde cautè legendus *Miranda de Monial. q.7. art.9. conc.*2.

7 Sic Monialibus in hujusmodi electionibus competit suffragari, ut ipsarum Superiores ad id jus non habeant, ex Sac. Congr. Conc. 23. *Maji* 1621. *Lant. verbo Abbatiss. num.* 4. *ut infra, S.C. censuit nunquam licere Monialium Superioribus, aut Scrutatoribus dare votum in electione Abbatissæ; atque electionem in vim hujusmodi voti celebratam vires aliquas non obtinere.*

8 Cum Prælato Regulari potest electioni Abbatissæ Monasterii exempti interesse Ordinarius, *per se, vel per alium, non alios*, juxta dipositionem celebris Constit. Gregorii XV. *Inscrutabili* 18. *Bull. tom.* 3. ibi: *Ac similiter possit Episcopus unà cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse; & præsidere.* Ideò est ordinario dies electionis significandus; ipseque expectandus, si ipse expressè declaraverit, vel per se, aut per alium velle interesse; adeòut possit in Regulares animadvertere, si ante tempus significatum ad electionem procedant, ex S C.C. ad dubia super alleg. Const. eidem proposita, *ut in Bullario loco citato*. Et, eo nolente accedere, facta sustinetur ut valida; *Pignatell. tom.* 8. *Consul.* 120. *Pasqual. ad Laur. de Franchis part.*1. *sub num.* 33. cum quo, vel Vicario, non assistit Notarius Episcopalis, prout in terminis firmavit Sac. Congreg. Con. *sub* 4. *Maji* 1675. *lib.* 19. *decret. pag.* 65. *à tergo*, *in una Neapolitana*; quæ ab Archiepiscopo Neapolitano interrogata.

I. An Electionibus Abbatissarum unà cum Vicario Generali interesse possit etiam Notarius Archiepiscopalis?

II. An dicta electio facta absque interessentia Vicarii, & Notarii, sit contra Const. præfatam; an propterea nulla? Ad utrumque respondit negativè. Secundum dubium fuit propositum ad videndum, an subsisteret electio Abbatissæ facta à Superiori Regulari, qui noluit Notarium admittere, & ad electionem processit, non obstante, quòd propterea Vicarius Generalis protestationem præmiserit de nullitate.

Et hinc inferas, quòd sicut non conceditur, quòd cum Vicario electioni intersit Notarius; sic videtur, quòd nec jus assistat, neque sit in potestate Ordinarii assumere alios, qui cum ipso intersint electionibus Abbatissarum Monasteriorum Regularibus subjectorum. Quod videtur esse ad tenorem allegatę Const. quę pluralitatem excludit, & in numero singulari dispositionem concipit, *per se, vel per alium*; & per alternativam, *vel*, non per copulativam, *&*. Verùm, si consuetudine alicubi sit aliud inductum, religiosè servetur.

Constitutio Greg. per illud *præsidere* plus Episcopo confert, quàm ut præstet solam præsentiam, hoc enim ei conceditur per verbum *interesse*; quod fuit etiam observatum à *Sanctor. Comment. cap.* 11. *stat.* 7. *ver. Dubitatur quartò*; sed dat ei, ut assistat tanquam Superior dirigens electionem, ut canonicè fiat, & sine fraudibus, & violentia contingat.

9 Verùm inde non habet, ut possit exquirere, aut vota Monialium recipere, sed

exquirenda, & recipienda esse à Superiore Regulari privativè quo ad Episcopum, eodem tamen sciente, & audiente, firmat *S. C.C.10. Septemb.1650. apud eundem Lant. n.2.*ut sequitur; *S.C.C. censuit Episcopum in Electione Abbatissæ Monasterii Monialium Regularibus subjectarum, non posse exquirere seu recipere vota Monialium, sed illa exquiri, & accipi debere à Superiore Regulari, sciente tamen, & audiente eodem Episcopo.*

Nec potest eas ante actum electionis personaliter audire, & interrogare in materia ad electionem spectante, prout ipsa S.Cong. sub *die 4. Octobris* 1638. rescripsit Episcopo Anconitano, ut infra: *La facoltà del Vescovo nell'eleggersi un' Abbadessa, ò Prioressa non passa più oltre, che l'intervenire ad assistere all'elezione, ò per se stesso, o per interposta persona, come si raccoglie dalla Bolla di Gregorio XV. Perche dunque il Provinciale de' Minori Osservanti di cotesta Provincia della Marca, hà rappresentato, che V. S. habbia pretensione di sentire, & ascoltare personalmente, in materia elettiva, le Monache d'uno di cotesti Monasterii, soggetto al suo Ordine, avanti l'atto dell' elezione, che devon fare dell' Abbadessa, hanno voluto questi EE. miei Signori, che io scrivo à V. S. che ella in quest' affare si regoli con la dispositione, e tenore della medema Bolla. Saranno hora le sue parti di non partirsi dalla formalità di quella. Lant.ibidem n. 3.*

10 Neque idem potest adnotare vota juxta Sac.Cong.Ep. & Reg. declarationem tenoris, qui sequitur; *Sac. Congr.&c.inhærendo declarationi aliàs die 18. Martii factæ, iterùm censuit, & declaravit, in electionibus Abbatissarum in Monasteriis Regularibus subjectis, adnotationem suffragiorum non pertinere, neque ad Episcopum, neque ad ejus Vicarium, prout neque ad Cancellarium 19. Junii 1671.*

11 Nec minùs habet jus electas Abbatissas confirmandi, ex S. C.C. *ubi in Bullario ad dubium* 5. eidem, occasione Bullæ Greg. propositum, quo quærebatur, *An per eandem Constitutionem in illis verbis, Possit Episcopus unà cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum &c. electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, jus Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur?* Respondit, *jus confirmandi Abbatissas minimè fuisse Episcopis per Constitutionem attributum.* Sed, ut cum aliis notat Layman. *Q. Q. Can. cap. ultimo q.234.* confirmanda est à Superiore Regulari, utpotè Prælato immediato. Et ex eo potest inferri, ad eundem Ordinarium non spectare electionem publicare; verùm est servanda consuetudo.

Quod spectat ad confirmationem exemptarum Abbatissarum, quæ quolibet anno à Superiore Regulari, vel ejus Delegato fiunt, quoad interessentiam Ordinarii, debet servari solitum, ut disponit S.C. Episcop. respondens precibus ei datis à Provinciali Provinciæ Obser. Brixiæ, exponente: *Che Mon-Sig. Vescovo di Crema pretende contro la Cost. di Greg. XV. che li concede solo d'intervenire all'elezione della Badessa, che vive sotto la cura dell'Oratore, di voler anche intervenire alle conferme, che la Religione suol fare; e che se bene il medemo Prelato da quarant'anni in quà si è uniformato à quello, che si pratica in tutte l'altre Diocesi, ad ogni modo presentemente si è così fissato in questa pretensione, che non essendo stato chiamato per la suddeta conferma, non vuol, che sia riconosciuta la Badessa di quel Monastero; supplica per tanto l'Oratore l' EE.VV. d'ordinare al medesimo Vescovo, che havendo ragioni d'assistere alla conferma, le produca à cotesta S. Congr.&c.*

S.C. audito Episcopo Cremensi, referente Em.Gnalterio, censuit circa hujusmodi Abbatissarum confirmntiones secundum ea, quæ proponuntur, esse observandum solitum, prout præsentis Decreti tenore observari mandat. Romæ 15. Maji 1671.

12 Est in Abbatissam ineligibilis illegitima; ejusque electio, si absque Apostolico indulto contingat, nulla à S. C. C. declaratur in una *Nullius 27. Arilis 1630.lib.4. Dec. fol. 278. Circumscriptis Privilegiis Apostolicis, si quæ fuerint Religioni concessa, censuit electionem Monialis illegitimæ in Abbatissam absque dispensatione Apostolica esse irritam.* Item tertia soror germana, Sac. Congr. prout infrà *c.32. n.3.* & publicè pœnitentiata, *S. Cong.3. Octobris 1636. Flosc. Nicol.verb. Abbatissa n.8.* nisi pœnitentia fuerit salutaris. Ubi *nu.6.ex S.Cong. 26. Aprilis* 1652. refert, observandum esse statutum, si alicubi haberetur, quòd soror non possit succedere sorori in Officio Abbatissatus. Et vidua, præterquam inter Convertitas, *Sac. Cong. 28. Februarii* 1614. *idem verb. vidua n.6.*

13 Quoad

13 Quoad suffragia per Conversas ferenda servetur consuetudo ex *S. C. Nicol. F. v. conversus n.20. & S.C.Episc. in Marden. 4. Decemb. 1699.*

14 In Ordine Minor de Observ. votum in huiusmodi electionibus non habent quæ duos annos à professione emissa non excesserint, prout eorumdem stat. *c.11. §.9.n. 6.* Quod priùs expresè quoad Moniales ejusdem Ordinis regimini subjectas, sive primi, sive secundi, sive tertii, aut alterius Ordinis S. Claræ, & S. Francisci decreverat Eugenius IV. Constit. *Ordinis tui la 28. Bull. tom.*1. ut infra: *Et ut supradictæ Moniales, ac Sorores meliùs gubernentur, volumus, quòd in electione, & creatione Abbatissarum, Ministrarum, & Matrum, illæ tantùm ex ipsis Monialibus, & sororibus vocem habeant, quæ per annos tres, vel circa, in earundem Monasteriis, vel Collegiis fuerint: in qua creatione, & electione major pars votorum, ad minus medietatem superans, debet convenire.* Quòd subindè dispofuit Nicolaus V. *Constit. Digna reddimur*, apud *Confectium de privil. mend. p.* 1. ibi: *Quæ Abbatissarum electiones, si à majori parte earum (Monialium) vel numero dumtaxat, factæ fuerint, Canonicæ censeantur.* Cum vota sunt paria, renovatur scrutinium, S.C. 21. *Julii* 1621. *Nicol. cit. v. electio n.*12.

CAPUT II.

Officialis quoad Absolutionem à casibus reservatis.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit casus reservare?*
2 *Actus reservationis est localis.*
3 *Possunt Regulares absolvere sæculares à reservatis in alia Diœcesi: limita.*
4 *Non verò à censura in ea reservata.*
5 *Ex vi suorum Privilegiorum non possunt absolvere à casibus reservatis Episcopo Diœcesano, sine ejus licentia, usque ad* 10.
11 *Quænam vota possint Regulares commutare?*
12 *Quid de casibus Sedi Apostolicæ reservatis? ad* 15.
16 *An venialia possint reservari?*
17 *A censuris ab homine latis Regulares non possunt absolvere.*
Official. Cur. Eccl.
18 *Non possunt absolvere violatores immunitatis Ecclesiasticæ, nec ab hæresi.*
19 *An excommunicatus denunciatus possit in articulo mortis absolvere?*

1 Reservare casus aliud non est, *quàm jurisdictionem inferiorum Sacerdotum restringere, seu limitare.* Accipitur utique in Sacerdotali Ordinatione potestas, seu jurisdictio absolvendi à peccatis, at solùm in habitu, seu actu primo; quia non dat ordinatio subditos, in quos possit collata potestas exerceri. Solùm illius exequutio, vel jurisdictio in actu secundo obtinetur, cum Ecclesia per suos Prælatos consignat Sacerdoti subditos, in quos judiciariam exerceat potestatem. Quod fit, vel per collationem Parochialis beneficii: vel, prævia approbatione, data facultate ad confessiones audiendas. Approbatio autem nil est aliud, ex *Layman. Theol. Moral. lib. 5. tract.6. cap.11. nu. 3. quàm authentica declaratio, & testificatio, personam habilem, & dignam esse, cui jurisdictio ad confessiones audiendas conferri possit.*

2 Actus reservationis est localis, restrictus ad Diœcesim Episcopi reservantis, ad *text. Trid. sess.14. c.7. de cas. reserv.* & inde non afficit Regulares, ad confessiones sæcularium audiendas approbatos, existentes extra reservantis Diœcesim.

3 Quare existentes in Diœcesi A possunt à casibus reservatis tantùm in Diœcesi B absolvere pœnitentes, ex hac ad se confugientes; dummodò in fraudem, & ad declinandum judicium, & forum proprii Pastoris ipsi pœnitentes non accesserint, ut expresè *in Const. superna Clement. X. la 7. Bullar. tom. 5.* ibi: *Posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi, à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere: nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.*

4 Non possunt tamen absolvere ab excommunicatione, in alia Diœcesi solùm reservata; non modò, quia persona censurata, ubicumque sit, cum eo impedimento reperitur; verùm etiam, quia Episcopus excommunicator, propter causam in foro suo cœptam, jus semper habet in excommunicatum, privativè quoad alios, prout

notarunt Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. Fagnan. *in* 5. *cap. omnis de pœnit. & remiss. n.* 80. *&* 81. facit *cap. proposuisti de foro competenti*, ubi *Glos. in ver. citatus* scripsit: Quòd, qui convenitur coram aliquo Judice competenti, necesse habet usque ad finem persistere, etiamsi mutaverit forum, & domicilium: quia præventus est per hanc conventionem.

5 Regulares in Diœcesi ad Confessiones personarum sæcularium audiendas approbati, virtute suorum Privilegiorum, & non obtenta ad id ab Episcopo facultate, absolvere nequeunt pœnitentes à casibus ipsi Episcopo reservatis; ut liquet ex responsione Sacræ Congr. facta Divo Carolo Borromæo *sub die* 10. *Septembris* 1577. hujus tenoris: *Cùm à S. C. Cardinalium, qui præpositi sunt Decretis Tridentini Conc. interpretandis, Illustris. Amp. tua quæsiverit: an Regulares ex privilegio à Sede Apostolica impetrato, præsertim autem ex eo, quod nominant Mare magnum, possint in casibus, quos sibi Episcopus reservaverit, absolvere confitentes? Hac de re ubi Congregatio accurate egisset, deinde ad SS. D. N. retulisset, Sanctitas sua, etiam de sententia Congregationis, censuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliave privilegia Regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absolvendi à casibus sibi ab Episcopo reservatis.*

6 Successit deinde Decretum Alex. VII. damnantis *sub die* 24. *Septembris* 1665. illam propositionem: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Et postea Constitutio citata Clem. X. ibi: *Ex facultatibus per Mare magnum, aliave Privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam JESU, concessis factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis.* Et quoad hoc ipsis non suffragari jam acceptorum privilegiorum confirmationes, per hæc verba testatur: *Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacr. Conc. Trid. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia, prius ab eodem Concilio, aut deinde, Apostolicis etiam Decretis, sublata, atque extincta, si qua habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.*

7 Ut autem clariùs apparet, quorum casuum, vigore Decreti à S. Con. Episc. & Reg. edit. 9. *Jan.* 1601. esset absoluto, tum Sæcularibus, tum Regularibus Confessariis prohibita, in alio Decreto emanato 26. *Nov.* 1602. eadem S. C. de mandato item Clement. VIII. *declaravit, sub ea prohibitione, vigore illius Decreti, illos tantum imposterum comprehendi casus, qui in Bulla, die Cœnæ Domini legi consueta, continentur, ac præterea violationis immunitatis Ecclesiasticæ, in terminis Constitutionis Gregor. XIV. injicientium voluntas manus in Clericos, juxta Canonem, si quis suadente, & juris dispositionem; Simoniæ realis scienter contractæ: atque confidentiæ beneficialis: violationis clausuræ Monialium ad malum finem: provocantium, & pugnantium in duello; & casus omnes, quos Ordinarii locorum sibi reservaverunt, vel imposterum reservabunt.* Videas *Piasecum Prax. Episc. p.* 2. *c.* 1. *art.* 3. *de cas. reser. num.* 1. *Donat. tom.* 2. *prax. Reg. tract.* 11. *q.* 17.

8 Omnes item ab impendenda, extra articulum mortis, absolutione à reservatis, tum Sanctæ Sedi, tum Episcopis, Tridentinum *loc. cit. de reservatione* in fine capitis excludit, ibi *Extra quem articulum*, ait, *Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant...* Et, sicut ipso eodem capite statuit: *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt:* sic extra illum articulum non omnes possunt ab omnibus: sed à reservatis illi dumtaxat, quibus à Sede Apostolica, vel Ordinariis locorum respectivè est concessa facultas.

9 Quod procedit etiam in casu, quo quis eligeretur Confessarius ab eo, qui amplam facultatem eligendi sibi Confessorem haberet, ut in terminis legitur *c. si Episc. de pœnit. & remiss. in* 6. fuisse à Bonif. VIII. dispositum: *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem, cum in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus. Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod*

ali-

aliquis præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere, vel ligare. Et facit *Clement. dudum de sepult. & cap. inter cæteras de privileg. inter com. v. incendiarios*.

10 Et autem, qui in mortis articulo à censura reservata absolvitur, imponendum est onus, ut, cessante impedimento, compareat coram eo, cui erat censura reservata, ut pro foro externo satisfactionem præstet, & mandatum reservantis recipiat. Aliàs in similem censuram reincidit, juxta *cap. eos, qui de sent. excom. in 6.*

11 Quæritur, an Regulares *approbati possint commutare vota, quæ pœnitentes sæculares emiserunt?*

Affirmativè propter eorum privilegia, videnda apud *Dianam coord. tom 8. tract. 4. resolut. 78. Sixtus IV.* concessit Minimis, ut in ejus *Const. la 5. §. 7. Bullar. tom. 1.* De qua re non esse dubitandum scripsit Clericatus *decis. 46. num 19. tom. de virt. ac Sacram. pœnit.*

Quod tamen non procedit I. In quinque votis Summo Pontifici reservatis, ut, *Castitatis perpetuæ: Religionis approbatæ: Peregrinationis ad Terram Sanctam: Ad limina Apostolorum: & ad Sanctum Jacobum in compostellam*; prout in extravag. *Et si Dominici Sixti IV. de pœnit. & remiss. inter com.*

II In votis *promissoriis juratis*, per quæ alteri jus quæritur, ad quæ facultas Regularium non extenditur; nam agitur de præjudicio tertii, *Monacellus form. p. 2. tit. 16. formul. 3. n. 15.* & *Fagnanus in pr. ad cap. ex parte d. par. 33. de Const.* dixit, quòd facultas, & potestas dispensandi in simplicibus concessa, non extenditur ad mixta, propter duplex vinculum voti, & juramenti.

III. In *votis status*, quæ fiunt ex vi particularis alicujus Instituti; quare votum castitatis, quod emittitur à Tertiariis, licèt sit simplex, non cadit sub generali facultate commutandi vota, quia est ex vi peculiaris instituti, & perpetuæ castitatis.

III. In *votis perseverantiæ*, quæ in nonnullis Congregationibus, & Collegiis emittuntur. Nam emittuntur per modum contractus ultrò, citròque obligatorii: *Facio, ut facias &c. Monacellus ibid.* ubi testatur de praxi Pœnitentiariæ, quæ semper cavet in suis absolutionibus præjudicium tertii.

Cæterùm circa ea, quæ possunt, debent ad hunc effectum esse deputati à Generali, vel Provinciali. Debentque exequi in suis Ecclesiis tantum, & in actu Sacramentalis Confessionis.

12 An verò *possit Regulares approbati absolvere sæculares à cæteris casibus Sedi Apostolicæ reservatis?* Dicimus in Italia non posse, ut expresè in Decreto S. Congreg. approbato ab Urbano VIII. dato 18. *Decembr.* 1628. ubi, præmisso, per confirmationes privilegiorum post Trid. obtentas, non revixisse privilegia, si quæ habebant, absolvendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ, & Ordinario loci reservatis, subdit: *Ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam necessariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationum hujusmodi, quas vel hactenus obtinuerut, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absolvere ab iisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reservatis: ac, si secùs egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore. Ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, si quidem Regulares habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse eisdem S.C. decretis hac de re editis jussu s. mem. Clemen. VIII.*

13 Pœnæ, quibus ipso facto ligantur Confessores, sive sæculares, sive Regulares, præsumentes absolvere à casibus, ut in d. decreto sub Clemente, sunt: *excommunicatio, privatio officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, & inhabilitas audiendi confessiones, ad officia, Prælaturas, & beneficia*. Quarum habilitatio, absolutio, & dispensatio sunt Romano Pontifici reservatæ; & absolutiones nullius sunt roboris, & momenti; prout expresè in primo decreto pariter edito de jussu Clementis.

14 In secundo decreto declaratur, quòd facultas, & licentia absolvendi à reservatis, quæ juxta dispositionem primi decreti in scriptis recipi debèbat, etiam sola viva voce concedi possit.

15 In quo Sacra Congregatio admonet locorum Ordinarios, ut in casuum reservatione modum non excedant; sed atrociorum tantùm, & graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat, & in ædificationem, non

autem in destructionem cedat, ut etiam loquitur *Trid. d. c. 7.*

16 An autem *possint reservari venialia*? Non est dubium, quòd sic: nam reservaretur materia levis, ut impediretur ascensus ad gravem.

Verùm, cum reservaretur peccatum, quod alias non esset nisi veniale, certum est, quòd post reseruationem prohiberetur sub pœna peccati mortalis. Videtur tamen absolutè expediens non esse, reservare venialia, Poncius *Theol. disp. 46. q. 10. n. 125.*

17 An etiam possint ab excommunicatione, si censura sit Episcopis reservata? diximus *num.* 4. Nec possunt, si sit ab homine lata, ut expresè *Leo X. Const. dum intra 22. Bullar. tom.* 1. ibi: *Ipsique Fratres ..... Laicos, & Clericos Sæculares à sententiis ab homine latis nullatenùs absolvere possint.* Et Clemens X. *in alleg. Const. superna* decrevit, vigore privilegiorum non licere *Regularibus: etiam satisfacta parte, absolvere pænitentes à censuris, quo ad externum forum; & absolutos ab eis in foro Pœnitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori judicio, & contentioso.*

18 Nec vignore Jubilæi valent beneficium absolutionis impendere eis, qui directè, vel indirectè violarunt immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam, ut expressè declaravit S. Congr. *Immunit. sub.* 20. *April.* 1673. & iterum *in Hieracen.* respondit, absolutionem obtentam occasione Jubilæi non suffragari, apud *Pignatell. t. 1. consult.* 189.

Nec pariter absolvere possunt ab hæresi, non purè interna; ut ex decreto Congr. S. Officii Alexander VII. 15. *Maji* 1656. *Cum crimen hæresis præ cæteris gravissimum, speciali nota dignum sit, decrevit facultatem absolvendi ab hæresi, in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi præcisis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi.*

19 At petitur: *An excommunicatus denunciatus, saltem in articulo mortis, possit à reservatis absolvere*? Videtur posse, quia in eo articulo juxta dicta *num.* 8. nulla datur reservatio. Sed nec ab illis, neque à non reservatis, etiam pro illo necessitatis casu, absolvere potest. Quoniam est certum excommunicatos non toleratos, sed denunciatos, juxta Const. Leon. X. *Primitiva sub la* 20. §. 24. *Bull. tom.* 1. nil posse in casibus etiam non reservatis; quia carent jurisdictione, & subditis, circa quos valeant judicium, & sententiam pronunciare: nam sunt à communione fidelium separati. Sed Sacerdos, de quo dubium, esset privatus communione fidelium, & ab unitate Ecclesiæ præcisus; ideò subditis careret, nec capax foret jurisdictionis. Propterea illud *omnes Sacerdotes, ut in d. cap. Concil.* restringitur ad Sacerdotes habiles, non præcisos, sed capaces ad recipiendam pro eo casu jurisdictionem ab Ecclesia. Quæ sententia est omninò tenenda. Pro ea enim *Fagn. in 4. ad caput Non est vobis de sponsalib. num.* 1. refert S. C. C. decretum, ut infra: *Episcopus Valentinen. petit declarari, utrum pœnitentes in articulo mortis constitutos possit in casibus reservatis absolvere quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, & denunciatus*? S. Congreg. censuit *non posse: Quia communis opinio videtur illa, quòd tales excommunicati non possint, etiam in hoc casu necessitatis.* Qua declaratione supposita, contraria opinio nec est probabilis. Quo casu, si Sacerdos habilis non sit præsens, nec esse possit, & oris confessio haberi nequeat, curet infirmus divina gratia adjutus elicere actum contritionis perfectæ, cum voto confitendi cum primò poterit. Sed vix casus potest contingere, ut præsens sit solus Sacerdos excommunicatus denunciatus, ut optimè *cit. Fagnan.* videndus.

CAPUT III.

Officialis quoad allocutionem cum Monialibus.

SUMMARIUM.

2 *Accessus ad Monasteria Monialium prohibetur Clericis, & Laicis.*
2 *Dispositio pœnalis in favorem animæ extensionem admittit.*
3 *Regularibus est cum Monialibus interdicta locutio sine licentia.*
4 *Decreta Sac. Congr. super accessu Regularium ad Monasteria Monialium.*
5 *Licentia Ordinarii sufficit.*
6 *Estque necessaria, etiamsi alloquentes, alloquantur Moniales sibi subditas.*
7 *Sup. Regularium non potest alterare licentiam concessam ab Episcopo.*

8 *Acces-*

8 *Accessus ad collocutoria est de pertinentibus ad Clausuram.*
9 *Episcopus potest visitare Clausuram sine assistentia Regularium.*
10 *Edicta prohibentia allocutionem extenduntur etiam ad exemptas, ad 11.*
12 *Ad Monasteria est interdictus accessus ad effectum instruendi Moniales in cantu.*
13 *Superiores, & Confessores licentia non egent, ad 15.*
16 *Quando Vicarius Conventus?*
17 *Etiam locutio cum Abbatissa comprehenditur in prohibitione.*
18 *Religiosus licentiam ab Episcopo, & suo Superiore debet obtinere.*

1 ACcessus ad Monialium Monasteria, causa illas visitandi, aut colloquendi, adeòque ad earum colloquia, & aspectum, prohibetur Clericis, & Laicis, *cap. Monasteria, de vit. & honestat. Clericorum*, ubi legitur: *Monasteria Sancti-Monialium, si quisquam Clericus sine manifesta, & rationabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur: & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis. Si Laici, excommunicationi subdantur, & à cætu fidelium fiant pœnitùs alieni*; ubi Glossa notat, quòd frequentare, vitium importat; & malum præsumitur in accessu sine rationabili causa facto.

2 Et quamvis quidam dixerint, Decretalem, utpote loquentem de Clericis, & Laicis frequentantibus Monasteria, non verò de Regularibus, ad istos non extendi, ex quod lex sit pœnalis, quæ extensionem non patitur, juxta *regulam 25. Juris in 6. odia*, tamen eos etiam comprehendere dicimus, cum & lex pœnalis, etiam ad non expressa, ob identitatem rationis, & in favorem animæ, & evitanda peccata, extensionem admittat, ut docent Suarez, & Sanchez *apud Ameno de pœnis tit. 4. §. 1. Consortium suspectum n. 12.* Decretalis autem in favorem animæ emanavit; cujusque dispositio est item inducta, ut pericula incontinentiæ à quolibet evitentur.

Ideò & ad Regulares ampliatur. Quibus item cum præfatis allocutio interdicitur, *c. periculoso de statu Regularium in 6.* ubi statuitur: *Nullique aliquatenùs inhonestæ personæ, nec etiam honestæ (nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus, vel accessus pateat ad easdem: ut sic à publicis, & mundanis conspectibus separatæ, omninò servire Deo valeant liberiùs, & lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora in omni sanctimonia diligentiùs custodire.*

3 Arctior de Jure novo de mandato Sixti V. emanavit prohibitio à Sacra Regular. Congregatione *sub nonis Maji* 1590. In qua sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, Officiorumque, ipso facto incurrenda, prohiberetur omnibus personis Regularibus (exceptis Visitatore, & Superiore, cui cura Monasterii incumbit, & Confessario ordinario, ac extraordinario, pro tempore deputationis) accedere ad Monasteria Monialium, cujusvis Ordinis sint, ad colloquendum, seu tractandum. Sed necessaria est licentia Ordinarii, vel alterius, ad quem spectet eam concedere, prout expressè in alio ejusdem Sac. Congreg. Decreto edito de expresso ordine Urban. VIII. sub. 12. *Kal. Decembris* 1623. Lezana *sum. tom* 4. *v. Monial. n.* 20. Nicol. Flosc. v. Regularis *n.* 52.

4 Subinde 11. *Maji 1669.* apud *Pignatell. tom. 6. consult.* 85. *nu.* 35. Sacra Congreg. Concilii decretum edidit sequentis „tenoris - - Sac. Cong. habita notitia, quòd „nonnulli Regulares absque licentia ad „crates Monasteriorum Monialium adire, „& frequentare non dubitent; prætendentes non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horæ „cum dimidio (quod horologio arenario „aliquando metiuntur) Moniales, aliasque „personas intra clausuram existentes alloqui: & hanc opinionem, tamquam tutam, affirment, disseminent, & fortè etiam „scriptis evulgent, proprias graviter illaqueantes conscientias, & scandala confoventes; ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans, rejiciens, & damnans, „declaravit Regulares, cujuscumque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, Instituti, etiam de quibus specialis „mentio foret habenda, qui ad Monasteria Monialium, quamvis ab Ordinarii „jurisdictione quomodolibet exempta, & „etiam ipsis Regularibus subjecta, vel aliàs „speciali mentione digna, absque legitima „facultate accedunt, colloquendo, etiam

„per

„ per quodcumque modicum temporis spa-„ tium, cum Monialibus, aut aliis infra „ clausuram degentibus, peccare mortali-„ ter: eosque sub excommunicationis, pri-„ vationis vocis activæ, & passivæ, aliisque „ contra Regulares accedentes sine licen-„ tia ad Monasteria Monialium, statutis „ pœnis posse ab Ordinario, tamquam Se-„ dis Apostolicæ delegato, coerceri.

„ Et die 7. Junii ejusdem anni, facta rela-„ tione SS. D. N. Sanctitas Sua præsentem „ declarationem approbavit, ac typis dari, „ servarique jussit.

Nec causa rationabilis accessum justificat, aut accedentem a mortali liberat, prout in una *Neapolitana de anno* 1672. eadem Sac.Cong. declaravit, respondens dubiis sibi occasione prioris declarationis exhibitis.

Primò. *An Regulares accedentes ad colloquendum cum Monialibus sine licentia Episcopi peccent mortaliter*.

Secundò. *An peccent mortaliter, saltem stante dicta declaratione*? Sac. Cong. &c. Respondit ad primum *affirmativè, etiamsi ex causa rationabili, quando non adsit licentia*.

Ad secundum, ad proximam. lib. 27. Decret. fol. 509.

Super quo aliis excitatis dubiis, Primò. *An Regularibus missis ad crates Monialium pro munere prædicationis obeundo, prohibitum sit sub peccato mortali, censuris, & pœnis &c. immediatè post cum ipsis Monialibus, absque expressa licentia ad colloquendum, immiscere sermones cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius Concionis*?

Secundò. *An talis prohibitio intelligatur, tam de collocutione cum aliquibus Monialibus, quàm cum una tantùm (omnibus tamen aliis audientibus) immediatè post Concionem*? *Die* 21. *Maji* 1678 *Sac.Congr.Conc. ad utrumque respondit affirmativè*.

Quapropter improbabilis est opinio Ameno *de pœn. tit.* 4. *de delict. contra castitat.* §. *pr. n.* 16. ubi asserit, non esse allocutionem cum Monialibus absque licentia Episcopi prohibitam, modò sit occasionata, vel brevis, aut causa accipiendæ, vel dandæ instructionis. Et legem quoad mortale peccatum incurrendum concludit esse ex contrario usu abrogatam. In quo certè non sanè discurrit, & contra adeò manifesta decreta calamum nimis laxum apposuit.

5 Facultas concedendi licentias alloquendi Moniales Regularibus subjectas, est cumulativè in Ordinario, & Superiore Regulari: ad quod facit dispositio Decreti sub Urbano VIII. per ea; *prædicta licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio, ad quem spectet eam concedere*. Verùm non est semper obtinenda copulativè ab utroque, sed attenditur usus, & consuetudo; quæ, si legitime sit præscripta, quòd concedatur, vel a solo Ordinario, vel ab isto unà cum Superiore Regulari, servari debet, ad formam Decreti S. C. Concilii, prout sequitur.

„ ** Tametsi aliàs S. C. declaraverit li-„ centias ingrediendi septa Monasteriorum „ Monialium exemptarum, & Regularibus „ subjectarum, ex necessitate tantùm, quæ „ Moniales respiciat, concedendas, & ac-„ cedendi ad colloquendum cum Moniali-„ bus, pertinere ad ipsos Superiores Regu-„ lares; nihilominus sub die 13. Novembris „ 1610. quò magis clausuræ observationi „ consuleretur, facultate sibi à S.D.N. tri-„ buta, statuit, & decrevit, ut infra. ** Hu-„ jusmodi septa nemini ingredi, vel alloqui „ liceat, nisi licentiæ, in casibus necessariis „ concedendæ, nedum à Superioribus Re-„ gularibus dictorum Monasteriorum, sed „ etiam à locorum Ordinariis obtentæ fue-„ rint: non obstantibus quibuscumque „ contrariis legibus, statutis, consuetudi-„ nibus, etiam immemorabilibus.

„ Postremò autem ad removendam om-„ nem dubietatem, quæ ex hujusmodi De-„ creto forsan oriri posset, negotio iterum „ Sac. Congr. proposito, atque S. D. N. re-„ lato die 21. Maji 1630. Sanctitas Sua de-„ claravit, hujusmodi licentias à Superiori-„ bus Regularibus non esse concedendas in „ illis locis, in quibus adesset consuetudo, ut „ istæ ab Episcopis tantùm concedantur. „ Hoc enim casu statuit, & decrevit, talem „ consuetudinem esse observandam, & ip-„ sorum Episcoporum tantummodò licen-„ tias sufficere, etiam privativè quo ad ip-„ sos Regulares; quod reliquum est &c. „ Romæ 10. Januarii 1637. *Pignat. tom.* 10. „ *cons.* 41. *Panimolla dec.* 84. *adnot.* 3. *n.* 54.

6 Unde constat id non competere Regularibus privativè quoad Ordinarios, & horum licentia, quoad usum licitum locutionis, est semper necessaria, ex dispositione etiam S. C. Episc. & Regularium apud eundem Pignat. *tom.* 6. *cit. n.* 31. *quæ sub die* 29. *Augusti* 1594. *censuit, quod Moniales, Re-*

Regularibus licèt subjectas, alloqui nemo possit, absque licentia Episcopi, vel ejus Deputati. *Nemo*, atque ita, & Regulares, illius etiam Ordinis, cui Moniales subduntur Ac ita necessariò, ut si Regularis alloquatur Moniales sine licentia Episcopi, possit Episcopus in eum animadvertere, ex dictis *nu.* 4. Et ubi apposuerit excommunicationem, ipsa ligatur, si Regulares in edicto prohibitivo fuerint nominati. Ut ex Sac. Cong. Conc. in *Auximana 26. Junii* 1658. quæ declaravit Episcopum ad custodiendam clausuram Monialium, etiam in Monasteriis subjectis Regularibus, uti posse censuris, easque ligare nedum Regulares accedentes, sed etiam Moniales, facta de illis mentione: & Regulares non posse absolvere incursos. *Monacell. for. p. 2. for.* 15. *num. 16. tit.* 15.

Possunt Episcopi excommunicationem latæ sententiæ imponere contra accedentes ad monialium Monasteria absque licentia ab eis obtenta, prout abusus, & locorum indigentia postulabit; ad removenda, nimirum, ex frequenti accessu gravissima scandala. Quam censuram sustinet S. C. Episcoporum in una Civitatis Castelli 10. *Julii* 1699. apud d. *Monacell. part.* 1. *tit.* 11. *prælud. de Monial. n.* 2. cùm aliàs comminatoria, & ea circumstantia præcisa, sufficeret. Vide *Nicol. flos. v. accessus n.* 6. & considera *Trid. sess.* 25. *c.* 3. *de ref.* statuens quòd gladius excommunicationis *magna circumspectione exercendus est*.

7 Cum licentia datur ab Episcopo, ejusve Vicario, & Superiore Regulari isti: non licet eam alterare, addendo, vel aliquid adimendo, ex declaratione Sac. Congreg. Conc. in una Viterbien. 24. *Januarii* 1533. quam ex *Barbos. in collectaneis Bullar. ver. Moniales*, refert Lezana allegat. *tom.* 4. *verb. mon. n.* 23. ibi: *Monialium Regularibus subjectarum Superiores subscribentes post Episcopum, vel ejus Vicarium, licentias eorum, qui ad collocutoria accedunt, vel clausuram ingrediuntur, non possunt quid excludere, addere, vel adimere ex illis, quæ Episcopus ipse, aut Vicarius, pro cura, & bono regimine clausuræ, in licentiis præscribit, & apponit.*

8 *Die* 17. *Junii* 1605. *in una Januensi* apud allegat. Pignatellum *n.* 25. *S.C. censuit accessum ad collocutoria, vel Rotas, vel alias Monasteriorum Monialium partes, esse materiam pertinentem ad clausuram, & per consequens spectare ad Ordinarium, etiam in Monasteriis subjectis Regularibus, qui ea ad libitum visitare potest.*

9 Ideò potest præfata sicut clausuram visitare sine assistentia Superiorum; *ut sub die* 25. *Junii* 1596. ipsa S. C. firmavit, & *censuit, Episcopum visitare posse clausuram Monialium, non sibi subditarum, sine assistentia Superiorum Monasterii: & die* 25. *Februarii* 1583. *censuit, posse Episcopum interrogare Moniales, Regularibus subjectas, de pertinentibus ad clausuram, etiamsi nunquam aliàs visitatæ fuerint*, 24. *Novembris* 1617. & Superiores Regulares non possunt eum impedire, *eadem in Ferrarien.* 2. *Maii* 1600. *nec prætendere, visitare velle clausuram Monialium sibi subjectarum, simul cum Episcopo, vel assistere illius Visitatori, ut declaravit Sac. Congr. Episcoporum in Fulginaten.* 10. *Januarii* 1648.

10 Edicta Episcoporum prohibitiva allocutionis, & ingressus in clausuram, ad Monasteria etiam exempta extenduntur, ut censuit S.C.C. *in Urbinaten. die* 10. *Maii* 1663. *ad c.* 5. *sess.* 25. de Regul. quæ interrogata, *An in edicto, quod nemo ingrediatur Monasteria Monialium, vel cum ipsis loquatur sine licentia Archiepiscopi possint comprehendi Moniales S. Claræ, exempta à jurisdictione Archiepiscopi? Respondit affirmativè.* Et eadem S. C. *die* 24. *Martii* 1647. ad dubium eidem propositum ab Episcopo Ratisbonen. & Abbate Monasterii in Allerbarch, ut ad declarandum procederet *An in Tridentino, & Bulla inscrutabili Gregorii, quoad jus visitandi clausuram, comprehendantur Monasteria, etiam Ordinis Cisterciensis? Respondit comprehendere omnes Ordines, etiam Cisterciensem*, apud eundem *num.* 23.

11 Licentia uni Regulari concessa extenditur per *Rodericum, Peyrin, Pellizarium, Tamburinum, & Lezanam*, allegatos ab Hasbensi *sum. ver. Claus. num.* 90. ad socium, ex eo, quòd necesse sit, ut de altero intelligatur, quod de uno dictum est, ex *capit. translato de Constitutionibus*, ubi per Gloss. *quod de uno connexorum statutum est, ad aliud connexum extenditur*; apud quem negat *Cotonius lib.* 4. *controv.* 7. *n.* 88. Quod censeo tenendum, & esse ad formam Decretorum enunciatorum, quæ dispositiones in terminis universalibus negativis con-

conceperunt: *ut nulli Religioso &c.nemo alloqui possit sine licentia*. Illa extensio fit, cum est eadem ratio de utroque, per Sperellum *dec.62.n.15*. quæ in casu non apparet; & de socio sic alloquente verificaretur, quòd loqueretur sine licentia; ideò, ut à taxatis pœnis sit liber, pro eo etiam debet specificè licentia obtineri. Et ex eo, puto esse item necessariam pro Religioso, qui esset pater, aut filius Monialis; quia & ipse Regularis est; & licèt ex *Gavant. Peliz.c.5. sect.5. de mon.n.209*. afferat Decreta S.C. disponentia posse Patres alloqui Moniales filias, & filios Moniales Matres sine licentia; ea tamen ipse notat non esse in usu; & quando sint, non ampliantur ad Regulares.

12 Est ad Monasteria interdictus accessus ad effectum instruendi Moniales in sono, & cantu, prout infrà. Sac. Congr. Episcoporum *sub* 13. *Septembris* 1583. decrevit: *Non permittatur accessus Sæcularium ad Monasteria Monialium, sub prætextu eas docendi sonum cymbalorum, aut alterius instrumenti, aut musicam, cantumvè*; ex *Barbosa* decretum refert *Lezana allegat. sub n. 31. Pignatellus allegat. tom. 6. num.* 216. *Et Lantusca Theat. Regul. ver. Monialis nu.* 2. notavit pro Monialibus Urbis, S. Congregat. Visitat. Apostol. *edidisse sub die* 29. *Januarii* 1665. super hoc Decretum, quo revocavit, & cassavit quæcumque indulta ad hujusmodi effectum facta cuicunque personæ, cum inhibitione, ut imposterum præfatæ licentiæ non concedantur; & in casu concessionis eas nullius roboris, nec in foro judiciali, & conscientiæ, cuique suffragari declaravit, aliasque in transgressores pœnas imposuit.

13 Superiores Regulares, & Confessarii Monialium excipiuntur à necessitate, & debito petendi licentias ab Ordinario; prout in Decretis sub Sixto, & Urbano expressè continetur, ibi: *Superiore, cui Monasterii, seu domus cura incumbit, Visitatore, vel Visitatoribus, Confessarioque Ordinario, & Extraordinario, cum ad tempus deputabitur, dumtaxat exceptis*. *Et* ut sub die 13. *Novemb.* 1592. *in Mediolanen.* S. C. Commissario Apostolico Observanti scripsit: *Che il soprascritto decreto* (cioè fatto sotto Sisto) *non comprehende il Ministro delle Provincie, nè gl'altri Superiori, per quei Monasterii, che stanno sotto il governo, e cura loro*; Pignatell. *cit. sub n.*166.

14 Et die 27. *Septemb.*1641. S.C. Regul. apud *Lantus. ver. allocutio n.7.* significavit Episcopo Caputaquen. ut publicatum edictum reformaret, ut infrà: *Essendosi doluto appresso la S.C. il Ministro Provinciale degl'Osservanti di cotesta Provincia di Principato, che V.S. habbia con suo editto particolare prohibito sotto pena di scommunica, riservata à se medesima, che nessuna persona secolare, e regolare, ancor che sia Confessore, ò Superiore del Monastero di Gioja (soggetto alla detta Religione degl'Osservanti) ò altro Ministro, ò operario necessario, possa andare à parlare alle Monache, ò entrare in Clausura, etiamdio per amministrare li Sacramenti, ò in altri casi di necessità, senza sua licenza: Questi EE. miei Signori mi hanno ordinato di scriverle, che se bene gl' Ordinarii de' luoghi possono sottoscrivere le licenze di parlare alle Monache, & entrare in Clausura de Monasterii, anco soggetti à Regolari, ancor che per il passato siano state solite sottoscriversi da Regolari solamente, come pretende esso Ministro, ciò si deve fare conglontamente con l'istesso Superiore Regolare; e non s'intenda delli Confessori, ò Superiori delli Conventi de' Frati, che han cura del Monastero; perche, come potrà vedere da se stessa nel Decreto stampato* (& est verisimile eidem fuisse transmissum illud sub Sixto, vel Urbano,) *che se li manda qui aggiunto, detti Superiori, e Confessori sono eccettuati nella prohibitione fatta dalla S. Congr. sopra l'accesso de Regolari à Monasterii di Monache; onde V. S. potrà riformare il suo editto in questa conformità per non darli occasione di giusto richiamo, che così la Sac. Congreg. m'hà commesso di significarle, e Dio la preservi*. Il Card. S. Onofrio.

15 Quæ concludunt, tam de Superiore Provinciali, quàm Locali, cui cura Monasterii incumbit; & ex illis infertur: *O Superiori delli Conventi de Frati &c.*

16 De Vicario Conventus, ex Sellio refert *Tamburin. de jur. Abbatiss. disp.25.q.4. sub n.6.* Sac. Cong. *die* 1. *Sept.* 1617. decrevisse, *quòd Vicarius Fratrum absque Apostolicæ Sedis licentia Moniales alloquens, in pœnas in Decreto generali contentas incidit; dummodò idem Vicarius in Prioris absentia, ejusdem Prioris munus non obeat*.

17 Dispositio interdicens allocutionem cum Monialibus comprehendit etiam Abbatis-

batissam, quia, cum agitur de evitando animæ periculo, etiam in pœnalibus, & odiosis admittitur extensio, ex *n.2.*& per Panormitanum apud Tambur.*q.allegat. n.3.* Et in terminis decrevit Alexan. VII. *Constit. Sacrosancti* la 50. *Bull. tom.* 5. pro quiete, & utilitate Monialium Urbis. Et absolutè censuit Sac. Congr. Conc. *de anno* 1654. *lib.* 19. *Decret.* Quæ ad dubium propositum per Commissarium Gener. Ordinis Minorum S. Francisci: *An Regulares ad Monasteria accedentes, & cum Abbatissa alloquentes, incurrant pœnas in Decretis inflictas, quas incurrunt Regulares, qui accedunt, & loquuntur cum aliis Monialibus*: Respondit incurrere, *Monacell. formular. part. 2. formular.* 15. *num.* 17. *tit.* 15.

18 Nomine Ordinarii, à quo sit obtinenda licentia alloquendi Moniales, respectu Religiosi, venit etiam Superior Regularis, cujus est subditus; ideò copulativè, & ab ipso, & loci Ordinario eam debet habere; & nunquam loqui, nisi in præsentia Abbatissæ, ut habetur *c. Diffinimus* 16. *q.* 2. notavitque Glos. *ad c. periculoso de stat. Regul. in ver. honestæ*, vel, non nisi auscultatricibus præsentibus; ut ex *Vallisolet.* Fratribus Min. de Observ. præscribunt Statuta Sambucana *c.* 11. §. 3. *n.* 2. Et generaliter pro omnibus loquitur Decretum sub Urbano.

CAPUT IV.

Officialis quoad Altaria Privilegiata.

SUMMARIUM.

1 *Responsa S.C.C. circa numerum Missarum celebrandarum in Ecclesia, in qua est Altare Privilegiatum.*
2 *Sensus clausulæ*: Ad septennium.
3 *Constitutio Innocentii XI. super celebratione Missarum ad Altaria Privilegiata.*
4 *In clausula.* Volumus autem, ut si alias Christi Fidelibus &c. *præservantur Altaria Privilegiata.*
5 *Indulgentia Altaris Privilegiati non suspenditur anno Jubilai.*

1 SOlent à Romanis Pontificibus Indulgentiæ pro Altaribus Privilegiatis concedi, cum clausula, *dummodo in Ecclesia septem Missæ celebrentur.* Circa quam fuerunt nonnulla dubia excitata, & proposita Sac. Congr. Conc. Petebatur itaque.

Primò. *An absentibus Religiosis ex causa prædicationis tempore Quadragesimæ, & Adventus: vel, quando occasione Festivitatum, vel funerum, aut similium, à Superioribus ad celebrandum alibi trasmittuntur, Indulgentiæ concessæ cum certo numero Missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsùs cessent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus Missarum non fuerit adimpletus, sint suspensæ, vel potius remaneant in suo robore?*

Secundò. *An idem sit statuendum, deficiente præfixo numero Missarum ob infirmitatem Sacerdotum, tam Regularium, quàm sæcularium?*

Tertiò. *An pariter idem sit statuendum, deficiente prædicto numero Missarium ob absentiam ab Ecclesiis sæcularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquos dies, & menses?*

Horum dubiorum resolutionem Summus Pontifex remisit Sacræ Congregationi Concilii, quæ *anno* 1701. 30. *Julii* respondit.

Ad primum: *Quoad primam partem pro tempore Adventus, & Quadragesimæ remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat.*

Ad secundum. *Non remanere suspensas.*

Ad tertium. *Provisum in primo.*

2 Solet in Brevibus pro Altaribus ad tempus Privilegiatis apponi clausula *ad septennium*, per quam significatur tempus ordinarium concessionis. Verùm septennium non incipit à die, qua Romæ à Summo Pontifice indultum conceditur, sed à die publicationis factæ de licentia Ordinarii. Anni autem continui esse debent, non interpolati; Ecclesiastici, non solares; à die scilicet publicationis, & executionis, ad diem correspondentem in septimo anno.

Cum occasione Decreti S. R. C. quo decrevit, in Duplicibus non posse celebrari Missas de Requiem, prout dixi *cap.* 10. fuit dubitatum, an id intelligendum etiam esset, quòd nec in Altaribus Privilegiatis deberent celebrari? Dubitationem sustulerunt Alex. VII. *Const. Creditæ* 176. *Bull. tom.* 5. & Clem. IX. *Const. Cum fel. record.* 39. *ibid.* Quæ, cum contineantur in alia Innoc. XI. eas omittimus, ac edita ab Innocentio transcribitur; cujus tenor est.

„3 Aliàs

,, 3 Aliàs postquam fel. rec. Alexander ,, Papa VII. Prædecessor noster, per quasdam suas in simili forma Brevis die 25. ,, Januarii 1667. expeditas litteras, dubia in ,, diversis mundi partibus, occasione Decreti Congr. tunc existentium S. R. E. ,, Cardinal. & ab ipso Alexandro Prædecessore approbati, de non celebrandis Missis ,, Defunctorum in Festis ritus duplicis, ,, exorta dirimere cupiens, inter cœtera, ,, quoad Altaria privilegio Apostolico pro ,, animabus fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde ,, quotidiè, etiam in Festis ritus duplicis, celebrandæ fuissent Missæ Defunctorum ex ,, obligatione, declaraverat, per celebrationem Missarum de Festo currenti satisfieri ,, injunctis obligationibus, & indulgentias ,, per ejusmodi privilegia Apostolica concessas, animabus fidelium Defunctorum ,, in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent Missæ defunctorum ad formam dictorum Privilegiorum.

,, Rec. mem. Clemens Papa IX. pariter ,, Prædecessor Noster, aliam subinde ortam ,, dubitationem, utrùm scilicet dictarum ,, Alexandri Prædecessoris litterarum dispositio, quoad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro ,, omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ ,, Missæ non ex obligatione, sed ex sola Fidelium devotione celebrarentur, locum ,, haberet? similiter tollere desiderans, declarationem à memorato Alexan. Prædecessore, sicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ,, ad septennium, sed aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ ,, diebus, tunc & in futurum quandocumque ,, privilegiata, authoritate Apostolica extendit: & proindè, ut Missæ, quæ ibidem ,, de Festo currenti, in quo Missæ Defunctorum celebrari non possent, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrandæ essent, suffragarentur, ita ut animæ Christi Fidelium, pro quibus celebrarentur, Indulgentias per privilegia hujusmodi concessas consequerentur, in omnibus, & per omnia, perindè si Missæ Defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebratæ fuissent, eadem Auctoritate concessit, & indulsit, & aliàs prout ,, in ipsius Clementis Prædecessoris litteris, etiam in forma Brevis die 23. Septembris 1669. desuper expeditis (quarum, & ,, præfatarum Alexandri Prædecessores litterarum tenores præsentibus pro plenè, ,, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus) uberiùs continetur.

,, Cum autem postmodum, sicut accepimus, novum circa præmissa excitatum ,, fuerit dubium, videlicet, an supradictæ ,, Alexandri, & Clementis Prædecessorum ,, declarationes, sibi pariter locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, infra ,, Octavas Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque ,, anni diebus, quibus, licèt à Festo duplici ,, non impediantur, adhuc tamen Missę Defunctorum juxta ritum, & morem Ecclesiæ celebrari nequeunt; quatenùs nimirum Missæ, quas iisdem diebus celebrare ,, licet, servata cæteroqui dictorum Privilegiorum forma, ad pręfata Altaria privilegiata celebrarentur? Nosque dubium ,, hujusmodi Congreg. Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinal. Sacris Ritibus ,, Prępositorum, examinandum commisimus, ac eadem Cardinalium Congregatio, re maturè discussa, nuper per suum ,, Decretum die 3. Aprilis proximè præteriti editum, pręfatas Alexandri, & Clementis Prædecessorum declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus ,, juxta Rubricas Missæ defunctorum celebrari non possunt, responderit.

,, Hinc est, quòd Nos ex commissæ Nobis ,, cœlitùs dispensationis munere fidelium ,, defunctorum animarum in Purgatorio ,, existentium suffragiis per ampliùs consulere cupientes, Decretum hujusmodi à ,, memorata Cardinalium Congregatione ,, editum, ut pręfertur, Apostolica authoritate tenore præsentium confirmamus, & ,, approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ Congregationis Cardinalium. ,, Decernentes easdem præsentes litteras ,, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, &c. ,, Non obstantibus &c. Dat. Romæ apud ,, Sanct. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 4. Maji Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo Octavo, Pontificatus

,, nostri

„ nostri Anno Duodecimo. J. F. Albanus.

4 Sub clausula illa, (quæ Indulgentiarum Brævibus solet apponi) *Volumus autem ut si aliàs Christi Fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum, duratura, concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint*: non continentur Altaria privilegiata, prout sequitur.

„ Cùm à Sac. Congreg. Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita, Cameracensis Archiepiscopus quæsivisset, quævis, & sententia clausulæ, (quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi solet) Volumus autem, ut si aliàs Christi Fidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum, duratura, concessa fuerit, prȩsentes litterȩ nullæ sint:-S. Congr. re diligentiùs examinata, Clausulam sic explicandam censuit, si videbitur Sanctiss. D. Nostro. - Ea minimè contineri Altaria Privilegiata pro defunctis; neque Indulgentias, aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo; aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias, aliasve huiusmodi præces recitantibus; ac iis, qui Christiana Doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum Oratione quadraginta horarum intersunt; neque Stationum Urbis, & septem Altarium Indulgentias, instar septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas; neque demùm, quæ pro unica vice conceduntur. - Cæterùm, si alia Indulgentia, sive plenaria, sive non plenaria, in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice, generatim Christi Fidelibus Ecclesiam, vel aliquo ejus Altare, seu Capellam visitantibus, eodem anni die, vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in litteris Apostolicis mentio, has litteras ob adjectam clausulam, esse prorsus irritas, ac nullas. Datum die 23. Iunii 1676.

„ De his autem facta relatione ad Sanctiss. D. N. die 16. Martii 1677. sententiam Congregationis approbavit. Card. Maximus. Michael Angelus Riccus Sec.

5 Altaria Privilegiata non suspenduntur per suspensionem generalem Indulgentiarum, quæ fit anno Jubilæi, ut dixit *Lezana v. Altare n. 19. apud Lant. ver. Altare n. 6.* & colligitur ex *Layman Theol. Moral. lib. 3. tract. 4. c. 8. num. 4. Quilici. Confess. manuduct. qu. 5. art. 4. nu. 29.* scribentibus, quòd anno Iubilei nulla omninò fieri solet suspensio Indulgentiarum pro defunctis; per modum Suffragii à Sede Apostolica concessarum.

CAPUT V.

Officialis quoad Apostatas.

SUMMARIUM.

1 *Apostata à fugitivo distinguitur.*
2 *Regulares ad aliquod genus clausuræ tenentur.*
3 *Censetur Apostata, qui sine licentia vagatur.*
4 *Licentia triplex*, expressa, tacita, & præsumpta.
5 *Non semper licentia præsumitur.*
6 *Distantia à Conventu concludit Apostasiam, si sit mortifera.*
7 *Judicium distantiæ quibus relinquatur?*
8 *An existens in horto dicatur moraliter manere in Conventu.*
9 *Nomine Monasterii in odiosis non venit Ecclesia.*
10 *Quæ censeantur spectare ad clausuram?*
11 *Superiores clausuræ terminos figunt.*
12 *Non est Apostata recurrens legitimè ad Superiorem.*
13 *Exponitur mens Tridentini* in sess. 25. de Regul. cap. 4.
14 *An gravatus debeat expectare sententiam?*
15 *Quinam actus sint irretractabiles?*
16 *Quando appellatio liget manus Judicis?*
17 *Quando gravamen potest reparari, est expectanda definitiva.*
18 *Praxis pro subdito gravato à Judice.*
19 *Gravatus in Religione non potest recurrere ad Judicem Conservatorem.*
20 *Fratres Ordin. Min. de observ. ordinem in appellationibus servare debent.*
21 *Quando dimissio habitus inferat censuram?*

§. UNI-

§. UNICUS.

APPELLATIO.

1 *Appellationis natura, & cur inducta?*
2 *Appellatio duos effectus habet.*
3 *Alia est judicialis, extraiudicialis altera.*
4 *Formula appellandi à definitiva.*
5 *Appellatio ab interlocutoria debet nominatim gravamen continere.*
6 *An appellandum sit in scriptis?*
7 *Tempus fatale ad appellandum.*
8 *Ab appellante petendi sunt Apostoli.*
9 *Apostoli non legitimant recursus Religiosum ad Superiores.*
10 *Tempus prosequendi appellationem.*
11 *Appellatio non suspendit censuram latam.*
12 *Decretum Sac. Cong. Concilii super praxi ab Ecclesiasticis in materia appellationum servanda: & ibi plura. ad 22.*

1 NOn loquitur de Apostasias perfidiæ, quia per infidelitatem fides reinquiritur; nec inobedientiæ, præceptorum transgressionibus adnexa; de quibus optimè Gloss. *ad c. preterea de Apostatis, & reiter. Baptis. verb. Apostasia*, & Summistæ communiter; sed de Apostasia à Religione. Quam DD. describunt, *quòd sit recessus à Religione habitu dimisso, vel retento, animo & intentione non ampliùs revertendi ad obedientiam Superioris.* Apud quos recessus, eo animo qualificatus, Apostatam in sensu proprio constituit; & eo distingui probant à purè vago, & fugitivo, qui spontè, & absque Superioris licentia à Monasterio discedit, ut ad tempus tantùm liberè vagetur.

2 Id in Regulari operatur professio expressè, vel tacitè emissa, ut ad aliquod genus Clausuræ teneatur: textus expressus in *c. Monachi de Stat. Monach.* Extra quam sine Superioris licentia nulli egredi licet: arg. ex damnata propositione VVicleffi in Conc. Constat. ut in Const. Martini V. la 1. *Bull. tom.* 1. huius tenoris: *Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso sunt inhabiles ad observanda Divina Pracepta, & per consequens ad perveniendum ad Regnum Cœlorum, nisi apostataverint ab eisdem.* Et ex verbis decreti Clem. VIII. *de reservatione casuum pro Regularibus*; in quo casus reservabilis est: *Apostasia à Religione sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus, egressio fiat; & nocturna, seu furtiva è Monasterio seu Conventu egressio, etiam non animo apotastandi facta*; idest, non coniuncta cum voluntate perdurandi extra obedientiam Prælati.

3 Propterea verè Apostatæ sunt, qui, habitu etiam retento, & animo revertendi ad Claustra, extra ipsa absque Superioris licentia vagantur, (quamvis propriè essent vocandi Fugitivi: per *Ameno de delictis tit.* 2. §. 1. *Apostasia n.* 9.) Refert Sanctor. *com. in stat. S. Franc. cap.* 2. *stat.* 61. id esse definitum per Statuta Papalia Iulii II. *cap.* 7. *part.* 31. ut sequitur: *Intelligimus autem Apostatam omnem, qui sine licentia, vel contra obedientiam suorum Pralatorum per terras, loca, seu patrias cum habitu, vel sine, cum socio, vel sine illo, iverit, atque quomodolibet discendentem.* Stat. Sambuc. Min. *de Obser. cap.* 2. §. 8. *de Apostatis*, quomodocumque fugitivos è Claustris Apostatas nominant, & uti tales puniri præscribunt; ubi videndi casus, & gradus Apostasiæ cum suis penis proportionatis.

4 Licentia debet esse, vel expressa, vel tacita, aut præsumpta. *Expressa* obtinetur verbo, voce, vel scripto. *Tacita* est, quando Superior Subdito eam petenti nil respondet, nec prohibet, licèt post petitam licentiam eum exire videat; tacendo enim censetur consentire, *c. nonnè*, juncta Gloss. *in verb. tacendo de præsumptionib. Præsumpta* (quæ ab aliquibus apud Peyrin. *de Subdito quæst.* 2. *cap.* 2. § 3. not. 1. dicitur interpretativa) est illa, quæ nec expressè verbo, seu voce, nec tacitè habetur, præsumitur tamen, quòd concederetur, si peteretur; quæ à tacita distinguitur ex hoc, quòd tacita supponat Prælatum præsentem & consuetudinem; præsumpta verò absentiam eiusdem, vel, quòd de facili præsens non possit haberi.

Ut legitimè possit Subditus uti licentia præsumpta, ei assistere debet necessitas; & ad exemplum sit: *Infirmatur quis, V.G. ad mortem, petit Confessarium: alius non adest, quàm Regularis potens Sacramentum ministrare: non adest tempus adeundi Superiorem ad petendam licentiam, alias infir-*

infirmus moritur inconfeſſus. Latro furatur in Sacriſtia Calicem, illicò fugit; niſi Sacriſta extra Conventum, non expectata Superioris licentia, fugientem perſequatur, amiſſio eſt certa. In his, & ſimilibus caſibus præſumitur, quòd Superior licentiam concedat, & ad ſubveniendum ſaluti proximi, & ad reparandum damnum Conventus.

5 Verùm pro praxi advertendum, quòd nunquam excuſatur ſubditus ab Apoſtaſia, nec licentia præſumi prudenter poteſt, niſi neceſſitas ſit urgens; ut cum tempus adeundi Superiorem non ſuppetit, vel cum adhibita à ſubdito diligentia, non invenitur. In iſtis circumſtantiis licentia præſumpta ſuffragatur, & legitimitatem egreſſus juſtificat. Secùs dicendum, ſi Superioris præſentia poſſet de facili haberi, quia tunc præſumeretur potiùs dolus in ſubdito, & quòd ex propoſito vel diligentiam omitteret, vel ad Superiorem non accederet; quod fortiùs procedit in caſu, quo data opera differret petitionem licentiæ ad tempus, quo ſciret Prælatum abſentem neceſſariò eſſe debere, aut non poſſe de facili inveniri.

6 Non poteſt Apoſtata pronunciari, & pœnis Apoſtatarum puniri, niſi exiens extra januam Conventus abſque licentia, per tantum ſpatii elongetur ab ipſo, quòd ſibi poſſit rationabiliter ad culpam mortalem imputari; ut notavit Peyrinus *cit. quæſt.* 1. *cap.* 26. *verſ. Ex quibus*, & Sanctor. *alleg.* Unde diſtantia per aliquot paſſus, quæ non ſit mortifera, ad id non ſufficit. Major enim excommunicatio, qua per DD. ligantur Apoſtatæ, non niſi ob culpam mortalem incurritur, *cap. Nemo Epiſcoporum* 11. *quæſt.* 3. à qua, ſicut in pluribus aliis materiis, parvitas materiæ in caſu excuſat.

7 Judicium diſtantiæ concludentis culpam mortalem relinquitur prudentis arbitrio, diſpoſitioni legum municipalium, & locorum conſuetudini, iuxta quam variatur; ut ubi ſuprà ſcripſit Ameno *num.* 19. Abſolutè mortaliter peccatur, ſi transgreſſio obedientiæ ſit gravis; ſi interveniat dolus, & fraus, & non habeatur licentia tacita, prçſumpta, ſive interpretativa, vel non adſit neceſſitas locum dans epichejæ.

8 Nec eſt Apoſtata, qui facto præcepto à Superiore, de quis ſub Apoſtaſiæ pœna ſine eius licentia extra Conventum vadat, hortum, pratum, vel ſylvam ingreditur; licèt puniendus ſit pœnis inobedientium (ſicut iiſdem corripiendus eſt Religioſus cellam alterius ingrediens, dum id Superior inhibuit) modò præfata ſpectent ad clauſuram Conventus; vel intra ſepta Monaſterii contineantur; quia in caſu exiſtens in horto, diceretur moraliter manere in Conventu, & non extra ſepta Monaſterii; quod per DD. & ex Decreto Clementis ſuperiùs allegato exigit Apoſtaſia.

9 Non eſt vis conſtituenda in vocula, *Conventus*; quia licèt iſte in ſenſu ſtricto reſtringi poſſit ad ſignificandum ſpatium contentum à parietibus domus, vel ædificii; in caſu non ita materialiter accipitur; aliàs deberet de Religioſo è clauſtro abſque licentia ingrediente Eccleſiam eiuſdem pronunciari, quòd eſſet Apoſtata; quia dici de eo non poſſet, quòd ut in Eccleſia, eſſet in ſpatio materiali, hoc eſt, inter materiales parietes Conventus contento, ſed extra. Et eò fortiùs, quòd Eccleſia, & Conventus diverſa ſignificata diverſis nominibus exprimunt. Et etiam quia, ut ex Graffio refert Donat. *prax. tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 3. *q.* 1. *num.* 3. nomine Monaſterii non venit eius Eccleſia (præſertim in odioſis) alioquin mulieribus, quibus eſt prohibitum ingredi Monaſteria Virorum, eſſet etiam interdictus ingreſſus ad eorum Eccleſias; & ex identitate rationis, Viri ad eas Monialium non poſſent accedere; quod eſt ſanè falſum, ſimul, & ridiculum.

10 Ideò Conventus, vel Monaſterii ſepta debent in præſenti accipi formaliter, ut ſignificent totum circuitum Monaſterii, comprehendendo in eo, hortum, ſylvam, pratum, ex Peyrino *de Prælato quæſt.* 3. *c.* 2. *§.* 1. *num.* 39. & alia loca illi annexa, quæ iiſdem muris, ſeu ſeptis cinguntur, apud Lezana *ſumm. tom.* 3. *verb. Clauſura num.* 3. & habetur *cap. Exiit, de verbor. ſignif. in* 6. §. *Denique, verſ. Nos utique*; ubi Nicolaus III. declarans in terminis, quid nomine Monaſterii intelligatur, ait: *Nomine Monaſterii volumus Clauſuram, domos, & officinas interiores intelligi*; & inter iſtas textus certè comprehendit hortum eodem muro Monaſterii cinctum; ad quem (ſicut ad alias officinas interiores) ſi ſit Monialium, Viris, & ſi ſit Regularium, Mulieribus non permittitur, imò ſub cenſuris prohibetur ingreſſus.

11 Nec relevat, quòd ad Superiores,

res, per Lezana *cit.* & Confect. *sum. privileg.* Mend. *part.* 2. *tit.* 20. *cap.* 8. uti ad Judices ordinarios, & Pastores Religiosorum, pertineat de Clausura providere, eiusdemque statuere, & designare terminos, extra quos non liceat Religiosis sine licentia exire. Nam in eo ex observatis à præallegato Ameno *num.* 24. debent Apostolicis Constitutionibus conformari, & iuxta earum dispositivas operari. Ideò cum Nicolaus hortum ad Clausuram spectare statuerit, ab ea non potest per Superiores excludi, nec declarari, quòd pars ejusdem non sit; aliàs eorum declaratio efficere posset, ut licitè illum mulieres ingredi valeret; & quòd esset locus, in quo confugientes non gauderent immunitate; quod est falsum.

Ex quibus concluditur, quòd de Religioso contra mandatum Superioris hortum clausuræ unitum ingrediente (licèt sit inobediens) non verificatur, quòd sit extra clausuram; imò potiùs optimè dicitur, quòd sit intra septa formalia Monasterii; & sic, quòd non possit ullo modo, ut Apostata, pronunciari, & uti talis puniri.

12 Neque Apostata pronunciari debet Religiosus, si injustè, & contra jus certò, & notabiliter gravatus à Superiore, recta via ad Generalem, aut alios, ad quos de jure, accesserit absque licentia legitima, ut in terminis firmant Peyrin. *de subdito quæst.* 1. *cap.* 20. Lezana *sum. tom.* 1. *c.* 16. *nu.* 8. Pignatell. *tom. & consf. cit. numer.* 27. Ameno *cit. num.* 27. alios plures allegans. Ratio à Doctoribus datur. Etenim appellatio ex Pasqualigo ad Lauretum de Franchis *part.* 1. *num.* 159. est defensio contra injustitiam in præsidium innocentiæ; defensio autem per DD. est de jure naturæ, & ideò Regularibus licita, imò & necessaria, ut per Superiorem gravamen emendetur. Nimis enim durum foret, quòd ex proprio statu Regulares essent deterioris conditionis, quàm cæteri homines, qui ab injustis gravaminibus possunt appellare, & ad Supremos Judices recurrere, *cap. Suggestum*, *cap. Pastoralis officii*, *de appellat.* Et quia lex præscribens, ne Religiosus exeat è Claustris sine Superioris licentia, est humana, nec legi naturali de se defendendo ab injustè gravante, & iniquo oppressore prævalet; sequitur optimè, quòd in casu, & ad hunc effectum, possit sine illa ad alium Superiorem recurrere; in casu enim tantæ necessitatis, vel ius naturæ dispensat, ut sine illa vadat, vel præsumitur licentia Superioris, *Ad quem*, ut notavit Lezana, vid. *num.* 18.

13 Nec obstat, quòd Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 4. statuat: *Nec liceat Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint;* nam credendum non est, ut notat Pignatellus, Concilium voluisse derogare iuri naturali; ipsumque per Lezana non loquitur de Religiosis à Superiore iniustè, & contra ius gravatis; sed de illis, qui sine vera causa recurrunt, quod illa dictio, *prætextu*, significat; prætextus enim est color quæsitus, & non vera causa. Prohibetur ergo à Concilio recessus, & recursus ex causa colorata, levi, & ficta; non verò ex causa reali, & in casu realis gravaminis præsentis, sive imminentis, ut post Quaranta *summ. Bullar. verb. Archiepiscopi auctoritas sub lit. L. ver. Conclusionem*; optimè scripsit Ameno *n.* 31. *vid. infr. n.* 19.

14 Et si quæratur, an gravatus debeat expectare sententiam, & ab ipsa appellare? Responsioni præmittimus: *Primò*, quòd alia est sententia *definitiva*, alia *interlocutoria*. *Definitiva* est illa, quæ decidit negotium principale in judicium deductum; vel qua Judex causam principalem definit, & toti controversiæ finem imponit, suoque est functus officio, nec potest ampliùs se ingerere in cognoscenda causa, sed solùm in executione sententiæ. *Interlocuria* verò est, quæ non de summa controversia, sed de rebus ad eam definiendam pertinentibus pronunciat; ut de cognitione differenda, de testibus producendis, de tortura, & similibus; ut tradunt Piasec. *prax. Episcop. par.* 2. *cap.* 4. *art.* 15. *num.* 13. & Engel. *Colleg. Univers. Iuris Canon. lib.* 2. *tit.* 27. §. 1. *num.* 3. & Joan. Calvinus Lexicon Iuridicum *lit. S.*

15 Secundò, quòd gravamen irreparabile dicitur quilibet actus irretractabilis; qui instanti, quo ponitur, suum sortitur effectum, & annexum habet factum, quod infectum esse non potest, ut ait Quaranta *cit. vers. In quibus*, *ubi sup.* Hujusmodi sunt actualis excommunicatio, suspensio, & interdictum, quæ alleg. *cap. Pastoralis*, §. *Verum*, secum trahunt executionem; item tortura, & carcer, ex Piaseco *cit.* & Cabassut.

prax.

prax. Jur. Canon. lib. 4. c. 12. n. 20. Quoad carcerationem habetur declaratio S.C.C. apud Piaſecum *cit.* ex Quaranta loco adducto hujus tenoris.

An quod Decreto S. C. Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 1. *de refor.* & alio *ſeſſ.* 24. *c.* 20. *de refor. dicitur de gravamine, quod per appellationem à definitiva reparari non poteſt, intelligi poſſit, & debeat de gravamine indebitæ carcerationis?*

Sanctiſſ. D. N. *audita relatione S. C. Conc. declaravit ita eſſe intelligendum; & ideò ab hujuſmodi gravamine appellari poſſe, & Ordinarium, vel Judicem teneri huic appellationi deferre, & teneri proceſſum transferre ad Iudicem appellationis.*

Et dicitur irreparabile, quatenùs licèt ſententia definitiva lata ab Judice appellationis poſſit liberare ab excommunicatione, V. G. & carcere; efficere tamen non poteſt, quin gravatus illa mala actu ſuſtinuerit, nec eum ad primævum indemnitatis ſtatum reſtituere valet.

16 Item, licet olim de jure Canonico à qualibet interlocutoria, & quovis gravamine appellare licuerit, *cap. de appellationib. cit. tit.* id hodie eſt correctum per Trid. *ſeſſ.* 13. *cap. cit.* in cauſis viſitationis, & aliis, ut ibi: *Ante definitivam ſententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur: Nec Epiſcopus, aut Iudex, ſeu Vicarius appellationi hujuſmodi tamquam frivolæ deferre teneatur*, & inferiùs: *Niſi gravamen hujuſmodi per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit.* Notavit præalleg. Quaranta *v. In quibus caſibus*, quòd à decreto de torquendo admittitur appellatio, & tortura ſuſpenditur, etiam antequam per Judicem, *Ad quem*, inhibeatur; nam licèt regulariter appellatio ab interlocutoria non liget manus Judicis, *A quo*, antequam inhibeatur, ut in *cap. Non ſolùm, de appellationibus*, limitatur, ut non procedat in ea interlocutoria, quæ infert gravamen irreparabile; nec in ea per Engel. ex Barboſa in *Collect. DD. ad d. cap. 20. Trid. num.* 37. & Quaranta *loco allegat.* quæ tametſi contineat gravamen reparabile, non eſt tamen reparabile ex toto; vel nonniſi cum magna difficultate, aut præjudicio partis.

17 Ex quibus poteſt quæſito reſponderi. Vel Subditus gravatur à Superiore per interlocutoriam tali gravamine, quod per appellationem à *definitiva*, reparari non poſſit; ut ſi decernat reum eſſe torquendum, aut incarcerandum; & tunc ſententiam definitivam expectare non debet, ſed appellationem ab interlocutoria torturæ, & carcerationis interponere. Vel ſic gravatur, ut gravamen illatum poſſit per definitivam reparari; V. G. producit teſtem ad ſui defenſionem, Judex eum examinare rejicit, etiam ſi nullam exceptionis rationem afferat; licèt ſuper hoc ſe ſentiat nimis gravatum, expectanda nihilominùs eſt definitiva, quia per appellationem ab ea, poteſt gravamen, & damnum reparari, Peyrin. & Engel. *loc. cit.* aliàs ſi ante unam, vel alteram ſententiam diſceſſerit, temerè, leviterque judicabitur recurrere; & ſic erit ut Apoſtata puniendus, & ad Superiorem proceſſantem remittendus.

Sed quid, ſi Superior appellationi non deferat, vel eam non admittat, prout de jure deberet? Dicendum, appellantem debere ab iis, coram quibus appellavit, petere Apoſtolos, teſtimoniales litteras nimirùm, teſtificantes de interpoſita appellatione. Quas illi concedere tenentur, quia indebitè gravato, officium charitatis expoſtulat, ut omnes ſuccurrant.

18 Cæterùm in praxi inſtruendus eſt Subditus (injuſtè V. G. à Provinciali gravatus, cui nec locus appellandi datur, eſtque ad illati graviminis obtinendum teſtimonium ex timore majoris impotens, & mora in ejuſdem Provincia nociva) quòd debeat (quando ad exercitium virtutis ſuſtinere nolit) viciniorem alterius Provinciæ Conventum adire, & ex eo per edictum coram teſtibus ab illato gravamine appellare, & Provinciali tranſmittere; ac iniuſtitiam gravaminis ſignificare Generali, iuriſque remedia expoſcere, obedientiales petere, & cum eis ad ipſum accedere, ut ſic recurſum iuſtificet.

Et quatenùs à Generali obedientiales denegarentur, & urgeret acceſſus ad Sedem Apoſtolicam pro reviſione cauſæ, vel revocatione gravaminum; deberet teſtimonio fide dignorum conſtare de petita ab eo licentia, & per ſuos Superiores denegata, ut expreſsè Sixtus V. Conſt. *Ad Romanum* ſub la 71. §. 20. *Bull. tom.* 2.

19 Dubitatur, an gravatus à Guardiano non habens copiam Provincialis, poſſit appellare, & recurrere ad Conſervatorem

Privilegiorum ? & quatenùs ad eum effe-ctum à Conventu recedat, sit pronunciandus Apostata ?

R. Quantum ad primum negativè. Nam in appellationibus interponendis est servandus ordo, ut ex ordine Sanctiss. decrevit S. C. Regularium *de ann.* 1587. apud Quaranta *summ. ver. Monaster. & Conventus*; ubi à gravamine Prioris ad Provincialem, & à Provinciali ad Generalem recurrendum esse legitur. Tum quia Leo X. *Const. Romani*, *la* 10. *apud Confect. de privileg.* Mend. *part.* 1. sub excommunicationis pœna eo ipso incurrenda, prohibet nominatim Conservatoribus Privilegiorum Ordin. Prædicatorum, ne querelas Fratrum, & Sororum d. Ordinis, contra alios Fratres eiusdem suscipiant, vel de eis cognoscant. In quo privilegio & cæteri Regulares communicant. Nam allegari non potest titulus, quo id eis prohibeatur.

20 Accedit prohibitio appellandi per Religiosos Ordin. Sancti Francisci de Observ. à Prælatis eiusdem Ordinis ad Tribunalia sæcularia, prout in *Const. Quoniam*, *la* 27. *Grogor. XIII. Bullar. tom.* 2. In qua sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reservatæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad officia obtenta, & obtinenda, interdicitur, ne quis dict. Ordinis Religiosus, aut Religiosa, ad Tribunalia sæcularia appellare, vel adire audeat; sed in casu gravaminis à Prælatis suis, à Provinciali ad Generalem, aut Sedem Apostolicam recurrendum est. Per Tribunal sæculare Pontifex intelligit quodcumque, quod non est, vel Superiorum Ordinis, vel Protectoris (licèt quoad hoc hodie attendatur *Const. Innoc. XII. Christi fidelium sub* 14. *Kal. Martii* 1693. moderatoria facultatum Protectorum) aut Sedis Apostolicæ. Atque ita intendit prohibere recursum, etiam ad illud Conservatorum, quod non est Tribunal Ecclesiasticum Regulare, vel Apostolicum, sed sæculare dumtaxat.

Et ita ad secundum affirmativè.

21 An autem censendus sit Apostata, vel fugitivus Religiosus, qui obtentis litteris obedientialibus accedendi ad locum à Provincia distantem, in itinere habitum deponit, & in veste sæculari incedit?

Negativè respondetur. Nam non est Apostata, quia supponitur non habere voluntatem non ampliùs redeundi ad Claustra sub obedientia Superiorum: nec Fugitivus, quia recessit à Conventu, & Provincia cum eorumdem licentia; ligatur tamen excommunicatione allegat. *cap. Ut periculosa*, *ne Cler. vel Monach. in* 6. lata in Regulares, qui ad finem liberiùs evagandi, habitum temerè, hoc est, sine rationabili causa dimittunt.

22 Unde quia ad huiusmodi censuram incurrendam exigitur, ut dimissio habitus sit temeraria, ut textus expressus ibidem, iuncta Gloss. *in verb. Temerè*, hoc est, facta absque iusta, vel saltem probabiliter apparenti causa, sequitur ea non ligari, qui causam rationabilem dimittendi habet; & sic apud Ameno *num.* 26. & expressiùs apud Peyrin. *de subdito cap.* 26. sæpiùs *cit.* §. 1. *per totum*, ea non innodatur, qui dimittit causa mutationis, mundationis, reparationis, balneationis, infirmitatis, transitus per loca Turcarum, & Infidelium; ad quietiùs dormiendum, & fugiendum calorem ęstivum; ac ad modestam recreationem, etiam si ad aliquod tempus, in Conventu habitus histrionum assumat; cum in his, & similibus non habeatur propriè habitus dimissio, sed spoliatio; quę duo valdè differunt, ut ex Suarez *tom.* 5. *in* 3. *par. disp.* 23. *sect.* 4. *nu.* 27. observat Peyrin. *verb. Neque incurrit*.

23 Ubi nec eum censura ligari docet, qui habitum dimittit, ut cum fœmina rem turpem habeat, vel ut aliquid liberiùs subripiat; licèt peccet mortaliter, ex eo, quòd tunc dimittit, ut commodiùs fornicetur, vel liberiùs furetur, & non occasione vagandi, quam Decretalis ea dispositione removere intendit: secùs dicendum de eunte in habitu sęculari ad lupanar.

§. UNICUS

APPELLATIO.

Esset hìc agendum de appellationibus, tanquam de re necessaria, & Ecclesiasticis utili; sed quoniam Scribentes pleno calamo id agunt, Fagnan. *in* 2. *ad cap. Super eo*, *il* 2. *de appellat.* Gonzalez *in* 2. *tit.* 28. Ventrigl. *prax. par.* 1. *annot.* 8. Piasecus *prax. par.* 2. *cap.* 4. *art.* 15. parcimus labori, & quędam dumtaxat dictis *sup. n.* 14. subnectimus.

1 Ap-

1 Appellatio itaque, *Est ab inferiori Judice ad superiorem facta provocatio*; adeò ut ille in causa ampliùs non cognoscat, nec se ingerat; vel priùs pronunciatum corrigat, vel in melius reformet. Est enim appellatio remedium juris ad removendum gravamen, quod Judex, à quo appellatur, intulit, vel inferre conatur. Potest Judex in causa sententiam, vel definitivam, vel interlocutoriam, ferre. Si definitivam pronunciavit, cum functus sit officio suo, semel judicando, sive benè, sive malè, non potest ampliùs in causa cognoscere, & sententiam revocare, quia definitiva imponit finem causæ. Ac tantùm agere valet pro exequenda sententia, ad text. in *cap. In litteris, de offic. Deleg.* nisi per appellationem executio suspendatur, & ad superiorem causa ex integro devolvatur. Si verò interlocutoriam sententiam tulit, potest eam revocare, vel moderari. Et quatenùs, appellatione interposita, non moderetur, jurisdictio suspenditur.

2 Unde appellatio regulariter duos effectus producit, alium suspensivum, quo sententia ipsa, & ejus effectus, inferiorisque iurisdictio suspenduntur, *cap. Pastoralis, §. Verùm de appell.* alterum devolutivum, per quem causa, super qua appellatur, & eius cognitio, cum omnibus accessoriis ad superiorem devolvitur, *cap. Dilectis hoc tit.*

Hinc quia, interposita appellatione, ad superiorem Judicem causa est devoluta, & iurisdictio inferioris suspensa, sequitur, quòd Judex inferiori in re, atque ipsamet causa, à qua provocatum est, ampliùs procedere non possit. Nam appellatio non solùm suspendit inferioris jurisdictionem; verùm & appellantes in causa, in qua appellatum est, ab inferioris jurisdictione eximit, *cap. Romana hoc tit. in 6.* & inferior definit esse Judex ejus causæ, *cap. Ad hæc, cap. Ut nostrum hoc tit.* ejusque manus ligantur, & ab eo tollitur facultas ulteriùs procedendi, Propterea Jura constituerunt, ut Judex, *A quo*, appellatione pendente, nihil innovare possit; & si quid eo tempore attentaverit, velut à non Judice factum, rescinditur. Nec tantùm revocantur ea, quæ fuerunt attentata post appellationem interpositam; sed ea quoque, quæ attentata fuerunt post sententiam intra tempus assignatum ad appellandum, quia cum illud tempus sit ad appellandum concessum, nihil, eo pendente, innovari debet; ne beneficium in iure indultum, damnosum sit gravatis, aut omninò superfluum, contra regulam 17. *jur. in 6. indultum*.

3 Appellatio dividitur in iudicialem, & extraiudicialem. Judicialis est, quæ in iudicio interponitur, postquam cœptum est; quia aut interponitur à definitiva, vel ab interlocutoria continente verum gravamen irreparabile. Extraiudicialis ea est, quæ ab actibus extraiudicialibus interponitur, dum quis gravatur, vel timet gravari; ut in provisionibus, electionibus, &c. *cap. Concertationi hoc tit. in 6.* Et solet huiusmodi appellatio dici provocatio ad causam, *cap. Cum sit hoc tit.* quia pertinet ad causam inchoandam.

In utraque appellatione debet gravamen in scriptis exprimi, *cap. Cordi hoc tit. in 6.* De illa in electionibus facienda, legitur expressè text. in *cap. Ut circa, de elect. in 6.* Ex quo appellandum est in publico instrumento, præstito corporali iuramento; & in scriptis appellatio offertur. Nec valet appellatio, ut non fiat electio, sed ut non fiat, nisi canonica, ex dicendis *cap.* 18.

4 Verùm in appellatione à definitiva, non est necesse, ut nominatim, & in specie causa gravaminis exprimatur, ut in terminis Gloss. ad *cap. Cum in Ecclesia hoc tit. ver. Injusta*, & Gloss. *in cap. Quoad, de sent. & re judic. verb. Causam non exprimens*; sed debet semper continere gravamen, licèt minimum; & iusta, ac rationabili causa interponi; aliàs Judex, *A quo*, non teneretur ei deferre. In dubio de iustitia causæ, Judex, *Ad quem*, cognoscit. Formulam tradit Gratianus ad *cap. Post appellationem, 2. q. 6.* ibi: *Ego N. contra sententiam Iudicis N. injustè in me latam die 11. Augusti 1708. Romanam Sedem, vel Iudicem N. appello, & Apostolos peto. Hac die eodem anno coram NN. testibus, &c.* Definitiva enim potest ex novis causis iustificari, in qua habet locum beneficium iuris: *Non deducta deducam, non probata probabo, l. Per hanc, Cod. de temp. appellat. cap. Fraternitatis, de testibus.* Nisi appellatio à definitiva esset in casu ab iure prohibito; tunc enim nominatim causa exprimenda esset, quæ vinceret ius prohibens, ut dixit Piasec. *num.* 14.

5 In appellatione ab interlocutoria,

quia non poteſt ex novis cauſis iuſtificari, ut in Clemen. *Appellanti hoc tit.* neceſsarium eſt in ſcriptis cauſam nominatim exprimere, ut in *d.c. Cordi*. Quapropter non valet, ſi appellans per clauſulam generalem, & in confuſo cauſam exprimat; ut: *Appello ab interlocutoria iniqua, vel gravamine, vel gravaminibus, quæ ex actis, vel proceſſu colligi poſſunt*. Quando enim aliquid à lege pro forma requiritur, illud ſpecificè adimplendum eſt, per Gonzal. *cit. cap.*59. *num.*16.

Diſcrimen autem, cur in appellatione à definitiva non requiratur expreſsè cauſa gravaminis in ſpecie, benè verò in appellatione ab interlocutoria, apud d. Gonzalez *num.* 18. eſt, quòd Judex nunquam poteſt revocare, aut mutare ſuam ſententiam definitivam, *l. Judex poſteaquam, ff. de re judic.* & proinde non oportet in appellatione à tali ſententia cauſam exprimere, cum per eam Judex moveri non poſſit (& ſi vellet) ad illam revocandam vel mutandam. Interlocutoriam verò poteſt, *cap. Ceſſante hoc tit. cap. Si ab Judice hoc tit. in 6.* Ideò congruum eſt, ut in iſta exprimatur cauſa, propter quam fortaſsè Judex moveri poſſit ad illam revocandam.

6 Quamvis appellatio ſemper debeat in ſcriptis interponi, hoc non procedit, ſi appellatur à definitiva, *Illicò & ex continenti*, poſt ſententiam latam; tunc enim viva voce, & ſine ſcriptura appellari poteſt, per Gloſſ. in *d.c. Cordi, verb. Interlocutoria*; ſed ab interlocutoria ſemper in ſcriptis appellandum eſt, ut text. in *d. cap.* expreſsè.

7 Eſt certum, ſententiam à Judice legitimè latam in rem iudicatam tranſire, ſi nulla fuerit appellatione ſuſpenſa, *dict. cap. Quoad, de re judic. cap. Cum inter, de elect.* hoc eſt, ſi ab ea non fuerit appellatum; vel, ſi inter fatalia tempora appellatio non ſit interpoſita, vel proſecuta. Quapropter duo ſunt tempora, unum appellationis interponendæ, & alterum proſequendæ; quæ dicuntur fatalia appellationi, quatenùs, ſi inter ea appellatio vel non interponatur, vel non proſequatur, intelligitur deſerta.

Tempus ad interponendam appellationem poſt latam ſententiam ſunt decem dies, intra quos eſt appellandum, *cap. Non ſolùm hoc tit. in 6. cap. Bonæ memor. de confir. utili &c.* & non ſolum à definitiva, verùm & ab interlocutoria, aut alio gravamine (niſi ſit gravamen habens tractum ſucceſſivum, ut eſt carcer, quæ pœna ſemper durat) & obſervandum etiam, dum appellatur tacitè per arreptionem itineris ad Superiorem: aliàs cenſetur appellans iuri ſuo renunciare. Hoc autem tempus quoad appellantem, ſi ſit præſens, incipit currere à diæ latæ ſententiæ; ſi verò fuerit abſens, à die notificationis ſententiæ, & non priùs. Ratio eſt, quia illi dies dantur ad deliberandum, an quis velit ſtare ſententiæ, vel non? Impoſſibile autem eſſet, ut quis abſque ſententiæ notitia deliberaret.

8 Statim autem, interpoſita appellatione (quando uno contextu in ipſa interpoſitione non fiat) peti debent Apoſtoli, ſeu litteræ dimiſſoriæ, quos Judex, *A quo*, tenetur dare, juxta præſcriptum Bonif. VIII. in *d.c. Cordi*. In quibus debet exprimere cauſam appellationis, & cur appellatio non ſit admiſſa; vel ſi appellationi forſan ex Superioris reverentia ſit delatum.

Tempus petendi, & accipiendi Apoſtolos ab jure indultum, eſt triginta dierum, *cap. Ab hoc tit. in 6.* Et debent *ſæpè, inſtanter, & inſtantiſſimè* peti, Clement. *Quamvis hoc tit.* Sed hoc ſciendum, Judicem, *A quo*, tempus ab jure ſtatutum pro dandis Apoſtolis, non poſſe producere, & extendere; juſtis tamen de cauſis poſſe reſtringere; intra quod ſi appellans, nec petat, vel recipiat, appellationi renunciare videtur, d. Clementina *§. Verùm*; conſiderando, quòd Judex, *A quo*, quoad ea, quæ ad celeriorem, appellationis expeditionem pertinent, juriſdictionem retinet, *cap. Ex litteris, de matrim. contract.* Ita poteſt præſcribere tempus appellanti, intra quod teneatur adire ad Judicem, *Ad quem, cap. Perſonas hoc tit.*

9 Advertendum, Apoſtolos non concedi ad legitimandos recurſus Regularium ad Superiores, ad quos aliàs ſine obedientialibus accedere non poſſent. Nam non ſunt remedium juris ad hoc inductum; aliàs ſolis Religioſis concederentur: quod per DD. & jura eſt falſum. Tum quia conceduntur ad effectum, ut ſuper appellatione, ac ejus cauſa inſtructio facilior valeat in proceſſu haberi, *c. Ut ſuper hoc tit. in 6.* Hæc Regulares attendant, ſi velint pœnas Apoſtatis taxatas effugere, & in contingentia facti ad praxim deducant, quæ dixi *num.*18.

For-

Formulam petendi Apostolos, tradit Ameno *pract. crim. par. 2. tit. 3. §. 6. nu. 34.* Cæterùm Ventriglia *cit. §. 2. n.38.* testatur, quòd praxis loco Apostolorum consuevit dare copiam sententiæ.

10 Tempus verò præfinitum ad prosequendam appellationem est annus; sed ex necessaria, justa, & evidenti causa, bienniam, *cap. Cum sit Romana hoc tit.* Quæ verò dicenda sit justa, necessaria, & evidens causa? pendet ex qualitate negotiorum. Incipit tempus currere à die interpositæ appellationis, d. Clement. *Sicut.* Quod si, legitimo impedimento cessante, appellans non fecerit, appellatio ejus deserta censetur, ut ibid. text. Verùm, si extra judicium appelletur à futuro gravamine, non priùs hoc fatale tempus currere incipit, quàm gravamen illatum sit; ideò in hoc casu tantùm non incipit ab interposita appellatione, sed à die illati gravaminis, ut notavit Gonzalez *cit. cap. 5. num. 10.* Ratio est, quia appellatio extrajudicialis à futuro gravamine est velut conditionalis, *Si gravamen inferri contingat.*

11 Notari debet, quòd licèt appellatio, ut diximus, duos habeat effectus, suspensivum, & devolutivum; hoc non procedit, cum agitur de appellatione interposita post latam ab homine excommunicationem. Nam in casu censura non suspenditur, sed solùm cognitio ad Judicem, *Ad quem*, devolvitur. Unde quis per appellationem à lata censura non liberatur. Cum enim excommunicatio secum trahat executionem, & à fidelium communione separet, serò medicina paratur per appellationem; sed communioni per absolutionem est excommunicatus restituendus. Nam sicut vinculum excommunicationis à clavium potestate procedit, ita ab eadem potestate per absolutionem tollendum est.

Quando verò possit ab interlocutoria appellari, habes supra *num. 16.* ex Triden. *cap. 20. sess. 24. de reform.* Atque colligi id cum aliis potest ex sequenti decreto S.C.C. apud Piasec. *num. 9.*

Ad tollendas ambiguitates, & controversias jurisdictionales, quæ inter appellationum, & prioris instantiæ Judices, non sine partium dispendio, cursusque justitiæ impedimento, & sæpè cum scandalo oriuntur, S. Congreg. causis Episcoporum præposita, facta priùs relatione S.D.N. Clem. Papæ VIII. & de Sanctitatis suæ mandato vivæ vocis oraculo desuper habito, in hunc, qui sequitur modum, ab omnibus, ad quos spectat, in posterum servari debere mandavit, & mandat.

12 *Metropolitani, Archiepiscopi, Primates, aut Patriarchæ, Suffraganeos eorumque subditos non judicent, nisi in casibus à jure expressis.*

Iidem, & alii quivis Superiores, etiam Nuncii, vel Legati de Latere, specificam facultatem majorem non habentes, causas in Curiis Ordinariorum, vel aliorum inferiorum Judicum pendentes, à se non avocent, nisi per viam legitimæ appellationis ad ipsorum Tribunalia deferantur; tuncque appellantes ab inferiorum jurisdictionibus quoad alias causas eximi non possint.

13 *Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, constiterit appellationem à sententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut à gravamine, quod per definitivam reparari non possit, in casibus à jure non prohibitis per legitimam personam, & intra debita tempora fuisse interpositam, ac prosequutam.*

14 *Dum causæ coram inferioribus Judicibus pendent, ante definitivam sententiam, vel vim definitivæ habentem, de gravamine illato superiores cognoscere non valeant, licèt citra præjudicium cursus causarum se idfacere contestentur; nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpliciter mandare, ut ipsis copia processus transmittatur, etiam expensis appellantis.*

15 *Inhibitiones post appellationem, ut præmittitur, receptam, non concedantur, nisi cum insertione tenoris sententiæ, aut decreti definitivi, aut vim definitivi habentis, vel damnum per definitivam irreparabile continentis; aliàs inhibitiones, & processus, & inde sequuta quæcumque sint ipso jure nulla, eisque impunè non parere liceat.*

16 *Si appellans asserat, sententiæ, aut appellationis exemplum culpa Judicis,* A quo, *vel Actuarii haberi non posse, non ideò recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda, sed eis tantum, ad quos pertinet, injungi poterit, ut soluta condigna mercede, actorum exemplum authenticum appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur.*

17 *Caveat tamen Judex,* A quo, *ne si ve-*

rè appellatum fuerit in casu appellabili, interim aliquid in præjudicium appellantis attentet, & si per actum publicum, aut per testium depositiones constiterit, acta denegari appellanti, Judex appellationis mandato tradendi acta possit adiicere, ne interim aliquid novi contra appellantem attentetur.

A sententia autem definitiva contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur; nec inhibitio, aut alia quævis provisio, quamdiù appellans in hujusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.

Ab exequutione decretorum Sac. Concil. Trid. aut Visitationis Apostolicæ, appellationes à Metropolitanis non recipiantur; neque etiam quando Episcopi virtute ejusdem Sac. Conc. Trid. procedunt uti Sedis Apostolicæ delegati, in causis, quæ sub eorum jurisdictione Ordinaria non comprehenduntur; salva tamen in hoc casu Legatorum, & Nunciorum Apostolicorum authoritate.

18 *In causis verò visitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantùm appellationes admittantur; nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur, vel cum Visitator, citata parte, & adhibita causæ cognitione, judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum.*

19 *Cum à gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ut indebitæ incarcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis etiam comminatæ appellatur, nonnisi visis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel provisio aliqua concedatur.*

Causa appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur carcere, permanebit quo ad Judex, Ad quem, *appellatum est, visis actis, & causa cognita, aliter decreverit; & tunc, si à Judicis*, Ad quem, *decreto vim definitivæ habente fuerit appellatum, is nihil mandare, aut pro sui decreti exequutione attentare poterit, donec per Judicem superiorem aliud fuerit ordinatum.*

20 *Acta originalia processuum primæ instantiæ ad Judicem appellationis Notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa, & suspicio incidat, quæ judicialiter obiiciatur; & tunc, terminata causa, remittenda sunt ad Ordinarium, ut in suo Archivio conserventur.*

21 *Censura Ecclesiastica contra appellantem prolata, relaxari, aut nulla declarari per Judicem appellationis non possit, nisi auditis partibus, & causa cognita; tuncque, si constiterit eam justam esse, ad Judicem, qui excommunicavit, appellans remittendus est, ut ab ipso juxta Sacros Canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem præstiterit, obtineat; si verò injustam esse clarè appareat, Superior absolutionem impendant. Si autem dubitetur, honestius est, ut ad excommunicatorem intra brevem aliquem competentem terminum eidem præfigendum absolvendus remittatur; licèt etiam Superior hoc casu idipsum per se præstare jure possit.*

22 *Absolutio ad cautelam, nonnisi parte citata, & visis actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolatæ, vel à jure, si occurrat dubium facti, vel probabile dubium juris, concedenda erit; tumque ad tempus breve cum reincidentia, & præstita per excommunicatum cautione de stando juri, & parendo mandatis Ecclesiæ tantùm: & si juxta formam à jure præscriptam apparebit aliquem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem præstare; si verò ob contumaciam manifestam, expensas quoque reficere, ac insuper cavere de judicio sisti coram excommunicatore, quis teneatur, priusquam ad cautelam absolvatur. Romæ in Sac. Congreg. die 16. Octobris* 1600. Similia Decreta eiusdem S.C.C. *in causa Regni Sardiniæ edita* 15. *Maii* 1700. videas apud Monacellum *form. par.2 for.2.num.8. tit.* 15.

CAPUT VI.

Officialis quoad approbationem ab Ordinario ad Sæcularium Confessiones.

SUMMARIUM.

1 *Est necessaria Regularibus pro sæcularium Confessionibus approbatio Ordinarii.*
2 *Quod plures Summi Pontifices decreverunt.*
3 *Etiam Lectores, & Magistri in Theologia debent approbari.*
4 *Non sufficit se præsentare Episcopo.*
5 *Existens in Lucana Diœcesi nequit Confessiones audire illorum, qui sunt sub-*

subditi Archiepiscopo Florentino, à quo approbationem accepit, nisi etiam Lucæ approbetur.

6 *In Diœcesi, in qua Regulares sunt approbati, possunt omnium ad illam confluentium Confessiones audire.*

7 *Generaliter idonei reperti debent sine limitatione temporis, & personarum approbari.*

8 *Quinam Regularis censeatur generaliter idoneus repertus?*

9 *An sic approbati possint ab eodem Episcopo iterum examinari? & ibi plura.*

10 *Regulares non egent approbatione Episcopi pro audiendis Confessionibus eorum, qui sunt eorum commensales.*

11 *In Confessario electo in vim Bullæ Cruciatæ est necessaria approbatio Ordinarii loci.*

12 *Etiam in Confessariis electis tempore Jubilæi est necessaria approbatio Ordinarii loci.*

13 *Non potest simplex Sacerdos in mortis articulo, præsente Confessario approbato, confessiones audire.*

14 *Licentias audiendi confessiones ab Episcopo concessas, etiam absque limitatione temporis, potest Vicarius Capitularis ex causa revocare.*

15 *Parochus, dimisso beneficio Parochiali, eget approbatione pro confessionibus.*

16 *Parochus in aliena Diœcesi nequit sui Parochiani confessionem audire.*

17 *Sacerdos non approbatus ab Ordinario non potest absolvere à mortalibus aliàs confessis.*

18 *Agitur de Regulari absque sui Superioris licentia præsentato Episcopo.*

19 *Confessarius Regularium non eget approbatione Ordinarii.*

1 QUamvis, ut statuit Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat. Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant*: decernit *tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Qua clausula expresse derogatur Privilegiis Regularium, quibus eis esset concessum, posse absque prævia approbatione Episcopi sæcularium confessiones audire. Sunt ex ordinatione habiles ad audiendas confessiones, sed ab ordinatione executionem non recipiunt; neque in actum secundum potest potestas Ordinis exire, nisi Episcopus subditos assignet; quod est iurisdictionem conferre.

2 Ante Trid. id firmavit Leo X. Constit. *Dum intra mentis la* 22. *Bull. tom.* 1. & postea Greg. XV. *Const. Inscrutabili* 18. *Bull. to.* 3. Deinde Urbanus VIII. *Const. Cum sicut accepimus* 29. *Bull. to.* 4. revocavit quascumq; facultates ad audiendas sæcularium confessiones Regularibus concessas, ita ut nullis, sive Superioribus sive subditis, etiam Societatis Jesu, ad id suffragari possent. Piasec. *prax. Episc. p.* 2. *c.* 1. *art.* 2. Deinde Innoc. X. *Const. Cum sicut* 29. *Bull. to.* 4. confirmavit Decretum Sac. Congr. cui committebatur examen super exortis controversiis inter Episcopum Angelopolitanum, & PP. Societatis Provinciæ Mexicanæ, quæ ad nonum censuit: *Prædictos Religiosos nequaquàm posse in Civitate Angelopolitana confessiones sæcularium audire sine approbatione Episcopi Diœcesani.* Constitutionem exscripsi *cap.* 19.

3 Huiusmodi ab Ordinario approbationem esse necessariam etiam in Sacr. Theologiæ Magistris, & Lectoribus, sanxit Pius V. *Const. Romani Pontificis* 133. *Bull. tom.* 2. in qua post alia hæc subdit: *Nos super his pro debito Pastoralis officii, prout tenemur, salubriter providere volentes, tenore præsentium, hac nostra Constitutione perpetua sancimus, decernimus, & declaramus, Decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium, audiendis Confessionibus Sæcularium præpositorum, ab Episcopis facienda, observari debere etiam in omnibus Regularibus quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, etiam sub Regulari disciplina viventibus, etiam si sint Lectores, aut in Theologia, etiam de Superiorum suorum licentia, graduati, vel promoti, vel à suis Magistris Generalibus, vel à Provincialibus Ministris Sæcularium Confessionibus audiendis expositi.* Et cum hæc Constitutio sit posterior ea, quam idem in amplissimum Mendicantium favorem edidit ann. 1567. eidem certè derogat; sicut posteriores leges prioribus,

ribus, quibus opponuntur, derogare solent, easque antiquare, Cabassut. *prax. Jur. Can. lib. 6. c. 11. num. 3.*

4 Nec sufficit se præsentare Episcopo, verùm etiam debet quis ab ipso approbari, & approbationem obtinere, ut in terminis Trid. idque adeò necessariò, ut eum, qui Regulari Episcopo præsentato, & ab eo non approbato, confitetur, sit certum, præcepto annuæ confessionis non satisfacere, ut decrevit Alexand. VII. 24. Septembris 1665. hanc damnans Propositionem: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*

Et ex hoc, *& Constit. Superna Clem. X. la 7. Bullar. tom.* 5. patet esse derogatum privilegio dato in *Clement. dudum de sepult.* §. *statuimus*, Ord. Prædic. & Min. ubi Papa, recusantibus Episcopis conferre licentiam audiendi sæcularium confessiones Fratribus, à præfatorum Ordin. Superioribus electis, & eidem Episcopis præsentatis ad effectum eam recipiendi, iisdem sic electis, & præsentatis concesserat, ut liberè, & licitè confessiones audirent, & beneficium absolutionis ritè confessis impenderent.

5 Nequit Regularis in una Diœcesi approbatus, ex vi illius approbationis, Sæcularium confessiones in alia Diœcesi audire, nisi in ista etiam approbetur; etiamsi Pœnitentes essent subditi illius Episcopi, à quo fuit approbatus, ut allegata *Constitut. Clem. X.* decrevit, ibi: *Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati.*

6 Verùm in Diœcesi, in qua sunt approbati, possunt omnium ex aliis Diœcesibus ad eam confluentium sæcularium confessiones audire; ut à Sac. Congreg. Concil. determinatum testatur Fagnan. in 5. ad *cap. Omnis num. 79. de pœnit. & remiss.* cum, ut ipse scribit, Regulares supposita approbatione habent ex alleg. Clementina *dudum*, ac ex annotatione Glossæ, & Laym. *Theol. moral. lib. 5. tract. 6. cap. 11. num. 9.* jurisdictionem à Papa; cujus jurisdictio ad alicuius Territorii limites non restringitur, *cap. Cuncta per mundum 9. quæst.* 3. sed universus Orbis est sua Diœcesis. Quod iam decreverat Leo X. *Const. Dum intra*, *citata*; hac phrasi: *Ipsique Fratres* (scilicet ab Episcopo approbati) *etiam Forensium confessiones audire valeant*. Quibus id etiam competit post Bullam Greg. XV. *inscrutabili*, ut Sac. Congreg. Conc. ad secundum dubium, occasione illius inter alia propositum, prout sequitur, respondit: *Hac in parte Constitutionem nihil novi juris induxisse, nec ullam novam authoritatem Episcopis in Regulares attribuisse; ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliàs illorum Privilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari*, ad calcem d. *Const.* Gregor. XV. & apud Fagnan. cit. *in cap. Cum Capella, & lib. 12. Decret. fol.* 130.

7 Et novissimè in sæpè laudata *Const. Superna* Clemens X. sanxit: *Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis Personarum, in Diœcesi propria admittendos; quo ad cæteros verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinarii relinqui ipsos cum limitata facultate, prout iisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare; & admittere. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenùs posse.*

8 At petitur: *Quinam Regularis censeatur generaliter ab Episcopo idoneus repertus ad audiendas sæcularium confessiones, cui proinde ad tex. d. Clem. debeat generaliter absque temporis limitatione impertiri licentiam confessiones excipiendi?*

R. Is, qui absolutè idoneus reperitur in prudentia, & morum integritate, ac in rigoroso examine totius Theologiæ moralis experimentum fecerit propriæ habilitatis, & peritiæ, propter quod perfectus dignoscatur in studio casuum conscientiæ, & potens suas partes iuxtà dignitatem Tribunalis pœnitentiæ exercere. Huius generis religiosis facultas sine temporis præfinitione conceditur, non verò cæteris, non adeò idoneis, nec tanto experimento super singulis materiis scientiæ moralis se exponentibus:

tibus: propterea licentiis limitatis ipsi acquiescunt. Unde hìc Romæ praxis est, ut prævio sufficienti examine, facultas ad annum concedatur, & quovis anno renovetur. Licèt in renovatione novum examen non exigatur. Quod pluribus in locis ex indulgenti Ordinariorum clementia est in usu. Ubi verò solet novum examen requiri, excipiuntur Religiosi gradu, ætate, prudentia, experientia, & doctrina conspicui, eos dimittendo cum nova prorogatione ad annum absque ullo repetito examine. Quoad exigitur à cæteris minoris litteraturæ, ut inducantur ad proficiendum, tum in bonitate, tum in doctrina.

9 Sed quæritur: *An Regulares simpliciter approbati in examine rigoroso absque ulla temporis præfinitione, possint examinari ab eodem Episcopo?*

Resp. Affirmativè, si nova causa supervenerit, juxtà Decretum Sac. Cong. Conc. quæ proposito dubio: *An regulares simpliciter in examine rigoroso semel approbati possint iterùm examinari ab eodem Episcopo? Die 7. Februarii 1654. censuit Regulares simpliciter in examine rigoroso semel approbatos, non posse iterùm examinari ab eodem Episcopo, nisi nova superveniente causa.* Quod expresse legitur in *d. Const. Clement.* §.5. Nec causam tenetur Episcopus ipsis Regularibus significare, *ibid.* Et §.6. inter causas ad ministerium confessionis pertinentes accensetur, si scandalosè, vel inhonestè vixerint. Approbatos absque limitatione temporis à Vicario Generali, iterùm potest Episcopus examinare, *ibid.* §. 5. sicut approbatos ab Antecessoribus Episcopis potest Successor iterùm ad examen vocare, & suspendere, vel repellere, dum inhabiles sint, *ibid.*

Licentiæ audiendi confessiones, etiam ad annum, vel ad sex menses, non expirant morte concedentis, ut per DD. communiter, & *inf. num.* 13. Sed ad annum, V. G. concessæ, eo elapso absque ulla alia revocatione expirant, adeòut nova sit necessaria.

10 Sed, *an Regulares opus habeant approbatione Ordinarii, ut excipere possint confessiones eorum, qui licèt sint sæculares, dicuntur tamen de familia, & eorundem Regularium commensales.*

Resp. Negativè, prout expresse Clemens, ibi: *Cæterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum, audire confessiones illorum sæcularium* (intellige absque prævia approbatione Episcopi, ut sub 14. Augusti 1568. decrevit Sac. Congreg.) *qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt.* Verè autem de familia, & continui commensales dicuntur Oblati, seu Donati S. Dominici, & Tertiarii S. Francisci, qui intra Monasteriorum septa habitant, vivunt, ac dormiunt: in habitu ejusdem coloris cum eo, quo utuntur professi, incedunt, & manent sub obedientia Prælati, non ratione voti, sed ratione muneris serviendi Monasterio: obindè in Monasterio contraxerunt domicilium. Et per Trident. *sess.* 24. *cap.* 11. *de ref.* gaudent omnibus privilegiis Religiosorum, quibus actu inserviunt, & numerantur inter sæculares verè familiares; ad differentiam eorum, qui in Monasterio domicilium non contraxerunt, sed menstrua mercede, vel annuo salario servitium præstant.

Pariter absque approbatione Ordinarii nequeunt Regulares, aliive Sacerdotes excipere venialium confessiones, prout ex commissione Innoc. XI. sub 12. *Febr.* 1679. S. C. C. disposuit in decreto, *Cum ad aures* circa Communionem quotidianam, ibi: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.* Et quatenus absolvant, absolutio est nulla, utpotè data à non Judice, & carente jurisdictione in pœnitentes, & possunt ab Episcopo puniri.

11 Quæritur: *An in Confessario, etiam Regulari, in vim Bullæ Cruciatæ electo, necessaria sit approbatio ab Ordinario loci?*

Resp. Affirmativè. Et debet approbatio esse ab Ordinario loci, in quo confessiones audit: prout in expressis terminis decrevit, & declaravit Innoc. XII. *Constit. Cum sicut*, *edita* 19. *Aprilis* 1700. ibi: *Adeòut Confessarii, tam sæculares, quàm Regulares, quicumque illi sint, in vim dictæ Bullæ Cruciatæ à Pœnitentibus ad audiendas eorum Sacramentales Confessiones electi, nullatenùs confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii, & Episcopi Diœcesani loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, & Confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt. Nec ad hoc suffragari*

appro-

approbationem semel, *vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum*, *& Dioecesum obtentam*, *etiam si poenitentes illorum Ordinariorum*, *qui Confessarios electos approbassent*, *subditi forent*. Declaratque Confessiones aliter factas, præterquam in mortis articulo, irritas esse. Ipsos autem Confessarios ipso iure suspendit; & excommunicatione Papæ reservata ligat docentes, aut ad praxim deducentes opinionem contrariam; omniaque in contrarium tollit, & abrogat.

12 Etiam Confessarius, cui quis confitetur tempore Jubilæi, debet esset approbatus ab Ordinario. Sed, *an debeat esse approbatus ab Ordinario ipsius Confessarii*, *vel ab Ordinario poenitentis*? Sac. Congr. interpretando Bullam Jubilæi, & ex eius sententia Sanctissimus declaravit, Bullam esse intelligendam de Ordinario eorum, qui audiunt confessiones, non autem de Ordinario poenitentium. Ideò non sufficit aliàs approbationem recepisse in alia Dioecesi, sed est necessaria approbatio illius Ordinarii, in cuius Dioecesi confessiones audiuntur. Et proindè in bullis Jubilæi adiicitur clausula, *Ex approbatis à locorum Ordinariis*: intellige, illarum Dioecesum respectivè, in quibus confessiones excipiuntur. Vide Fagnan. in 5. *ad cap. Ne pro de poenit. num.*19. & quæ dixi *lib.*1. *Caut.c.*9. *n.*6.

13 Hic advertas, quòd, licèt in articulo mortis quivis Sacerdos, etiam non approbatus, possit confessiones audire, ad text. Trid. *sess.*14.*cap.*7. *de poenit.* hoc tamen procedit, si non sit præsens approbatus, aut de facili vocari non possit. Aliàs si, approbato præsente, absolutionem conferret, absolutio esset nulla, utpotè data à non habente iurisdictionem; quæ ob necessitatem, & ne infirmus *pereat*, tunc conceditur ab Ecclesia simplici Sacerdoti, ut textus loquitur. Sed nulla est necessitas concedendi, cum præsens est approbatus. Facit textus in *cap. Presbyter* 26. *qu.* 6. ibi: *Presbyter*, *inconsulto Episcopo*, *non reconciliet poenitentem*, *nisi*, *absente Episcopo*, *ultima necessitas cogat*.

Item nota, licentias ab Episcopis ad confessiones audiendas concessas non expirare ipsorum Episcoporum morte: quia sunt gratia, & gratia non perimitur morte concedentis, ut optimè text. ad *cap. si super de offic. deleg. in* 6. Procedit enim à dignitate Episcopali, quæ non perit, sed in Successoribus perseverat: etiam re integra, hoc est, si concedens decesserit, priusquàm quis confessiones excipere incœperit, ut *ibid. & cap. si cui de præbend. in* 6. Secùs, si concessio esset cum clausula, *usque ad beneplacitum*: tunc enim per obitum gratia expirat, ut in *cap. si gratiosè de rescript. ibid.*

14 Deinde, scias, licentias posse per Capitulum, Sede Vacante, & Vicarium Capitularem post Episcopi approbantis mortem ex causa revocari: in quo omnes concordant cum Fagnan. in 1. *ad cap. His*, *quæ de majorit. & obed. numer.* 49. *& cap. Cum olim ibid. num.* 2. constituentes regulam affirmativam: *Quòd*, *mortuo Episcopo*, *jurisdictio Episcopalis ad Capitulum devolvitur*; & ita potest exercere, quæ sunt iurisdictionis Episcopalis. Verùm à regula excipiuntur ea, quæ Episcopo competunt modo speciali, & ex iure delegationis, Piasec. *cit. proœm. de elect. tit. quid agendum num.*20. Et hinc potest ex causa licentias revocare, & approbatos iterum examinare. Hoc enim conducit ad rectam Sacramentorum administrationem.

15 Ponderandum etiam, quòd Parochus ex aliqua causa dimittens beneficium Parochiale, non potest absque nova approbatione confessiones audire, ut probat Piasec. *prax. part.* 2. *cap.*1. *art.* 2. *numer.* 5. Quoniam facultas ad absolvendum est connexa cum assecutione Parochiæ; adeoque, ista dimissa, facultas cessat.

16 Nec Parochus potest in alia Dioecesi proprium Parochianum absolvere; quia in aliena Dioecesi non habilitatur ad confessiones audiendas per Parochiale beneficium obtentum in propria. Quod esse videtur ad sensum Trident. *sess. & cap. cit.* ubi utitur verb. *ab Episcopis* in numero plurali; qua locutione significat ab Episcopis respectivè esse approbationem recipiendam, adeòut non sufficiat eam in una Dioecesi obtinuisse, si in alia sit confessio audienda. Considerari etiam potest, quòd Advenæ, Peregrini, & Scholares sortiuntur forum poenitentialem in locis, ubi moram trahunt, Gloss. in *Clement. Religiosi verb. Parochialis*, *de privil.* Et ita quod ad huiusmodi forum Parochianus Titii extra Dioecesim non est ampliùs de Titii iurisdictione. Cæterùm oppositum defenditur à Fagnan. in *d. cap. Ne pro num.* 29.

An

An autem approbatus ad confessiones sæcularium reputetur approbatus ad excipiendas illas Monialium ? Dicitur negativè, & dicam *cap.*13.

17 Sciendum etiam, simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario non posse absolvere à peccatis mortalibus, aliàs confessis, utpotè carentem iurisdictione: contra nonnullos, qui oppositum aliàs tenuerunt; ad quod certè facit etiam dictum Decretum Sacræ Congreg. Conc. ab eodem Innocent. XI. approbatum.

18 Ad dubium: An Regularis sine suorum Superiorum licentia præsentatus Episcopo, & ab eodem approbatus, licitè, & validè possit Confessiones sæcularium excipere ? Dicitur cum Layman. *cit.num.*9. quòd, quamquam illicitè eas audiat (excipitur à Miranda *Man. Prælat. qu.* 45. *art.* 10. *tom.* 1. mortis articulus, in quo etiam licitè pœnitentes absolvit) validè tamen excipit, cum in eo omnia ad validitatem in Ministro requisita concurrant, ordo nimirùm Sacerdotalis, approbatio Episcopi, & iurisdictio delegata.

Verùm, ubi Statutum esset, à Sede Apostolica approbatum, quòd nullus Regularis, absque suorum Superiorum licentia se Ordinariis præsentaret, & revocarentur licentiæ audiendi Confessiones ab eis obtentæ, nec validè eas exciperet, nullumque esset beneficium absolutionis collatum, ut ipse notat Layman, & Miranda.

Absolutè consulerem abstinendum propter probabilitatem sententiæ apud Barbos. *ad sess.* 23. *Tridentin. numer.* 7. asserentem Episcopos non approbare Regulares in Confessarios, nisi à Prælatis suis, saltem interpretativè, illis præsententur, iuxta formam Clement. *Dudum de sepultur. §. Statuimus*. Quæ, quoad formam præsentandi, ipso teste, non est revocata.

19 Quæritur: An Confessarius Religiosorum debeat esse approbatus ab Episcopo ?

Respond. negativè: dummodò Confessarius, & Pœnitens sint eiusdem Ordinis, prout colligitur optimè ex Tridentin. *citat. numer.*1. & ibi DD. Nam si esset, vel Sacerdos sæcularis, aut alterius Ordinis, censeo necessariam esse illius approbationem; ad formam *Constitut. Provenit, Innocent. VII. apud Confess.* indulgentis Fratribus ex Ordin. Prædicat. ex obedientia itinerantibus, & copiam Confessarii ex proprio Ordine non habentibus, posse *quemcumque alium Presbyterum idoneum, & discretum, Religiosum, vel sæcularem, in eorum Confessorem eligere*. Idoneus autem per Trident. *loco adducto*, ad effectum audiendi Confessiones, etiam Religiosi alterius Ordinis, quis non reputatur, nisi ad minus examine Episcopi, si ei videbitur necessarium, probetur. Hęc est tutior sententia. Cum verò agitur de valore Sacramentorum, tutiora sunt sequenda, ut dixi *lib.2.cautelæ cap.* 1. consentit Vasquez alleg. à Thoma Tambur. *lib.* 5.*de pœnit.cap.* 5.§.2.*num.*17.

CAPVT VII.

Officialis quoad Benedictionem.

SUMMARIUM.

1 *Benedictionis Ecclesiasticæ natura.*
2 *Benedictio solemnis, una invocativa, alia constitutiva.*
3 *Ad Divinum cultum benedicta, ad usum prophanum applicari non possunt*
4 *Benedictiones solemnes constitutivæ sunt propriæ Episcoporum.*
5 *Observanda in Ecclesiarum ædificatione.*
6 *Ecclesiæ sunt consacrandæ ab Episcopis.*
7 *Ecclesia, si polluatur, reconciliatur, vel benedicitur; ubi plura.*
8 *Sacerdos celebrans in Ecclesia polluta non efficitur irregularis.*
9 *Agitur de pollutione Ecclesiæ per effusionem sanguinis, & homicidium.*
10 *Et de procedente ex humani seminis effusione.*
11 *Et de proveniente ex sepultura excommunicati publicè denunciati: ac ex illa infidelis.*
12 *Quando polluta Ecclesia, censeatur pollutum Cœmeterium ? & an polluta Sacristia reputetur polluta Ecclesia ?*
13 *Agitur de facultate Regularium ad reconciliandas proprias Ecclesias.*
14 *Fratres Minores possunt benedicere*

para.

paramenta Ecclesiastica ad proprium usum, & an pro Monialium Ecclesiis?

15 *Habentes privilegia benedicendi paramenta sacra, nequeunt ea benedicere, in quibus adhibetur Chrisma.*

16 *Tollitur consuetudo.*

17 *Sed exigitur privilegium speciale Sedis Apostolicæ.*

18 *Benedictio Pixidis non fit cum sacra unctione.*

19 *Sacerdos absque privilegio benedicens vestes, & paramenta sacra, incurrit irregularitatem.*

20 *Diaconus benedicens aquam, quæ communiter in Ecclesiis ad usum fidelium asservatur, fit irregularis.*

21 *Sacrificium Missæ celebrari debet in Altari consecrato.*

22 *Quando sacra vasa, & ornamenta censeantur amisisse benedictionem?*

23 *Res sacræ non debent ad usus sæculares commodari.*

24 *Decreta S.C.C. ad dubia à Parochis Bononiensibus proposita, ad 25.*

1 AGitur hìc de benedictione Ecclesiastica, quæ, ut talis, accipitur pro *prece, & formula orationum, quæ ritibus, & cæremoniis ex Ecclesiæ institutione ab ejusdem Ministris super personis, vel rebus aliis sensibilibus pronunciantur, ad impetrandum hominibus divinæ gratiæ præsidium, & alia Dei dona.* Gavantus *ad Rubric. Missal. part. 4. tit. 19. num. 1.* Hasbens. *summ. qq. verb. Benedictio numer. 55.* Formulæ, & benedictionum cæremoniæ habentur respectivè in Missali, Rituali, & Pontificali Romano Clementis VIII. Quę verò ipsarum usu benedicuntur, benedictione publica, & solemni benedicta dicuntur.

2 Publica, & solemnis benedictio, alia est *constitutiva*, & alia *invocativa*. Invocativa est, quę adhibetur ad invocandum speciale Dei auxilium circa pręsentiam, vel usum quarumdam rerum: cujusmodi est benedictio Agni Paschalis, Ovorum, Panis, Candelarum, Aquę, Cinerum, & similium: quę in *cit. Missal. Ritual. & Pontif.* respectivè notatur. Et nunquam à Diacono fieri possunt, ut ibi Hasbens. ex Sylvestro, & Ecclesiæ praxi.

3 Constitutiva verò est, per quam aliqua divino cultui destinantur, vel ad divina ministeria benedicuntur, quæ ad usum prophanum sine irreverentia applicari non possunt: ut est benedictio Ecclesiæ, Altaris, Calicis, Vestium Sacerdotalium, & similium. Layman. *Theol. moral. to. 2. lib. 5. tract. 9. cap. 13. num. 4.*

4 Benedictiones solemnes rerum constitutivæ, aliæ fiunt cum sacra unctione, ut illa Ecclesiarum, Altarium, Calicis, Patenarum, & Campanarum. Quædam verò absque sacro Chrismate, ut Corporalium, Paramentorum Ecclesiasticorum, Pixidis &c. Ambæ sunt ita Ordinis Episcopalis, ut denegentur simplici Sacerdoti. Cui nec Episcopus potest delegare facultatem, ut ea etiam benedicat, in quibus Chrisma non adhibetur; nisi super delegatione facienda habeat speciale privilegium Sedis Apostolicæ, ut ex S. Rit. Congr. refert Piasec. *prax. par. 1. cap. 2. tit. 4. num. 16.* Gavantus *citat. num.* 23 Nam Episcopi non possunt delegare, quæ sunt Ordinis Episcopalis, licèt possint ea, quæ sunt jurisdictionis, ut expresse text. *in cap. Aqua de consecrat. Eccles.* Hinc patet, esse de reservatis Pontifici privilegiare Sacerdotes simplices, ut possint etiam ea, in quibus unctio Chrismatis non intervenit, benedicere.

5 Notandum, Ecclesias non esse ædificandas, nisi Episcopus locum assignet, primum lapidem (qui esse debet quadratus, angularis, ex d. Pontif. *in rubr. tit. de Eccles. ædif.*) benedicat, & ponat, ac Crucem erigat, *cap. Nemo Ecclesiarum dist. 1. de consecrat. & in d. rubr.*

Nec debent ædificari, nisi priùs assignentur necessaria pro luminibus, pro custodia, & pro stipendiis Ministrorum, *ibid.* Debetque semper abesse præjudicium antiquarum, & maximè Ecclesiæ Parochialis. Nec Parochia potest se ædificationi opponere, cum eius iura præservantur, & Episcopus constructionem permittit, ut pluries resolvit Sacr. Congr. Concilii 10. Maii 1687. 16. Januarii 1694. & aliàs sæpè, cum clausula: *salvis iuribus Parochialibus*, apud Monacell. *for. part. 1. for. 10. num. 8. & sequ. tit. 6.* Ubi *num.* 15. tradit, quòd præiudicium proveniens Ecclesiis Parochialibus ex diminutione concursus Populi non attenditur, & Parochi semper succumbent, quoties hoc titulo curabunt se opponere ædificationi novarum Ecclesiarum. Nam licèt

popu-

populus hortandus sit ad audiendam Missam diebus festis in Parochiali, per Trid *sess.* 24. *cap.* 4. *de refor.* cogi tamen non potest, ut resolvit S. Congr. Conc. in Fulginaten. 7. Julii 1696. Atque ita constructio novæ Ecclesiæ pro sola celebratione Missæ impediri non debet: siquidem res est valdè pia, & religiosa.

6 Ab ipso Episcopo loci Ecclesiæ sunt consecrandæ, allegat. *cap. Aqua*. Vel ab altero Episcopo ex ejus commissione; aliàs non posset, quia Trid. *sess.* 6. *c.* 5. *de refor.* prohibet unum Episcopum posse Pontificalia exercere in Diœcesi alterius, nisi alter consentiat.

7 Semel autem consecratæ, non sunt iterùm consecrandæ, *cap. Ecclesiis dist.* 1. *de consecrat.* Nisi in totum, vel pro majori parte, incendio, terræ motu, vel aliàs parietes diruantur, & solo æquentur. Vel, nisi ex toto, & simul parietes decrustentur. Nam tunc consecratio amittitur propter defectum subjecti, in quo fit. Unctiones enim cum Chrismate, Crucibus adhibitis, fiunt in parietibus, ex dict. *Pontifical.* Quoties itaque parietes sunt illæsi, etiamsi tectum ex toto reaptetur, nova consecratione opus non est, Gloss. *in cap. Posuisti citat. titul. ver. reconciliari, & cap. Si motum d. distinct.*

Quatenùs verò parietes ita reaptentur, ut cursu temporis materia, quæ antea fuit, de præsenti non sit, sed nova supervenerit, est ad summum exorcizanda aspersione aquæ benedictæ, Antonell. *de reg. Eccles. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 3. Cæterùm id totum pendet ex judicio Episcopi, qui in contingentia facti discernere debet necessitatem reconsecrationis, vel non, ut optimè Piasec. *num.* 7.

Decrustatio non simul, sed per hebdomadarum intervalla facta cum respectiva partium reaptatione, non infert execrationem Ecclesiæ: quia pars major consecrata remanens, tanquam dignior, trahit ad se minorem non consecratam, utpotè minùs dignam, ut ibid. Antonellus *arg. ex capit. Quod in dubiis d. tit.* ibi: *Nec negamus, quin Oleum non consecratum consecrato possit commisceri.*

Non deperditur consecratio ex dealbatione Ecclesiæ, quia remanent parietes, & crustis, in qua fit consecratio, Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *c.* 5. *n.* 15.

Si Ecclesia jam consecrata polluatur, reconcilianda est aqua cum vino, & cinere benedicta, ex *rubr. d. Pontifical.* & ex *d. cap. Proposuisti*, per ipsum Episcopum, ex *d. cap. Aqua*; nisi alteri Episcopo committeret: simplici enim Sacerdoti id delegare non potest, cum sit actus Ordinis Episcopalis. Piasec. *citat. numer.* 9. Monacel. *for.* 8. *tit.* 6. *num.* 26.

Si verò polluatur Ecclesia, quæ sit tantùm ab Episcopo, vel alio habente facultatem benedicta, & non consecrata, potest per quemcumque simplicem Sacerdotem ex delegatione Episcopi reconciliari aspersione aquæ naturalis cum sale benedictæ, prout in Missali, Piasec. *cit. à num.* 9. & Monacell. ibid. Contra nonnullos, qui dixerunt, opus non esse concessione Episcopi; quos ibid. reprobat Piasecus. Siquidem, inscio Episcopo, non debet relaxari pœna inducta in terrorem delinquentium, donec satisfecerint pro delicto.

Nonnulli dixerunt, quòd Ecclesia polluta reconciliatur, si subinde ad pollutionem in ea bona fide celebretur. Cæterùm hoc juri repugnat, à quo requiritur, ut benedictione Episcopi reconcilietur, ut *alleg. tit.*

Expensę, quę in reconciliatione faciendæ occurrerent, ad eum spectant, qui Ecclesiam violavit, Gonzalez *in* 3. *tit.* 6. *cap.* 7. *numer.* 9. ubi, allegatis Suarez, & Soto notavit, quòd si pollutio contingat, dum Missa celebratur, Canone nondum incœpto, Sacerdos non debet eam prosequi; si verò post Canonem, prosequendum est Sacrificium.

Tempore pollutionis Ecclesiæ non videtur prohibitum, ut in ea prædicetur divinum verbum, Arg. *ex cap. responso de sent. excommun.*

An autem dicatur Ecclesia polluta, quando delictum (quo potest pollui) est occultum? DD. non concordant. Notoria desideratur à Layman. *cit. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. *de Sacrif. Miss.* Occultam sufficere ait Lessius, Sanchez, & Salas apud Gonzalez *d. cap.* 7. *numer.* 7. cujus sententia lis est de voce. Nam est certum, quòd Ecclesia per se, & ex natura talis facti violatur per tale occultum delictum, secundùm ea, quæ habentur *cap. Significasti de adult.* Tamen, quantùm ad abstinendum a celebratione, in illa non censetur violata, donec violatio occul-

occulta manet, sed statim ac vulgatur, ut possit publica, & notoria censeri, adeòut habeatur pro violata, ex Piasec. *n.*8. à tempore publicationis. Et cum dubia est pollutio, recurrendum est ad Episcopum, ut declarat ibid.

8 Verùm, si Sacerdos scienter celebret in Ecclesia tempore pollutionis, peccat quidem mortaliter, sed non incurrit irregularitatem; quia pollutio Ecclesiæ non est censura, sed solùm moralis macula; propter quam ipso iure in Ecclesia ante reconciliationem interdicuntur Divinorum celebratio, & Fidelium sepultura; nulla autem in iure est lata pœna contra transgressores, ut advertit Gonzalez, *ubi sup. n.*6.

9 Diversis modis Ecclesia polluitur. Primò, violenta, & iniuriosa sanguinis effusione (modò non sit per nares, ex quibus facilis est exitus) vulnere, & homicidio in Ecclesia culpabiliter commissis, ex d. *c. Proposuisti*, & *c. Si Ecclesiam d. tit. in* 6. Unde effusio sanguinis per iocum; vel vulnus, aut homicidium non voluntarium, sed fortuitum, ut, si ædificium corruat, vel quid simile contingat; aut à furioso, vel ebrio factum, Ecclesiam non violat, quia iniuriosa, & imputabilia non sunt.

Polluitur tamen, si quis sanæ mentis seipsum in Ecclesia occidit, vel laqueo se suspendit, aut venenum bibit, iuxta *c. Contingit il* 1. *de sent. excomm.*

Illud autem quæri solet. I. *An Ecclesia polluatur, si vulnus in Ecclesia inferatur, sanguis verò effluat extra Ecclesiam?*

II. *An polluatur, si causa vulneris sit ex Ecclesia, sed extra eam ictus sequatur; ut, si ex Ecclesia explodatur sclopus, & extra vulneret, & occidat?*

III. *An polluatur, si ab existente extra Ecclesiam, lancea, sagitta, vel lapis emittantur, & intra Ecclesiam quis vulneretur, vel occidatur?*

R. Ad 1. affirmativè, ex d. *cap. Proposuisti*. Nihil enim interest, utrùm sanguis in ipsa Ecclesia effluat, an extra perfundatur; quia utroque casu æqualiter, vulnere illato, iniuria Ecclesiæ infertur. Nec item interest, si homicidium committatur per suffocationem, contusionem, venenum, vel sanguinis effusionem, quia tex. *in d. cap. Proposuisti*, hoc discrimen non agnovit, sed absolutè dixit, Ecclesiam pollui per homicidium, vel vulnus: semper enim magnus horror, & iniuria sequitur ex illis in loco sacro voluntariè commissis.

Ad 2. & 3. pariter affirmativè propter iniuriam, quæ Ecclesiæ infertur. Aliàs dicitur, si quis extra Ecclesiam percussus confugiens ad Ecclesiam in ea moriatur, vel sanguinem spargat.

Polluitur quoque Ecclesia per homicidium iussu Judicis factum: ut si eius sententia aliquis in Ecclesia occidatur; nam quamvis aliàs iusta esset sententia quoad pœnam, foret tamen iniuriosa exequutio propter reverentiam loco debitam.

Non censetur violata Ecclesia, si homicidium perpetretur in locis subterraneis, separatis à corpore Ecclesiæ, aut in cubiculis constructis supra tectum, & fornicem eiusdem, aut in turri ipsius, quia hæc omnia censentur esse extra Ecclesiam, nec cultui Divino deputata; Sperellus *decis.* 62. *n.* 18. Non sic autem, si committatur intra ambitum, vel in porticu Ecclesiæ, ibid. Gonzalez.

Nec violatur per homicidium iustum, quod propter necessariam vitæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ committitur, quia iniuriosum non est; nam non est culpabile, *ibid.*

10 Deinde polluitur Ecclesia humani seminis effusione, in ea voluntariè facta, *cap. Si Ecclesiam de consecr. Eccles. in* 6. quia est contra honestatem, & externam reverentiam loci sacri.

Quantùm ad copulam coniugalem: *An per eam violetur Ecclesia?* Utrinque sunt DD. Sed per eam violari dixit Gloss. *in dict. cap. Si Ecclesiam in ver. Seminis*, propter reverentiam loco debitam. Multa enim in se licita, ex loco fiunt illicita, *cap. Ecclesiæ* 68. *dist.* & Piasec. à *num.* 8. Nisi versemur in casu, in quo coniuges ita sint obsessi in Ecclesia, ut eis sit aditus ad loca prophana prohibitus, & aliàs non possint se continere absque periculo peccati. Tunc enim, concurrentibus duobus præceptis inter se contrariis, uno fundato in honestate, & externa reverentia loci, nec habens adiunctam aliam intrinsecam malitiam, alio verò tendente ad tollendam causam peccati, & periculum incontinentiæ, quæ intrinsecè est mala: hoc posterius præceptum, quo maius malum vitatur, fortius est, & illud superat.

Ex-

Extra quem casum, propter reverentiam loci, illicita est copula conjugalis in Ecclesia, sive publica sit, sive occulta, & semper sacrilegium committitur. Ex quo sequitur, conjugibus per se non licere sine peccato debitum petere, vel reddere intra Ecclesiam.

Nec obstat paritas de eo, qui emisit votum simplex castitatis, qui impunè reddit, quamvis petere non possit; nam discrimen est. Quoniam, cum prohibetur copula conjugalis in Ecclesia, prohibitio ob loci reverentiam in ipsam actionem secundum se dirigitur; & ideò peccant, tam petens, quàm reddens. At cum copula ob obligationem voti interdicitur, prohibitio est personalis. Proinde, qui votum emisit, debitum petere non potest, quia juri suo renunciavit; sed in alterius præjudicium id efficere non potuit, nec debuit. Et ideò absque metu sacrilegii potest vovens petenti debitum reddere, ut expresse Gonzalez *cit. num. 7.*

11 Denique polluitur Ecclesia, si in ea sepeliatur fidelis excommunicatus, *c. Consuluisti hoc tit.* quia, cum hujusmodi excommunicatus sit segregatus à communione fidelium, indignus est sepultura Ecclesiastica, ex *c. Sacris de sepult.* adeoque nec in Ecclesia, nec in cœmeterio sepeliri potest. Utrique reverentia debetur.

Quod procedit in excommunicato publicè denunciato, aut notorio Clerici percussore, quia quoad alios excommunicatos toleratos, effectus prohibitæ communionis à jure suspenduntur in Const. Martini V. *Ad evitanda*, & ex Const. *Primitiva sub la 20. Leonis X. §. 34. Bullar. tom. 1.*

Polluitur etiam sepultura Pagani, vel Infidelis, *c. Ecclesiam de consecrat. dist. 1.* quia Infidelium cadavera deturpant, & fœdant Ecclesiam Nec debet reconciliari, nisi cadavere exhumato, si discerni potest, *c. sacris de sepult.* aliàs absque exhumatione reconciliatur, Piasec. *cit. num. 9.* Quod practicandum etiam, cum pueri non baptizati in Ecclesia tumulantur, nisi in utero matris existant, & tanquam pars ipsius cum ipsa sepeliantur. Et casu, quo Ecclesia sepultura Pagani polluitur, non solùm est reconcilianda, sed etiam parietes sunt abradendi, Piasec. *ibid. ex Abbate.*

12 Polluta Ecclesia, censetur pollutum cæmeterium ipsi contiguum. Non sic, si fuerit ab Ecclesia remotum. Polluto verò cæmeterio, licèt contiguo Ecclesiæ, hæc non polluitur, ut expressè text. *in d. cap. Si Ecclesiam in 6.* nè minùs dignum majus, aut assessorium principale ad se trahere videatur, ut ibi Bonifacius VIII.

An autem polluta censeatur Ecclesia, si polluatur Sacristia?

Resp. Affirmativè, si in Sacristia sit Altare ad celebrandum, vel deputata sit ad mortuos sepeliendos. Tum enim censetur divino cultui deputata: unumque corpus cum Ecclesia constituit, & ejusdem Capella dicitur, Sperellus *dec. 61. num. 2. & dec. 62. num. 19.* Secùs dicendum, si prædicta non concurrant, & intermedius paries separet, ac à templo ipsam dividat, sic, ut illa pro diverso domicilio, vel officina Ecclesiæ habeatur, ad text. *in c. unic. de consecrat. in 6.* Paries enim efficit, ut res sic divisæ dicantur numero plures, ibi Gloss. *verb. pariete*, Sperell. *ibid.*

13 Quæritur, *an Regulares possint suas Ecclesias, ac ornamenta Ecclesiastica benedicere?*

Resp. Affirmativè, si à S. Sede habeant privilegia, & sint in usu, & non revocata. Unusquisque consulat suæ Religionis indulta, ne falcem in messem alienam immittat. Leo X. pro Ord. Min. de Observan. edidit Constitutionem *incip. Religionis*, apud Confect. *de privil. mend. p. 1.*

Quatuor in privilegio concedebantur. Primò. Quòd, requisito, sed recusante, vel negligente Episcopo loci, possent Generales, Provinciales, & Guardiani curare, ut per alium Catholicum Episcopum consecrarentur eorum Ecclesiæ, Oratoria, & alia loca recepta, & recipienda, nondum consecrata. Verùm quantùm ad hoc, privilegium est revocatum à Trid. *sess. 6. cap. 5. de ref.* ubi prohibet, ne unus Episcopus Pontificalia exerceat in alterius Diœcesi. Consecratio autem Ecclesiæ fit Pontificalium exercitio, cum Episcopalibus insigniis, Mitra, & Baculo Pastorali, ut in *d. Pontif. tit. de Eccles. consecrat.* Et ideò privilegium quoad vocandos Episcopos exteros modò non regit.

Secundò concessit. Quòd Generales, Provinciales, Vicarii Generales, & Guardiani possent benedicere suas Ecclesias, Cæmeteria, & Oratoria recepta, & reci-

pienda, ubique existentia. Sed neque hoc videtur subsistere, propter decretum Trid. *sess. 22. de obser. in celebrat. Miss.* Nam designationes, & benedictiones Ecclesiarum, & Oratoriorum ad Missarum celebrationem, sunt functiones Episcoporum propriæ per ea textus, ibi: *Ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda.* Et infra: *Hæc igitus omnia, quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinarii ita proponuntur, ut non solùm ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi à Sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut Delegati Sedis Apostolicæ prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea servanda censuris Ecclesiasticis fidelem populum compellant: non obstantibus &c.* vide d. Piasec. *p. 2. c. 3. art. 6. n. 45.*

Tertiò. Quòd iidem valeant proprias Ecclesias sanguinis, vel seminis effusione, aut aliàs pollutas benedicere, & reconciliare, aqua etiam per eos benedicta; maximè in locis remotis, ubi Episcopum per duas dietas (hoc est ad 69. milliaria) distantem adire non possent. Nec quoad ista privilegium etiam in locis remotis sustinetur, cum Episcopus haberi potest. Nam privilegium fuit cum illa restrictione concessum, ut patet ex narrativa Constitutionis, ibi: *Fratres non semper Ordinarios locorum pro illis reconciliandis adire possunt*: & correspondet dispositiva, ibi, *Præsertim in locis remotis, ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas distantem adire non poteritis.*

14 Quartò concessit, ut prænominati, quinimmò & Fratres simplices Sacerdotes à Capitulo Generali deputati, possent benedicere *paramenta, & ornamenta, ac quæcumque alia ad divinum cultum necessaria, in quibus Chrisma non intervenit.* Quantùm ad istud, eadem Constitutio in narrativa recenset privilegium benedicendi prædicta fuisse dd. Fratribus à Sixto IV. concessum, eosque ab illo tempore fuisse in possessione illa benedicendi. Quare quoad hoc privilegium sub revocatione non continetur, sed esse in suo robore, ac in usu, ipse etiam Piasecus ubi sup. *in 1. p.* testatur. Maximè facit, quia eis absolutè impertitur, non verò cum restrictione ad loca in remotis existentia. Quod per communicationem videtur esse cæteris Mendicantibus commune; ut Piasec. *cit. n. 18.*

An autem possint pro aliarum Ecclesiarum servitio? Videtur negandum, quia Constitutio habet, *pro vestro usu tantùm*, uide *num. 16. in fine*.

15 Hæc restrictio legitur etiam in S. C. decreto apud Lezan. *sum. qq. regul. t. 3. verb. Altare num. 3.* ibi, *Abbates, Priores, Guardiani, & alii Religionum Prælati, etiam ex Societate Jesu, habentes privilegia benedicendi sacras vestes, cæmeteria, & similia, dicto privilegio uti non possunt, nisi in iis rebus, in quibus sacra unctio non adhibetur, & pro servitio dumtaxat Monasteriorum, & Ecclesiarum propriarum.* Idem refert Hasbens. *sum. qq. v. benedictio num. 59.* & Gavant. *ad rubr. Miss. p. 4. tit. 19. de rubr. benedict. num. 22. ex Sac. Rit. Congr. 24. Augusti 1609.*

16 Nec allegabilis est usus, & consuetudo, quia id pugnat cum resolutis ab ipsamet *Sac. Congr. 18. Augusti 1629.* apud Gavant. *ibid.* & Nicol. *Floscul. verb. Abbas num.* 3. ibi: *Abbates, & alii Superiores Regularium non possunt benedicere paramenta Ecclesiarum sibi non subditarum, abrogata contraria consuetudine.* Per ly *Ecclesiarum sibi non subditarum* videtur posse pro Ecclesiis Monialium, quarum regimini intendunt, & sunt de ipsorum directione, & obedientia.

17 Pro benedictione eorum, quæ requirunt Chrismatis unctionem, est necessarium speciale privilegium Sedis Apostolicæ, ut per Sac. Congreg. apud Lezan. *cit. verb. Calix num.* 3. ibi; *Abbas, nec etiam in locis sibi pleno jure subjectis, aut de jure patronatus, potest consecrare Calices, Patenas, aut similia, in quibus requiritur sacra unctio, nisi hoc habeat in specie sibi concessum à Sede Apostolica.* Privilegium hujusmodi consecrandi ea, in quibus sacra unctio intervenit, concessum esse Abbatibus Ord. Cistercien. ab Innoc. VIII. refert Piasec. *cit. num. 19.*

Similibus verò privilegiis non esse à Trid. derogatum, habetur ex S. Congreg. apud Dian. *coord. t. 7. tr. 1. resol. 23. num.* 3. Ubi scribit, cæteros Regularium Prælatos in eo privilegio non communicare, quia utrinque eadem ratio non militat: locumque habet regula illa, quòd, quæ *rarò conceduntur, non veniunt in generali communicatione*, per alibi dicta.

18 In benedictione Pixidis sacrum Chris-

Chrisma non intervenit, ut *in d. Pontif.* Unde videtur eam ab iis benedici posse, quibus indultum est posse benedicere omnia ad divinum cultum necessaria, in quibus Chrisma non adhibetur.

19 An *simplex Sacerdos, non privilegiatus à Sede Apostolica, Corporalia, & paramenta sacra benedicens, incurrat irregularitatem?*

R. Affirmativè. Irregularitas enim incurritur à Clerico, exercendo, tanquam ex officio, actum deputatum Ordini, quem non habet, ad text. *in c. Si quis de Cleric. non ord. ministran.* Constat autem ex *d. c. Aqua*, per Gavant. & Hasbensem, similium benedictionem jure ordinario ad Episcopos pertinere; ad quam in ordinatione Episcopali potestatem recipiunt.

20 Propter quod irregularis efficitur Diaconus benedicens aquam juxta ritum Missalis, quia ejusdem benedictio est actus Ordini Sacerdotali deputatus, arg. tum ex *rubr. Missal. tit. de ord. facien. Aquam benedict.* tum ex cap. *Aquam sale dist.* 3. *de consecrat.* ubi Sacerdotibus injungitur, ut aquam cum sale benedicant. Considerat enim Hasbensis *n.* 57. quòd benedictiones, quæ solemni ritu ex institutione Ecclesiæ à solis Episcopis, & Sacerdotibus peraguntur, nunquam à Diaconis fiunt.

21 Missæ sacrificium licèt celebrari non potest, nisi in Altari consecrato, *c. Nullus Præsbiter.* 1. *dist.* Nec Altaria, nisi lapidea consecrari debent, *c. Altaria, si non ibid.* Et quando tota mensa sacrificio destinata, consecrata non sit, oportet, ut in medio mensæ sit tabella lapidea (quæ ara dicitur) ab Episcopo consecrata, prout passim est in praxi. Quæ adminùs tantùm spatium occupare debet, ut possit capere Calicem, & Patenam, ut observat Gonzalez *cit. cap.* 1. *num.* 12. Cuius tabellæ consecratio fieri ab Episcopo potest quocumque die, & loco, ut *ex rubr. d. Pontif. tit. de altar. portatil. consecrat.*

Altare, tam fixum, in quo tota mensa consecratur, quàm portatile, execratur, si fuerit enormiter læsum: vel sigillum, sub quo Reliquiæ conduntur, frangatur, & aperiatur: aut lapis, sub quo sunt repositæ loco moveatur, *c. Si motum dist.* 1. *de consecrat.* Quod arbitrio Episcopi relinquitur, qui de re oculis subiecta faciliùs judicabit, Piasec. *num.* 14.

Ulteriùs, Altare fixum violatur, si mota fuerit junctura, qua mensa stipiti adhæret. Siquidem consecratio Altaris fixi, præsertim intelligitur esse in coniunctione mensę, seu lapidis superioris, & stricturæ inferioris, Gloss. *in d. cap. Si motum, v. Altare.* Secus si mensa non fuerit affixa, sed solùm superposita; tunc enim est altare portatile, potestque de uno loco ad alium moveri, quin execretur, Antonell. *nu.* 9.

Semel violatum Altare non reconciliatur, sed iterùm est consecrandum, Piasec. *cit.* observans, quod, polluta Ecclesia, censetur etiam Altare pollutum; quia pollutio concernit totum corpus Ecclesiæ: sed execrata Ecclesia, non execratur Altare, quia consecratio Ecclesiæ est in subjecto distincto ab Altari in crusti nimirùm parietum, Antonell.

Paramenta benedictionem amittunt, cum in eo statu ponuntur, ut ampliùs non possint decenter inservire usui deputato.

22 Calices, & Patenæ consecrationem amittunt, cum sunt notabiliter exaurata: proinde, facta nova deauratione, iterum sunt consecranda.

Pariter, paramenta Ecclesiastica tunc benedictionem perdunt, cum in eo statu ponuntur, ut ampliùs non possint decenter inservire usui sacro, cui deputantur: aut priorem figuram non retinent. Vetusta tamen, & consumpta, in usus prophanos converti non debent, juxta *regul.* 51. *jur. in* 6. sed in loco honesto reponenda sunt; nam indecens est rem Deo dicatam prophanare. Unde ligna Ecclesiæ non possunt in prophana ædificia converti, sed comburi debent, vel Monasterii usibus aptari, *cap. Ligna dist.* Ornamenta pariter vetustate consumpta debent in cinerem redigi, & in sacrario reponi, *cap. Altaris dist. cit.* Hasben. *cit. num.* 56. & Gonzalez *c.* 7. *num.* 5. Tridentinum verò *cap.* 7. *sess.* 21. *de ref.* dat Episcopis facultatem, ut Ecclesias dirutas in prophanos usus, non tamen sordidos, erecta ibi Cruce, possint convertere.

Sed quid, si ornamenta reficiantur?

R. Si refectio secundum maiorem partem contingat, opus est nova benedictione per Hasben. Ita si ex planeta fiat stola, debet hæc iterum benedici, quia forma mutatur. Secùs si de stola fiat manipulus, Antonell. *cit. n.* 13. Verùm docet cum Diana *tom.* 2. *tr.* 1. *resolut.* 177. *n.* 2. paramenta bona fide

ante eorundem benedictionem usui sacro adhibita, alia benedictione non egere: quod probabile dicit Gavant. *cit. n.* 21.

23 Piasecus *ibid. n.* 17. dixit, ex *cap. Vestimenta d. dist.* vasa sacra, & vestes ad ministerium divinorum benedicta, ad usus sæculares commodanda non esse; nec debere, nisi ab Ecclesiasticis Ministris, tractari; & *c. Ad nuptiarum ibid.* Glossa ponderavit, vestes sacras Ecclesiæ confici non debere ex veste alicuius mulieris.

24 Nequeunt Regulares, quibus cura animarum non inest, hebdomada sancta domus sæcularium benedicere, prout declaravit Sacr. Congreg. Conc. 2. *Julii* 1620. Parochis Bononiens. interrogantibus, ut infr.

I Curati della Città, è Diœcesi di Bologna supplicano humilmente le Signorie VV. Illustrissime à fare loro tanta gratia di determinare, se li Frati, che hanno Chiese non curate dentro le Parochie, possono fare gl' infrascritti atti, per provedere alle controversie, che nascono spesso trà loro.

1 *Annunciare le Feste, e digniuni all' Altare nella Celebratione della Messa?*

2 *Raccogliere l'offerte, e dare la Pace al Popolo alla Messa?*

3 *Portar Piviale, e Stola per la Parochia fuori della Chiesa ò Claustro?*

4 *Quando sono chiamati alla sepoltura di qualche morto, se habbino d' andare alla Casa del morto ò trasferirsi alla Chiesa Parochiale, dove si raduna il Clero, ò pure aspettare in strada?*

5 *Celebrare la prima Messa nelle loro Chiese avanti quella del Curato?*

6 *Publicare frà la Messa gli ordini del Signor Cardinale Arcivescovo: i Matrimonii, & altro, che occorra?*

7 *Predicare nelle lor Chiese l' Avvento, la Quaresima e frà l' Anno, quando si predica nella Chiesa Parochiale?*

8 *Portar fuori delle lor Chiese, ò Claustri Piviale, ò Stola, quando fanno le Processioni del loro Ordine, ò del Cordone, ò della Cintura ò del Rosario?*

9 *Ricevere nelle loro Chiese le donne alla purificatione dopo il parto?*

10 *Morendo Frati, come avvienne alle volte, & in particolare de' Canonici Lateranensi fuori del Monistero, in Casa de' loro parenti, & havendo i Curati amministrato loro i Santissimi Sagramenti, se possano i loro Superiori farli portare di notte alla loro Chiesa, senza dirne cosa alcuna al Curato, e senza darli le ragioni Parochiali?*

11 *Quando muore alcun loro Superiore, ò Maestro, ò Theologo Collegiale in Convento, se possano farlo portare per la Città, per diverse Parochie, e per la piazza con musiche, e riti straordinarii, e metter si anche il Piviale senza intervento del Curato?*

12 *Essendo publicato un' ordine generale del Signor Cardinal Arcivescovo, che niuno lasci celebrar Messa a' Preti forastieri, senza prima vedere, se n' habbiano havuta licenza da sua Signoria Illustris. ò suo Vicario Generale, se li Frati siano tenuti osservarlo?*

13 *Se possano raccorre grano, vua, legna, e simili altre cose, prima che il Curato habbia raccolte le sue primitie?*

14 *Se possano benedire le Case nella Diocesi la Settimana Santa, essendo questo officio del Curato, come si legge nel Rituale Romano?*

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad singula capita superiùs posita hunc in modum respondit, videlicet.

Ad 1. *Regulares non prohiberi dies festos, & jejunia in suis Ecclesiis annunciare.*

Ad 2. *Respondit posse, dummodò à perambulationibus per Ecclesiam, ac similibus eleemosynarum extorsionibus.*

Ad 3. *Non posse.* Vide quoad hoc aliam declarationem *Sac. Rituum Cong.* cap. XL.

Ad 4. *Debere ad Parochialem Ecclesiam accedere, ubi Clerus congregari consuevit.*

Ad 5. *Prohiberi non posse, quominùs Missa in Ecclesia Regularium celebretur ante Missam Parochialis Ecclesiæ.*

Ad 6. *Non posse publicare matrimonia.*

Ad 7. *Posse petita etiam benedictione ab Illustrissimo Archiepiscopo.*

Ad 8. *Non licere Regularibus huiusmodi Processiones facere extra Ecclesias, & ambitum illarum.*

Ad 9. *Regulares non prohiberi in eorum Ecclesias mulieres post partum ad Purificationem admittere.* Vide infra cap. 36.

Ad 10. *Regulares extra Claustra degentes, posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis.*

Ad

Ad 11. *Non posse.*

Ad 12. *Non licere Regularibus in suis Ecclesiis ad celebrandum admittere Presbyteros sæculares, contra prohibitionem Illustrissimi Archiepiscopi.*

Ad 13. *Non esse id prohibitum Regularibus.*

Ad 14. *Non posse*, in lib. 12. Decretorum ejusdem S. Congr. fol. 45. *& apud Peyrin.* de privil. ad Const. 7. Pii V. post §. 10. *num.* 11.

25 Sed *quid de ovorum benedictione per Regulares?* Attendenda est consuetudo legitimè præscripta. Hujusmodi enim benedictio non videtur esse de reservatis Parocho, sicut nec illa Cinerum, Candelarum, & Palmarum; sed eam potest populus recipere, à quo voluerit, à Parocho, vel à Regularibus; lex enim non adest, quæ compellat, ut eam determinatè recipiat à Parocho, per Pasqualigo ad Lauretum de Franchis *part.* 2. *num.* 6.

26 Ad Monasteria Monialium benedicenda Hebdomada Sancta, vel quovis alio tempore, est in clausuram prohibitus ingressus, S. C. 4. *Septemb.* 1596. *Flosc. Nicol. v. Clausura num.* 27. *& apud Theatrum Regul. verb. Clausura num.* 3.

CAPUT VIII.

Officialis quoad bona Ecclesiasticorum, & Monasteriorum.

SUMMARIUM.

1 *Onera quædam sunt realia, quædam personalia, & alia mixta. Et quid requiritur, ut cum bonis transeant ad personas Ecclesiasticas?*
2 *Bona obstricta decimis transeuntia ad Ecclesiasticos non liberantur.*
3 *Moniales etiam solvunt decimas.*
4 *Regulares non possidentes decimas non solvunt.*
5 *Ad Ecclesiasticos non transeunt bona cum taxa salis, medici &c.*
6 *Nec transeunt cum collectis.*
7 *Sed quid si ageretur de publica necessitate?*
8 *Monasteria, quæ emunt bona cum pacto solvendi onera realia, tenentur solvere.*

Official. Cur. Eccl.

9 *Bona assignata Clericis in titulum patrimonii sunt exempta ab oneribus sæcularibus.*
10 *Quod procedit etiam quoad bona privata ipsorum. Vide tamen discrimen.*
11 *Bona Laicorum, quæ in catasto communitatis erant gravata, si transeant ad Ecclesiasticos, liberantur ab onere collectarum.*
12 *Quid veniat appellatione collectæ?*
13 *Clerici conjugati non sunt exempti à collectis.*
14 *Bona Ecclesiasticorum non possunt scribi in catasto.*
15 *Quando hypotheca transeat ad successores?*
16 *Impedire laicos, ne Ecclesiasticis donent, est contra Immunitatem Ecclesiasticam.*
17 *Exemptio Regularium ab oneribus laicalibus.*
18 *An Coloni Ecclesiasticorum gravari possint, & cogi ad onera laicalia? ad* 19.
20 *In bonis propriis non sunt exempti.*
21 *Coloni Mensæ Episcopalis gaudent privilegio fori.*
22 *Fratres Min. de Observ. sunt exempti à gabellis, ut ibi.*
23 *Epistola enciclica Congregationis Eeconomicæ, qua declaratur, Mendicantes non possidentes non comprehendi sub lege solvendi onera imposita, & imponenda in casu &c.*

1 CUm bona Ecclesiasticorum, & Monasteriorum sæpè contra Canonica jura à laica potestate graventur, ideò nonnulla magis practicabilia sub hoc titulo adnotantur.

Quæritur, an bona ad Ecclesias, Monasteria, & Ecclesiasticas personas quovis titulo pervenientia, transeant cum oneribus?

Solutioni præmittitur onerum divisio. Quorum alia *realia*, quædam *personalia*, & alia *mixta* dicuntur, apud Sperellum *decis.* 36. *num.* 15. *Realia* ea sunt, quæ rebus, & possessionibus imponuntur, ita ut res sint immediata causa impositionis, quæ illis est annexa. *Personalia*, quæ imponuntur personis: & per Piasecum *prax. part.* 2. *cap.* 4. *art.* 6. *n.* 6. corporali labore, vel animi provisione absolvuntur, nulla habita

 ad

ad bona, & patrimonium inspectione: in his persona est immediata causa impositionis. *Mixta*, quæ principaliter imponuntur personis propter bona, vel bonis propter personas, ex quibus patet, quòd nec persona sola, neque bona tantum sint finalis immediata impositionis causa, sed utrumque simul; & in istis quantitas impositionis rem directè, ejusque æstimationem, & obligatio, vinculum, & necessitas solvendi, personam respicit, ut peroptimè idem Sperellus *num*.17.

Quibus notatis, resolvitur, ea cum suis oneribus transire, si duo copulativè concurrant; *Primum*, ut onera ipsa sint merè realia, idest, ipsis fundis infixa, & bonis propter bona, non autem propter personas imposita; *Secundum*, ut sint certa, perpetua, invariabilia, & determinata, non autem ex aliquibus urgentiis imposita, & illis in totum, vel ex parte cessantibus, removenda, vel minuenda: ut idem tradit Sperellus *dec.* 35. *n.* 2. Ideò excluduntur exactiones extraordinariæ pro arbitrio Principum imponendæ, apud Engel. *de privil. Monast. privileg.* 2. *n.* 8. & in his terminis procedit vulgata regula, quod bona transeant cum onere suo, ex *c. cum non sit in homine de decimis*, & *cap. tributum* 23. q. 8.

Hinc si ex bonis, priusquam ad Ecclesiasticas personas pervenirent, fuit solitum, ut quædam certa, & determinata onera, vel tributa Principibus sæcularibus solverentur, ea imposterum, ex communi DD. sententia, persolvi debent.

Super quo legi possunt plura apud Panimoll. *decis.* 6. *adnot.* 2. ubi *num.* 8. refert sic fuisse rescriptum Episcopo Æsino: *La Santità di Nostro Signore comanda, che gl' Ecclesiastici del Castello di Belvedere, tanto Secolari, quanto Regolari, ancorche Mendicanti, paghino per li beni, che possiedono, le Colette, che esige quella Communità per li pesi Camerali; quando però essi beni ne fossero gravati prima, che venissero in mano loro: onde in questa conformità V. S. sarà contenta astringere quelli, che si mostrano renitenti. E Dio la prosperi. Roma li* 28. *Giugno* 1634. *Di V. S. come fratello il Cardinal Barberino.*

Quod procedit, dum impositionis tempore verè, & realiter bona fuerint in Laicorum dominio; nam si Ecclesia, Clericus, vel Monasterium nulliter eis expoliata fuissent, vel ob hostium incursum, aut simili alia ratione illorum amisissent possessionem, & interim, tamquam à Laicis possessa, fuissent onere reali gravata, certè, redintegratis Ecclesia, Clerico, vel Monasterio, bona remanerent ab omni nexu; & vinculo libera, & ad pristinam reverterentur libertatem, ut tenuit Rota *in Albanen. Gabellæ, seu onerum* 28. *Junii* 1630. *coram* Merlino *apud alleg. Sperellum n.* 5.

2 Sic, si bona aliqua jam ante obligata ad solvendas decimas prædiales (eas nimirum, quæ ex fructibus prædiorum debentur, ut vino, frumento, oleo, pomis, fœno, & similibus) acquirantur de novo per Regulares, transeunt cum suo onere, & ii ab obligatione, & onere solvendi non eximuntur, nisi à S. Sede speciale Privilegium eos specificè eximens obtineant: prout pluries firmavit Sac. Congr. Concilii, quæ in una *Camerinem.* 15. *Novembris* 1659. apud Nicol. *prax. jur. can. lib.* 3. *tit.* 3. declaravit. ut sequitur: *Sac. Congr. &c. censuit bona, & prædia, quæ, dum à Laicis possidebantur, decimarum solutioni erant obnoxia, ad Regularium Monasteria cum suo onere transire, ac propterea Regulares teneri illas solvere Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, quemadmodum tenebantur Laici, priusquam bona ipsa in Monasterii proprietatem transtulissent; dictisque Regularibus non suffragari allegata privilegia, sed requiri speciale privilegium posterius Sac. Conc. Trid. cum individua derogatione cap. nuper.* Similem declarationem exhibet Piasec. *prax. Episcop. part.* 2. *cap.* 4. *artic.* 9. *de decimis à num.* 21. aliasque idem Nicol. *Flosc. vers. decimæ num.* 3. *Et Pignatell. tom.* 1. *consf.* 356. refert in una *Polonien. seu Gracovien. Decimarum die* 17. *Jun.* 1645. sic fuisse ab eadem resolutum: *Sac. Cong. &c. iterum, atque iterum auditis Regularibus, & præcipuè Patribus Societatis Jesu, eorumque juribus, ac Privilegiis maturè discussis, censuit ab eisdem Patribus, & aliis Regularibus solvendas esse parochis, & aliis Beneficiatis decimas, quæ solvebantur à Laicis, priusquam bona in ipsorum Patrum Societatis Jesu, & aliorum Regularium proprietatem fuerint translata: firmis tamen remanentibus transactionibus desuper factis.* Vide Barbosa *de offic. & potest. Parochi part.* 3. *cap.* 28. §. 3. *num.* 43. Plures alias resolutiones refert *Monacell. formul. part.* 2.

part. 2. form. 1. num. 10. tit. 14. Et videri potest *cap. Nuper de decim.* ac Tridentinum *sess. 25. cap. 12. de refor.* ubi excommunicatione ligat quotquot eas aut subtrahunt, aut impendiunt solvere. Quos non esse absolvendos statuit, nisi plena restitutione facta.

3 Ad quas etiam tenentur Moniales: prout eadem Sac. Congr. 1. *Septembris* 1629. decrevit testimonio eiusdem Nicol. in *d. prax.* Quibus non potest suffragari prætensa quasi possessio, nisi sit immemorabilis cum fama privilegii.

4 Ad eas, ut idem refert, non tenentur Regulares non possidentes stabilia, & qui de eleemosynis vivunt ut idem Sac. Congr. sub *die 7. Octob.* 1625. in specie pro Observantibus disposuit; & apud Lantusca *ver. Gabella n.* 3. legitur Epistola Subcollectoribus Decimarum directa sub *die* 2. *Maii* 1662. id exprimens.

5 Ad Monasteria, Clericos, & Ecclesiam cum bonis, ex Sperello *cit. num.* 7. non transit taxa salis, nec onus impositum pro salario Prætoris, Medici, Magistri Grammaticæ, Satellitum, cœterorumque Officialium: ponderando rationem, quam DD. quos cumulat, reddunt, quòd ea sint onera merè personalia, & debeant imponi, & distribui per capita, & personas nulla ad bona ratione habita.

6 Neque etiam ex Piaseco *cit.* ad ea cum bonis descendunt collectæ; quæ omnimodè ab oneribus merè realibus, rebusque infixis distant, & imponuntur principaliter personis pro rebus cum respectu ad bona. In quo observandum ex *cit.* Sperello *nu.* 24. aliud esse, quod quis aliquid pro re præstare debeat (quod est ad collectas teneri) aliud verò, quòd ex re præstare teneatur: hoc posteriori casu directè res ipsa obligatione afficitur: in priori autem non res, sed persona dicitur obligata; & ideò cum in eo obligatio est personalis, hæc reperiri non potest, ubi invenitur persona, quæ obligari nequit, ut est Ecclesiastica, utpotè Laicali potestati non subdita; & res mutavit statum: facit Textus in *cap. quia nulli de immunit.*

7 Sed quid, si necessitas, vel utilitas publica sit, non tantùm statum Laicorum, sed etiam Monasteriorum concernens: ut, cum Patria ab hostibus est defendenda, vel reficienda via, quæ ad ipsorum bona accessum præbet: possunt ne etiam Monasteria ob bona, quæ possident, contributionibus onerari?

Dicendum in similibus casibus (cum æquum sit, ut etiam oneribus subsit, qui commodum sentit) quòd etiam Ecclesiastici suam partem conferre debent; non tamen soli, neque ex authoritate Magistratus sæcularis; sed, si Laicorum facultates non sufficiant, rogandi sunt Prælati Ecclesiastici, ut suis subditis collectas imponant: & si periculum non sit adeò imminens, priùs Summus Pontifex est consulendus, cuius interest communibus Ecclesiæ utilitatibus providere, textus expressus *c. non minùs, cap. adversus de immunit. &c. quod olim eodem tit. inter extravag. com.* & notavit *cit.* Engel. & *infr. cap.* 21.

8 Si Monasteria emant bona cum pacto solvendi onera, non tenentur ad personalia, sed dumtaxat ad realia, quæ sunt certa, & invariabilia, & ante venditionem imposita, prout Sperellus *n.* 178. resolvit, allegans resolutionem Sac. Congr. *super controvers. jurisdict. in una Taurinorum 26. Martii* 1629. concludens, quòd si Monasteriis bona donentur cum pacto, ut onera solvant, & collectas, ad id tenebuntur; & *n.* 41. extendit ad etiam in futurum imponendas, si cum tali restrictiva à privata persona (quæ cum sit suarum rerum domina, & moderatrix, potest in illis onera sibi benèvisa imponere) relinquantur. Nam in casu per Engel. *cit. à n.* 8. *in fin.* bona non absolutè, sed sub certis reservationibus ad Monasteria transeunt.

9 Bona patrimonialia Clericorum, eis assignata in titulum patrimonii, ad effectum suscipiendi Ordines Sacros, sunt immunia ab oneribus sæcularibus, & privilegiis gaudent, bonis Ecclesiasticis concessis, per edocta magistraliter à Glos. *ad cap. Episcopus de præbend. in ver. subsidium*; tradit Piasec. *cit. art.* 4. *c.* 8. *à n.* 7. Quaranta *summ. Bullar. verb. vectigal. propè initium.*

Quod redditur certum ex dispositione Conc. Trid. *sess. 21. c. 2. de reform.* statuentis bona in titulum patrimonii assignata, alienari sine licentia Episcopi non posse, adeout alienatio aliter facta sit ipso jure nulla, propter dictionem *nullatenùs* in Decreto contenta, quæ ex Barbosa in Conc. Trid. *ad sess. &c. cit. nu.* 61. nullitatem ipso jure importat, per quæ probatur Clericorum

patrimonia, res Ecclesiasticas dici; loco enim beneficii succedunt, & illius naturam sortiuntur, per Sperellum *dec.*184.*n.* 18.

Propter quod ea, etiam in casibus à jure non expressis, iisdem privilegiis gaudent, ut ibid. ponderat Sperellus contra Abbatem *alleg. à* Piasec. *n.7. & decis.* 37. *n.* 77. refert eam fuisse mentem Sac. Congreg. *super controver. jurisdict. in una Auximana die* 22. *Januarii* 1629. & in una *Nullius* 30. *Maii* 1628. in qua dictum fuit titulum non extingui ipso jure per assecutionem beneficii ad victum sufficientis; ac propterea patrimonium non amittere immunitatem eidem in traditione Ordinum concessam.

Unde non tenentur ad gabellas de frumento, vino, aliisque fructibus, ex iisdem fundis seu redditibus præbendarum suarum collectis, Piasec. *ib.* & quoad ea pariter sunt à collectis exempti, prout in terminis emanavit resolutio à Sac. Congreg. Immunit in una *Volaterana* 18. *Decembr.* 1629. apud Sperell. *cit. decis.* 37. *num.* 76. ut infra; *Episcopus acriter deprehendatur, quia bona etiam patrimonialia Clericorum sunt immunia à collectis Laicorum, nec ab Ecclesiasticis, etiam spontè dantibus, aut solventibus, exigi possunt absque incursu censurarum; ideoque consultat suæ conscientiæ, ac revocet executionem, & omnia inde secuta, illiusque Vicarius accedat ad urbem sub pœna suspensionis ipso jure incurrendæ, ac privationis beneficiorum, & inhabilitatis ad ea obtinenda.*

10 At est dubium. *An prædicta valeant etiam quoad bona privata patrimonialia Clericorum, ad quorum titulum non sunt ordinati, sive ad eos pervenerint titulo hæreditatis, vel donationis, aut propria industria acquisierint?*

Resp. Affirmativè. Verùm bona ad quorum titulum Clerici ordinantur, sunt ita privilegiata, ut, cum fuerint subrogata in locum bonorum Ecclesiæ ad decentem sustentationem Clericorum, non possint à Clericis alienari, distrahi, vel resignari, nisi obtinuerint beneficium Ecclesiasticum, vel aliunde habeant, unde vivant: nec tunc, nisi de licentia Episcopi, per Tridentin. *ubi supra*. Tunc enim censentur effecta quasi dotalia, & pro Ecclesiasticis habentur: ac videntur pro tunc indistinctè participare de privilegiis, quæ competunt bonis Ecclesiæ, atque ita alienari non possunt absque dicta solemnitate, ut post Hostiensem dixit Fagnan. *in* 3. *ad cap. Episcopus de præbend. & dignitat. num.* 40.

Alia verò bona patrimonialia Clericorum non gaudent privilegiis bonorum Ecclesiæ, nisi in casibus in jure expressis, ut per DD. apud Fagnan. *loc. cit.*

Plures casus in jure expressi notantur à Felino apud eundem. Quorum duos hìc subnecto. Primò itaque non possunt à sæcularibus gravari oneribus collectarum, vectigalium, & similium, *c. Quanquam de censibus in 6.* Præsertim, quia ex ipsorum gravamine, etiam personæ ipsæ Clericorum gravarentur; quod absque læsione immunitatis esse non potest.

Secundò. Forum mutant, & exempta sunt à jurisdictione sæculari, adeout Clericus propter ea non possit conveniri coram Judice laico, arg. *ex cap. si Clericus laicum de for. compet.* & per Gonzalez *in* 3. *tit.* 49. *cap.* 4. *num.* 10.

Et hinc constat, non quoad omnia, hujusmodi bona patrimonialia haberi pro Ecclesiasticis. Unde Clerici de illis solvunt decimas, eaque possunt propria auctoritate alienare, & distrahere, ut ibid. Gonzalez.

11 Sed quæri potest. *An bona, quæ erant in catasto, & æstimo communitatis, si ad Ecclesiasticas personas quovis modo pervenerint, eximantur ab onere collectarum, quibus antecedenter erant gravata?*

Scribentes pro foro Laico contra immunitatem Ecclesiasticam affirmant, resolventes Clericos esse immunes ab oneribus extraordinariis, non verò à collectis, quæ, cum sint onera ordinaria, & realia, jam rebus imposita, ad Clericos cum bonis transeunt.

Contra quos nos absolutè dicimus cum Sperello *d. decis.* 35. & Gonzalez *cit.* dicta bona, cum ad Ecclesiasticos pervenerint, esse à collectarum oneribus libera. Nam de illis verificatur tunc esse bona Ecclesiasticorum; quorum bona juxta Canonica jura, ut in *d. cap. Quamquam*, à Trid. *sess.* 25. *cap.* 20. *de ref.* innovata, libera declarantur, & decernuntur ab oneribus sæcularibus. Præsertim, dum onera non sunt realia, perpetua, certa, & invariabilia, ut DD. concordant *in cap. Sanctum de censibus*, & ibi Gonzalez & Engel. *jur. Canon. tit.* 49. *lib.* 3. §. 2. *num.* 26.

Quo-

Quare, quia ex duobus requisitis ad hoc, ut onera transeant cum bonis ad Ecclesiasticos, neutrum in collecta concurrit, ideo bona transeunt, sed non onus solvendi. Etenim, nisi velimus nomina appellativa mutare, videtur incontrovertibile, collectas toto Cœlo ab oneribus merè realibus distare. Onera namque merè realia per hæc duo constituuntur. Primò, quòd sint bonis infixa, & annexa, ac bonis propter bona, non verò propter personas imposita. Secundò, quòd sint certa, perpetua, & invariabilia, non autem ex certis urgentiis imposita, ut dictum est supra, & notavit Fagnan. *in 3. ad 6. Non minus num. 9. de immunit.*

12 Collecta autem est onus, quod principaliter imponitur personis habito respectu ad res, text. *cum Glos. in l. rescripto §. fin. ff. de muner. & honor.* & ibi DD. quos refert, & sequitur Sperellus *decis.* 35. *&* 36. *num.* 15. Apud quos ut certum recipitur, quòd licèt quantitas impositionis directè patrimonium, ejusque æstimationem respiciat, ejus tamen obligatio, & vinculum dirigitur ad personam: & cum persona sit dignor rebus, attenditur potiùs persona, quàm res.

Quod adeò verum est, ut pro collectis non modò agi possit contrà bona obnoxia illis, sed etiam contra cætera bona, ac personam ejus, qui solvere tenetur, secundum adnotata à Bartolo ex eodem Sperello *cit. dec.* 35. *num.* 16.

Unde ex Baldo tradit Natta *cons.* 149. & ex eo Sperellus *d. dec.* 36. *n.* 116. quòd, licèt collectæ materialiter sint onera rerum, formaliter tamen sunt onera personarum subjectarum; quod repetit *dec.* 41. Atque ita constat esse onera mixta, imposita personis pro rebus, ut ex *dec.* 44. *n.* 1.

13 Et hinc fit, quòd Clerici conjugati, qui quoad personam gaudent immunitate, non sint exempti à taxis, & collectis, quæ fiunt per capita, quia sunt onera mixta, non merè personalia, *cap. Clerici cum sua Glos. verb. in cæteris de Cleric. conjug. in* 6. & ita sæpiùs resolvit S. Congr. Immunit. *ut in una S. Agathæ Ghotorum* 13. *Januar.* 1632. *& in una Civitatis Benini* 8. *Febr.* 1639. Sperell. *ibid.*

Pariter in collecta non concurrit, quòd sit onus certum, perpetuum, & invariabile. Nam imponitur secundum æstimationem rei, & iuxta occurrentes necessitates Reipublicæ, ut eis succurratur; & proindè dicitur extraordinaria, & variabilis. Quoniam, experientia magistra, videmus eum, qui hodie dives est, cras esse pauperem, ut ex Thomato alleg. Sperellus *dec.* 35. *n.* 18. Nec habet certam taxam, sed variatur, quoties imponitur, habita ratione ad patrimonium, idem *dec.* 49. *n.* 8.

Quo fit, ut quoties aliqua ex allibratis, seu incatastis bonis ad Ecclesiasticas personas quocumque titulo pervenerint, eximantur ab onere collectarum, ac de catasto, vel æstimo sint delenda, ut de communi testantur DD. in *d. decis.* 35. *num.* 19. à Sperello congestis. Ubi refert ita fuisse declaratum à Sac. Congr. Immunit. in *Pisaurien.* 16. *Decemb.* 1626. Quinimmò plures tenent ea censeri ipso jure ex æstimi libro deleta.

14 Ex quo sequitur, quòd Laici bona Clericorum in catasto describere non possint, ut ex eodem S. Congr. in una *Altamurat.* 18. *Martii* 1631. *ibid.*

Urgent, prædicta procedere quoad onera imponenda post acquisitionem bonorum à Clericis factam, non verò quoad imposita. Quia bona, pro collectis jam impositis, sunt tacitè hypothecata, & cuidam servituti supposita, propterea cum onere transire debent; aliàs in maximam Principum, & Urbium jacturam transitus redundaret.

At objectum diluitur, considerando **I.** quòd asserta hypotheca non regit; nam, ut dictum est, obligatio solvendi taxam, non rem, sed personam respicit. Maximè, quia tot sunt obligationes, quot sunt anni; ac proinde ab initio quis pro futuro obligatur conditionaliter, hoc est, si descriptus in æstimo possideat: & ita hypotheca rei perpetuò non adhæret.

15 II. Quòd tunc hypotheca ad successores transit, quoties solutio ex re ipsa præstatur, ut est annua præstatio tributi, seu census; non verò, si non ex re, sed pro re præstetur: qua ratione solvuntur collectæ: quia juxta æstimationem rerum persona obligatur.

Obligatio autem, quæ oritur pro re, successorem privilegiatum non afficit ut post Oldrad. d. Sperell. *dec.* 36. *n.* 28.

Ad id, quod de damno Principum considerabant. Respondetur. I. Quòd portio,

quæ

quæ pro bonis in Ecclesiasticos translatis erat solvenda, accrescit cœteris in eodem loco æstimatis. II. Quòd sæpè ampla Clericorum patrimonia, quæ erant immunia à collectarum; & pedagiorum oneribus, in Laicos transferuntur, & fiunt illis subiecta: propter regulam, *quòd privilegium propter personam concessum, mutatione personæ extinguitur*. Ideò non mirum, nec durum videri debet, si è contra bona obnoxia ad personam transeuntia, evadant immunia, & hinc patet damnum compensari. Sperellus *dec*. 35. *num*. 32.

16 Sequitur ex dictis, non valere statutum Principis, quo cavetur, nè ab æstimo bona alienata removeantur, nisi alter idoneus in catasto describatur, qui ad collectarum solutionem compelli possit; vel Clericus, in quem bona transeunt, se obliget ad solvendum. Nam est contra immunitatem Ecclesiasticam deterrere Laicos à donando, seu à contractando cum Clericis. Tum quia supponitur Clericos, etiam volentes, posse ad collectas se se obligare, quod est apertè falsum. Siquidem privilegium exemptionis inductum fuit in favorem totius Ordinis Clericalis, cui proinde nullus privatus potest renunciare. Adeout, tam spontè dantes, quàm ab eis recipientes incurrant in Bullam Cœnæ, ut expresse ex rescripto Sac. Congr. Episc. ad Episcopum Caccium Vicarium Apostolicum Parmensem *die* 5. *Novembr*. 1602. Sperellus *decis*. 12. *num*. 56.

17 Quamvis exemptio omnium Regularium personarum utriusque sexus ab oneribus Laicorum ex eo optimè probetur, quòd sunt persone Ecclesiasticæ, & de privilegiis Ecclesiasticis concessis participent ampliffima nihilominus illi Ord. Mendicantium obtinuerunt à B. Pio V. *Const. Dum ad ubera la* 11. *Bullar. tom*. 2. in qua ipsorum personæ, Monasteria, & loca, omniaque bona, & res ubique existentes, eximuntur ab omnibus exactionibus, tam urbanis, quàm rusticis; item à datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, collectis, impositionibus, & oneribus ordinariis, & extraordinariis, tam realibus, quàm personalibus, meris, & mixtis.

Item à contributionibus, & solutionibus pro rebus, pro victu, & vestitu ipsorum, tam emendo, quàm vendendo.

Item à solutione quadrantis pro singulis libris carnium de animalibus, tam quæ in suis ædibus, & prædiis, quàm alibi occiduntur.

Item à contributione pro pontibus, viis, aquæductis, muris, mœnibus, & fortificationibus reparandis, vel reficiendis.

Item prohibet, ne Monasteria, & dd. loca Regularia assignari debeant pro hospitiis militum, tam equitum, quàm peditum.

Exemptionem à dd. oneribus concedit etiam eorum colonis, arrendatariis, & affictuariis.

Deinde mandat Ministris Cameræ, ut dd. Regularibus Monasteriorum in Pontificia ditione existentium, tantum sal assignent, quantum pro eorum usu singulis annis sufficerit.

Tandem apponit pœnam excommunicationis in transgressores, & molestantes dd. personas. Denique Executores Litterarum constituit DD. Ordinarios locorum, cum facultatibus ibi videndis.

Quæ Constitutio non revocatur à Gregorio XIII. *In tanta la* 9. *ibid*. ut observavit Sorbi *ad compend. priv*. & Quaranta *summ. Bullar. v. privil. regul.* ac patet ex Prooemio eiusdem Gregorianæ. Siquidem Gregorius *ibid*. non intendit absolutè revocare litteras B. Pii; sed in illis contenta ad eum statum, & dispositionem reducit, in qua, sive ex jure veteri, sive ex Tridentini Decretis, vel aliàs legitimè fuissent æquè benè, ac si dd. B. Pii Diplomata non emanassent, ut clarè textus sed antè litteras B. Pii jam Mendicantes, & eorum bona à dd. oneribus erant immunia, ut ex d. cap. *Quamquam*; nam textus loquitur de personis Ecclesiasticis, ergo exemptio, de qua B. Pius, adhuc subsistit. Maximè, quia communis DD. opinio est, Gregorium revocasse dd. Constitutiones B. Pii, quoad ea, in quibus sunt contraria Decretis Tridentini. Quibus d. exemptio non adversatur, sed potiùs cum illis concordat, juxta *cap*. 20. *in dict. sess*. 25. in quo omnes Canones, & Apostolicæ sanctiones in favorem personarum Ecclesiasticarum, & libertatis Ecclesiasticæ innovantur, ut supra notavimus.

Quare absque Romani Pontificis licentia imponentes, & exigentes gabellas, collectas, & alia onera à personis Ecclesiasticis, & Sæcularibus, & Regularibus, aut

aut sic imposita, etiam à spontè dantibus recipientes, incurrunt censuram Canonis 18. *Bullæ Cœnæ*, sive sint Principales, sive Ministri, Custodes Pontium, Portus, aut Portæ Civitatis, cum obligatione restitutionis faciendæ.

18 An autem Clericorum, & Religiosorum Coloni, ad eorumdem bonorum culturam destinati, gravari, & cogi possint ad onera Laicalia: ut ad laborandum, vel per se, aut bobus, & equo: ad arcium constructionem, pontium, arginum, viarumque reparationem, fossatorum mundationes, salis vectationem, & hujus generis alia?

Negativè dicitur cum Sperello *decis.* 41. 42. & 43. firmatque Panimolla *cit. dec. 6. adnot. 7. n. 6.* quæ est vera, & sequenda sententia juxta Canones super Immunitate Ecclesiastica editos, & concludenter patet.

Nam, tametsi diceretur hujusmodi onera directè dirigi contra Colonos, & adversus personas Laicas imposita, negari non posset, quin de indirecto tenderent contra Clericos, & Regulares, illosque gravarent. Siquidem peroptimè sequitur, quòd si Coloni ipsi ad præfatorum agrorum culturam destinati, in enunciatis oneribus occupentur, nequeant debito tempore præesse prædiis, vel frugibus; & ex eo resultat, quòd Ecclesiastici minorem quantitatem fructuum percipiant; (etenim terra eò est fœcundior, quò frequentiùs, & tempestivius colitur) ideò ex directo Colonorum gravamine ad enunciata, Ecclesiasticorum de indirecto insurgit præjudicium, ut ipse ponderat Sperellus *dec.* 41. *n.* 62. Quæ verò nequeunt directè concedi, nec per indirectum sunt permittenda: textus apertus *c. statutum de hæreticis in 6. & cap. Dilecti de privil.* Super quo conveniunt DD. ab eodem *ibid. alleg.* docentes, statutum contrà subditos sustineri non posse in iis, in quibus affert in consequentiam Ecclesiæ præjudicium.

Ideò Princeps sæcularis avertens præfatorum colonos à bonorum cultura, & impediens, ne arent, serant, laborent, fructus colligant, vel asportent, tempore maximè, quo prædia, & fruges opera indigent, & cultura; vel illos cum Clericorum, & Regularium jactura gravans, ex observatis, & ab eodem, & DD. *ibid. cit. num.* 66. incidit in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ, ex quo restringat Ecclesiasticam libertatem, impediendo Ecclesiasticos liberè re sua uti: quatenùs operatur, ut eorumdem bona propter impedimentum colonorum nequeant coli, & arari ut oportet, & exigitur.

Ad quod facit, quòd coloni, quatenùs sunt coloni, & sub ista qualitate uti colentes prædia Ecclesiastica, non subdantur Principi Laico, ut docuit Sperellus *n.* 30. & Pignatellus *tom.* 1. *cons.* 165. *n.* 16. & Panimolla *cit. adnot.* 3. *num.* 7. Ratione enim bonorum Ecclesiasticorum subjacent foro Ecclesiastico, sicut & ipsa bona, ideò si eis, habito ad hæc respectu, aliquid præcipiatur, non tenentur parere: statuta enim Laicalia, nec Clericos, neque eorum bona ligant, ex potestatis defectu, tex. *ad c. Ecclesia S. Mariæ de Constitutionibus.*

Conclusio procedit, tùm in colonis partiariis, sic dictis juxta Calvinum *Lexicon Juridicum*, quia fructus cum domino dividunt; ad quod facit Glos. *in Clement. Religiosi de decimis in ver. excolendas*: inter quos, & Ecclesiasticos ex Sperello *num.* 25. reperitur contractus societatis, in quo Ecclesiastici ponunt prædia, & bona, coloni verò semina, animalia, & operas, ut fructus inde nascentes æqualiter dividantur; & fortè propter hoc vulgò vocantur quoque *Mezzaroli*; etiam juxta resolutionem S. Cong. Immunit. apud Pignatellum *cit. cons.* 467. Tum in iis, qui non sunt partiarii, sed perpetui, & adscripti, qui Clericorum, & Regularium nomine ipsorum prædia colunt, & ad panem, & vinum eorum stant, prout *dec.* 42. *num.* 11. Sperellus Conductitii per Panimolla *n.* 49. non sunt immunes, verùm limitarem in casu, in quo nullum præjudicium Ecclesiasticis obveniret.

19 Ecclesiasticorum coloni nequeunt collectari, vel ad collectas pro portione colonica compelli, quia non pro fructibus, sed pro prædiis fit solutio, ut, pluribus relatis, scripsit Sperell. *decis.* 44. *n.* 4. & Panimoll. *n.* 6. Quod ostenditur ex forma imponendi collectas; quæ non imponuntur, nisi priùs res ipsa æstimetur, & describatur in catasto, ut secundùm æstimationem, & pro viribus patrimonii taxentur: undè impositio respicit rem, & non fructus, & facit, quòd in catasto describi, nec per Laicos æstimari possint bona Ecclesiæ, Clericorum, & Regularium, utpotè extra Laicam

cam

cam jurisdictionem constituta, ideò incapacia, ut sint materia æstimationis, & descriptionis importans per Surdum ab eodem *num.* 10. allegat. actum jurisdictionis, qua caret Princeps Laicus, qui nec in spiritualibus, nec in temporalibus quidquam de bonis Ecclesiæ statuere potest, Arg. *in c. quæ in Ecclesiarum de Constitutionibus*. Quam exemptionem pro portione colonica esse firmatam à S. Congr. Episc. in una Oppiden. 18. *Septembris* 1618. refert Panimoll. alleg. *n.6.* & ipse ampliat etiam, dum est à solo separata, *ibid. n.*45.

20 Conclusionem limitant DD. apud Sperellum *decis.* 47. *n.* 17. quoad onera colonis imposita respectu bonorum proprio nomine possessorum; unde pro bonis propriis solvere tenentur, per expresse dispositа à Sac. Congr. Immunit. 29. *Maji* 1646 apud Panimoll. *cit. adnot.* 7. *à num.* 45. Quia coloni Clericorum, cum cæteris Laicis concurrere tenentur ad omnia onera, in quibus neque directè, neque indirectè præjudicaatur Ecclesiæ, vel Ecclesiasticis personis. Nevè ex eo resultat in directa immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ violatio, quæ semper in facto habetur, tametsi in verbis non appareat, dum actiones, quæ directè personas Laicas afficiunt, ordinantur ad gravandos Ecclesiasticos, vel illorum bona, ut post Suarez *in tract. de defens. fidei lib.*4. *cap.*33. *num. 6.* tradit Sperellus *decis.* 41. *num.* 82. *cit.* ubi concludit discrimen inter directam, & indirectam violationem consistere solùm in modo, nam reipsa idem est: quia effectus ita in Ecclesiasticos redundat, ut illos directè afficiat, si sit onerosus, vel indebitè impediat, si sit favorabilis.

Quæ limitatio videtur applicabilis colonis Regularium per disposita à B. Pio alleg. Const. in qua eos immunes facit ab omnibus, & singulis oneribus, ut pleniùs in ea continetur, quod ipse Sperellus *decis.* 42. *num.* 20. notavit.

21 Colonos partiarios agrorum Mensæ Episcopalis, durante colonia, non modo exemptione ab actionibus, verùm & fori Privilegio gaudere, cum aliqua tamen modificatione, determinavit Sacra Consulta in una *Perusina 9. Januarii* 1610. tenoris, ut sequitur.

Illustre, e Molto Reverendo Sig. come Fratello. La Sacra Consulta sopra la difficoltà: che si faceva intorno alli coloni partiarii delle terre della Mensa Episcopale, quando dovessero godere il Privilegio del foro. Hà risoluto, che sempre, che li coloni partiarii lavorino li poderi intieri delle dette Mense Episcopali, che per il più sogliono consistere in diversi pezzi di terra, overo in un sol pezzo di capacità, che faccia una possessione, ò un podere intiero, che si occupino in tutto, ò per la maggior parte nella Colonia di quello, in tal caso debbano godere il Privilegio del foro; mà se lavoreranno un pezzo di poca quantità, ò si occuperanno per la maggior parte del tempo in lavorare i beni proprii, in tal caso non godino il Privilegio del foro Episcopale; e secondo questa distinzione potrà V. S. nelli casi occorrenti osservare, & il Signore la conservi: Roma 9. Genn. 1610. *Come Fratello il Cardinal Borghese*. Quam refert Sperellus *decis.* 128. *num.* 33. Et successive affirmat fuisse resolutum à Sac. Congr. Immunit. in una *Civit. Plebis die* 23. *Decembris* 1627. *& in una Viterbien. sub eadem die*; & deinde in una *Neocasteren.* 13. *Augusti* 1629. Idem *dec.*42. *num.* 21.

22 Fratres Min. de Observantia exempti sunt ab onere solvendi gabellam molituræ, vulgò *del macinato*, ut in una *Assisien.* 21. *Junii* 1659. Et exemptione gaudent à solutione quatreni carnis, & respectivè carnium aliis in locis recipiendarum cum libera asportatione, & introductione, ut fuit contra Dohanerios, & Gabellotas pronunciatum à D. de Aste, Judice Delegato, *die 9. Decembr.* 1687. *ut in regesto, vel libro diversorum Eminentissimi Camerarii fol.* 97. Franciscus Antamorus R. C. A. Secret.

Pariter exempti sunt à solutione gabellæ bononenorum quinque super quolibet cado vini, ac respectivè super fæno, & palea, ut ex sententia D. Bonaccursii Thesaurarii *sub* 28. *Martii* 1667. Franciscus Antamorus.

Quorum Observantium, ac Reformatorum, & Capuccinorum S. Francisci exemptio à gabellis, & oneribus, fuit à S. Sede, eorum paupertate inspecta, præservata occasione edicti, quo ad onera, & gabellas fuerunt obstricti etiam omnes Regulares, prout in sequenti epistola.

Let-

Lettera circolare, spedita d'ordine di Nostro Sig. secondo la resoluzione della Congregatione Economica, alli Signori Cardinali Legati, e Prelati, Governatori dello Stato Ecclesiastico, circa la non comprensione de i Religiosi Mendicanti di strettissima mendicità, li quali ne pure in commune possiedono cosa alcuna, nel Chirografo segnato dalla Santità Sua sotto li 26. Agosto 1708.

23 L*A Santità di Nostro Signore havendo inteso, non senza molta amarezza del suo animo, la sinistra interpretazione, che da alcuni è stata data al Chirografo segnato dalla Santità Sua sotto il dì 26. Agosto prossimo passato, in quella parte, ove si obligano tutte le persone di qualsisia stato, grado, e condizione, eziamdio Ecclesiastiche, tanto Secolari, quanto Regolari, ancorche Mendicanti di strettissima mendicità, non ostante qualsisia loro privilegio, ò esenzione, à concorrere per li loro beni à quelle contributioni, e pesi, che s' impongono, ò s'imporranno per le correnti note emergenze, con essersi perciò indebitamente preteso, che anche quei Religiosi Mendicanti, quali nè pure in commune possiedono cosa alcuna, in vigore in detto Chirografo, possano, e debbano esser gravati con le gabelle, che s'impongano dalle Communità per sodisfazione delle tasse, di maniera che habbiano à cadere sotto tali tasse l'elemosine, che quelli ricevano dalle stesse Communità, ò altri Benefattori; anzi anche l'istesse elemosine manuali, che loro si danno da' Fedeli per il Santo Sacrificio della Messa: hà perciò comandato la Santità Sua, che oltre ciò, che fù ordinato con altra simile lettera, scritta in data delli 29. del passato mese di Settembre in proposito dell' esenzione, che li sudetti Religiosi Mendicanti, quali nè pure in commune possiedono cosa alcuna, devono godere di tutte le gabelle imposte, ò da imporsi per l'accennato effetto, per tutto ciò che serve per il loro sostentamento, & uso; con la presente Lettera circolare più chiaramente si spieghi, e si dichiari, che la dispositione del Chirografo sudetto, ove comprehende i Religiosi Mendicanti di strettissima mendicità (ancorche per essere relativa alli beni, che quelli possiedono, & insieme per escludere litteralmente i veri poveri, che non possiedono cosa alcuna, fosse assai chiara ne avesse bissogno d'alcuna spiegazione, ò dichiarazione) solamente comprehende quei Religiosi, che ancorche Mendicanti possono tuttavia possedere in commune, e di fatto possiedono qualche specie di beni stabili; mà non mai quelli, che nè pure in commune possiedono cosa alcuna, quali in consequenza devono esser essenti da tutte le tasse, imposizioni, capitazioni, e da ogn'altra sorte di gravezza; poiche questa è stata sempre, & è la mente della Santità Sua. Non dubito, che V. S. per quel che à Lei appartiene, sarà per far haver alla medesima la dovuta esecuzione. E Dio la prosperi. Roma 20. Ottobre 1708. Apud Impressorem Cameralem.*

24 Prædicti enim Observantes, Reformati, & Capuccini, eam speciem Religiosorum constituunt, qui per Trid. *sess.* 25. *de regul.* bona immobilia possidere non possunt, nec redditus habent; sed dietim ex mendicato, & eleemosynis acquisitis, eorum necessitatibus remedia parantur.

CAPUT IX.

Officialis quoad Capellas.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia, quæ inservit pro celebratione Missæ, ædificari non debet, nisi prævia obligatione manutentionis.*
2 *Quis provideat Altare Capellæ de paramentis?*
3 *Patronus ad quid teneatur erga Capellanum?*
4 *Consuetudo reficiendi Ecclesiam, aliquando à populo transit ad Rectorem.*
5 *Insignia, & arma fundationem ostendunt.*
6 *Non possunt ea abradi.*
7 *Hæres non potest sua arma affigere in Capella.*
8 *Quinam eligat Capellanum pro celebrandis Missis in Ecclesiis Regularium à testatore relictis, hæredes, an Regulares?*
9 *Fratres Minor. de Observ. non sunt capaces legatorum Missarum, quorum proprietas sit apud ipsos.*
10 *Concessiones Capellarum, etiam quoad*

jus honorificum, & usum, debent fieri de consensu Capituli.

1 LIcèt Ecclesiæ sine dote consecrari non debeant, *c. Placuit*, 1. *quæ* 2. *&c. cum sicut de consecr. Eccl. vel Alt.* imò nec fundari, ut in eis Missæ celebrentur, nisi ædificans sua bona obliget pro ipsarum manutentione, ut probat Monacell. *for. p.* 1. *for.* 10. *n.* 4. *tit.* 6. Altaria tamen, & Capellæ in Ecclesia sine dote erigi possunt; maximè, si ad ornatum Ecclesiæ sint constructa, quia tunc sufficit manutentioni Ecclesiæ esse provisum. Secus dicendum de illis constructis pro Missarum celebratione, nam tunc necessaria ad id debent haberi, per Genuensem *prax. c.* 109. *n.* 1.

2 Quæritur, an Patronus Capellæ, an verò Rector, aut Monasterium teneatur illam reparare, & providere Altare de paramentis, mappis, ornamentis, calice, patena, luminariis, & cæteris necessariis ad celebrationem?

Quamquam videatur injunctum Rectoribus Ecclesiæ, vel Capellæ, onus ipsas reficiendi, & reparandi ex *c. Quicumque*, & *c. De his de Eccles. ædificand.* & ex eo probetur, quòd, qui sentit commodum, teneatur quoque ferre onus, juxta regulam 55. *juris in* 6. & onus extendatur etiam ad ornamenta necessaria superiùs enunciata, sine quibus divina celebrari non possunt; quia fabricatio Ecclesiæ, & præparatio ornamentorum à pari procedunt, & parificantur, *cap. De his de testamentis*, ibi: *In ornamentis, seu fabrica, luminariis, sive aliis ad perpetuum cultum divinum*. Attamen non est sic absolutè firmanda conclusio, & articulus resolvendus, per Genuensem *ibidem numer.* 13. & Sperellum *decis.* 68. *numer.* 11. sed juxta distinctionem ab eis consideratam. Nam, vel Patronus, aut Fundator ab initio dederunt dotem sufficientem pro mercede Sacerdotis fabricæ, & ornamentorum manutentione; & tunc nullatenùs ipsi sunt inquietandi, sed tenetur Rector, vel Conventus: aut dotem parvam, & insufficientem assignarunt; & tunc illi tenentur. Facit Trid. *sess.* 21. *cap.* 7. *de ref.* Et ex eo deducitur per Abbatem à Sperello *num.* 15. alleg. quòd fundans Capellam teneatur illam competenter dotare, quemadmodùm Pater filiam; maximè, quia ædificans Altare Sacerdotale videtur se obligasse ad dotem dandam pro necessariis concurrentibus ad Missarum solemnia; nam, qui vult unum, videtur voluisse omnia, per quæ perveniunt ad illud, Arg. *ex cap. Præterea de offic. deleg.* Idem Panimolla *decision.* 15. *num.* 9. applicat Confraternitatibus Laicorum, ut dicemus *cap. Quoad Confraternitates*.

Et procedit per Sperellum *decis.* 67. *n.* 12. ut, si dos Capellæ pereat, tenetaur Patronus ad iterùm dotandum; in quo si negligens fuerit, poterit jus patronatus alteri dotandi adjudicari; eique præceptum fieri potest de assignando sufficientem, & competentem dotem, sub pœna providendi de compatrono, vel alia; & interim de providendo de mappis, paramentis, cæterisque necessariis, *ibid.*

3 Ubi firmat, Patronum Capellæ non semper teneri alere Capellanum celebrantem, benè verò providere de dote sufficienti, habito respectu ad stipendia, quæ solent dari pro Missis; unde in casu sufficiens dos illa reputatur, quæ correspondet necessariis paramentis, & oneri Missarum, quas Capellanus debet ibi per hebdomadam celebrare. Alia super sufficientia dotis vide Gloss. *ad alleg. cap. Cum sicut in ver. consecranda*.

Nota, quòd quando inducta esset consuetudo, quòd Populus, & respectivè Patronus subiret onus reparandi Ecclesiam, & ornandi Cappellam, ab ea recedendum non foret, etiam data sufficienti dote, per Innoc. *in cap. fin. de his, quæ fiunt à majori parte Capituli*, & Genuen. *ad locum alleg.*

4 Super quo Sperellus *allegat. decis.* 68. *num.* 24. considerat, quòd si consuetudo, quæ onus reparationis, & fabricæ Ecclesiæ, ac ornatus Cappellæ transtulit in Populum, vel patronum, orta fuit, dum redditus erant tenues, & populus exiguus; auctis deinde redditibus beneficii, excrescente Populo; decimis multiplicatis, itaut & ad rectores sustentationem, & in Ecclesiæ restaurationem, cæteraque necessaria sufficiant, ab eo illi liberentur, & in Rectorem transeat, ut apud eum scripsit Navarro *de spoliis Clericorum sub num.* 73. Alia plura, ipso digna, *alleg. decis.* 67. & 68. Sperellus notavit.

5 Fundationem Capellæ demonstrant ex Pani-

Panimolla *decis.* 10. *adnotat.* 1. *num.* 65. inscriptiones, arma, & insignia familiæ insculpta in marmoreis lapidibus, vel pariete Capellæ; quæ regulariter apponi non solent in re, vel ædificio alienis sumptibus constructo.

Et licèt non appareant ita antiqua, ut dici possint apposita fuisse in fundatione, nihilominùs conducunt ad probandam fundationem; quia præsumuntur per Patronos, vel Fundatores apposita ad conservationem vel sui juris, vel ad ostendendam devotionem erga Deum, & Sanctos, ut dixit Rota *decis.* 13. *sub num.* 3. *part.* 1. *recent.* ab eodem alleg.

6 Quæ, sive probentur esse apposita in fundatione, vel ob restaurationem, aut meliorationem, nulli unquam, sive Rectori, sive Conventus Prælato licet ea abradere, & removere: vel ut memoria fundatoris, aut benefactoris deperdatur: vel ut aliorum nomina, & insignia ibi ponantur: ut ibid. ipse Panimoll. *n.* 68. & alleg. Genuen. *num.* 3. scribunt.

7 Nam, ut concludenter Genuen. *n.* 2. probat, eriguntur Capellæ cum sepulturis, armis, & inscriptionibus, (quæ sunt ordinata ad conservandam fundatoris, & benefactoris memoriam) ad ostendendam excellentiam devotionis ipsius, ejusdemque domus erga Deum, & Sanctos; interest autem Reipublicæ, *l.* 1. §. *publicæ*, *ff. de ventre inspiciendo*, apud eumdem, ut familiarum dignitas conservetur; quæ dignitas ex ædificio Capellæ, & in hac ex monumentis fixis dignoscitur: ideò *num.* 4. Genuen. concludit, hæredem non posse sua arma affigere in Capella, in qua sunt illa fundatoris, ne memoria defuncti deperdatur.

8 Erigens Capellam in Ecclesia Regularium cum onere, ut quolibet die certus Missarum numerus in ea celebretur, sine specificatione personæ, à qua debeant celebrari, celebrandæ sunt à Sacerdote Regulari Monasterii: nec Fundator potest ad suum libitum pro hujusmodi celebratione Sacerdotes sæculares, vel Regulares alterius Ordinis deputare, nisi ipsi Regulares consentiant; ad quod facit Decretum Sacr. Congreg. Episc. relatum à Nicolio *Can. lib.* 3. *tit.* 33. *de Regularibus numer.* 15. ubi disponitur in casu, quo Testator Missas celebrandas in Ecclesia Regul. relinquat sine expressione personæ, non posse hæredem pro suo libito Sacerdotes sæculares deputare: *censuit enim, præfatos hæredes non posse pro suo libito Oratoribus* (PP. nimirùm Ord. Prædicatorum, qui libellum porrexerant) *invitis, deputare pro prædicta celebratione Missarum in eorum Ecclesia Sacerdotes sæculares, seu alios cujuscumque Ordinis Regulares, sed omnibus præferendos esse eosdem Oratores, quatenùs ipsi Missis satisfacere non recusent. Quibuscumque non obstantibus.* 16. *Novemb.* 1657.

Verùm successivè ad hæc tempora aliàs fuit à S. Sede provisum. Nam Sac Congr. Conc. *in una Maceraten.* 15. *Martii* 1692. censuit, *electionem Capellani pro celebratione Missarum in Ecclesia Min. Conventualium Terræ Montis-Miloni, à Testatore non nominati, spectare ad hæredem, & non ad Regulares.* Sed certè ab hærede esset ex æquitate nominandus Regularis illius Ecclesiæ, ne per Capellanum sæcularem imponeret ipsis Regularibus onus nimis grave, eorum quietem perturbans. Præsumptio enim currit, quòd ea fuerit mens Testatoris, Engel. *de privil. Monast. priv.* 44. *n.* 4. *vid. cap. sequen. n.* 8.

Quatenùs verò Regulares commodum, aut patientiam pro celebratione Missarum Sacerdoti sæculari præstare recusarent, tunc conceditur oneris translatio, ad quem effectum recurritur ad S. Sedem, prout indulsit Congr. Episc. *in nullius Castri Durantis* 11. *Aprilis* 1615. *& in Burgi S. Seplulchri* 7. *Oct.* 1617. Monacellus *formul. part.* 1. *formul.* 19. *tit.* 10. *numer.* 19. Ad id enim Regulares non obligantur, ut ex Fagnan. *in* 3. *ad cap. Nos quidem num.* 69. *de testm.* ubi notavit, Religiones non consuevisse permittere, ut in suis Ecclesiis erigantur Capellæ perpetuò officiandæ à Sacerdotibus sæcularibus, ut est notorium, & patet ex attestationibus subscriptis à singulis Procuratoribus Ord. Mendicant. quæ fuerunt Sac. Congr. exhibitæ. Ita ille. Neque ad id cogi possunt inviti ex *Const. Dum intra la* 22. *Leonis X. Bullar. tom.* 1. quæ etenim hæc, ut idem notat, ad hunc casum non pertinet; sed ejus dispositio restringitur, ut Sacerdotes sæculares volentes ex devotione in Regularium Ecclesiis celebrare, benignè recipiantur, ut ibi textus.

9 Verùm si Capella cùm tali onere fuisset erecta in Ecclesia Min. de Obser. & ex dispo-

dispositione Fundatoris deberent ab iisdem Fratribus celebrari Missæ, hujusmodi onus in se non possent suscipere, cum sint incapaces legatorum annuorum, quæ fiunt adjecto onere celebrationis Missarum.

Limita, nisi onus solvendi, & correspondendi cum eleemosynis pro celebratione, esset directè apud hæredes, quia tunc, per modum puræ eleemosynæ, possent stipendia pro Missis debita per Syndicum recipere, ut ex doctrina Rotæ *in Turritana legatorum coram Emerix* 10. *Januarii* 1693. *&* 6. *Aprilis* 1696. apud Monacellum *part.* 2. *form. in append. dec.* 32. *&* 33. De quo expressiùs, ac pleniùs *infra c.* 30.

Nequeunt Regulares sine consensu Sedis Apostolicæ alienare, & aliis in jus, & proprietatem concedere Capellas, & Sepulturas, ad præscriptum *c. Ambitiosæ*, ut ibi latè unanimiter DD. Sed quia de hac re dicturi sumus *c.* 45. ne eadem inutiliter repetantur, hìc omittimus.

10 Advertendum tamen, quòd concessiones Capellarum, & Sepulchrorum, etiam quoad solum jus honorificum, & usum facti, sunt faciendæ de consilio, & consensu Capituli, ita necessariò, ut aliàs factæ nullæ declarentur, *cap. Novit. c. Ea noscitur*, *cap. Tua de iis*, *quæ fiunt à Prælat. sin. cons. cap.*

CAPUT X.

Officialis quoad celebrationem Missarum.

SUMMARIUM.

1 *Non possunt Regulares impediri, quin Missa celebrent in suis, & aliorum Ecclesiis.*

2 *Et, ne Campanas pulsent ad Matutinum, horas, & Missam, etiam antequam pulsetur Campana Majoris Ecclesiæ. Sed Sabbatum Sanctum excipitur.*

3 *Fideles audiendo Missam in Ecclesiis Regularium satisfaciunt præcepto Ecclesiæ.*

4 *Non potest Missa anticipatè celebrari pro eo, qui primò postea dabit stipendium.*

5 *Sacerdotes sæculares benignè recipiendi à Regularibus in propriis Ecclesiis.*

6 *Regulares exteri admitti non debent ad celebrandum, nisi examinatis litteris obedientialibus; nec Sacerdotes sæculares, nisi visis testimonialibus subscriptis à Vicario Generali, vel Foraneo.*

7 *Sacerdos sæcularis, qui aliquo titulo tenetur celebrare in Ecclesiis Regularium, propriis sumptibus debet de necessariis providere.*

8 *Missæ celebrandæ in Ecclesiis Regularium ad hæredum arbitrium, illis non consentientibus, alibi celebrari debent.*

§. I.

Constitutio Innocenii XII. *De celebratione Missarum.*

9 *Dispositio ejusdem Constitutionis usque ad num.* 44.

§. II.

Nonnulla dubia concernentia celebratione Missarum.

45 *Fratres Min. de Observantia non possunt retinere capsulam pro asservandis eleemosynis Missarum.*

46 *Missæ celebrandæ sunt in Ecclesia electa à Testatore.*

47 *Quantum temporis importet intra* breve tempus moraliter?

48 *Sacerdos non potest retinere sibi partem stipendii recepti pro celebratione Missæ.*

49 *Episcopus non potest compellere Regulares ad exhibendos libros Sacristiæ.*

50 *Vicarius Episcopi non potest reducere Missas, quas Sedes Apostolica committit Episcopo reducendas, in casu &c.*

51 *An Sacrificium possit uni ex justitia, & alteri ex charitate applicari, usque ad num.* 56.

57 *Subditi Regulares tenentur celebrare juxta intentionem Prælati, usque ad num.* 58.

59 *Qualiter sit specificanda persona, pro qua celebratur?*

60 *Quando Parochi teneantur celebrare pro suis Ovibus?*

61 *Non*

61 *Non est simoniacum accipere pecuniam pro celebratione Missæ.*
62 *Capellani per se ipsos celebrare tenentur: limita.*
63 *Et applicare Sacrificium pro Fundatore.*
64 *Capellani Monialium uti debent Missali Romano.*
65 *In nocte Nativitatis, successivè ad Missam cantatam non celebrantur aliæ duæ.*
66 *Die Sabbati Sancti non licet celebrare Missas privatas.*
67 *Missæ de Requiem cum cantu pro implenda mente Testatoris celebrari possunt, etiamsi Anniversarius dies obitus recurrat in duplicibus.*
68 *In Missis de Requiem Fidelibus non exhibetur Communio. Et ubi aliàs ministratur, nunquam dantur plures Particulæ.*
69 *Onera Missarum regulariter censentur perpetua.*
70 *Instructio servanda à Regularibus in subscriptione attestationis exhibendæ super adimplemento onerum Missarum.*

§. III.

Oratoria.

71 *In Oratoriis privatis Missæ celebrari non possunt, nisi ex Pontificis indulto. Differentia inter Oratorium publicum, & privatum. Quinam audiendo Missam in Oratoriis privatis satisfaciat præcepto Ecclesiæ de audienda Missa? Quid de Regularibus quoad Altare portatile? Et an possint habere Oratoria in Grangiis? Quibus diebus in Oratoriis privatis non possit celebrari? usque ad num. 84.*
85 *Decretum S. Congr. Conc. ad tollendos abusus celebrandi in Oratoriis privatis.*

1 NEquerunt Regulares impediri, quin Missas in propriis, & alienis Ecclesiis celebrent, prout B. Pius V. Constitut. *Et si Mendicantium* la 41. *Bull. tom.* 2. §. 8. *ver. Et insuper*, ibi: *Volumus, quod Fratribus Mendicantibus hujusmodi non solùm prohiberi non possit, ne Missas, & alia Divina Officia fiant in eorum Ecclesiis, verùm etiam in quibuscunque aliis, ubi celebrari Missas solitum est, etiam ipsis non vocatis, seu ad id requisitis, celebrare valeant.* Hoc ultimum intelligas de Rectorum, & eorum, ad quos spectat, assensu.

Etiam tempore, quo Parochi ipsi in suis Ecclesiis celebrant, ut §. 22. ibi: *Prohibemus insuper eisdem Ordinariis, ac aliis quibuscunque personis, ne impediant ipsos Fratres, quando eis placuerit, tam in diebus Dominicis, seu festivis, aut aliis totius annis temporibus, Campanas pulsare, & etiam tempore, quo ipsi celebraverint, Missas celebrare.*

2 Post indultum B. Pii adest Decretum *S. C. Regul.* 10. *Octobris* 1568. ibi: *Ordinarii non impediant Fratres, pulsare Campanas ad Matutinum, ad Horas, & ad Missam, antequam pulsetur Campana majoris Ecclesiæ, præterquam in die Sabbati Sancti. Confect. Coll. Privil. Mend. part.* 1. *ad Constit.* 5. *Sixti V.*

Hoc enim die priùs pulsare debent Campanæ Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis, quàm alteriùs Ecclesiæ Sæcularis, vel Regularis, ad tex. *in Constit. Dum intra Leon. X. la* 22. §. 14 *Bull. tom.* 1.

Possunt Regulare celebrare, priusquam Parochi celebrent, ex eodem B. Pii, §. 8. *Necnon Missas*, ait, *& Divina Officia hujusmodi, etiam in diebus Dominicis, vel festivis, etiam antequam Rector Parochialis Ecclesiæ celebraverit, celebrare, & facere, quando eis videtur.*

3 Nec sunt impediendi Fideles, quin diebus Dominicis, & festivis ad Regularium Ecclesias, Divinorum Officiorum tempore, atque ad audiendas in eis Missas accedant. Neque dicendum, præcepto de Missis diebus festivis audiendis, eosdem non satisfacere. Oppositum enim sanxit Leo Decimus Constitut. la 25. *Bullar. tom.* 1. ut sequitur: *Intelleximus quosdam in dubium revocare, & perinde timoratis conscientiis scrupulum iniicere, si Christi Fideles, qui Dominicis, & festis diebus extra Ecclesias suas Parochiales, Missas audiant in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Ecclesiæ præcepto de Missa audienda satisfaciant. Nos enim ambiguitatem hujusmodi penitus tollere volentes,* D ut

ut cum sinceriori conscientia Fideles quique Deo Creatori suo serviant, authoritate Apostolica, tenore præsentium notum facimus, omnes Christi Fideles utriusque sexus, qui (non contempto proprio Sacerdote Parochiali) in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis, & Festis diebus, Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamve incurrere. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, &c.

Quod observavit Piasec. *prax. Episcop. par. 2. cap. 2. artic. 3. numer.* 21. notans obligari Parochum, ex Tridentin. *sess.* 22. *in Dec. de obs. & evitan. in celebr. Miss.* ad monendum Populum, ipsumque de præcepto audiendæ Missæ diebus festivis sub peccato mortali instruendum: cogere tamen non posse quempiam ad eam in Parochiali Ecclesia audiendam, quia Concil. *loc. citat.* verb. dumtaxat, *moneant*, & non alio, utitur.

4 Omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, prohibitum est, Missas anticipatè celebrare pro eo, qui primò stipendium dederit; vel, quem Deus videt primò daturum; vel sub conditione in futurum contingente: v. g. *intendo celebrare pro eo, qui proximè mihi eleemosynam largitus fuerit, Sum. Leand. verb. Missæ stipend. numer.* 39. Layman. *Theol. moral. de Sacrificio Missæ lib. 5. cap. 2. numer.* 13. & reperitur tanquam periculosum, & scandalosum, jussu Clem. VIII. & per Pauli Quinti decretum, prohibitum à Sac. Congreg. Conc. quod per extensum referunt Barbosa 2. *part. de Offic. & potestat. Episcopi alleg.* 24. *num.* 12. & Lezzana *Sum. Quæst. Regul. tom.* 4. *verb. Missa numer.* 51. quod evenisse sub die 15. Novembris 1605. testantur.

Sacrilegam aliquorum ad Sacrum Presbyteratus Ordinem non promotorum, in celebrandis Missis audaciam, Sancta Sedes sæpiùs repressit: ut post Gregorium XIII. & Sixtum V. Clemens VIII. Constit. *Et si aliàs* 81. *Bull. tom.* 3. Et subinde Urban. VIII. Const. *Apostolatus* 79. *tom.* 4. decrevit, pœnis à Clemente statutis procedi posse contra omnes, sive Laicos, sive Clericos sæculares, vel Regulares non promotos, præsumentes Missas celebrare, & Sacramentales confessiones audire, dummodò vigesimum ætatis suæ annum compleverint.

5 Cùm Sæculares Presbyteri in Ecclesiis Regularium ex propria devotione voluerint, celebrare possint, & benignè recipiantur juxta dispositionem Leonis X. dicta Const. *Dum intra*, ibi: *Ac tam Prælati, quàm Presbyteri Sæculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, Missas in Ecclesiis domorum eorumdem, devotionis causa, celebrare volentes, celebrare possint. Ipsique Fratres tales celebrare volentes, libenter recipere debent.*

6 Exteri autem, & peregrini à Regularibus admitti non debent ad celebrandum in propriis Ecclesiis, nisi servata forma sequentis Decreti. *Die* 11. *Augusti* 1649. *in Congregatione Sancti Officii Eminentissimi RR. Cardinales Inquisitores mandarunt intimari Superioribus Religionum, quod mandent suis subditis Monasteriorum, & Conventuum Superioribus, ne admittant ad celebrandum in eorum Ecclesiis, eorum, vel alterius Religionis, exteros, vagos, seu peregrinos, nisi examinatis diligenter litteris obedientiæ, seu assignationis eorum Superiorum, & testimonialibus promotionis ad Sacerdotium: quò verò ad Sacerdotes Sæculares, nisi visis litteris testimonialibus subscriptis à Vicario Generali, seu Foraneo Episcopi loci &c.* quod refert Nicol. *praxis totius Juris Can. lib.* 3. *tit.* 13. *de Regularibus num.* 15. & sæpè id decrevisse circa Sacerdotes Sæculares Sacram Episcop. & Regul. Congr. testatur.

7 Ubi tradit Regulares teneri ad consensum dandum, & commodum Presbytero Sæculari, qui aliquo titulo tenetur ad celebrandum certis diebus in ipsorum Ecclesiis, per disposita à Sacra Congregatione sexto Septembris 1625. cum onere tamen, ut Presbyter celebraturus sibi suis sumptibus de suppellectibus, cera, cæteroque apparatu Ecclesiastico ad id necessario provideat.

8 Cum ex dispositione Testatoris deberent in Ecclesiis, v. g. Fratrum Minorum, celebrari Missæ à Presbyteris, sive Sæcularibus, sive Regularibus, ad Hæredum arbitrium, & Fratres Minores nollent consentire; S. C. C. censuit: *Dum Regulares non consentiunt Missas à Testatore relictas, per Sæculares in Regularium Ecclesia celebrandas, ibidem celebrari, posse alibi celebrari de licentia Ordinarii*, ut in una Venetiarum

rum

rum 14. Septembris 1639. *idem loc. cit. vide supr. cap. num.* 8.

§. I.

Constitutio Innocentii XII. super celebratione Missarum.

9 Nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet.

„ Aliàs super celebratione Missarum, „ ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia, „ nec non super earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, & Religiosorum numero ultra redditus, & consuetas eleemosynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac Sac. Congregatione Sac. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illi specialiter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis.

„ 10 §. 1. Cùm sæpè contigat in quibusdam Ecclesiis, tam magnum Missarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen nova onera Missarum in in dies suscipiantur: indeque fiat, ut depereant piæ Testantium voluntates, obstricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur: Cùmque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd ii, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri: aut quòd Ecclesiis, sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum absque ullo emolumento: aut quòd eleemosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic se muneri subiicere, & redditus Ecclesiæ, aut Monasterii adeò exigui, ut Sacerdos pro necessaria sui substentatione novis se oneribus obstringere compellatur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens facturam se rem Deo gratissimam, charitatique, ac iustitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è Christiana Republica convellere, atque eradicare: Sanctissimi D. N. Urbani Divina providentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.

„ 11 §. 2. Ac primò distinctè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

„ 12 §. 3. Deinde, ubi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis celebrandis, stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuscumque, tam Sæcularibus, quàm Regularibus; Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, itaut alioquin ii, ad quos pertinet, suę obligationi non satisfaciant: quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

„ 13 §. 4. Id verò ut deinceps observetur exactiùs, Sacra Congr. eadem auctoritate revocat Privilegia, & Indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac Locis Piis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, cuiuscumque Or-

„ dinis, Congregationis, & Instituti, „ quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, „ vel Anniversariorum celebratione, aut „ aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

„ 14 §. 5. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, „ prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit „ celebrandam cum certa eleemosyna, ne „ eamdem Missam alteri, parte eiusdem „ eleemosynæ sibi retenta, celebrandam „ committat.

„ 15 §. 6. Præterea, ne in Ecclesiis, in „ quibus onera Missarum in perpetuum „ imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par „ est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate „ coniuncta: statuit, atque decernit, ut „ pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac Locis omnibus, „ tam Sæcularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos „ pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu „ Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis, statim deponi debeant „ penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum „ illa, seu illorum pretium, quàm primùm „ investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

„ 16 §. 7. Ac si eadem bona immobilia „ auctoritate Apostolica deinceps alienari „ contigerit, eorumdem pretium, sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in „ aliis bonis stabilibus itidem fructiferis „ cum eiusdem oneris repetitione, atque „ annexione converti debeat.

„ 17 §. 8. Ad hæc Sacra Congregatio „ quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon „ omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac „ Piorum Locorum tam Sęcularium, quàm „ Regularium Superioribus, vel aliis, ad „ quos pertinet, districtè prohibet, ne „ imposterum onera perpetua suscipiant „ Missarum celebrandarum: Sæculares „ quidem sine Episcopi, vel eius Generalis „ Vicarii, Regulares verò sine Generalis, „ vel Provincialis consensu, & licentia in „ scriptis, & gratis concedenda: alioquin „ Sæcularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, „ quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ, absque alia declaratione incurrat.

„ 18 §. 9. Eleemosynas verò manuales, „ & quotidianas pro Missis celebrandis, ita „ demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut „ nova quoque onera suscipere valeant; „ alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis, in „ futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa: „ *Eleemosyna pro Missis*, vel alia simili, sub „ iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne „ Fideles hac ratione frustrentur.

„ 19 §. 10. Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, „ ubi de licentia pro perpetuis oneribus „ fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum „ celebrandarum obligationibus, cuique „ Ecclesiæ, Monasterio, aut Loco Pio incumbentibus: nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quàm „ eis legitimè costiterit, illius Sacerdotes, tam novo oneri suscipiendo, quàm „ antiquis iam susceptis satisfacere posse; „ præcipuamque rationem habeant, ut „ redditus, qui Ecclesiis, & Locis Piis relinquuntur, omninò respondeant oneribus adiunctis secundum morem cuiusque Civitatis, vel Provinciæ: intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut „ negligentes fuerint, in novissimo die se „ huius prætermissi muneris rationem esse „ reddituros.

„ 20 §. 11. Postremò Illustrissimi Patres „ non sine gravi animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ Regularem disciplinam evertunt, ac præcipuè „ nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, „ veluti ex infecta radice, pullulare ex „ maiori Regularium numero, quàm fe-

„ rant

„ rante redditus, & eleemosynæ cujusque „ Monasterii: inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis, hac de re editis, Sanctissimi Domini Nostri auctoritate præcipiunt, ac „ mandant omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, „ & quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & „ Instituti, existentium intra fines Italiæ, „ & Insularum adiacentium, ut singuli, ad „ quos pertinet in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus „ sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum usu peritioribus, bona „ immobilia, census, redditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, „ & obventiones, tam communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum „ eiusdem Provinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, „ seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, „ diligenter, & maturè recognoscant, iis „ omnibus detractis, quæ reparationes, „ præstationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere.

„ 21 §. 12. Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cujus interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis, & obventionibus „ universis, & oneribus ut supra detractis, sedulò examinent, quot Religiosi „ homines, connumeratis etiam Laicis, „ aliisque necessariis servientibus, in unoquoque Monasterio, Conventu, & Domo Regulari, iuxtà regionis, & proprii „ Instituti morem, victum, & vestitum, „ & medicinalia in communi habentes, „ competenter valeant sustentari. Tum „ eorumdem bonorum, redditCuum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam „ ipsimet Capitulo, seu Congregationi „ exhibeant, ut in illo diligenter omnibus „ discussis, cujusque Familiæ, Monasterii, „ Conventus, ac Domus Regularis in singula quaque Provincia certus earum „ tantùm personarum numerus, Patrum „ Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut superiùs, sufficienter ali possint.

„ 22. §. 13. Ne verò Superiores, qui id „ præstare debent, seriùs, aut remissiùs, „ quàm par est, suo muneri satisfaciant: „ mandat Sacra Congregatio, ut infra „ annum, post proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, „ omnia hoc de genere Capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad „ Sacram ipsam Congregationem Concilii „ singuli mittant.

„ 23 §. 14. Numerumque familiæ, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi Regularium, Capituli, seu Congregationis „ Generalis, vel Provincialis sententia, & „ auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tam Generales, & Provinciales omnes, quàm locales, perpetuò servare omninò teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti reddit, absque Sacræ ipsius „ Congregationis licentia: Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in „ præfixo termino non præstiterint, vel numerum, ut supra præscriptum, quovis „ modo augere præsumpserint, privationis „ omnium officiorum, quæ tunc temporis „ obtinebant, vocisque activæ, ac passivæ, „ & ad omnia suæ Religionis officia, & „ gradus, inhabilitatis perpetuam pœnam „ eo ipso incurrere, atque aliis, etiam gravioribus, à Sede Apostolica infligendis „ pœnis, Sacra Congregatio subiacere voluit, & declaravit.

„ 24 §. 15. Deinceps verò Monasterium, „ Conventus, Domus, Congregatio, vel „ Societas Religiosorum, seu Regularium „ nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id „ requisita, in singulis huiusmodi locis „ duodecim saltem Fratres, aut Monaci, „ seu Religiosi degere, & ex redditibus, „ & consuetis eleemosynis, detractis omnibus ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum „ Decreti felicis record. Gregorii XV. hac

,, de re editi: alioquin Monasteria, & lo-
,, ca hujusmodi posthac recipienda, in qui-
,, bus duodecim Religiosi ut supra susten-
,, tari, atque inhabitare non poterunt, &
,, actu non inhabitaverint, Ordinarii loci
,, visitationi, correctioni, atque omnimo
,, dæ Jurisdictioni subjecta esse intelli-
,, gantur.
,, 25 §.16. Porrò, ne ullo unquam tem-
,, pore hæc in oblivionem, seu desuetudi-
,, nem abeant, Superiores locales cujusque
,, Monasterii, Conventus, ac Domus Re-
,, gularis, curare, atque efficere tenean-
,, tur, sub pœna privationis officii, vocis-
,, que activæ, & passivæ ipso facto incur-
,, renda, ut in perpetuum, sexto quoque
,, mense, idest feria secunda post primam
,, Dominicam Adventus, & Feria sexta post
,, Octavam Corporis Christi, præsentes or-
,, dinationes in publica Mensa perlegantur.
,, 26 §.17. Omnibus, tam Ecclesiasticis
,, personis cujuscumque sint Ordinis, con-
,, ditionis, & gradus, quàm Laicis quocum-
,, que honore, & potestate præditis, præ-
,, sentia Decreta declarandi, vel interpre-
,, tandi facultate penitùs interdicta.
,, 27 §.18. Non obstantibus, quoad su-
,, prascripta omnia, & singula in præsenti-
,, bus Decretis contenta, Constitutionibus,
,, & Ordinationibus Apostolicis in favo-
,, rem quarumcumque personarum, atque
,, Ordinum, tam Mendicantium, quàm non
,, Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti
,, Joannis Hierosolymitani, Congregatio-
,, num, Societatum, ac cujuslibet alterius
,, Instituti, etiam necessariò, & in indivi-
,, duo exprimendi, Ecclesiarum, Monaste-
,, riorum, Conventuum, Collegiorum,
,, Capitulorum, Hospitalium, Confraterni-
,, tatum, & aliorum quorumcumque, tam
,, Sæcularium, quàm Regularium loco-
,, rum, necnon illorum, etiam juramento,
,, confirmatione Apostolica, vel quavis fir-
,, mitate alia roboratis, Statutis, & Consue-
,, tudinibus, etiam immemorabilibus, Pri-
,, vilegiis quoque, Indultis, & litteris Apo-
,, stolicis, etiam Mari magno, seu Bulla au-
,, rea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscum-
,, que tenoribus, & formis, ac cum quibus-
,, vis, etiam derogatoriarum derogatoriis,
,, aliisque efficacioribus, & insolitis clausu-
,, lis, necnon irritantibus decretis, etiam
,, motu proprio, & ex certa scientia, ac de
,, Apostolicæ potestatis plenitudine, aut
,, aliàs quomodolibet, etiam per viam com-
,, municationis, seu extensionis concessis,
,, & iteratis vicibus approbatis, & innova-
,, tis, etiamsi pro illorum sufficienti dero-
,, gatione de illis, eorumque totis tenori-
,, bus, & formis, specialis, & individua, ac
,, de verbo ad verbum, non autem per clau-
,, sulas generales, mentio, seu quævis alia
,, expressio habenda, aut aliqua alia exqui-
,, sita forma servanda esset, tenoris hujus-
,, modi, ac si de verbo ad verbum, nihil pe-
,, nitùs omisso, & forma in illis tradita ob-
,, servata, inserti forent, præsentibus pro
,, expressis habens, quibus quoad ea, quæ
,, præsentibus adversantur, illis aliàs in suo
,, robore permansuris, Sacra Congregatio
,, Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, &
,, expressè derogat, cæterisque contrariis
,, quibuscumque.
,, §. 19. Et ne præmissorum ignorantia à
,, quoquam prætendi possit, voluit eadem
,, Sacra Congregatio, ut præsentes ordina-
,, tiones in Valvis Basilicarum S. Joannis
,, Lateranensis, & Principis Apostolorum
,, de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut mo-
,, ris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet,
,, ita arctent, & afficiant, ac si unicuique
,, personaliter intimatæ fuissent.
,, §. 20. Utque earumdem præsentium
,, transumptis, etiam impressis, manu alicu-
,, jus Notarii publici subscriptis, & sigillo
,, personæ in Dignitate Ecclesiastica con-
,, stitutæ munitis, eadem prorsùs fides ad-
,, hibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si
,, forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ
,, die 21. Junii 1625.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

,, 28 §.21. Excitatis autem super præmis-
,, sorum decretorum intelligentia, seu in-
,, terpretatione, infrascriptis dubii, prodie-
,, runt à memorata Congreg. simili aucto-
,, ritate illi à præfato Urbano Papa Octavo
,, specialiter attributa, responsiones, seu
,, declarationes inferiùs apponendæ.

Super primo Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Con-

Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quaeritur, quid, si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint.

Quaeritur, an verba illa (praescriptae fuerint) intelligenda sint de praescriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an, cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab Offerente praescriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellae, legati, aut salarii, possint, etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut Defunctorum recipere; & unico Missae Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quintò, posito, quod Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Missae, absque ulla praescriptione eleemosynae.

Quaeritur, an liberum sit haeredibus, eleemosynam sibi benè visam praescribere, an verò eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

Sextò, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Quaeritur, an verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

Septimò, super quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

Quaeritur, an permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiae, Altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae, & similium?

Octavò, an hoc Decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum, idest, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditum Beneficii?

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquandò offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an verò satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Undecimò, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter caetera statuitur in haec verba. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam spontè oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Quaeritur, an hoc Decretum prohibeat absolutè, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt; & quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimò, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cum primùm poterit?

Decimotertiò, an poena interdicti, & aliae appositae in eodem Decreto afficiant, tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem praecipitur.

Decimoquartò, an in hoc Decreto comprehendantur illae capsulae, quae apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur Casse de Morti?

Decimoquintò, an Administratores Ecclesiae magnae devotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus

Ecclesiæ, & devotio, ac concursus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimosextò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, Piorum locorum, tam Sæcularium quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio; non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (& aliis, ad quos pertinet) *supplicatur pro opportuna declaratione?*

Decimoseptimò, super septimo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possint sustentari.

Quæritur, an, ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis Decreti sanctæ memoriæ Pauli Quinti, absque tamen computatione redditurum cujusque Religiosi, sit denuò facienda, nec ne?

Decimooctavò, an Novitii, ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad Professionem in Monasteriis, in quibus habita, ut suprà, præfixione numeri, commodè ali non possunt?

Decimononò, super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, nisi præter alia ad id requisita duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, itaut alioquin subsint jurisdictioni Ordinarii.

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jesu?

Ultimò, an idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens; an verò etiam extra Italiam?

Declarationes, aut Responsiones ad supradicta Dubia.

„ 29 §. 22. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, „ auctoritate sibi à Sanctissimo Domino „ Nostro attributa, ad singula Dubia superiùs proposita, ad hunc modum respon„ dit, videlicet.

Ad primum, etsi legatum sit adeò tenue, nihilominùs pro reductione oneris, ut suprà impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit. Verumtamen, si in ipsa Beneficii erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam, numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum, respondit, permittendum non esse, ut Ecclesia, ac Loca Pia, seu illorum Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & Loca Pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possint: & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenùs debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ; & nihilominùs eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut supra deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad undecimum, respondit, non prohibere absolutè: ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infrà modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad duodecimum, quamvis onera suscepta infrà modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demùm celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quominùs eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis, juxtà Benefactoris consensum celebrandis.

Ad decimum tertium, has pœnas non habere locum, nisi in sucepturis onera perpetua. Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad decimum quartum, comprehendi.

Ad decimum quintum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut suprà in responsione ad duodecimum.

Ad decimum sextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad decimum septimum, numeris præfixionem esse iterùm faciendam, servata forma ultimi Decreti hac de re editi.

Ad decimum octavum, esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deindè in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commodè ali possint.

Ad decimum nonum, censuit comprehendere.

Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

» 29 §. 23. Cum autem super præmissis
» diversi irrepserint abusus, illorumque oc-
» casione, quamplures querelæ, & recur-
» sus ad Apostolicam Sedem pervenerint:
» cupiens eadem Congregatio Cardina
» lium Concilii Tridentini Interpretum
» huiusmodi detestabiles abusus è Christia-
» na Republica pro viribus evellere, ac op-
» portunè providere, ut sublatis fraudi-
» bus, ac emendata negligentia, piæ dispo-
» nentium, seu benefactorum voluntati fi-
» des illibata servetur, Defunctorum ani-
» mabus integra, & prompta præstentur
» suffragia, itidemque Deo maior gloria,
» & Ecclesiis præstantior cultus reddatur,
» prævia auctoritate per SS. D.N. Innocen-
» tium Divina Providentia PP. XII. ei spe-
» cialiter attributa, infracripta Decreta,
» priùs in particulari nonnullorum ex præ-
» fatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam
» deputata, & posteà in generali huiusmo-
» di Cardinalium Congregatione maturè,
» & accuratè discussa, recognita, & exami-
» nata edidit.

» 30 §. 24. in primis, præinserta Decre-
» ta cum præmissis illorum declarationi-
» bus plenissimè, & amplissimè approbat,
» confirmat, & innovat, omniaque, & sin-
» gula ibidem contenta, & expressa, iterùm
» omni meliori modo decernit, statuit, ac
» ab omnibus, & singulis, etiam speciali,
» & individuali nota, seu expressione di-
» gnis, penitùs observari, & omnimodæ
» executioni demandari decernit, sancit, &
» præcipit.

» 31 §. 25. Insuper, ut in re tanti mo-
» menti consultiùs, ac maiori, ut par
» est, circumspectione procedatur: si qui
» forsan fuerint, vel sint qui suis pra-
» vis, & erroneis intentionibus, seu opi-
» nionibus blandiri volentes, Missarum
» celebrationem omittant sub malitiosa,
» vel irrationabili spe earumdem condo-
» nationem, vel reductionem à Sede A-
» postolica, vel compositionem à Reve-
» renda Fabrica Sancti Petri de Urbe ob-
» tinendi: Congregatio præfata, tum eos-
» dem, tum quoscumque alios, qui post-
» hac in adeò detestabiles abusus ausi fue-
» rint offendere, certiores fieri, & moni-
» tos esse voluit, præfatas condonatio-
» nes, & reductiones ab eadem Sede,
» nonnisi ex rationabili causa, seu æqua
» commiseratione, compositiones verò à
» dicta

„ dicta Fabrica, utente suis facultatibus, & „ privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili, & cum clausulis opportunis, „ & præsertim cum illa: *Dummodo maliti osè non omiserint animo habendi compositionem, aliàs gratia nullo modo suffragetur*, admitti consuevisse, & solere; quapropter, ut locus omnis imposterum hisce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte versiones in alium, quàm præfatarum Missarum usum, seu satisfactionem, & quascumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones, declarat prorsus irrationabiles, injustas, & illicitas, illasque omninò reprobat, & damnat, & interdicit.

„ 32. §. 26. Cùmque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quòd onera Missarum supra vires suscipiantur; caveant omnes, & singuli Rectores, Superiores, & Ministri quarumcumque tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum, seu illarum Capitula, ne onera, seu Missas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant; utque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti, & obvio retinere tabellam onerum perpetuorum, & temporalium literis perspicuis, & intelligibilibus descriptorum, quorum implemento si moraliter, & intra præscriptum, seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales, per se, vel per interpositas personas quoquomodo recipere, seu acceptare omninò desistant, seu abstineant, & ulteriùs tali casu in eadem tabella similiter exprimant se se propterea aliis Missis acceptandis, & celebrandis impares esse.

„ 33 §. 27. Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, & temporalia; in altero autem Missas manuales, & tam illorum, quàm istarum adimplementum, & eleemosynas distinctè diligenter annotare, & annotandas, seu annotanda curare; singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, & oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes, & singulas rationes hujusmodi in præfatis respectivè libris simili distinctione, & diligentia, tam præfati, à quibus rationes debent reddi, quàm Superiores, quibus reddendæ erunt, describere, seu annotare, sive describendas, vel annotandas respectivè curare.

„ 34 §. 28. Quibus semper salvis, debeant ulteriùs Regulares prædicti, omnes, & quascumque eleemosynas, tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus; quarum una penès Superiorem localem, altera verò penès alium à Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, & celebratione Missarum coram Patribus Discretis, seu Consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere, & respectivè reddere.

„ 35 §. 29. Quòd si prædicti, ad quos cura tabellæ, capsæ, & librorum præfatorum respectivè pertinet, seu pertinere debet, suam operam præmissis, ut præfertur, minimè navaverint, & Superiores, tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum, rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quòd præfati, qui in curam tabellarum, & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in singulis respectivè casibus, Sæculares pœnam suspensionis incurrant, Regulares verò voce activa, & passiva, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent, ipso facto, & absque alia declaratione privati sint, & intelligantur, necnon ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint, & intelligantur.

„ 36 §. 30. Porrò, ne ullo unquam tempore omnia, & singula decreta prædicta in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesiarum Sæcularium illa retineant publicè exposita in eorum Sacrario; Superiores verò locales cujuscumque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis, curare, & efficere teneantur sub pœna privationis officiorum, quæ

„ ob-

obtinent, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, idest, feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post Octavam Corporis Christi, omnes, & singulæ præmissæ, tum insertæ, seu confirmatæ, tum in præsens factæ ordinationes unà cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

37 §. 31. Meminerint igitur, & satagant Ordinarii, ut à personis, & in Ecclesiis quoquomodo, etiam in vim decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ ea, qua par est, fide, & diligentia celebrentur, & cuncta, & singula Decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum justitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio, tum in visitationibus, tum in aliis actibus, & modis, quos expedire, & convenire toties quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & singulis decretis adversetur.

38 §. 32. Caveant etiam respectivè omnes Regulares, tum subditi, tum Superiores quicumque, nedum locales, sed etiam Provinciales, & Generales, ne Missarum celebratio, & omnium decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Missæ sunt applicandæ, & cum magno Christi fidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur; alioquin ultra propriæ conscientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & officiorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda, prorsus incurrant.

39 §. 33. Curent propterea præfati Superiores Regulares in omnes, & singulos contravenientes debitis pœnis diligenter, & promptè, etiam per inquisitionem animadvertere; & insuper teneantur omnes, & singuli Superiores locales, in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscumque domus Regularis, subscriptam, & iuratam, quòd omnibus, & singulis, tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus, ad limites, & tenorem eorum præsentium decretorum tempore regiminis fuerit omninò, & integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam huiusmodi residuali implemento Missarum, distinctè referendarum, intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adiecta, & omninò adimplenda conditione, quòd ante præfatæ attestationis exhibitionem quicumque Superiores locales prædicti vocem activam, seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omninò habere non valeant.

40 §. 34. Prætereà Provinciales, Vicarii, & Visitatores Provinciarum, seu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quòd executioni præsentium decretorum sedulò invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus, & singulis Conventibus, seu Monasteriis, vel Domibus Regularibus Provinciæ, seu Congregationis, de omnibus, & singulis oneribus, & obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum, exactam, & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem respectivè pœnarum in Decretis contentarum processerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmissis ad ipsos spectant, legitimè docuerint, aliàs ad vocem activam, & passivam in Capitulis Generalibus nullatenùs admittantur.

41 §. 35. Cæterùm, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Capellas, Oratoria, & Ecclesias, ac alia loca, & opera pia, quomodolibet nuncupata, quæ cuicumque curæ, seu regimini, aut administrationi, vel directioni Laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis, & praeeminentiæ, etiam speciali, & individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumque Ecclesiasticorum, & Laicorum huiusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumque commissa, vel attributa sunt, onus, seu cura celebrationis Missarum, sive manualium, sive ad tem-

„ tempus, vel in perpetuum pertinent. „ Hinc, salvis semper iis, quæ in præinsertis „ Decretis continentur, omnes, & qui- „ cumque huiusmodi Archiconfraternita- „ tum, Societatum, Congregationum, „ Hospitalium, Altarium, Capellarum, „ Oratoriorum, & Ecclesiarum, ac alio- „ rum locorum, & operum piorum Re- „ ctores, seu Administratores, vel Dire- „ ctores, & alii huiusmodi Officiales, nec „ non ii, ad quos cura tabellæ, & libro- „ rum in præmissis spectat, tabellam, li- „ bros, & hæc Decreta respectivè, iuxtà „ modos superiùs expressos, similiter reti- „ nere, nec non de oneribus, ac celebratio- „ nibus, & eleemosynis dictarum Missa- „ rum singulis annis rationem exigere, & „ respectivè iis, ad quos pertinet, reddere „ sub pœnis arbitrio, & in subsidium ex „ communicationis teneantur.

„ 42 §. 36. Postremò omnibus, & qui- „ buscumque, tam Ecclesiasticis personis „ cuiuscumque Ordinis, Status, Gradus, „ Regulæ, Congregationis, Societatis, „ Conditionis, & Dignitatis existant, quàm „ Laicis quocumque honore, ac potestate „ præditis, omnia, & singula præmissa De- „ creta interpretandi, nec non Ecclesiasti- „ cis prædictis pœnas in huiusmodi Decre- „ tis relaxandi, seu quoquomodo circa præ- „ missa dispensandi, omnis, & quæcumque „ facultas sit penitùs interdicta.

„ 43 §. 37. Non obstantibus quoad su- „ prascripta omnia, & singula in huiusmo- „ di Decretis contenta, Constitutionibus, „ & Ordinationibus Apostolicis in favo- „ rem quarumcumque personarum, atque „ Ordinum, tam Mendicantium, quàm „ non Mendicantium, Militiarum, etiam „ S. Joannis Hierosolymitani, Congrega- „ tionum, Societatum, ac cuiuslibet alte- „ rius Instituti, etiam necessariò, & in indi- „ viduo exprimendi, Ecclesiarum, Mona- „ steriorum, Conventuum, Collegiorum, „ Capitulorum, Hospitalium, Confrater- „ nitatum, & aliorum quorumcumque, „ tam Sæcularium, quàm Regularium lo- „ corum, necnon illorum, etiam iuramen- „ to, confirmatione Apostolica, vel quavis „ firmitate alia roboratis Statutis, & Con- „ suetudinibus, etiam immemorabilibus, „ privilegiis quoque, indultis, & litteris A- „ postolicis, etiam Mari magno, seu Bulla „ aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibus- „ cumque tenoribus, & formis, ac cum „ quibusvis etiam derogatoriarum dero- „ gatoriis, aliisque efficacioribus, & insoli- „ tis clausulis, necnon irritantibus Decre- „ tis, etiam motu proprio, & ex certa scien- „ tia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudi- „ ne, aut aliàs quomodolibet, etiam per „ viam communicationis, seu extensionis „ concessis, & iteratis vicibus approbatis, „ & innovatis, etiam si pro illorum suffi- „ cienti derogatione de illis, eorumque to- „ tis tenoribus, & formis specialis, & indi- „ vidua, ac de verbo ad verbum, non autem „ per clausulas generales, mentio, seu quæ- „ vis alia expressio habenda, aut aliqua alia „ exquisita forma servanda esset, tenores „ huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, ni- „ hil penitùs omisso, & forma in illis tradi- „ ta observata, inserti forent, præsentibus „ pro expressis habens, quibus quoad ea, „ quæ præsentibus adversantur, illis aliàs „ in suo robore permansuris, Sac. Congre- „ tio Sanctitatis Suæ auctoritate speciali- „ ter, & expressè derogat, cæterisque con- „ trariis quibuscumque. Datum Romæ „ die 23. Novembris 1697.

Joseph Card. Sacripantes Præfectus.

Ferdinandus Nuptius S. Congr. Secr.

„ 44 §. 38. Quocirca, cum Dilectus Fi- „ lius noster Joseph Tituli S. Mariæ Trans- „ pontinæ S. R. E. Presbyter Cardinalis Sa- „ cripantes, memoratæ Congregationis „ Præfectus, præfata Decreta Nobis retu- „ lerit, Nos considerantes eadem omnia, & „ singula Decreta, ea, qua decet maturita- „ te, digesta, & examinata, ac in vim Apo- „ stolicæ Auctoritatis, eidem Congrega- „ tioni specialiter, ut præfertur, attributę, „ peracta, perutilia fore censentes, illaque „ propterea perpetuò, & inviolabiliter ob- „ servari, necnon Constitutionis nostræ „ munimine roborare volentes: motu „ proprio, non ad cuiuspiam Nobis super „ hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex „ certa scientia, & matura deliberatione, „ deque Apostolicæ potestatis plenitudine, „ præinserta Decreta, omniaque, & singu- „ la in eis contenta tenore præsentium au- „ ctoritate Apostolica confirmamus, & ap- „ probamus, illisque inviolabilis, & irre- „ fragabilis Apostolicæ firmitatis robur, &

„ effi-

" efficaciam adjicimus; quinimò motu, " scientia, deliberatione, ac potestatis ple- " nitudine similibus, omnia, & singula in " supradictis Decretis contenta, de novo " statuimus, decernimus, & ordinamus, ac " ab omnibus, & quibuscumque etiam " speciali, & individua nota dignis, omni- " no exactè, & perpetuò servari volumus, " sancimus, & mandamus.

" Decernentes præsentes litteras, cum " omnibus, & singulis inibi contentis, sem- " per firmas, validas, & efficaces existe- " re, & fore, suosque plenarios, & inte- " gros effectus sortiri, & obtinere debe- " re, & ab omnibus, ad quos spectat, & " pro tempore quandocumque, & quo- " modocumque spectabit, in omnibus, & " per omnia plenissimè, & inviolabiliter " observari; sicque, & non aliter per quos- " cumque Judices Ordinarios, & Delega- " tos, quavis auctoritate, præeminentia, " aut potestate fungentes, & functuros, " etiam causarum Palatii Apostolici Audi- " tores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, " etiam de Latere Legatos, & Sedis Apo- " stolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum " cuilibet, quavis aliter judicandi, & inter- " pretandi facultate, judicari, & definiri " debere: ac irritum, & inane, si secùs " super his à quoquam, quavis auctorita- " te scienter, vel ignoranter contigerit at- " tentari.

" Non obstantibus omnibus, & singulis, " quæ præfata Congregatio, auctoritate " per ejusdem recordationis Urbanum Pa- " pam VIII. & respectivè per Nos illi spe- " cialiter attributa, decrevit non obstare; " quæ pariter, & iterùm Nos tenore præ- " sentium non obstare decernimus, & " mandamus; quibus omnibus quoad ea, " quæ præsentibus adversantur, illis aliàs " in suo robore permansuris, etiam harum " serie plenissimè, specialiter, & expressè " derogamus, cæterisque contrariis qui- " buscumque.

" Volumus autem, ut præsentes litteræ " in Valvis Ecclesiæ Lateranensis, ac Basi- " licę Principis Apostolorum, necnon Can- " cellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis " in Monte Citorio, ac in Acie Campi " Floræ de Urbe, ut moris est, publicen- " tur, & affigantur; sicque publicatæ, & " affixæ, omnes, & singulos, quos illæ " concernunt, perindè arctent, & afficiant, " ac si unicuique eorum personaliter inti- " matæ fuissent.

" Pariterque, ut earumdem præsentium " transumptis impressis, manu alicujus " Notarii publici subscriptis, & sigillo per- " sonæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ " munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, " quæ præsentibus adhiberetur, si forent " exhibitæ, vel ostensæ.

" Nulli ergo omninò hominum liceat, " paginam hanc nostrarum Confirmatio- " nis, Approbationis, Statuti, Decretorum, " Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, " Mandatorum, & Derogationis infringe- " re, vel ei ausu temerario contraire. Si " quis autem hoc attentare præsumpserit, " indignationem Omnipotentis Dei, ac " Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum " ejus se noverit incursurum.

" Datum Romæ apud Sanctam Mariam " Majorem, Anno Incarnationis Domini- " cæ millesimo sexcentesimo nonagesimo " septimo. Decimo Kalendas Januarii. " Pontificatus Nostri Anno septimo.

Decretis utilis notitia subnectitur.

§. II.

Nonnulla dubia circa materiam celebrationis Missarum.

45 Quæritur. An stante Constitutionis dispositione §. 28. in quo præscribitur, ut Regulares reponant in capsa particulari, duabus clavibus munita, eleemosynas Missarum, possint Fratr. Minor. de Obser. eam capsam in Sacristia, vel alibi retinere ad effectum prædictum?

Nonnullis, quibus olim adhæsi, placuit affirmare DD. Fratres pariter sub Innocentiana etiam quoad capsulas comprehendi; nam Constitutio generaliter loquitur cum expressa derogatione omnium, quæ possunt obstare, procedendo per verbum, *debeant*, quod præceptum, non actum facultativum importat. Sed in opinionum varietate difficultatem sustulit Sac. Congreg. Concilii. Cui, ut idem omnes in dict. Ordine sentirent, & uniformiter tenerent, fuit per eosdem Fratres propositum dubium, *An, & quomodo Minores Observantes valeant retinere capsulas pro Missis celebrandis, in casu &c.* Die 7. Ju-

Julii 1708. S. Congr. respondit, *Negativè*. Sed quoad cætera eos pariter Constitutio ligat, & arctat.

46 Quæritur. Dantur à fidelibus eleemosynæ pro celebrandis Missis in Ecclesia N. & Altari N. petitur, an possint absque S. Sedis licentia in alia Ecclesia, vel Altari celebrari.

Resp. Negativè. Deducitur ex §. 26. Constitutionis, ubi tam Sæculares, quàm Regulares Ecclesiarum Rectores prohibentur suscipere, *onera Missarum supra vires, & quarum satisfactioni impares fuerint*; & solùm debent recipere in eo numero, ut eis *infra breve tempus moraliter satisfacere possint*; quod repetitur §. 33. Adeòq; mens Pontificis est, ut celebrentur in Ecclesia, & Altari electo; & aliter sentire esset legem eludere, ac operari contra prohibitionem, ne quis Ecclesiasticus, vel Laicus Constitutionem interpretetur, ut *alleg. Constit.* §. 36. super quo Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 276. refert Decretum Sac. Congr. Conc. sub 17. Augusti 1647. in una Regularium. Atque ita peccant Sacerdotes alibi celebrando, nisi conferentes stipendia consentiant.

Ita dicendum de Capellano, sive Beneficiato alibi celebrante, quàm in loco præscripto, ut post Riccium, & Bonac. tradit Monacell. *form. par.* 2. *tit.* 13. *for.* 1. *nu.* 58. Nisi essemus in casu provisionali: uti quia locus determinatus sit impeditus, vel Ecclesia diruta; tunc enim de licentia Episcopi deberent in loco ab eo destinato Missæ celebrari, donec loca reaptarentur, Monacell. *ibid.*

Cæterùm Missarum onera relicta in certa Ecclesia, seu Capella, aliò absolutè transferri non possunt, nisi de licentia Sedis Apostolicæ, Sac. Congr. Conc. in Brixien. 1. Decembris 1685. *ad tertium*, aliàs translatio nulla est; licèt fieret ab executoribus testamentariis, qui talem facultatem expressè non haberent, eadem Sac. Congr. in Derthonen. 17. Junii 1701.

An autem, cum transfertur Ecclesia Parochialis, Conventus, vel Monasterium, celebratio Missarum explenda sit in priori Ecclesia translata, vel in illa de novo acquisita?

Videndum est, an testator principaliter contemplatus sit locum, vel personam. Si locum principaliter respexit, in antiqua sunt celebrandæ. Si verò personas, onus transit cum eis ad novam Ecclesiam. Diversitas electionis, & intentionis colligenda est ex verbis fundationis; ad tollendum omne dubium exquiratur solutio à Sede Apostolica.

47 Sed petitur. Quantum temporis importet illud, *Intra breve tempus moraliter*?

Resp. Peyrinus ad *Const.* 9. *Urb. VIII.* ampliavit ad triennium. Quidam ad biennium. Sed non dubito eos nimis laxè scripsisse, adeòque contra mentem Summi Pontificis, quæ ex §. 33. est, ut ad longum tempus implementum non differatur, sed congruo tempore celebrentur. Et cum tempus punctualiter taxari non possit, quia non ubiq; currunt eędem circumstantię loci, temporis, & personarum, est judicio prudentis remittendum (quod per illud, *moraliter*, videtur significari.) Qui tamen debet ex circumstantiis allegatis regulari, ponderando Missarum, & Sacerdotum numerum; etenim numerus, qui videretur supra vires Conventus, in quo solùm essent quatuor Sacerdotes, talis non reputaretur respectu illius, in quo decem de familia morarentur. Sed semper caveat, ne sit laxus, nec ad tres menses implementum protrahat.

Consideret declarationes Sac. Congreg. Conc. ad dubia proposita ab Episcopo Traguriem. apud Pacem Jordanum *tom.* 1. *elucubr. lib.* 5. *tit.* 1. *de sacrific. Miss.* inter alia interrogante. 5. *An habens onus celebrandi certum numerum Missarum juxta valorem fructuum, quos ex Legatis Piis percipit, teneatur statim post receptionem fructuum celebrare, an verò habeat totum annum ad satisfaciendum?*

6 *An recipiens stipendium pro Missis S. Gregorii singulis annis ad exequendas Defunctorum dispositiones, satisfacere teneatur statim, ac receperit stipendium, an differre, quoties non labatur tempus à defuncto præfinitum?*

8 *An recipiens stipendium celebrandi, quando ei visum fuerit, possit novam eleemosynam recipere, etiam si non satisfecerit priori obligationi?* Sac. Congreg. censuit sub 9. Januarii, & 6. Februarii 1627. ad 5. *Teneri, quamprimum celebrare*. Ad 6. *Posse differre ad tempus à testatore præscriptum*. Ad 7. *Denique censuit, etiamsi Sacerdotes oneribus susceptis non satisfecerint, posse nova onera suscipere Missarum celebrandâ-*

darum, dummodò infrà modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Sed hìc nota, quòd dum quis tribuit stipendium, ut Missa celebretur pro infirmo agonizante, vel pro expeditione talis causæ, celebrari debet pro tempore congruo ad impetrandum à Deo auxilium in illis necessitatibus; adeòut sit mortale differre post mortem, vel causæ jacturam. Quinimò in eo casu tenetur stipendium restituere, cum mens dantis fuerit, ut celebretur ante, & non post. Vide quæ dico *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 17. & 18. *caut. Confessor.*

Et quatenùs non restituat, peccat mortaliter, prout dixit etiam Peyrinus *de subd. q.* 1. *num.* 19. §. 2. Sicut dicitur de eo, qui defraudaret aliquem una, vel duabus Missis. Nam, licèt aliàs materia recepta non sit de se materia peccati mortalis, tamen quia privatur proximus adeò excellenti bono spirituali, ideò in defraudatione lætaliter delinquitur. Nec potest quis absolvi, nisi promittat celebrare, vel facere, ut celebretur.

48 Quæritur. In §. 5. Constit. hæc habentur: *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.* Hinc I. petitur: *An Sacerdos illud transgrediens peccet moraliter. II. An muneri suo satisfaciat. Et III. An ad restitutionem teneatur.*

Videtur, quòd non peccet, nec sit obstrictus restitutioni. Nam id Constitutio non exprimit, sicut fecit supra §. 3. ubi adhibuit verba id exprimentia: *Sub obtestatione Divini judicii mandat, & præcipit.* Et infrà: *Suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.*

Consentit Bordonus *in cons. regul. ref.* 25. *numer.* 28. ponderando I. Quòd Constitutio non damnat opinionem, quòd possit retineri pars stipendii, sed solùm prohibet usum illius.

II. Quòd in eo casu nulli infertur injuria. Non ei, pro quo est celebrandum, quia pro eo alter Sacerdos celebrat. Non celebranti, quia voluntariè accipit stipendium, quod sibi confertur.

III. Quia esse potest, quòd materia non sit gravis, ut si retineatur dimidia pars Julii Romani, quod reputatur solita taxa pro una Missa.

Sed his non obstantibus, dico I. Sacerdotem transferentem onus celebrandi in alium, retenta sibi parte stipendii, mortaliter peccare. Constat ex adducto text. *Ac similiter*, in quo ostenditur finem prohibitionis esse, removere ab Ecclesia omne damnabile lucrum. Ubi autem lucrum est damnabile, necesse est, ut sit illicitum; ac proindè, quòd ejus prohibitio sit, tum ex ratione materiæ, tum ex intentione gravis: ex *intentione*, quia Sancta Sedes intendit conservare Ecclesiæ Ministros in exhibendis sacris ministeriis innoxios, & ab ipsis removere ea, quæ ipsorum candori repugnant; cujus generis est tale lucrum, quod mercaturam, Ecclesiasticis indignam, præsefert: ratione verò *materiæ*, cum illa materia gravis reputetur ratione prohibitionis, quæ graviter obstat fini intento; cui simile lucrum adversatur.

Dico II. Eum non satisfacere suo muneri, & ad restitutionem teneri. Nam recipiens stipendium, ipsum acquirit sola ratione obligationis ad offerendum pro dante sacrificium: ergo statim, ac ea obligatione se spoliat, se privat titulo retinendi stipendium; & retinendo facit contra voluntatem dantis (siquidem non dedit pro lucro non celebrantis, sed in mercedem celebrantis Missam contulit) & contra jus, quod habet celebrans. Ideò, dum retinet sibi partem stipendii, non habet justum titulum retinendi; etenim cum transfert in alium onus celebrandi, transfert quoque ius ad integrum stipendium; adeòque si totum non dat, eum lædit.

Dicunt id verificari solùm, dum quis, retenta sibi parte, non daret stipendium taxatum; non verò, dum quis taxatum stipendium confert, licèt sibi excessum supra iustam mercedem retineat. Nam, dum datur taxatum stipendium, nulli fit iniuria, retinendo sibi partem.

Sed neque id subsistit, quoniam & hìc adest obligatio restituendi; nam recipiens pingue stipendium, titulum non habet retinendi excessum, iusto alteri collato. Etenim dans pinguem eleemosynam, totam dat non intuitu amicitiæ, vel donationis, sed in mercedem laboris, & oneris, quod imponit ad celebrandum; propterea integra transit cum ipso onere celebrandi, ad eumque

que pertinet, qui deindè onus suscipit, & ipsum implet. Et hinc, dum ei integra eleemosyna non confertur, ipsi non datur totum, quod est ei de iure debitum; & ita ei fit iniuria. Et retinens partem eleemosynæ retinet, quod suum non est; quia transferendo onus celebrandi in alium, amittit ius ad totam eleemosynam; adeòq; peccat contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur, vid. sup. §. 22. ad 10.

Et ita censuit Sac. Congr. Conc. *in Anconitana eleemosynæ die 5. Iulii 1664.* nempè: *Ad primum* (prout in quæsito) *peccare mortaliter*. Ad secundum, *negativè in casu, & ad effectum, de quo agitur, hoc est, non satisfacit muneri suo, quoad distributionem eleemosynæ, licèt satisfaciat, quoad sacrificium Missæ*. Ad tertium, *affirmativè*. Et proindè pœnæ præscriptæ in §. 3. Constitutionis referuntur etiam ad expressa *in alleg.* §. 5. vide Pignatell. *tom. 4. consult. 275. num. 1. & 13.*

Ad rationes itaque per Bordonium ponderatas. Ad primam, dicitur in Decreto Sac. Congr. prohiberi non modò opinionis usum (quòd possit nimirùm retineri pars aliqua stipendii pro Missis) verùm & ipsam opinionem. Quod satis apertè desumitur ex verbis textus: *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet &c.* Per quæ declaravit, retentionem partis stipendii esse lucrum damnabile, adeòque per prohibitionem damnatum. Si autem est damnabile, est etiam iniustum.

Ad 2. Dicendum, quòd iniuria fit utrique; celebranti quidem, quia eatenùs suscipit eleemosynam diminutam, quatenùs non potest habere integram, ad quam habet ius, utpotè annexam obligationi celebrandi; & ne aliàs etiam ea parte stipendii privetur, ut dixit Poncius *theol. disp. 44. q. 10. à num. 130.* Petenti verò, ut Missa celebretur, quia stipendium integrum non datur ei, cui ex illius voluntate est dandum; cum ei sit dandum, qui Missam celebrat, ad quem finem ipse primò dedit.

Ad 3. Licèt dimidia pars Julii per se non sit materia gravis, & notabilis; per accidens autem, ratione nimirùm intentionis Ecclesiæ intendentis, ne in mercaturam transferantur spiritualia, & optantis bonę opinioni suorum Ministrorum consulere, talis reputatur.

49 Quæritur. An Episcopus possit compellere Regulares ad exhibendos libros Sacristiæ, in quibus adnotantur celebrationes Missarum, ut inde constare possit de integra satisfactione obligationis debitæ ex legato pio?

Pro affirmativa sunt aliqui per Pignatell. cumulati *tom. 3. consult. 9. num. 7.* considerantes, quòd in casu agitur de operibus piis, & executione ultimæ voluntatis, in ordine ad quam Regulares non eximuntur à potestate Episcopi, sed subsunt illius visitationi, & iudicio; super quo adducunt Trid. *sess. 22. cap. 8. de reform.*

Cæterùm pro negativa, quam sequimur, habetur declaratio Sac. Congreg. Conc. *in una Urbinaten.* 10. *Martii* 1663. *ad d. cap. 8. sess.* 22. qua declaravit: *Non posse ad id compellere Regulares, si non habet privilegium speciale*, Pignatellus *alleg. consult. 9. numer.* 8. Pascucc. *de Missæ sacrif. pag. mihi 46. ad 2.* Et hìc subintrat ratio, quòd Regulares sunt omninò exempti ab iurisdictione Episcoporum, præterquam in casibus, in quibus ipsorum iurisdictioni per Trid. & per Constitutiones Apostolicas subiiciuntur, per dicenda *cap. 19. & c. ult.* Inter quos non venit celebratio Missarum, quæ pertinet non ad executionem ultimæ voluntatis, sed obligationis per eos assumptæ.

Neque obstat Trid. loco alleg. quia eiusdem dispositio non ampliatur ad Regulares, sed restringitur ad alia loca pia exempta, ut ex text. clarè. Ad quod facit, quòd dum Trid. Episcopis committit, ut possin tamquam Sedis Apostolicæ Delegati contra Regulares procedere, id exprimit, ut locis citatis notavimus. Quòd autem ibi Regulares non veniant sub nomine exemptorum, sed sint specialiter exprimendi, inde provenit, quia habens suos Superiores, à quibus visitantur, ut optimè Pignatell. *ibid. num. 9.*

Minùs item obstat Clement. *Religiosis, de testam.* nam textus est apertus; & ibi sermo est de Religiosis, qui de licentia suorum Superiorum sunt executores ultimarum voluntatum; non verò de illis, qui ab executoribus ultimæ voluntatis alicuius obligationem suscipiunt celebrandi Missas, quas ipsi executores eis committunt.

Nec pariter obstat, quòd in §. 31. *Constitut.* committatur Episcopis, ut invigilent super Missarum celebratione. Nam dispo-

positio ibidem currit quoad personas, & Ecclesias etiam exemptas, sed non quoad Regulares, ut ponderatum est de Trid. *sess.* 22. Quoniam quoad Regulares ibi *§. seqq.* conscientia ipsorum Superiorum, quantum ad decretorum observantiam, oneratur, & aliis pœnis ipsi submittuntur.

50 Quæritur. Sac.Congr. Concilii committit Episcopo N. ut certum quendam Missarum numerum reducat: petitur, an reductio fieri possit ab ipsius Vicario Generali ex subdelegatione ejusdem Episcopi?

Resp. Attentenda est clausula rescripti. Si reductio remittatur ad Episcopum cum clausula: *Ad Episcopum, qui nomine Sac. Congreg. Missas reducat, &c.* per ejus Vicarium commissio exequi non potest: si verò remitteretur: *Ad Episcopum* (vel Ordinarium) *qui pro sua conscientia, & arbitrio Missas moderatur*; tunc posset Vicarius in vim specialis mandati ab Episcopo recepti reducere. Quia eo casu per remotionem obstaculi Decretorum, de quibus dicta Constitutio, censetur restituta Episcopo jurisdictio ordinaria, qua poterat vigore Concilii Missas reducere, juxta celebrem distinctionem Sperelli *decis. 97. num. 1. & 7.* Clausula autem, *Pro suo arbitrio, & conscientia;* non impedit subdelegationem, quia hæc clausula potiùs importat monitionem, quàm electionem personalem, ex dicendis *cap.* 31.

51 Quæritur. In Religione N. ex laudabili consuetudine, vel præcepto Provincialis, quivis Sacerdos semel celebrat pro anima Fratris de recenti defuncti; Superior localis idem sacrificium applicat pro eo, cui propter datam eleemosynam ex justitia debet; & pro anima defuncti, pro quo ex charitate, vel obedientia celebrare tenetur: petitur, an tutè in conscientia procedat, & propriæ obligationi satisfaciat?

In affirmativam partem descendunt plures, asserentes non prohiberi, quin unicum sacrificium possit pro duobus applicari, uni ex justitia, & alteri ex charitate. Neque id comprehendi sub dispositione Constitutionis in §. 3. cum restricta sit, ut eodem sacrificio non possit duobus oneribus ex justitia satisfieri.

52 Probant I. Quia in sacrificio est ex opere operato triplex valor, seu fructus, per Scotum *quodlib.* 20. *art.* 2. & 3. cuius doctrina in Ecclesia recipitur, teste Fagnan. *in* 3. *ad cap. Fraternitatem, de sepult. num.* 94. Primus, *Generalissimus*, qui debetur. Pontifici, & aliis, de quibus in Canone; & respicit universum Ecclesiæ corpus; quia Sacerdos, ut publicus Ecclesiæ Minister, non pro se tantùm, sed pro omnibus Fidelibus Missam celebrat, per Trident. *sess.* 22. *cap.* 6. *de sacrific. Missæ*. Secundus, *Specialissimus*, qui debetur ipsimet Sacerdoti celebranti. Tertius, *Medius, seu Specialis*, cuius dispensatio committitur Sacerdoti, & eum applicat illis, qui petunt sacrificium. Modò, potest danti stipendium applicari fructus medius, & Fratri defuncto fructus specialissimus. Nam hi fructus ita se habent ad invicem, ut applicatione unius non impediatur applicatio alterius; & ideò, etsi Sacerdos teneatur generaliter celebrare pro Pontifice, & aliis, ut in Canone; non prohibetur offerre idem sacrificium pro eo, qui eleemosynam confert.

53 II. Ex quo sacrificium sit *impetratorium*, quatenùs multùm prodest ad impetrandum à Deo (qui per illud fit nobis propitius, juxtà sensum Trident. *dicto loco cap.* 2.) auxilia gratiæ ad vincendas tentationes, ad perseverandum in gratia, ad actum contritionis eliciendum, & alia bona spiritualia, quibus egemus, ut ad gloriam perveniamus; ac ad obtinenda pariter bona temporalia, ex Tridentin. *ibid. cap.* 2. in illis verbis, *Et aliis necessitatibus*, prout conducunt ad vitam æternam: & *satisfactorium*; quia Deus illud acceptat in satisfactionem, sive in totum, sive in partem, pro pœna temporali in Purgatorio luenda (in quam vi Sacramenti Pœnitentiæ commutatur pœna eterna peccatis mortalibus, nondum remissis, debita) modò ii, pro quibus offertur, sint in statu gratiæ, nec retineant affectum ad peccatum ut notavit Gobat. experient. *theolog. tract.* 3. *cas.* 3. *cas.* 5. *tract.* 1. *num.* 124. Atque ita potest danti stipendium, ut impetratorium applicari, defuncto verò, ut satisfactorium.

Concludunt tandem, ex quo sacrificium Missæ pro pluribus, non minus prosit singulis, quàm si pro quolibet ipsorum singulariter offertur; idque probant ex eo, quòd ejus valor ex opere operato (hoc est ex vi, & virtute sacrificii,

seu immolationis Jesu Christi) sit infinitus; ergo nil minus accipiunt singuli ex eo, quòd sacrificium pro pluribus offeratur; nam infinitivis infinita est.

54 Sed, non obstantibus adductis, contrarium sustinemus, ac dicimus eum Prælatum non esse in conscientia tutum, nec suæ obligationi satisfacere. Nam sacrificium est ita debitum danti stipendium, ut pro altero, quoad fructum *medium*, sive ex justitia, sive ex obedientia, applicari non possit; nam ille integrum sacrificium petit, quantum ad eum fructum; atque ita, dum pro altero etiam quoad eum applicatur, minus ille participat de tali fructu, quàm si pro eo tantùm singulariter offerretur; & ita neutri satisfacit, quia inter eos fructus ille dividitur. Herincx *theol. tom.* 4. *disp.* 8. *num.* 88. Poncius *theol. disp.* 44. *quæst.* 13. *num.* 127. Et Mauro *theolog. tom.* 3. *lib.* 12. *quæst.* 207. *num.* 9. distinguens in sacrificio effectum generalem, & specialem ex opere operato, dixit: *Effectus generalis non minuitur in singulis ex eo, quòd sacrificium applicetur pro pluribus; specialis verò in singulis minuitur*; & infrà. *Cùm igitur obligamur applicare Missam uni tantùm obligamur ad illi applicandum totum hunc effectum specialem, licèt effectus generalis juxta formam Canonis* (in primis, &c.) *omnibus æquè applicetur*; & statim subdit. *Hinc patet, quare, qui accipit eleemosynam pro Missa, non potest illam applicare alteri. Ratio est, quia acceptà eleemosyna, tenetur ex justitia ad applicandum danti totum fructum specialem sacrificii, qui fructus minuitur, si sacrificium applicetur etiam alteri*; ita ille, & Scotus *loc. cit.*

Nec obstant argumenta ex adverso ponderata, licet distinctio illa valoris recipienda sit.

55 Non primum. Quoniam fructus specialissimus est beneficium personale, affixum personæ celebrantis, propterea in alterum nequit transferri; à simili de privilegio personali, quod personam sequitur, & cum persona extinguitur, per regul. 7. *juris in* 6. ad quam, cæteris exclusis, restringitur. Et facit, quòd Alex. VII. 29. Januarii 1659. errorem quorumdam damnaverit, dicentium, duplicatum stipendium posse à Sacerdote pro eadem Missa licitè accipi, applicando partem illam fructus ipsimet celebranti debitam, apud Fagnan *cit. n.* 96.

56 Neque secundum. Nam conferens eleemosynam in mercedem laboris Missam petit integrè quoad fructum medium pro se celebrari: integrè autem pro eo non celebraretur, cum pro altero applicaretur sacrificium ut satisfactorium. Nec secundum proprietatem loquendi, & intentionem præcipientis pro defuncto Missa legeretur; eius enim voluntas est, ut una Missa legatur, quæ nulli alteri quoad d. fructum sit, vel ex fidelitate, vel justitia, debita.

Propterea dict. sententia ad minùs virtualiter continetur sub prohibitione S.C.C. quæ ad dubium: *An Sacerdos, qui unum stipendium accepit pro celebratione Missæ*, v.g. *pro Defuncto, & sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium; & aliud stipendium pro celebratione Missæ*, v. g. *pro infirmo, & sic cum obligatione applicandi fructum impetratorium; possit unica Missa utrique obligationi satisfacere, applicando Defuncto satisfactorium, & infirmo impetratorium? An ve hoc casu locum habeat Decretum secundum S.C.C. de celebr. Missar.* Die 13. Decembris 1659. respondit: *Quoad primam partem non posse satisfacere. Quo verò ad secundam, habere locum*, apud dict. Fagnan. *num.* 97. Prælatus itaque idem sacrificium applicans utriusque, de quibus in dubio, suæ obligationi non satisfaceret, sed teneretur iterùm celebrare, vel stipendium receptum restituere.

Minusque obstat ultimum; quia ut advertit Rotarius *apparat. pro exam. Cleric. cap.* 7. *sect.* 2. valor sacrificii ex parte Christi (qui est principalis offerens, & hostia, quæ offertur, ut ex Trid. *d. cap.* 2.) & in actu primo, est infinitus; sed ex parte applicationis, effectus producendi, & in actu secundo, ut notavit, & Fagn. *cit. num.* 48. finitus est. Videtur enim voluntatem Christi esse, ut sacrificium ad certum finitum, & limitatum effectum producendum sit institutum. Cuius Divinæ institutionis clarissimum argumentum est quòd Ecclesia, quæ est fidelissima interpres institutionis Christi (*& quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, cap. A recta*, 24. *quæst.* 1.) multas Missas pro eadem re offerre consuevit; ergo Divinam institutionem ita est interpretata, ut valor Missæ quantum

ad

ad efficientiam, & applicationem, & prout determinatur ad hunc, vel illum, non sit infinitus; alioquin supervacaneum fuisset ad unum specialem effectum unius rei impetrandæ plures Missas instituere, si unica sufficeret ad impetranda omnia, quæ petuntur, ut optimè Fagn. *ubi sub num.* 54.

57 Quæritur. Tenetur Sacerdos Regularis celebrare juxta intentionem Prælati: interim subditus applicat sacrum uni, & Prælatus alteri: petitur, an valeat applitio Prælati, vel subditi?

Resp. Peyr. *de subd. q.* 1. *cap.* 6. §. *unic.* resolvit, Religiosum peccare mortaliter contra obedientiæ votum in re gravi, dum non obtemperans Superiori, (cui incumbit onus satisfaciendi oneribus Missarum receptis) celebrat contra ejus præceptum, & intentionem. Cæterùm plures allegans concludit, applicationem subditi valere contra illam Prælati, qui non potest intentionem illius irritare, & facere, ut si velit alteri applicare, non applicet, & cui applicaverit, non prosit. Ratio est, quia potestas offerendi sacrificium pro hac, vel illa intentione, data est Sacerdoti à Christo; recipiturque, dum Ordo Sacerdotalis suscipitur, consequenter non potest limitari à Prælato quocumque, Christo inferiori, ad aliam intentionem, quàm subditi, qui qua Sacerdos non censetur subditus Prælato.

58 Sed non posse Religiosum offerre sacrificium contra intentionem Prælati jubentis, ut pro aliqua intentione celebret, & valere sacrificium pro intentione Superioris, tenent Poncius *allegat. ubi sup. conclus.* 5. Marchant. *Tribunal. Sacrament. quæst.* 2. *resol.* 8. *dub.* 4. *respondeo secundò*, aliique, quos cumulavi *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 24. *cautelæ Confess.* Nam satis verisimile est, quòd Religiosus statim, ac obedientiam vovit Superiori, alligaverit suam voluntatem voluntati illius quantum ad ea, quæ rationabiliter possent habere dependentiam à voluntate Superioris, & pro quibus ipse potest subdito præcipere; atque ita satis verisimile est, quòd subditus quantum ad sacrificandum pro hoc, vel illo, suam voluntatem alligaverit voluntati Superioris. Ergo satis verisimile est, ut applicatio pro sua intentione non valeat, benè verò pro illa Superioris.

Ulteriùs consideratur: subditum offerre sacrificium pro intentione Prælati, est eum esse à Prælato substitutum, ut nomine suo pro hoc, vel illo celebret: sed potest à Prælato subditus sic substitui; & dum sic substitutus celebrat, applicatio facta à Superiore valet, & præponitur particulari Sacerdotis subditi, ut dixit Marchant. Regulariter autem subditi censentur substituti, ut nomine Prælati sacrificium offerant, vel juxta ejus intentionem applicent, dum eis significat, ut celebrent Missas pro dantibus stipendia, quas Superior per se, & suos subditos celebrare tenetur.

Et hæc est tutior sententia, videturque; ut certa supponi in d. Const. §.33. *Curent*, ubi Superioribus localibus præcipitur, ut attestationem juratam, & à Sacerdotibus subscriptam exhibeant, quòd tempore eorum regiminis fuerit oneribus Missarum satisfactum. Sed quomodo posset attestatio exhiberi, quòd esset satisfactum, si subditi possent sacrificium offerre pro hoc, vel illo contra intentionem Prælati? Nam semper posset dubitari, an subditi Missam legissent juxta intentionem Prælati, & pro oneribus susceptis.

Nec obstat ratio in oppositum. Quoniam, ut notat Poncius, non est verisimile, quòd Christus dederit illam authoritatem, nisi cum dependentia à voluntate Superioris, qui potest præcipere subdito, ut Missam pro hoc celebret, & solet applicare Missam ipsius pro intentione sua. Cum qua subordinatione recipitur dicta potestas, cum Ordo Sacerdotalis suscipitur. Ratio autem hujus esse videtur, quia aliàs posset prudenter dubitari de adimplemento onerum Missarum, quæ Monasteria suscipiunt; ac quòd animæ defunctorum suffragiis debitis defraudarentur, & benefactores bono, quod ex sacrificiis provenit, privarentur; & ita videatur, quæ ex contraria sententia inferuntur.

Ponderandum in casu, quòd aliud sit consecrare, & aliud sacrificium applicare. Quantum ad primum, subditi intentioni Superioris non subordinantur, benè verò quantum ad secundum, ut loco cit. diximus.

59 Quæritur. An sit specificanda persona, pro qua Missa applicanda est?

R. Sufficit pro Scotum sic applicare: *Dignare Domine acceptare hoc sacrificium pro illo, vel illis, pro quibus teneor offerre ex justitia, fidelitate, vel obedientia.*

60 Quæritur. An Parochi teneantur pro suis ovibus sacrificium applicare?

R. Affirmativè ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. *de refor.* & juxtà Const. Innoc. XII. *Nuper*, die 24. Aprilis 1699. in qua confirmatur Decretum S. C. C. editum sub die 10. Maji 1692. his verbis conceptum: *An Parochus Missam celebrare teneatur, & sacrificium applicare pro Parochianis, diebus Dominicis, & Festis, sive habeat congruam, sive non? Sacra, &c. censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere.* Quinimò, ubi redditus fuerint pingues, debent singulis diebus pro ovibus sacrificium applicare, ut expresè eadem S. C. *in una Lucana* sub die 10. Maji 1681.

Nonnulli dixerunt, Concilium, & Congregationem declarantia Parochum teneri pro suis ovibus sacrificium offerre, esse intelligenda quoad applicationem fructus generalissimi, ita ut teneatur pro illis celebrare eo modo, quo tenetur pro Pontifice, & aliis generaliter; & cum hoc stare, quòd possit pro eodem sacrificio eleemosynam accipere, & offerenti applicare fructum medium.

Sed horum discursus est à mente Concilii, & Congregationis alienus. Quoniam, dum declarant teneri Parochum sacrificium pro ovibus suis offerre, indicant in Parocho aliquam specialem obligationem reperiri, diversam ab illa, quam habent singuli Sacerdotes applicandi fructum generalissimum omnibus Christi fidelibus. Unde Sac. Congr. 1. Septembris 1629. *Censuit Parochos illis diebus, quibus tenentur Missam pro ovibus celebrare, non posse eleemosynam manualem recipere*, Barbosa in Trid. *ad d. cap. & sess. num.* 4.

61 Quæritur. An sit simoniacum pecuniam accipere pro celebratione Missarum?

R. Negativè, quoniam eleemosyna pecuniaria non recipitur tanquam pretium rei spiritualis, vel spirituali annexæ; nec pro pretio celebrationis, vel applicationis fructus sacrificii; quia est omninò invendibilis, & supra omne pretium, & humanum pactum. Et propterea pro isto recipere damnatur tanquam simoniacum, in Concilio Toletano XI. *cap.* 8. ut in *c. Quidquid*, 1. *quæst.* 1. in quo DD. concordant, adeòut non sit Catholici dubitare. Sed recipitur tanquam honorarium, & sustentationis stipendium, ut dixit Divus Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 3. *ad* 2. vel in mercedem laboris, aut pro onere à Sacerdote recepto inserviendi alteri in tali ministerio pro tali hora, vel die, aut loco. Etenim ad tale tempus, & locum determinatum videtur Sacerdos operam suam locare; per Gloss. *ad cap. significatum, de præbend. ver. Ita*; ac se privare sua libertate, itaut pro eo tempore non sit sui juris, nec possit aliis rebus vacare. Quæ obligatio cum sit pretio æstimabilis, est digna mercede; nullus enim tenetur gratis alteri obsequi, & famulari: nam *dignus est operarius mercede sua*, 1. ad Timoth. 5. *Et nemo cogitur suis stipendiis militare*, *cap. Cum ex officii, de præscript. & denario fraudari non debent in vinea Domini operantes*, *cap. Super specula, de magistr. Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium*, *cap. Ecclesiasticis*, 12. *quæst.* 2. Unde in Concilio Constantiens. prout in Constitut. *Inter cunctas*, *la* 1. *Martini V. Bullar. tom.* 1. damnantur 45. errores Vvicleff. quorum vigesimus quintus fuit: *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.*

Qua ratione probatur, etiam Sacerdotes divites posse justè recipere stipendia ab iis, qui sacrificium petunt, cum eis non teneantur suum obsequium, & servitium præstare. Et hinc patet, obligationem exhibendi alicui sustentationem, & mercedem, non oriri ex paupertate ministrantis, sed ex ministerio, & servitio requisito, & respectivè præstito.

Hic est notandum, ut aliàs dixi *lib.* 2. *cap.* 26. *numer.* 27. *cautela Confess.* quòd in celebratione sacrificii duplex labor est considerandus: Alter, cum ea intrinsecè connexus, & per se necessarius ad sacrificii celebrationem, propriè à celebratione inseparabilis, prout hæc à Sacerdotibus potest, & solet fieri. Hujusmodi est labor, qui adhibetur à Sacerdote, *adeundo Ecclesiam ad celebrandum*, *in assumptione sacrarum vestium*, *in legenda Missa*, *in formandis Crucibus*, *& faciendis genuflexionibus*, *&c.* Et alter extrinsecè, seu per accidens conjunctus cum celebratione, sive prævius sit, sive concomitans ad ipsam: ut est *se conferre de loco*

ad

ad locum, privare se sua libertate ad celebrandum hoc loco, hac die, vel tempore. Pro primo nequit absque simonia aliquid recipi, quia cum sit per se necessarius, ut sacrificium celebretur, reputatur quasi integrare unum corpus morale cum celebratione quoad totum est sacrum, adeòque ut sacrum tractandum. Pro secundo verò, aliquid recipi potest (nisi quis ex officio teneatur, ut Parochi, quibus propterea annui redditus dantur) quia sine eo potest celebratio haberi, cum per accidens cum ea coniungatur. Et propriè recipitur pro obligatione servitutis, & onere assumpto, ac locatione suæ operæ ad tempus determinatum, quæ sunt quid temporale, extrinseca rei spirituali, & prætio æstimabilia, adeòque digna mercede, ut optimè dixit Sperellus *dec.70.num.13*.

62 Quæritur. Testator injungit, ut singulis annis celebrentur Missæ 30.S.Gregorii pro defunctis in Ecclesia N. per Sacerdotem eligendum per N. cui solvantur pro eleemosyna scuta decem:petitur. An Sacerdos sic electus teneantur per se ipsum celebrare; & an possit dare elemosynam currentem alteri Sacerdoti, qui præfatas Missas celebret, retento sibi, quod superest?

Per se ipsum celebrare tenetur, prout requisita Sac. Congr. Conc. respondit 21. Februarii 1688. & 17. Julii ejusdem anni responsum confirmavit. Quare Capellani, & Beneficiati tenentur celebrare per se ipsos, si constat de præcepto testatoris, vel fundatoris per hanc clausulam: *E se alle volte non potessero celebrare, faccino celebrare per altri* Sac.Congr.Conc. 18. Decembr. 1688. Monacelli *for.par.2.form.2.tit.13*. Quemadmodum si dixissent: *Capellanus debeat dicere pro anima mea in Capella N. decem Missas*, vel, *sit Presbyter bonus Christianus, & non habeat onus alterius officii*, vel, *quòd debeat solum occupari servitio meæ Capellaniæ*; tunc etiam tenentur celebrare per se ipsos, ut censuit Sac. Congr. Concil. 12. Martii 1606. Videndus Fagnan. *in 1. ad cap. Ut Abbates, de ætat. & qualit. nu. 52. & seqq.*

Ex cuius doctrina resolvi potest, an ad obtinenda beneficia Sacerdotalia necesse sit, ut quis sit Sacerdos tempore collationis beneficii, an verò sufficiat, ut possit esse? Attendendum, an beneficia requirant Sacerdotium actu, vel solùm aptitudine. Propter quod respiciendla sunt verba fundationis Beneficii, & Capellaniæ. Si dispositio fuerit: *Præsentetur*, vel, *instituatur*, aut, *eligatur Sacerdos*, aut, *Capellania conferatur Sacerdoti*, aut *præsentetur Presbyter, qui Missam celebret* tunc necesse est, ut quis sit actu constitutus in Ordine Sacerdotali. Etenim eo casu annexio Ordinis in fundatione dicitur facta respectu actus, quatenùs scilicet electus, in ipso actu præsentationes, aut electionis, debet esse Sacerdos.

Si verò Fundator dixerit: *Capellanus debeat esse Presbyter*, vel, *præsentetur Clericus, qui per se ipsum teneatur Missas celebrare*; sufficit, ut præsentandus in ea ætate sit constitutus, ut infra annum ad Sacerdotium promoveri possit. Hìc enim annexio Ordinis dicitur facta respectu aptitudinis; & aliud non exigitur, quàm quòd Clericus habilis sit, ut ad Sacerdotium infrà annum promoveatur, prout sæpiùs declaravit Sac. Congreg. Conc. 13. Junii 1608. & 22. Februarii 1614. Legatur Monacell. *ubi sup. form. 1.tit.15.num.* 17. & Fagnan. *in 1. ad cap. Ut Abbates, de ætat. & qualit. num. 78.*

63 Capellani tenentur applicare sacrificium pro Capellaniæ, seu Beneficii Fundatore, etiamsi non reperiatur explicitè expressum (nam hoc communiter intendunt fundantes beneficia, & conferentes stipendia pro Missis) quoties ille expresè non declaravit relinquere sacrificii applicationem in libertate celebrantis, ut declaravit Sac. Congr. Conc. 2. Augusti 1699. & 18. Augusti 1688. apud d. Monacell. *dict. tit. 13. num. 55.* Aliud Decretum S.C.C. sub 13. Julii 1630. est in Gavanto *ad rubr. par.3.tit. 12. à nu 5.*

An autem obligatus ad celebrandum pro sola officiatura possit aliud stipendium accipere ab alio? Affirmat Gavant. *ibid.* dummodò expresè constet de intentione benefactoris, qui relinquat applicationem liberam celebranti. Videri potest Nicol. *flosc. v. Missa nu.* 34. & Fagnan. *in 3. ad cap. Significatum nu.44 de præbend.*

Diana verò *coord. tom.2. tr.1. res.46. n.3.* refert ex Pace Jordano *ubi sup.* quòd eadem Sac. Congreg. ad eodem Episc. consulta: *An Sacerdotes, qui nulla alia obligatione in Confraternitatibus, vel in Monasteriis*

Monialium celebrant quàm pro ornatu Ecclesiæ, vel ut Confratres, vel Moniales satisfaciant præcepto audiendi Missam, possint ultra stipendium, quod recipiunt à Confraternitate, vel Monialibus aliud stipendium recipere? Die 9. Ianuarii, & 6. Februarii 1627. respondit, *Non posse*. Hic adest obligatio dicendi Missam, ut dicitur, *Con la sola presenza*, & pro sola officiatura sine applicatione sacrificii, & tamen Sac. Congreg. dixit. *Non posse recipi, nisi unicum stipendium*. Ratio est quia cessat titulus justè accipiendi aliud. Nam sive stipendium recipiatur in mercedem laboris, sive in subsidium sustentationes, constat esse receptum. Unde, ubi aliud reciperetur videretur recipi, aut contra justitiam, aut simoniacè. Videas *cit.* Dianam *ibid.* articulum ex integro examinantem, & teneas tutiora.

64 Capellani Monialium possunt Missam celebrare de Sancto, cuius officium ab ipsis Monialibus recitatur, sed cum Missali Romano: quòd si in eo Missa particularis de eodem Sancto non adsit sumenda est de communi. S. Rit. Congr. 20. Novemb. 1628. Gavant. *alleg. tit.* 10. *num.* 16.

65 In nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, cantata prima Missa, non possunt aliæ duæ immediatè celebrari; nec Fidelibus confluentibus in media nocte ad Ecclesias, & communionem deposcentibus, hæc est exhibenda utrumque enim bis prohibuit S. Rit. Congreg. semel 20. Aprilis 1641. & iterùm 9. Augusti 1653.

66 Die Sabbati Sancti non licet, non obstante quacumque consuetudine, Missas privatas in Ecclesiis, vel Oratoriis celebrare, prout approbante Papa, in generali Decreto eadem Sac. Congr. 11. Martii 1690. relato à Monacell. *for. par.* 2. *for.* 3. *tit.* 15. *num.* 17.

67 In duplicibus (unica excepta præsente corpore) celebrari non possunt Missæ de Requiem, ut approbante Alexan. VII. Constit. *Credita* 176. *Bullar. tom.* 5. decrevit S. Rit. Congreg. die 5. Augusti 1662. A quo ibid. approbata fuit declaratio ejusdem decreti, facta ab eadem Sac. Congreg. *in una Novarien.* 22. Novembris 1664. qua declaratum fuit, *Anniversaria, & Missas cantatas de Requiem, relicta ex dispositione testatorum, quotidianis in die ipsorum obitus, etiam in duplici maiori contingentis, non comprehendi in dicto Decreto.*

Limitatur; hoc enim non currit, si eo die sit in Ecclesia publicè expositum adorationi SS. Sacramentum; eo enim tempore Missæ de Requiem non possunt celebrari, ead. Sac. C. 2. Decembris 1684.

68 In Missis de Requiem non est Fidelibus distribuenda Eucharistia, Gavant. *ad rubr. par.* 1. *tit.* 10. *à num.* 6. & resolvit ead. S. Congr. die 16. Aprilis 1701.

Cæterùm, dum, vel in Missis de Festo, Sanctis aut Dominicis, vel etiam extra ipsas Fidelibus Communio ministratur, eis non potest Sacerdos dare plures Formulas vel Particulas, aut grandiores solito, sed congruæ sunt exibendæ, juxtà resoluta à S. Cong. Conc. approbante Innocent. XI. *in decreto*, *Cum ad aures circa Communionem quotidianam*, edito 12. Februarii 1679. Quod per extensum refert Monacell. *ibid. form* 1. *tit.* 14. In quo Episcopis tribuitur facultas procedendi in contrafacientes, etiam Regulares, per justam, & rigorosam animadversionem; & ulteriùs ipsimet transgressores eorum, quæ in Decreto præscribuntur, & prohibentur, Deo rationem sunt reddituri, ut ibi textus.

69 Onus Missarum, quia respicit favorem animæ, regulariter censetur perpetuum, nisi de voluntate testatoris aliter constet, aut tales circumstantiæ concurrant, ut præsumendum sit, testatorem non voluisse onus esse perpetuum, & successivum, sed temporale. Quod tamen judicari non potest per hæc adiectiva, *meus*, *dictus*, *ipse*, *infrascriptus*, & similia; quæ quidem videntur importare temporalitatem, & onus restringi ad persona gravatam; tamen quia dispositio est favore animæ, vel piæ causæ, perpetuum & successivum reputandum est, prout declaravit S. Congreg. Conc. *in Urbanien.* 24. Augusti 1669. & iterùm *in alia Urbanien.* 14. Iunii 1704. & tandem *in Æsina legatorum* 21. Augusti 1706. Monacell. *ubi sub tit.* 13. *form.* 2. *n.* 44. *& in add. ad append. n.* 2.

70 Hic tandem aliqua tangenda sunt circa juratam attestationem, faciendam, & subscribendam à Sacerdotibus Regularibus Conventuum respectivè, in quibus sunt de familia, quòd satisfactum sit omnibus Missarum oneribus, tum perpetuis, & temporibus ex vi legati, tum manuali-

libus, & adventitiis, ad tenorem, & præscriptum dict. Constitutionis §.33. *Curent.* Multi enim scrupulis anguntur, & in bivio se esse constitutos considerant, ignorantes, quid eligendum sit. Si fidem juramento non subscribant, oriuntur litigia, & sæpè subditi à Prælatis injustè vexantur. Si subscribant, se exponunt periculo pejurandi, cum jurent, quin certi moraliter sint dd. oneribus esse satisfactum; ideò absque *veritate*, quæ est prima conditio ad juramentum, ex dictis, *dict. lib. cautel. cap.* 16. *num.*3. Et ut plurimùm coguntur jurare ex sola assertiva Superioris localis, adminiculata etiam dicto Sacristæ, vel libro, & notulis per eos scriptis, quòd sit satisfactum. Quorum testimonium non videtur legitimum, vel quia fraudes non semel committuntur, vel quia ad jurandum major certitudo veritatis rei, de qua juratur, est necessaria.

Hujusmodi difficultates meo videri fuerunt ab Innoc. in d. Const. *Præoccupata*, præmittendo requisita, ut quis tuta conscientia possit ad præscriptam subscriptionem procedere. Nam §.27. *Iidemque*, præcipitur, ut in Sacristia asseruentur duo libri, in quorum uno adnotentur onera Missarum, tum perpetua, tum temporalia, ac ipsorum adimplementum; in alio verò, tam eleemosyna Missarum manualium, & adventitiarum, quàm istarum satisfactiones. Quando igitur sunt attestationes faciendæ, debet quis ex dd. libris se certiorare, quòd fuerit oneribus satisfactum, eos examinando, & conferendo numerum ad numerum, ac onera cum Missis celebratis; & juxta computum, & calculationem est attestatio concipienda; ubi verò aliquorum satisfactio adhuc desideretur, id exprimatur ad formam in dd. §§.

At non est jurandum absolutè satisfactum fuisse, sed cum limitatione, nimirùm, secundùm ea, quæ notantur, & referuntur in libris, *Et hoc modo, &c. & non aliàs, &c.*

Et hinc patet, quòd non juratur stando, puræ assertivæ Superioris, vel Sacristæ, nec quòd sit satisfactum omnibus oneribus à Superiore susceptis, quia de hoc non constat; sed illis dumtaxat, de quibus in dictis libris sit memoria; qui satis fidem faciunt, & moralem certitudinem inferunt. Et proptereà ad eos, si de integritate attestationis dubitetur, recurritur, ut veritas reddatur manifesta.

Cæterùm ad omnem suspicionem doli, & fraudis tollendam, optima cautela erit, ut quilibet Sacerdos in libris paratis propria manu se celebrasse firmet, prout hic Romæ de mandato Clement. XI. est in praxi. Et quovis anno à Ministris deputatis libri recognoscuntur. Super quo ad conscientiæ serenitatem Provinciales, & Visitatores deberent non dormitare, sed omni diligentia zelare integram d. Constitutionis observantiam; ponderando se, aliosque, quibus illius observantia præcipitur, in transgressione mortaliter peccare, cùm in re gravi contra Apostolicam Constitutionem operentur.

Si verò objiciatur, potuisse dictos libros à Superioribus, vel Sacrista alterationem recipere, addendo fictas satisfactiones. Dico, hoc non esse ita de facili præsumendum, cum verisimile non sit, quòd ipsi non horreant tanta falsitate sibi ad gehennam fabricare. Sed ubi prudenter de alteratione constaret, esset ab attestatione abstinendum, etiam si quodcumque malum timeretur, cum nec ad mortem vitandam sit pejerandum, vel Deus offendendus, *cap. Ita ne*, 32. *quæst.* 5. Quod procedit etiam, quando prudenter de mendacio dubitaretur, cùm non liceat cum dubio operari; sed vel est deponendum cognoscendo veritatem, vel testimonium omittendum, quamvis cæteris subscripserint; nam ex circumstantiam juramenti, non reputatur sufficiens, ut quis captivet intellectum proprium in obsequium singulorum, quòd fuerit satisfactum; sed necesse est, ut quisque prudens judicium de veritate retineat.

Formula attestationis in praxi fortè hæc esse poterit.

Omnibus præsentes inspecturis notum sit, qualiter examinatis, & diligenter præcognitis libris, qui ad præscriptum Constit. Innocen. XII. Nuper de celebrat. Missar. *asservantur in Sacristia hujus Conventus N. & in quibus respectivè adnotata sunt onera Missarum celebrandarum in Ecclesia dict. Conventus, tum perpetua, & temporalia, tum manualia, & adventitia, ipsorumque satisfactiones, & adimplementa, repertum est, Missas ex vi legati celebrandis à die, &c. mensis, &c. anni, &c.*

usque ad diem, &c. mensis, &c. anni, &c. Guardiano P.N. esse .... (hìc numerus exprimatur) *& celebratas esse* .... *Celebrandas verò intuitu manualis eleemosynæ esse* ..... *& celebratas esse* .... *Ac proindè nos infrascripti d. Conventus Sacerdotes, etiam cum nostro juramento testimonium reddimus eis, ad quos spectat, omnibus dictis oneribus, prout in dictis libris notatur, & in eis refertur, esse satisfactum, & adimplementum datum. Et isto modo, &c. & non aliàs, &c. præsentes propria manu subscriptas, solito Conventus sigillo munivimus. Datum &c.*

Ego N. Sacerdos cum juramento attestor.

Et ubi aliqua adhuc adimplenda remaneant, numerus exprimatur, significando, an eleemosynæ sint in esse, vel non.

§. III.

Oratoria.

Occasione examinis ad præjacta præmissi, locus aptus videtur, ut quædam pariter notentur de Oratoriis, & maximè privatis, quorum indultus plures Nobiles, & Domicelli à Sede Apostolica receperunt.

71 Quæritur. *An in Oratoriis privatis possint Missæ celebrari.*

Resp. Est certum, de Ordinariorum licentia non posse (nisi facultatem habeant id concedendi, authoritate delegata à Pontifice.) Nam nullo casu authoritate ordinaria ipsi possunt permittere, & indulgere, ut in privatis domibus Missæ per Sacerdotes, sive Sæculares, sive Regulares celebrentur, ad text. Trid. *in decret. de obser. & evitand. in celebratione Missæ sess. 22. de sacrific. Miss.* ibi: *Neve patiantur privatis in domibus, atque omninò extrà Ecclesiam, & ad Divinum tantùm Cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc sacrificium à Sæcularibus, aut Regularibus peragi.*

72 Et hinc patet, duo esse Oratoriorum genera; siquidem alia sunt Oratoria publica, quæ nimirùm extra privatos domos, Episcopi auctoritate ad Cultum Divinum sunt erecta; & alia privata, quæ in privatis domibus, & intra domesticos parietes, vel in privato solo absque licentia, & approbatione Episcopi, à quovis ad orandum possunt construi; & quæ hodie sunt Oratoria, cras arbitratu domini esse poterunt Camera, ex observatis à Gloss. *in Clement. Quia contingit, in verb. Altare, de religios. domib.*

73 Inter quæ nunnulla alia considerantur discrimina.

I. Quòd Oratoria privata non habent jus asyli, nec in eis quis fruitur Immunitate Ecclesiastica. Nam hæc fundatur in reverentia loco sacro, & religioso debita; quæ qualitas in privatis non reperitur, sicut est in publicis, utpotè Episcopi licentia, & canonica approbatione erectis.

II. Quòd publica potest Episcopus visitare, ut videat, an honestè tractentur, & cum decentia; non verò privata, quia hæc non sunt loca sacra, pia, vel religiosa, utpotè non erecta auctoritate Episcopi; adeòque ejusdem potestati non subjecta. Verùm, ubi præcederet accusatio, aut denunciatio, vel publica fama, quòd Oratorium indecenter teneretur, tunc posset Episcopus procedere super defectu in judicio accusationis, denunciationis, aut inquisitionis, secundùm ea, quæ habentur, *cap. Qualiter, & quando, il 2. de accus.* Et ita posset accedere ad Oratorium privatum ad videndum, an constaret de corpore delicti, ut dixit Petra *tom. 2. comment. ad const. 8. Honor. III. sect. 1. num. 60.*

III. Quòd in privatis non possunt publicè teneri, & pulsari campanæ; benè verò in publicis.

IV. Quòd publica debent habere januam in via publica, non tamen privata.

V. Quòd in publicis Missæ celebrari possunt statim, ac ab Episcopo publico cultui sint canonico ritu erecta; ut ex allegat. textu Concilii. In privatis verò Missæ celebrari non possunt sine indulto Apostolico, adeòut nec Episcopi ex causa id possunt permittere, prout dixit Sac. Congreg. Concil. quæ consulta: *An Episcopus, attento Concilii Decreto, in prætoriis existentibus in domibus privatorum, celebrandi Missas licentiam ex causa concedere possit? Censuit non posse, sed hanc licentiam petendam esse à Sede Apostolica, prout post Conc. Trident. hactenùs observatum est*, Fagnan. *in 3. ad cap. Auctoritate, de censib. num. 18.* Etiam ad effectum, ut infirmus pro Viatico commu-

municetur, ut olim eadem Sac. Congreg. in terminis respondit Cardinal. Paleotto, apud eumdem in 5. *ad cap. In his de privil. num.* 13. Appellatione autem domus privatæ, venit etiam Domus Principis, & Palatium Baronis loci, ubi exercet jurisdictionem, ut ejusdem testimonio *ibid. num.* 17. eadem Sacr. Congr. declaravit. Quæ aliàs etiam censuit: *Commissarium Cruciatæ non habere facultatem concedendi licentiam celebrandi in Oratoriis domesticis*, Fagnan. *d. cap. Auctoritate num.* 30.

74 Sed quid dicendum, si necessitas esset præcisa, & communis; an Episcopus id permittere possit?

Resp. Non potest urgere tanta necessitas, ut in domibus privatis celebretur; sed ad summum, ut extra Ecclesiam, & Oratorium publicum: ut, tempore terræmotus; vel, si Ecclesia vetustate, aut igne corruerit, & similibus casibus. In quibus, communi necessitate urgente, potest extra Ecclesiam celebrari sine consensu Episcopi, si facilè peti non possit; sed, cum non est multùm distans, est expectanda ab ipso, vel ejus Vicario Generali, juxta cap. *Missarum*, & *cap. Concedimus de consecrat.* 1. *dist.* & Petram *citat. num.* 12. & 16.

75 Quæritur. An audientes Missas in Oratoriis domorum privatis, satisfaciant præcepto de Missa audienda?

Resp. Articulus examinatur satis accuratè à Monacell. *form: part.* 2. *form.* 12. *tit.* 13. *num.* 32. & *sequen.* referente ordinarias clausulas indulti Oratorii privati. Cum in indulto hæc sunt: *in tua, ac familiæ præsentia*: clausula intelligitur de familia agnatitia, & consanguinea illius, cui indultum conceditur, quæ in eadem domo habitat, & ejusdem est commensalis, non verò de servili. Ideò non gaudent omnes familiares Indultarii (quorum appellatione veniunt, qui verè inserviunt, & vivunt expensis domini, ac sunt necessarii ad servitium illius, sive sani, sive infirmi (sed ii solùm, qui in actu celebrationis Missæ servitio domini sunt necessarii; atque adeò alii, ut impleant preceptum Ecclesiæ de audienda Missa diebus Festis, ad Ecclesiam accedere tenentur, *ibid.* Monacellus objectis respondens.

Limitatur hoc in Oratoriis privatis Episcoporum, etiam Titularium, ut idem tradit etiam *dict. titul. for.* 1. *numer.* 2. *adnotat. ad decret. communion. quotid.* adeòut interessentes, etiam si extranei sint, quando Episcopi in eis celebrant, satisfaciunt dicto præcepto, ut respondit S. Congreg. Conc. 22. Septembris 1640. & alibi sæpè. Nam induunt conditionem Oratorii publici. Vid. Fagnan. *in* 5. *cap. Quod nonnullis num.* 8. & 10. *de privil.*

Verùm hoc privilegio Episcopi etiam Titulares uti non possunt extra domum proprię habitationis, ut ad tollendos abusus declaravit ead. S. Congr. 15. Decembris 1703. *ut inf. num.* 85.

Limitatur etiam in Oratoriis privatis DD. Cardinalium, qui statim ac sunt sublimi Cardinalatus dignitate decorati, gaudent privilegio Altaris viatici ad instar Episcoporum, absque alio indulto. Ideò audire Missam in eorum privatis Capellis sufficit omninò pro adimplemento præcepti diebus festis. Ita Monacell. *titul.* 13. *for.* 2. *num.* 40. & *sequent.* Nicol. *Flos. ver. Oratorium à num.* 3.

76 Advertendum, quòd mutans habitationem intra eandem Civitatem, vel etiam extra Diœcesim utitur privilegio Oratorii privati priùs obtenti, apud Petram *num.* 32. Quoniam, cum privilegium sit personale, sequitur personam, cui suffragatur in domo novæ habitationis, ad quam cum Familia transit. Prout est sensus clausulæ -- *Ut in privato Oratorio tuæ solitæ habitationis*. Quinimò observat Pascuf. *ver. Oratoriis citat. vers. Potest quoque*, quòd privilegiatus potest uti Oratorio, etiam dum ruri manet; sed interim non potest uti eo, quod est in Civitate, quia privilegium est restrictum ad solitam habitationem. Verùm in similibus mutationibus necesse semper est, ut Episcopus locum recognoscat, & de illius, ac paramentorum decentia judicium proferat.

77 Quamobrem est ponderandum cum Ventrigl. *prax. part.* 2. *adnotat.* 19. §. *unic. numer.* 5. executionem Indulti celebrandi Missam in Oratoriis domorum privatis committi Ordinariis, qui visitare tenentur locum Oratorii, priusquam pro executione Brevis licentiam concedant celebrandi Missam: & ita inspicere debent, an Oratorium sit decenter extructum, & ornatum cũ necessariis pro celebratione: an sit lapis consecratus: an Altare debitæ altitudinis, latitudinis, & longitudinis, coopertum tribus mappis, cum Cruce cum Imagine Crucifixi,

fixi, & duobus saltem candelabris, tabula secretarum: an sint pulvinar, Missale, parva campanula, ampullæ vitreæ cum manutergio, Calix cum Patena, Purificatorium, & cætera necessaria, benedicta ab habente potestatem: an locus sit liber ab omnibus domesticis usibus: & an præjudicet juribus Parochialibus, quia cum hoc præjudicio non esset concedenda licentia, per Quarant. *summ. Bullar. 2. part. ver. Missa in princip.*

78 Petitur. An indultum expiret morte Papæ concedentis?

Resp. Negativè. Quia privilegia, quæ à Pontifice conceduntur, reputantur concessa ab eo, quatenùs constituto in tali Dignitate, quæ post ejus mortem in suos Successores continuatur; & ideò privilegia concessa expirare non debent, per cap. *Si gratiosè de rescript. in 6.* alleg. Petra *num.* 34. alios cumulans.

79 Quæritur. An Regulares possint habere Oratoria, & Capellas intra Claustra, in quibus celebrent?

Resp. Vel intendunt celebrare in Altari portatili (quod non est aliud, quàm tabella quædam lapidea consecrata ab Episcopo, quæ facilè in itinere quovis loco defertur; & propterea dici solet etiam Viaticum) aut fixo in Capella, vel Oratorio. Quantum ad primum, non est dubium eis prohiberi. Nam privilegium celebrandi in Altari portatili datum ante Concilium Prædicatoribus, & Minoribus, cap. *In his de privil.* ab eodem Conc. *d. loc.* est sublatum. Quod legitur in Const. Greg. XIII. *incip. Usum la* 57. *Bull. tom.* 2. in qua Pontifex restituit Jesuitis usum Altaris viatici *universè à Trid. sublatum*, ut ibi textus. Ideò, qui post Trid. preceperunt à Sede Apostolica specifica indulta, eo uti possunt.

80 Sed dubium est, an cæteri Regulares possint per communicationem privilegiorum cum Jesuitis, de Indulto participare.

Resp. Peyrin. *de privil. ad const. Pyrrhi* §. 7. *nu.* 34. affirmat. Quod sanè deduci non potest ex indulto Iesuitis dato: nam resistit clausula Greg. qua exprimit motivum, quare Jesuitis restituerit usum d. Altaris, ibi: *Eatenus restituimus, uti inter Missiones &c.* ergo, ubi non est eadem causa finalis, nec favor privilegii debet intrare. Tum quia mens Concilii *d. cap.* videtur esse hujusmodi communicationes tollere. Alloquin frustratoria fuisset nova concessio Jesuitis; quia per participationem poterant participare de indulto à Pio IV. facto Canonicis Regularibus S. Salvatoris sub anno 1565. ut idem Peyr. *cit.* refert. Tum quia cessat ratio privilegii, quo olim Regularibus permittebatur celebrare super Altari portatili: etenim hodie habent Ecclesias consecratas, quibus priùs carebant. Quare, supplicante olim Congregatione Peregrinorum Ord. Præd. S. Congr. Conc. *censuit concedendam esse privilegii Apostolici confirmationem celebrandi in Oratoriis, & Altaribus portatilibus in illis locis, in quibus nulla suppetit commoditas Ecclesiarum consecratarum*, Fagnan. *in cap. iis num.* 8. *de privileg.* & Pascuc. *de Miss. Sacrific. pag. mihi* 52. *versic. Quare*. Proinde à privilegio Altaris portatilis ii solùm proteguntur, qui post Trident. illud expressè receperunt. Videtur enim illius generis esse, ut specialem mentionem requirat, adeoque quòd non intret communicatio, legatur Piasec. *prax. part. 2. c. 3. art. 6. num.* 47.

Vel volunt celebrare super Altari fixo in Oratorio, & tunc Fagnan. ubi sup. *num.* 15. dixit posse, sed nonnisi prævia licentia, & approbatione Ordinarii, qui locum visitaverit, aptumque divino cultui compererit. Hoc colligens ex textu Concilii *ver. Neve patiantur*, quo sustulit omnia privilegia celebrandi extra Ecclesiam, & publica Oratoria, etiam quoad Sacerdotes Regulares. Tria namque ibi Concilium interdicit. Primò, ne Episcopi permittant, ut Missa ab ullo celebretur in privatis domibus. Secundò, ne id fieri permittant in locis, quæ sunt omninò extra Ecclesiam, & Oratoria, ad divinum tantùm cultum dedicata. Tertiò, præcipit, ut hujusmodi Oratoria priùs designentur, & visitentur ab Ordinario.

81 Cæterùm ibid. Fagnan. *sub n.* 23. refert, quòd Sacra Congreg. olim respondit, *Oratoria existentia in Monasteriis, vel Hospitalibus Ordinaria, vel Apostolica auctoritate fundatis non comprehendi in prohibitione Concilii, vers. Neve patiantur.* Propterea passim videntur hæc Oratoria erecta in Infirmariis, vel aliis locis Monasteriorum, quin præiverit Ordinariorum consensus, & visitatio. Siquidem de illis non verificatur, quòd sint omninò extra Ecclesiam; cum appellatione Ecclesię aliquando veniant Religiosorum Conventus, ut colligitur ex cap. *Al-*

Alma mater de sent. excomm. in 6. cum sua Gloss. *in verb. Monasteriis*, & *cap. Abbati*, §. *Hac autem* 54. *dist.* Minùsque, quòd sint in ædibus privatis, cum sint in loco religioso. Et faciliùs hìc per Petram *num.* 47. intrat communicatio privilegiorum: præsumiturque verisimilis voluntas Pontificis concedentis; maximè, quia ex communi usu, & praxi, ut dictum est, similia Oratoria fixa videntur in Claustris, & Infirmariis erecta. Et inde videtur mens Sanctæ Sedis esse, ut in casu Indultum per communicationem participetur.

Cæterùm Superiores cautè debent procedere, & non nisi in locis decentibus, aliis usibus non deputatis, & pro præcisis necessitatibus, Oratoria cum Altari fixo ad celebrandum erigere. Cuius generis videntur esse Capellæ in Infirmariis constructæ, quæ deserviunt, ut in eis Missam audiant senes, & impotentes ad accedendum ad Ecclesiam.

82 Quæritur. An Regulares possint in Granciis habere Oratoria ad celebrandum?

Duas Granciarum species ad Monasteria pertinentium distinguunt DD. Fagnan. cit. *d. cap. Auctoritate nu.* 2. *in discept. de Grangiis*, & *Petra nu.* 53. Quædam sunt simpliciter Granciæ, & in sensu proprio: & aliud non sunt, quàm domus rurales, seu prædia rustica sub proprietate, & dominio alicuius Monasterii, in quibus solent manere solum quidam Conversi pro agrorum cultura. Nec habent Ecclesiam aliquam, aut publicum Oratorium authoritate Episcopi constructum, sed dumtaxat privatum ad orandum. Huiusmodi Granciæ non sunt, nec sacra, nec religiosa, nevè loca pia, sed temporalia, & prophana. Nec in eis habet locum Constit. Innoc. X. incip. *Instaurandæ la* 27. *Bullar. tom.* 4. *edita super suppressione parvorum Conventuum*: nec ejusdem Decretum *Ut in parvis il* 32. *ibidem super subiectione nonnullorum Conventuum jurisdictioni Ordinariorum*.

Quædam verò sunt Granciæ, solùm impropriè, & aliud non sunt, quàm parvi Conventus dependentes ab aliquo principali Monasterio, cuius sunt membra, veluti illi accessoria subiecta, & unita. Quarum aliquæ quia ob redditum tenuitatem non poterant sustentare Religiosos in numero sufficienti ad disciplinam regularem, fuerunt in dict. Constitutione ab Innocen. suppressæ, & sæcularizatæ. Quædam verò, quia tempore Constitutionis habebant redditus, quibus reipsa sustentabantur sex Religiosi, non fuerunt suppressæ. Sed Pontifex eas in dict. Decreto subjecit Ordinariorum jurisdictioni, & visitationi, quandocumque jactu in eis non alerentur saltem sex Religiosi, quorum quatuor essent Sacerdotes, & duo Laici.

83 Dubium itaque procedit non de Grangiis secundæ speciei, quia quantùm ad istas debet discurri, sicut *superiùs* dictum est de Oratoriis Conventuum: sed de illis primi generis, in quarum privatis Oratoriis, licèt juxta jus antiquum ante Concilium, ut in d. cap. *Auctoritate de censib.* posset de licentia Episcopi celebrari, post Concilium tamen prohibitum intelligitur. Hinc Sacr. Congr. Conc. sub die 1. Maii 1687. ad dubium: *An Sacerdos Regularis, absque peculiaris Sedis Apostolicæ indulto, possit in domo rurali Monasterii celebrare*: respondit: *Negativè*. Allegat. Petra *n.* 53.

84 In Oratoriis privatis celebrari non potest in diebus *Resurrectionis*, *Pentecostes*, & *Nativitatis Domini*, *Epiphaniæ*, *Annunciationis*, *Assumptionis B. M. V. SS. Apostolorum Petri*, & *Pauli*, & *Omnium Sanctorum*, ut declaravit S. Rituum Congr. 17. Novemb. 1607. Nicol. cit. *n.* 3. Gavant. *in rubr. Miss. part.* 1. *titul.* 20. *ver. Sciendum quoque*.

Ad extremum hìc ponitur novissimum Decretum editum à Sanctissimo D. N. Clemente XI. ad effectum, ut tollantur abusus, qui occasione celebrationis in Oratoriis privatis committi solebant.

85 *Quoniam sancta sanctè tractanda sunt, ac præsertim tremendum incruenti Sacrificii Mysterium, quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum est; propterea super observandis, & evitandis in celebratione Missarum in Sacrosanctis Oecumenicis Conciliis, & præsertim Tridentino sub cap. unico sess. 22. inter cætera statutum est, ut tantum Sacrificium solummodò in Ecclesiis, aut oratoriis, Divino tantùm cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Episcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in domibus atque omnino extra Ecclesias peragi paterentur; ac subinde Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium ipsius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi Præpositorum sæ-*

pè sæpiùs per opportuna decreta obrepentes abusus eliminavit. Modernis tamen temporibus innotuit Sanctissimo Domino Nostro, quòd nonnulli Episcopi sub prætextu privilegiorum, Capellis Episcopalibus competentium, & complures Regulares, sub prætextu privilegiorum, quæ ipsis à Sancta Sede indulta noscuntur, per huiusmodi privilegiorum dilatationem, seu potiùs excessum, & abusum in nonnullis Diœcesibus præsertim Regni Neapolitani, ac ipsa Neapolis Civitate, ea sibi licere putant, quæ permissa non sunt, quinimò prohibita: siquidem nonnulli Episcopi, etiam in aliena Diœcesi, & extra domum propriæ habitationis, *in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures ex suis Capellanis vivificant Christi Hostiam immolare; Regulares verò in quibusdam Magnatum, seu aliarum Nobilium Personarum privatus Oratoriis, quæ certis quandoque ex causis à Sancta Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quàm in ipsis celebrare sit indultum, vel absque præsentia Personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diœcesanas, aut etiam per Decreta Sacræ Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipsismet Indultis Apostolicis excipiuntur, quominùs in iis celebrari possit, aut etiam Altari portatili uti non verentur, in Sanctarum Sanctionum contemptum, & Sancti Sacrificii irreverentiam.*

86 *Quamobrem ad abusus huiusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo Ministerio debitam, idem Sanctiss. Dominus Noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus aliàs hac de re editis, expressè declarat. Episcopis, & his Maioribus Prælatis, etiamsi Cardinalatus Dignitate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere*, extra domum propriæ habitationis *in domibus Laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortiùs intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere: ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cuiusvis Ordinis aut instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cuiuscumque Ordinis Militaris, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiam si essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis Sanctissimæ Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque anni Festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis verò diebus, prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optimè informare; atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem, demandando propterea ulteriùs, ac declarando, in omnibus hujusmodi casibus, Personas quascumque dictas Missas audientes nullatenùs Ecclesiæ præcepto satisfacere.*

87 *Quo verò ad Altare portatile iterùm inhærendo declarationibus supradictis, censuit, licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap. in his de privil. & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omninò revocata esse per idem Sacrum Concilium; & propterea eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis Decreti tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati ad, pœnas præscriptas per idem Sacrum Concilium in d. Decreto sess. 22. usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam eisdem facultate per hoc Decretum, ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita Sanctitas Sua declarat, & servari mandat. Romæ hac die 15. Decembris 1703.*

CAPUT XI.

Officialis quoad Clausuram Monialium.

SUMMARIUM.

1 *Moniales omnes in concernentibus Clausuram subduntur Ordinariis.*

2 *Su-*

2 *Superioribus Regularibus causa solùm visitationis localis permittitur ingressus in Clausuram, & semel tantùm in anno.*
3 *Generalis potest secum assumere duos socios; cæteri ipso inferiores unicum.*
4 *Numerantur casus, in quibus possit Confessarius ingredi Clausuram.*
5 *Regulares non pernoctant apud Monasteria Monialium.*
6 *Quid agendum, dum Monasteria sunt extra mœnia?*
7 *Episcopi, irrequisitis etiam Superioribus Regularibus, visitant Monasteria Monialium istis subjecta.*
8 *Possunt excommunicationem sibi reservatam imponere circa aperitionem ostii Clausuræ.*
9 *Vicarius Generalis habens ab Episcopo mandatum potest visitare Clausuram Monialium de Regularium regimine.*
10 *Decreta S. Cong. Conc. super visitatione facienda ab Ordinariis in Monasteriis Regularibus subjectis, usque ad num. 12.*
13 *Licentiam ingrediendi Clausuram an subscribat Superior Regularis?*
14 *Superiores Regulares non ingrediuntur Clausuram extra casus necessarios.*
15 *Absolutio violantis Clausuram petitur à Sede Apostolica.*
16 *Moniales exorcizantur in Ecclesia exteriori.*
17 *Monialis ascendens supra tectum violat Clausuram.*
18 *Licentiæ ingrediendi Clausuram non exequuntur, nisi de consensu Monialium.*
19 *Confessarius ingreditur cum Cotta, Stola, & Socio.*
20 *Quæ veniant appellatione Clausuræ.*
21 *Monialis secretò violans Clausuram non absolvitur ab Episcopo.*

1 QUoad Clausuram omnes Moniales indifferenter subjiciuntur Episcopis, etiam illæ, quæ à Regularibus reguntur, prout Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regul. & Monial. ubi cap.* 5. statuit: *Bonifacii VIII. Constitut. quæ incipit Periculoso, renovans Sancta Synodus, universis Episcopis sub obtestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, Ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ Authoritate, Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent.*

Verùm jurisdictio circa Clausuram Monasteriorum Regularibus subjectorum competit Episcopo cumulativè cum Superiore Regulari, non autem privativè: adeòut & circa eam is possit opportuna statuere ex Decreto Sacr. Congregat. Concil. 1608. *ut in lib.* 11. *Decr. fol.* 31. & ex mox referenda Const. Alex. VII. sed juxta terminos à S. Sede eidem præfixos, & non aliter; quia est certum, quoad hoc Regularium jurisdictionem per Decreta Apostolica esse restrictam, & limitatam, modumque Superiori in locali Monasteriorum, & Monialium personali visitatione observandum, præfinitum, prout ex dicta Const. Alex. la 156. *Bull. tom.* 5. ut infra.

2 §. 1. *Felici* &c. *Præsentibus perpetuò valituris sancimus, ut imposterum intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, & quibuscumque aliis Superioribus Regularibus, quibus alioqui cura, & regimen Monasteriorum Sanctimonialium quovis modo incumbit, intra septa eorumdem Monasteriorum nullatenùs ingredi liceat, nisi ex causa visitationis localis, & hoc semel tantùm in Anno, itaut in eo Anno, in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior à visitatione hujusmodi se omninò abstineat.*

§. 2. *Quòd si ob Clausuram, quæ à Sacra Trid. Synodo, etiam in Monasterii exemptis, curæ, & vigilantiæ Episcopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem, ac necessariam causam oportuerit Superiorem Regularem eodem Anno plures ingredi septa Monasterii, tunc non aliter ingrediatur, quàm cum præsentia Episcopi Diœcesani, vel alterius personæ Ecclesiasticæ sæcularis, boni exempli, ac maturæ ætatis, ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatæ.*

§. 3. *Visitet autem Superior Regularis interiorem Clausuram per se ipsum, non autem per alium, etiam si fuerit legitimè impeditus: quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum: & visitationem celeriter, & unica die, debita tamen cum diligentia, absolvat; nec*

nec ante ortum Solis eam incipiat, nec post occasum protrahat.

§. 4. *Neque ipse Visitator, neque ejus Socii ullam sumant in Monasterio refectionem.*

3 §. 5. *Porrò si visitet Generalis, possit secum habere duos Socios sui Ordinis: si alius à Generali, unum tantùm, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii.*

§. 6. *Qui quidem Socii assumantur exemplares, & maturæ ætatis: & in actu visitationis à Visitatore nunquam separentur, sed eum aspicere; & ab ipso aspici semper possint.*

§. 7. *Ac præterea Visitatori assistant quatuor Moniales ex senioribus Monasterii, quæ similiter, visitatione durante, nunquam separentur à Visitatore, & Sociis. Reliquæ verò Moniales, & quæcumque aliæ Mulieres, & Puellæ sæculares in Monasterio degentes, nisi legitimo detineantur impedimento, conveniant omnes in Choro, antequam Visitator ingrediatur interiorem Clausuram, & in eo permaneant durante visitatione, & quousque idem Visitator cum Sociis è Monasterio exierit. Ideoque curet Visitator, ut tempestivè admoneatur Abbatissa, seu Monasterii Præfacta de præstituta die, & hora visitationis.*

§. 8. *Visitatio verò personalis fiat ad crates, & omninò extra Clausuram Monasterii, & per ipsummet Superiorem dumtaxat, ut supra dictum est de visitatione interioris Clausuræ.*

4 §. 9. *Ad hæc Confessor Sanctimonialium, tam ordinarius, quàm extraordinarius minimè ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam Animam Agonizantium; nec unquam ingrediatur, nisi cum Socio, qui sit probatæ vitæ, & maturæ ætatis, semperque maneat in ea parte Monasterii, qua Confessorem videre, & ab ipso videri semper possit.*

5 §. 10. *Insuper distinctè præcipimus memoratis Superioribus Regularibus, ut infrà terminum duorum mensium, à publicatione præsentis Const. computandorum, revocent ad Claustra Confessores, eorumque Socios, Concionatores, & alios quoscumque Regulares apud Monasteria Sanctimonialium, vel assiduè, vel ad tempus, quocumque titulo pernoctare solitos; nevè permittant eosdem, seu alios Regulares, intra, seu propè septa Monasteriorum hujusmodi habitare, vel commorari; quin etiam infra eumdem terminum, quascumque cellas, mansiones, seu cubicula propè Monasteria prædicta, ad usum memoratorum Regularium existentia, si Clausuræ Monasteriorum earumdem Monialium contiguæ sint, eidem Clausuræ includi, vel dirui omninò faciant: si verò sint extra septa, vendi, pretiumque in Monasterii utilitatem converti; nec imposterum alia similia aptari, ædificari, aut emi permittant. Quòd si infra dictum terminum Superiores Regulares præmissa cum effectu non adimpleverint, teneatur Ordinarius loci, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, illa adimplere, & omninò exequi, etiam invocato, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio.*

6 §. 11. *Veruntamen si Monasterium Sanctimonialium sit extra Mœnia Urbis, vel Oppidi, & Monasterium Regularium virorum, quibus Moniales sunt subjectæ, Sit intrà dicta mœnia, vel è converso, habeantur, vel conducantur, si commodè fieri possint, mansiones ad usum Confessoris, quæ non sint conjunctæ, seu contiguæ ipsi Monasterio Monialium, sed ab eo penitùs disjunctæ, non solùm per parietes, sed etiam per tecta; sin autem utrumque Monasteriorum sit intra Mœnia, & unum ab altero, Episcopi judicio, multùm distans, tunc habeantur, vel conducantur hujusmodi mansiones, ut supra distinctæ, & separatæ à Monasterio Monialium, distantia ab ipso Episcopo recognoscenda, & approbanda; ita tamen, ut in mansionibus Confessoris, sive intra, sive extra Mœnia constitutis, excepto ipso Confessore cum suo Socio, alii Regulares, etiam si Superiores sint, minimè pernoctent.*

§. 12. *Si quis verò prædictorum Regularium aliquid contra præsentium tenorem facere, vel moliri præsumpserit, aut adimplere neglexerit, ipso facto pœnam excommunicationis, & privationis omnium officiorum, quæ obtinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia imposterum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis, & exemptionibus tueri se possit, quominùs ab Episcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, corrigi, & puniri valeat.*

§. 13. *Decernentes &c. Sicque, & non aliter*

ter. &c. Sublata eis &c. Irritum, & inane &c. Non obstantibus &c. Dat. in Arce Gandulphi tertio decimo Kalen. Novembris 1664.

Per quas amplas, & adeò prægnantes clausulas, nulli dubitandum, quin omnia, & singula cassentur, revocenturque in contrarium privilegia: ipsæque, utpotè antiquatæ, relinquantur consuetudines, juxta efficaciam *Decreti irritantis*, cuius est omnem consuetudinem, futuram quoque, tollere, per Panimolla *dec.1.adnot. 2.nu.*33. Sperellum *dec.*161.*num.*13.*& dec.* 179.*num.* 35. & vires clausulæ *sublata*, quæ tali operatur virtute, ut os claudat parti, & ab Judice facultatem aliter judicandi adimat, ex Barbosa *de diction. diction.* 102.*num.* 2. & communi DD.

7 Episcopi, quibus Trid. *alleg. cap. & sess.* negotium Clausuræ committit, possunt, etiam inconsultis, & irrequisitis Regularium Superioribus, Monasteria Monialium, quæ istis subduntur, quoad Clausuram visitare, ex Sac. Congregat. Conc. in una Colobrien. die 26. Maii 1640. apud Barbos. *ad sess.* 25. *cap.*5. *de Regul. num.* 13. ut infra: *Sac. Congr. Conc. censuit Episcopum Colimbriensem uti Sedis Apostolicæ Delegatum, potuisse quoad Clausuram Monasteriorum Monialium Conventus de Cellas Ordinis Cistercienses, Regularibus ejusdem Ordinis subjectorum, visitare, etiam assumpto secum Vicario Generali & Confessario earumdem Monialium; Monialesque ipsas in iis, quæ ad eamdem clausuram pertinent, examini subjicere, semotis etiam suspicione violatæ clausuræ, ac quacumque Superiorum Regularium negligentia, ipsisque inconsultis, & irrequisitis; ac insuper eidem Episcopo licuisse Rectorem Collegii dicti Ordinis, ex supradicta causa inobedientem, declarare in pœnam excommunicationis, ac alias comminatas incurrisse.*

8 Et priùs *sub* 24. *Septembris* 1622. *censuit licere Episcopo visitare Monasteria Monialium Regularibus subiectarum, & singulas Moniales absque interventu Regularium alloqui in concernentibus Clausuram: lib.* 12. *Decr.fol.*111. Et alias in una Recinen. 1638. *lib.*11. *Decr.fol.* 31. *ad septimum censuit, posse Episcopum ingredi Clausuram saltem duobus honestis, & gravibus viris comitatum* Et in una Viterbien. die 26. Junii 1627. apud Nicol. *locubrat.lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 3. & Panimoll. *dec.*84. *adnot.* 3. *num.* 56. ubi quærebatur: *An Episcopus ad Clausuram custodiendam, etiam in monasteriis Regularibus subjectis, possit excommunicationis latæ sententiæ pœnam sibi reservatæ imponere circa aperitionem ostii Clausuræ extra casus indigentiæ, necnon circa accessus, & colloquia cum Monialibus; dictaque excommunicatio liget nedum Regulares accedentes, verùm etiam Moniales, facta de illis mentione, adeòut Superior Regularis ab huiusmodi excommunicatione absolvere nequeat?*

Sag. Congr. Card. Conc. Trid. Interpretum respondit: Episcopum posse.

9 Et Episcopus nedum per se ipsum, sed etiam per suum Vicarium, potest in respicientibus Clausuram Monasteria visitare ut notat Sperell. *dec.* 99. præsertim cùm ad id habet Vicarius speciale mandatum; ubi *num.*27. testatur se super hoc favorabilem obtinuisse à S. Congr. Conc. resolutionem tenoris, qui sequitur. „ S. C. Cardinalium „ Concilii Trident. Interpretum ad utrumque dubium respondit, non solùm Episcopo, sed etiam Generali eius Vicario „ ad hoc speciale mandatum habenti, licere pro Clausuræ visitatione ingredi septa „ Monasteriorum Monialium Regularibus „ subjectorum, tametsi nulla rationabilis „ violatæ Clausuræ suspicio irrepserit, & „ acriter reprehendit Rodericum, quòd „ hac de re tam audacter loquutus fuerit.

In eo reprobatur Roderic. quòd dixerit *tom.*1.*qq. quæst.* 47. *art.* 10. „ Tridentinum „ eo decret. *cap.*5. *sess.* 25. non concedere „ Episcopis licentiam ingrediendi Monasteria Monialium, subiecta etiam Regularibus, ut videant, si clausura est inviolata; sed tantùm concedere, ut postquam „ sciverint esse violatam, procurent juxta „ terminos juris ipsam restitui, & restaurari, monendo Prælatos dictorum Monasteriorum, ut clausura restauretur: „ quòd si admoniti intra sex menses, hoc „ emendare neglexerint, tum iidem Episcopi, etiam ut Legati Sedis Apostolicæ, eorum defectum auctoritate Apostolica possunt supplere. Hæc ille ibidem sed nimis laxo calamo, ideò à Congreg. reprehenditur.

Tale mandatum est in Vicario necessarium, ut licentias ingrediendi Monasteria concedere valeat, prout in una Mediolanen. *lib.* 2.*Dec.fol.*174. eadem S. C. firmavit.

10 Cæ-

10 Cæterùm in visitatione Monialium Regularibus subjectarum sunt ab Ordinariis observandæ Responsiones Sacræ Congreg. Conc. ad dubia eidem super ea re proposita à P. Francisco de Monelia Min. de Obs. Procuratore Generali.

„ I. An Episcopus visitaturus Clausuram Monialium Regularibus subjectarum teneatur ante accessum ejusdem Monialibus præfinire diem, & horam visitationis?

„ II. An in Ecclesiis earundem Monialim non Curatis, visitare possit Sanctissimum Sacramentum, Oleum Infirmorum, Confessionalia, Sepulturas, ac Reliquias inibi existentes? & quatenùs affirmativè.

„ III. An in casu resistentiæ Monialium possit fores Ecclesiæ frangere, Tabernaculum violenter aperire, Ecclesiam interdicere, & Eucharistiæ Sacramentum ad aliam Ecclesiam transferre?

„ IV. An Episcopo Monasteriorum Clausuram visitare volenti, dictæ Moniales teneantur erigere in Ecclesia exteriori, vel interiori Sedem cum Baldachino, vel solummodò sufficiat illi stratum præparare in utraque Ecclesia?

„ V. An Episcopus dictam Clausuram visitaturus, præterquam convisitatores, possit pro suo libito secum ducere initùs Monasterium alias personas, sive Ecclesiasticas, sive Sæculares, indeterminatè vel in certo, & præfixo numero?

„ VI. An Episcopum dictorum Monasteriorum Clausuram visitaturum teneatur Moniales omnes excipere personaliter cum Cruce, & Cantico Benedictus?

„ VII. An dictæ Moniales teneantur in ipso Clausuræ ingressu adornare stratum ibique genuflectenti Episcopo Monialis aliqua porrigere debeat Crucem deosculandam?

„ VIII. An Episcopus Clausuram ingressus possit pro suo libito convocare dict. Moniales omnes in Choro interiori aut alio loco, & ad eas sermonem habere?

„ IX. An absolutè, & indifferenter visitare possit Cellas dictarum Monialium, etiam quoad non pertinentia ad Clausuram.

Ad quæ die 19. Januarii 1686. Sac. Congreg. S.R.E. Card. Conc. Trid. Interpretum respondit.

Ad I. Negativè.

11 Ad II. Censuit dandum esse Decretum in Florentina Iuris visitandi tenoris infrascriptis. „ An Archiepiscopus, seu de ejus mandato Vicarius Generalis possit visitare Sanctissimum Sacramentum, Olea Sacra, Confessionalia, & sepolturas in Ecclesiis Monialium Regularibus subjectarum? Die 29. Iulii 1684. S.C.C. Resp. negativè, nisi in his, quæ concernunt observantiam Clausuræ, & quatenùs non adsit legitima consuetudo in contrarium.

Ad III. Negativè, nisi in casibus spectantibus ad Clausuram.

Ad IV. Sufficere præparationem strati.

12 Ad V. Servandas esse Constit. Apostolicas Greg. XIII. Dubiis, quę emergunt, „ Nos omnem exitationis materiam tollere, & viam scandali præcidere, ac Sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes, tam Sæculares, quàm Regulares, quibus cura, & regimen, Monasteriorum Monialium, quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demùm uti posse, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis, comitati.

Ad VI. Negativè.

Ad VII. Itidem negativè.

Ad VIII. Posse.

Ad IX. Negativè.

13 Pro facultate concedendi licentias ingrediendi Clausuram Monialium, Trid. utitur disjunctiva, *vel*, ibi: *Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipsofacto incurrenda*. Ex quibus inferri potest, ad licitum ingressum sufficere obtinuisse illam, vel ab Episcopo, vel à Superiore Regulari; qui semper, cum etiam ipse debeat concedere, subscribit post Episcopum ex Sac. Congreg. Conc. *in una Vincentina* 16. Februarii 1627 Flosc. Nicol. *ver. Moniales num.* 29. & nil potest addere, vel mutare *ibid.* Satis necessaria vide *sup c.* 3. *nu.* 5.

Licentiæ autem huiusmodi, nonnisi ex causis necessariis sunt concedendæ, ex Trident. *alleg. cap.* 5. Quinimò obtinentes licentiam ingrediendi ex causa, si ingrediantur pro libito & sine causa necessaria, ipsaque abutantur, incurrunt ipso

facto

facto excommunicationem Papæ reservatam, ex Const. Greg. XIII. *Ubi gratiæ la* 28. *Bullar. tom.* 2.

14 Prælati item Regulares habentes Monasteriorum curam, sub eadem censura non possunt extra necessitatis casum clausuram Monasteriorum Monialium ingredi, ex ejusdem Greg. Constit. *Dubiis sub eadem ibid.* Casum verò necessitatis, Alex. VII. *ubi supra*, restrinxit ad tempus visitationis.

15 Ingressus in clausuram ad malum finem, hoc est, ad actus venereos, est casus reservatus Sedi Apostolicæ, ut in Decreto Clem. VIII. de quo *cap.* 2. *n.* 7. Et infert excommunicationem reservatam Papę, etiam si violatio clausuræ fiat propria auctoritate, & non sub prætextu licentiarum, ut ea de re consulta respondit S. C. C. *in Sabinen.* 3. *Julii* 1632. Monacell. *for. part.* 2. *form.* 15. *num.* 14. *tit.* 15.

In omni item casu, quo clausura, etiam non licentiarum prætextu, nec ad malum finem, per ingressum violatur, incurritur censura lata *in d. cap.* 5. *Trid.* quæ ibi non reservatur. Tamen ex stylo Curiæ in isto etiam casu pro absolutione recurritur ad Sacram Pœnitentiariam, ut notavit Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 100. *n.* 25.

Violatur etiam clausura ab introducentibus in eam pueros cujusvis ætatis, ut dixi *cap.* 32.

Etiam Moniales extra clausuræ terminos absque Sedis Apostolicæ licentia egredientes, easque comitantes, & recipientes, ac concedentes licentiam, innodantur censura Papæ reservata, ex Constit. *B. Pii V. Decori la* 18. *Bullar. ibid.* in qua excipiuntur casus *magni incendii, lepræ, & epidimiæ*, prævia cognitione, & approbatione Episcopi. Sed nonnisi pro necessitatis tempore, ut ibi *tex.*

16 Non potest Monialis energumena, etiam à proprio Confessario, intra Monasterii septa exorcizari; sed id agendum est in Ecclesia exteriori coram duabus, vel tribus fæminis consanguineis, januis clausis, obtenta priùs à S. C. licentia, ut in *Bononien.* 14. *Maii* 1645.

17 Moniales ascendentes supra tectum violant clausuram, ex Sac. Congr. Conc. *in una Comen.* 16. *Septemb.* 1609. *& in Licien.* 16. *ejusdem mensis*, quæ mandavit absolvi quasdam Moniales, quæ bona fide ascenderant supra tectum ad siccanda frumenta, vel videndum aliquod festum, cum expressa prohibitione illuc ultra ascendendi, apud Nicol. cit. *v. Monialis numer.* 35. Ideò cautè legendus Diana *coord. tom.* 5. *tr.* 1. *resolut.* 83. *numer.* 2. Nam certè Monialis super tegulas gradiens, non dicitur esse in clausura, sed extra ambitum, & illius terminum.

18 Licentiæ à Sede Apostolica datæ mulieribus ad ingrediendum clausuram Monialium, exequendæ non sunt, nisi prævio Monialium consensu, capitulariter expectato; aliàs non suffragantur, ex Const. Urb. VIII. *Sacrosanctum la* 31. *Bullar. tom.* 4.

Habens licentiam intrandi pro uno servitio, si postea intret pro alio, violat clausuram. Sac. Congr. *in Pitavien.* 1. *Octobr.* 1630. Nicol. *v. Clausf. num.* 40.

19 Confessarius debet ingredi clausuram cum cocta, & stola, & non aliter, S. Congr. *in una Lucen.* 22. *Decemb.* 1620. Nicol. *cit. n.* 35. Et semper debet secum habere socium maturæ ætatis, hoc est 40. annorum, quæ præsumitur ætas matura.

20 Appellatione clausuræ venit illud spatium muris cinctum, & terminatum, quod continetur intra januam Monasterii semper clausam, tex. *in c. Exivi de verb. signif. in* 6. ubi declaratur, nomine clausuræ venire *dormitoria, claustra, & interiores officinas*: inter istas non incongruè ponuntur horti. Unde Sac. Congr. Conc. 16. *Octobr.* 1578. censuit, hortos, vel silvas muratas, aut fovea circundatas comprehendi sub clausura, Nicol. *v. Monial. numer.* 34. Legenda etiam est Constit. Gregor. XIII. *Deo Sacris la* 8. *Bullar. tom.* 2. ex qua habetur sub clausura contineri illud spatium, ad quod Sæcularibus sine licentia ingressus licitè non patet.

Quare à Moniali violatur clausura, quoties toto corpore extra clausuræ terminum, etsi ad modicum tempus, se ponit; quia tunc verificatur, quòd egrediatur à Monasterio, & sit extra terminum clausuræ, quod non licet, ex d. Gregoriana; solùm à mortali excusatur, si manum, vel pedem extra clausuram extendat, modò non toto corpore extra eam sit, ut per Donat. *prax. regul. tr.* 4. *tit.* 4. *q.* 25.

21 An autem Episcopus possit Moniales absolvere delinquentes, etiam secre-

cretò circa violationem clausuræ? Resp. Negativè, ut ex Sacr. Congr. Conc. refert Fagnan. in 1. *ad c. dilectus de temp. ordinat. n.* 32. & 33. ubi consulta: *An, si Monialis alicuius Monasterii, jurisdictioni Regularium subiecti, secretò deliquerit in materia clausuræ, in foro conscientiæ absolvi possit vigore ejusdem decreti in* cap. 6. sess. 24. de ref. *ab Episcopo, cui tanquam delegato in iis, quæ ad clausuram pertinent, auctoritas tributa est decreto cap. 5. sess. 25. de Regul.* stante prædicta Bulla B. Pii V. *Decori*. Respondit *Non posse*. Quod in Fagnan. hoc fortè Pignatell. ubi supra, & Monacellus *cit. p. 1. in append. adnot. ad Const.* 8. *B. Pii numer.* 4. non observarunt.

Cum enim Bulla sit confecta post Concilium, censetur derogasse Concilio: & Bullam B. Pii habere locum etiam in occultis, recenset *ibid. n.* 31. fuisse à Summo Pontifice declaratum. Et *n.* 30. exscribit aliam Sac. Congr. Conc. declarationem, quæ interrogata: *Sed nunquid Episcopus facultate sibi tributa in d. c. 6. sess. 24. in casibus occultis post Concilium ex nova lege Sedis Apostolicæ reservatis*, etiam cum clausula, Non obstantibus, *absolvere possit*? Censuit *non posse*. Et in specie, cum dubitatum fuerit: *An Episcopus, & Inquisitores possint hodie ex d. cap. 6. sess. 24. absolvere lapsos in hæresim, non obstante Bulla Cœnæ Domini*? Censuit, *Bullam derogasse decreto c.* 6. Fagnano in similibus fides est adhibenda: ad plures enim annos fuit S. Congr. à secretis, & inde optimè peritus in resolutionum notitia.

CAPVT XII.

Officialis quoad Conciones.

SUMMARIUM.

1 *Approbatio, & licentia Superioris est necessaria in Regularibus ad concionandum.*
2 *Petenda est etiam benedictio ab Ordinario.*
3 *Regulares, si Episcopus contradicat, nec in propriis Ecclesiis prædicare possunt.*
4 *Omnes unius Conventus Concionatores nequit Episcopus suspendere.*
5 *Necessitas benedictionis petendæ, quos casus, & loca comprehendat?*
6 *Cum Episcopus prædicat, Regulares docent, si ipse velit.*
7 *Possunt prohiberi, ne prædicent, cum prædicatur in Parochiali.*
8 *Ad prædicandum in Ecclesiis non suorum Ordinum, egent etiam licentia Episcopi.*
9 *Potest Episcopus examinare Regulares prædicaturos in Ecclesiis alienis.*
10 *Ex privilegio Provinciales Minorum possunt Concionatores approbare: ubi de examine præmittendo.*
11 *Stipendia Concionatoribus debentur, & à quibus?*
12 *Regulares non sibi, sed Monasterio ea acquirunt.*
13 *Fratres de Corpore Observantiæ pecunias Concionum recipere nequeunt.*
14 *Collatio stipendii pro concionibus non est simoniaca.*
15 *Finis Concionatorum qualis?*
16 *Disposita ab Alexandro VII. pro Concionatoribus Monialium, præsertim urbis.*
17 *Concionari non debent, nisi Sacerdotes, vel Diaconi.*
18 *Sedilia in Ecclesia Laicis permissa, removenda, dum sunt causa rixarum.*

1 NUlli Regularium concionari etiam in sui Ordinis Ecclesiis conceditur, quin priùs per eiusdem Superiores, prævio morum, & scientiæ examine, ad exequendum munus approbetur, & licentiam obtineat, prout in terminis decrevit Trid. *sess. 5. cap. 2. de reform.* ibi: *Regulares verò cujuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, prædicare non possint.*

2 At id non sufficit, sed ulteriùs ab Ordinario benedictio est petenda, ut ibi: *Cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.* Quod Gregorius XV. *Constit. Inscrutabili* 18. *Bullar. tom.* 3. & deinde Clem. X. *Constit. Superna magni la* 7. *Bullar. tom.* 5. confirmarunt.

Neque est necesse, quòd petens eam obtineat, ut per hæc ipse Clemens decrevit: *Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano*

ne benedictionem petere : prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint.

3 Intelligitur tamen, si Episcopus non prohibuerit: quia in casu Pontifex ibidem (sed priùs Trid. *sess.* 24. *cap.* 4.) clarè exprimit non licere: *Quòd si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare.* Et statim subdit: *Episcopum tamen absque justa, & rationabili causa contradicere non debere.* Quam causam non tenetur Regularibus significare, ut cum aliis testatur Antonellus *de regimin. Eccles. lib.* 7. *cap.* 13. *sub nu.* 6. Et videtur esse juxta tenorem Constitutionis, in qua §. *& eos*, statuitur, Episcopum non teneri significare Regularibus causas, ob quas Confessarios à se simpliciter approbatos ad Confessiones sæcularium, ab iisdem audiendis suspendat.

4 *Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent*; idem Clemens subjungit. Propterea ad tempus potest in eisdem officium prædicationis, per aliquos Religiosos exercendum, interdicere; at non pro semper, & cum singulorum exclusione.

5 Necessitatem benedictionis petendæ ibidem extendit Pontifex etiam ad alios casus, & loca, his verbis: *Et hujusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licèt clausis januis, & nullus sæcularis ibi intersit, habere voluerint.*

Unde apparet, Pontificem loqui, tam de prædicatione, quæ habeat tractum successivum, in qua scilicet possit assignari principium, medium, & finis, ut potest in ea ad longum tempus, Quadragesimæ, scilicet, Adventus, & per Annum; quàm de illa, quæ unico absolvitur actu, ut evenit in Sanctorum festis, in quibus ab uno, vel altero habetur sermo ad populum. Et idem in una Vercellen. resolvit Sac. Congr. Conc. 31. *Martii* 1643. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 268.

Verùm non est necesse, quòd pro singulis Concionibus Quadragesimæ, & ad aliud longum tempus continuatis, singulis diebus petatur benedictio; sed sat est petere in principio, & obtinere. Quod certè est iuxta mentem Trid. *d. sess.* 5. *cap.* 2. in illis verbis, *Antequam prædicare incipiant.*

6 Hora, qua vel ipse Episcopus prædicare, vel ab alio solemniter, & non privatè; concionem audire velit, debent Regulares à Concionibus in Ecclesiis propriis cessare, si ipse sic disposuerit; ut clarè habetur in Clementina *Dudum de sepult.* §. *nos autem &c.* ibi: *Ordinamus, dictorum Ordinum* (Prædicatorum, scilicet, & Minorum) *Fratres in Ecclesiis, & locis eorum, ac in plateis communibus, liberè valeant Clero, & Populo prædicare, ac proponere Verbum Dei: hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari.*

7 Imò prohibere potest, ne in suis Ecclesiis prædicent tempore, quo in Ecclesia Parochiali prædicatur: & hunc esse sensum Trid. *sess* 24. *c.* 4. constat ex textu: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei. Nullus autem Sæcularis, sive Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.*

8 *In Ecclesiis verò* (sequitur Trid. *cap.* 2. *cit.*) *quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum, nullo modo prædicare possint: ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.* Quod confirmat Greg. XV. d. Constit. *Inscrutabili.*

Non solùm pro Ecclesiis non suis egent licentia, sed etiam si in plateis, aliisque locis prædicare velint, ut habetur in Trid. *d. sess.* 5. *c.* 2. *& sess.* 24. *cap.* 4. ubi utitur adverbio *etiam*, quod ampliat præfata decreta ad sensum, ut nulli Regularium liceat prædicare in aliquo loco, quicumque sit, sine benedictione, vel licentia Episcopi, aut Episcopo contradicente; *etiam si* in Ecclesiis proprii Ordinis esset concionaturus. Donat. *Prax. Reg. tom.* 3. *tract.* 6. *q.* 19.

Et quia non sumus in iis, quæ spectent ad Ordinem, sed ad iurisdictionem, nomine Episcopi venit quilibet Ordinarius loci, quamquam Episcopus non sit.

9 Ab Episcopo facultatem concedente, item examinari possunt, ut Clem. X. ibidem: *Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus, in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus,*

illos, quamvis ab Universitatibus, aut Magistratibus laicis nominatos, etiam si Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet visum fuerit: & licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licèt occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere.

10 In Ordine Fratrum Minorum ex vi Regulæ solus Generalis potest Prædicatores approbare; ex privilegio tamen Clementis IV. Constit. *Virtute conspicuos la* 4. §. 6. *Bull. tom.* 1. conceditur Provincialibus, & definitoribus in Capitulis Provincialibus congregatis; sub quibus veniunt etiam Congregationes intermediæ, vim Capituli habentes, Marchant. *in c.* 9. *Regulæ S. Francisci tit. unico q.* 1. *concl.* 2.

Tenentur autem Superiores, priusquam patentes institutionis concedant, suos Religiosos examinare, ut de ipsorum idoneitate ad exercedum tanti ponderis ministerium judicium forment; nec ad id satis est per litteras testimoniales instrui, quòd tanto tempore in studio Theologico fuerint occupati: nam, præterquamquòd plures inepti eliguntur, strictius onus Superioribus imponitur à Leone X. *Constit.* 21. *Bullar. tom.* 1. ibi: *Nullus, tam Clericus Sæcularis, quàm Regularis, ad hujusmodi officium exercendum admittatur, nisi priùs per Superiorem suum respectivè diligenter examinatus (in qua re conscientiam ipsius Superioris oneramus) ac morum honestate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate ad illud aptus, & idoneus reperiatur.*

11 Quantùm ad alimenta, & stipendia Concionatoribus debita, Trident. *d. sess.* 24. *c.* 4. per hæc modum præscribit: *Mandat, ut in Ecclesia sua ipsi* (Episcopi) *per se &c. in aliis autem Ecclesiis per Parochos* (scilicet prædicent) *sive, iis impeditis, per alios ab Episcopo, impensis eorum, qui eas præstare, vel tenentur, vel solent, deputandos.*

Tenentur autem, qui Prædicatorem nominant, & eligunt, aliique, qui, quamquam eundem non eligant, consueverunt tamen eidem stipendia præstare, si consuetudo non adsit, obligari Parochum de redditibus beneficii, firmat Sperellus *dec.* 70. *n.* 15. & ubi non sufficiunt, cogendus est populus in subsidium; nisi aliunde certi reperiantur redditus, ad id relicti: videatur Panimoll. *decis.* 91. *adnot.* 2.

12 Sibi tamen Concionatores, si sint Regulares, stipendium non acquirunt, sed immediatè Monasterio, Donat. *tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 11. *quæst.* 3. & in terminis *cap. exiit in* 6. *de verborum significatione* §. *Ne alium*, ibi: *Monachus res sibi oblatas, concessas, vel donatas, Monasterio acquirit.* Et Conc. Trident. *sess.* 25. *de Regul. & Monial. cap.* 2. *Nemini igitur Regularium*, ait, *tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, & Conventui incorporentur.* Idem legitur *in decret. pro reform. Regul.* Clem. VIII. §. 3. innovatis ab Urban. VIII. *Constit. Nullius sub la* 28. *Bullar. tom.* 4.

13 Pro illis de corpore Observantiæ, sive sint Observantes, sive Reformati, Discalceati, & Recollecti (quibus ex Regula, & Constit. Nicolai III. Clem. V. & Innoc. XI. est prohibita quælibet civilis receptio, & contrectatio pecuniæ) Capit. Generale *Tolet.* 1633. *tit. de Prædicatoribus* (cujus statuta olim confirmata fuere ab Urbano VIII. *Orb. Seraph. tom.* 4. *tit. de Prædicatoribus*) sic statuit: *Prædicatores quicunque eleemosynas Prædicationis prætextu oblatas penitùs non recipiant; nec de illis sub quovis prætextu, vel quæsito colore disponere, aut quomodolibet tractare præsumant, & audeant: sed si, absoluta Prædicatione, vel ante contigerit fieri, a quovis genere personarum, Prædicatoribus ipsis eleemosynarum oblationem, respondeant, Syndicis Conventuum dumtaxat liberè, & integrè transmittendum, & consignandum fore.* Addit contra transgressores pœnas. *Quòd si constiterit quempiam Prædicatorem per se, aut per alios pecuniam recipere, vel recepisse, proprietatis pœna omninò puniatur, & actibus legitimis per sexennium privetur: quam pœnam etiam Guardiani subeant, si eorum culpa, vel negligentia contrafieri contingerit.* Quod totum in forma specifica *Const. Exponi nobis sub die* 16. *Octobris* 1685. confirmavit Innocentius XI. *Directorium Trium Ordinum. Const.* 6. eamdem per extensum referens

rens. Et Urbanus VIII. *Const. Militantis la* 283. *Bull.tom.* 5. pro restituendo, & conservando disciplinæ Regularis candore in Ordine memorato, hæc cæteris addit: *Omnibus, & singulis prædictis Ord. Concionatoribus, ultra pœnas in proprietarios per ejusdem Ord. statuta fulminatas, in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub privatione Officiorum, quæ obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque officia, gradus, & dignitates imposterum ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, ut de prædictis eleemosynis per se nullo modo disponant, nec eas ab offerentium manibus in suas recipiant, vel in Procuratoris, vel alterius deponi faciant, sed easdem integras Superiori Provinciali significent, qui de illis juxta Regulæ præscriptum disponat.*

14 Neque excusatur quis ab onere præstandi concionatori, præter alimenta, stipendium, ex capite, quòd talis consuetudo, vel pactio de mercede sit nutritiva peccati, utpotè simoniaca; quia id esset verum, quando daretur pro ipsa concione, ut actio spiritualis est, pro qua certè merces minimè datur; sed confertur dumtaxat pro servitio, & laboribus extrinsecis, per accidens adiunctis, præviis, vel comitantibus ipsam actionem sacram; ut est, se conferre de loco ad locum, locare suam libertatem, ac ea se privare, se obligando ad prædicandum in tali loco, & pro tanto tempore, Quadragesimæ, Adventus, vel alio, ad quæ gratis præstanda quis non obligatur; quæ omnia sunt quid temporale, & pretio extimabilia, adeoque digna mercede: quæ proinde sine labe simoniaca conferri potest, ut cum aliis tenet Engel. *Collect. univ. Jur. Can. lib.* 5.*tit*.3.§.3.*numer*.5. Sperellus *decis. alleg.à num*.13.

15 Et ex eo plures volunt posse concionatorem, quin simoniacus censeatur, quærere concionem, in qua pinguiores colligantur eleemosynæ; verùm, licèt in casu ex dictis excusetur à simonia, tamen ab avaritia non est immunis: potiùs enim quærenda sunt loca ad Deo fructificandum aptiora, quàm ad sibi temporalia lucranda, Sperell. *n*.14.*vid.infr.c*.49.

16 Pro concionatoribus in Ecclesiis Monialium præsertim Urbis Alex. VII. *Const. Sacrosancti* 50. *Bullar.tom.* 5. §.4. decrevit, ut infra: *Confessores quoque, & concionatores nihil omninò quovis prætextu à Moniali-bus accipere possint sub eisdem pœnis* (§.3. enumeratis) *præter duos Julios monetæ prædictæ in pecunia numerata, si per institutum regulare licuerit, pro quotidianis eorum alimentis ad tempus servitii præstiti, & non ultra, Procuratori Conventus respectivè solvendos; sin minus, equivalentem vini, frumentique portionem Syndici consignandam.*

17 Munus concionandi in praxi regulariter committendum non est, nisi Sacerdotibus, vel constitutis in ordine Diaconatus, ut S. C. Episc. in *Caputaquen.* 14. *Decemb.* 1696. Quod expressum fuit in edicto publicato *anno* 1705. de mandato Clement. XI. pro observantia ritus servandi in publica expositione SS. Sacramenti tempore 40. horarum, Monacell. *for.part.* 2.*for*.8. *tit*.13. *num*. 6.

18 Hìc ad rem est subnectere, quod, cùm occasione sedilium, & scamnorum sæpe Laici inter se certent, & inde scandala oriantur, debeat Episcopus in suis Ecclesiis providere, ut nova sedilia in eis non apponantur sine ejus licentia. Ipse enim est arbiter illa moderandi, & removendi: maximè, dum sunt causa scandali, & rixarum, impediuntque Ecclesiasticas functiones, ut sæpiùs resolvit S.C.Episcop. apud Nicol. *flosc. v.Ecclesia num*.11.& apud d. Monacell.*part*. 1.*formul.8.tit.5.num*.4.S.R.C. *in Verulana* 6. *Septembr*.1698.Quinimmò tolerari non debent extra tempus concionum, ut apud d. Nicol.*ibid.S.C*.14. *Septemb*.1588. usus enim sedilium, quæ Laici habent in Ecclesia, provenit ex benignitate, tolerantia, & ex gratia revocabili ejusdem; propterea ipsi non possunt, ipsa Ecclesia renuente, servitutem, aut quasi possessionem manutenibilem acquirere, vel prætendere, ut fuit ponderatùm *in d. Verulana* apud cit.

Eadem solicitudine debent Superiores Regulares attendere, ne in suis Ecclesiis ea de causa rumores, & scandala oriantur: & in casu procedant juxta evenientes circumstantias.

Official. Cur. Eccl.

CAPUT XIII.

Officialis quoad Confessarios Monialium.

SUMMARIUM.

1 *Moniales quolibet mense Confessionem facere debent.*
2 *Confessarii, etiam exemptarum, ab Ordinario approbantur.*
3 *Non sufficit eos esse approbatos ad confessiones sæcularium.*
4 *Approbatus pro uno Monasterio, non censetur pro alio approbatus.*
5 *Approbatio Confessariis extraordinariis necessaria, & quoties?*
6 *Colloquia prohibita cum Monialibus, & pœnæ.*
7 *Modus observandus ab Ordinariis in approbatione Confessorum Monialium.*
8 *Triennium præscribitur Confessariis ordinariis, & eorum ætas.*
9 *Confessarii ordinarii non accedunt ad Monasterium tempore, quo est deputatus Confessarius extraordinarius: & plura alia.*
10 *Confessarii Monialium tempore Jubilei debent approbari ab Ordinario.*
11 *Nomine Prælati intelliguntur etiam Episcopi.*
12 *Episcopi pro suis Monasteriis possunt deputare Regulares, Confessores.*

1 DE rigore præcepti obligantis sub mortali (nisi per propria Monasteriorum statuta aliter sit provisum) non tenentur Moniales, nisi ad annuam confessionem, sicut cæteri fideles; nihilominùs S. Conc. Trid. saltem quolibet mense, semel confiteri desiderat; & ideò *sess.* 25. *de Regul. & Monial. cap.* 10. sic disponit: *Attendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, ut in Constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, ut, saltem semel singulis mensibus, confessiones peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant.*

2 Quarum Confessarii debent esse ab Ordinario loci approbati, etiam pro illis, quæ Regularium gubernio subsunt, prout ex Const. *Inscrutabili* Gregorii XV. 18. *Bullar. tom.* 4. ibi: *Confessores verò, sive Regulares, sive Sæculares quomodocumque exempti, tam ordinarii, quàm extraordinarii, ad confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas, nullatenus deputari* (scilicet per Regulares) *valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.* At pro istis præsentandi, & proponendi sunt à propriis Prælatis Episcopo, & Ordinario, ut approbentur, & ad munus exequendum judicentur idonei, ac facultatem audiendi confessiones recipiant, arg. ex ipsa Constitut. & Textu Trident. ac ex Clement. *Dudum de sepulturis*, §. *Statuimus*. Quam, quoad formam præsentandi Ordinariis Religiosos deputandos in Confessarios, non esse revocatam per Decretum Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reform. numer.* 7. tradunt DD. à Barbosa *ibid. alleg.* cum quibus ipse firmat, Episcopos non approbare Regulares in Confessarios, nisi à Prælatis suis, sibimet, saltem interpretativè, præsententur. Videatur Tamburin. *de jure Abbatiss. disp.* 16. *quæsit.* 2. *num.* 3.

3 Nec sufficit, Regulares approbatos esse ad sæcularium confessiones, sed est necessaria specifica approbatio pro Monialibus: ut in terminis Constitutio *Superna* Clem. X. 7. *Bull. tom.* 5. ibi: *Et generaliter* (Religiosos scilicet) *approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.*

4 Qua item eget approbatus pro uno Monasterio, cùm non censeatur pro omnibus approbatus, juxta text. *ibid. Atque approbatus pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii.*

5 Id qua pro Confessoribus extraordinariis hæc sunt; *Itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse, expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum Confessiones audire; sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

6 Utrique Confessario extra actum Con-

Confessionis interdicuntur cum Monialibus colloquia, ab Alex. VII. Const. *Sacrosancti la* 50. *Bull. tom.* 5. in qua §. 2. ex verbis narrativis constat, aliàs id per Sanctam Sedem fuisse decretum; quod & ipse §. 3. innovat, & confirmat, (& præsertim pro Monialibus Urbis) & §. 6. addit: *Præterea interdicimus omnibus, & singulis prædictis* (Confessoribus, Concionatoribus, & Superioribus omnibus) *sub eisdem pariter pœnis, colloquia quæcumque cum Sanctimonialibus prædictorum Monasteriorum (comprehensis etiam Abbatissis, Priorissis, & Officialibus) extra actum Confessionum, concionum, aut visitationum hujusmodi: adiecta &c.* idem ex Sac. Congr. in una *Nolana* 21. *Februar.* 1617. apud Tamburin. *disp.* 24 *quæsit.* 3. *n.* 5. Prohibitio comprehendit etiam socios, & alios Regulares, ut *ibid.* Alex.

Pœnæ autem, quas Alex. §. 3. in transgressores apponit, sunt, privatio vocis activæ, & passivæ, ac officiorum, & inhabilitas &c. redintegratione sibi, & successoribus Romanis Pontificibus reservata. Alia videas in Const. *Felici c.* 11. *n.* 2.

7 Modus in ordinariorum Confessorum approbatione ab Episcopis observandus sequenti epistola Ordinario Catanen. à Sac. Congreg. Episcopor. & Regular. *sub die* 4. *Maii* 1696. directa, continetur, ut infra: *Riferito in Sagra Congregazione dall' Eminentissimo d'Adda tutto ciò, che V.S. hà rappresentato in ordine all'approvazione fatta da lei per un sol'anno del Confessore ordinario, deputato dal Provinciale della Provincia Osservante di Sicilia per le Monache del Monasterio di S. Chiara d'Adernò di cotesta Diocesi, soggetto all'Ordine de' Minori Osservanti di S. Francesco, questi Eminentissimi miei Signori sono stati di senso, ch'Ella ò ammetta il Confessor deputato à compire il triennio, o assolutamente lo rigetti; e che in avvenire debba così osservarsi dal principio dell'approvazione di simili Confessori. Glie lo significo, & il Sig. Dio la prosperi.*

8 Triennio dumtaxat à die obtentæ patentis Confessarii ordinarii durant: eoque elapso, sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus, non posse ampliùs in eodem Monasterio per aliud triennium Confessiones audire. pluries reperitur à Sac. Cong. dispositum, Nicol. *Flosc. verb. Moniales n.* 43. *& verb. Confessarius numer.* 36. Pro assumptis de Ordine Minor. de Obser. Const. *Sambucana cap.* 11. §. 17. *numer.* 5. sic disponunt: *Confessores, & Vicarii Monialium non possunt durare ultra triennium in eodem Conventu, nec denuò institui possunt, nisi triennio vacaverint;* & exigunt quadragesimum ætatis annum *nu.* 1. Quod extendi etiam debet ad Confessores extraordinarios, prout pro Reformatis declaravit Sac. Congreg. Concil. in una *Cusentina sub die* 26. *Novembris* 1689. *lib.* 39. *Decret. fol.* 340. *à tergo*.

9 Confessarius extraordinarius est ex officio ab Episcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno Monialibus assignandus, juxta præscriptum à Trid. *sess.* 25. *de regul. c.* 10. Nam procedit per verbum imperativum, *offeratur*, quod debitum importat. Et licèt Moniales non teneantur eidem confiteri, si nolunt (quia, cum sit concessio eis favorabilis, non debet in illarum gravamen retorqueri, ut post Gallemart. & Donatum notavit Monacellus *for. p.* 2. *for.* 4. *num.* 4. *tit.* 9.) tamen debent ipsæ se præsentare, ut ab eo monita salutis recipiant, & actum subjectionis exerceant: juxta dispositionem pro Monialibus urbis editam ab Eminentissimo Cardinali Vicario, approbante Clemente XI. sub *die* 12. *Decembris* 1708. imposita Abbatissis pœna privationis officii, & cæteris Monialibus illa privationis vocis activæ, & passivæ ad annum. Sub quibus pœnis prohibentur tempore deputationis Confessarii extraordinarii confiteri ordinario; in quem pœna suspensionis ab audiendis Monialium Confessionibus infligitur, si pro eo tempore ad Monasterium, & Ecclesiam accedat. Idem pro Confessariis de Ord. Min. de. Obser. disponunt Statuta Sambucana *cap.* 11. §. 1. *num.* 12.

Confessarii non debent se negotiis temporalibus Monialium immiscere nisi urgens necessitas exigat. Nec ad alios usus, res, & negocia debent convertere loca, in quibus Confessiones Monialium excipiuntur, & per quæ eis Communio ministratur.

Non possunt ingredi clausuram ad effectum funeris peragendum, sepeliendisve corporibus Monialium defunctarum. Nam Constitutio Alex. *Felici alleg. cap.* 11. *num.* 2. specificat actus ad licitum ingressum in clausuram, adiecta dictione, *nisi*, quæ est exclusiva cæterorum, per Sperellum

decis. 66. nnmer. 32. Et Sac. Congr. Episc. 4. *Septemb.* 1583. apud Gavant. *manual. Epis. v. Monialium clausura num.* 40. *&* 30. *Ianuarii* 1582. apud Nicol. *Flosc. v. sepult. nu.* 6. respondit, Confessario non licere ingredi Monasterium Monialium ad effectum sepeliendi Moniales, vel peragendum Officium funeris. Neque consuetudo excusat à censura inflicta adversus violatores clausuræ; nec ab ea, quæ habetur in litteris Alexandri: qui omnibus, & singulis etiam consuetudinibus, quoad ea, quæ statutis in præcitata Constitutione adversantur, expressè, & specialiter derogat: sublata cuilibet facultate, & auctoritate aliter judicandi, & interpretandi, ac adjecta clausula Decreti irritantis, prout pleniùs in textu.

10 Vigore Jubilæi nequeunt Moniales eligere in Confessorem Sacerdotem, ad illarum Confessiones audiendas non approbatum, juxta textum Constitut. Gregorii, & Clementis. Præsertim etiam, quia non approbatus in specie pro Monialibus, idoneus pro illis non judicatur: sicut approbatus restrictè pro viris, non censetur idoneus pro fœminis, Quilic. *Confess. manuduct. q.* 1. *art.* 1. *n.* 12.

At dubium potest esse de approbato pro uno Monasterio: an vigore Jubilæi possit eligi à Monialibus Monasterii distincti? Et resolvendum est negativè ex verbis Clementis, qui absolutè, & simpliciter statuit: *Approbatos pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii.*

11 Et in aliis terminis reperitur dispositum ab Urbano VIII. Constit. *In specula la* 106. *Bullar. Cherubini tom.* 4. declarante Bullam Cruciatæ, & cætera indulta Regularibus, & Monialibus non suffragari, quantùm ad illum articulum eligendi Confessarium independenter à suis Superioribus Prælatis; nomine autem Prælati in re ad Confessionem spectante, in casu veniunt & ipsimet Episcopi, sine quorum licentia nullus, etiam Confessarius aliàs approbatus, excepto actualiter deputato, potest ad Monasterium Monialium accedere. Quæ sententia videtur securior, & quo ad praxim communior; adeout, qui sine hujusmodi Ordinarii deputatione id exequi non timeret, præter mortale peccatum, ob gravitatem materiæ, posset ab eodem, uti Sedis Apostolicæ Delegato, tamquam Apostolicarum Constitutionum transgressor, & Episcopalis jurisdictionis perturbator puniri.

12 Possunt Episcopi pro suis Monasteriis deputare Confessarios Regulares, si adsit necessitas, & licentia S. Congregationis, juxta rescriptum Sac. Congr. Venetiarum Patriarchæ, ut infra.

Molt' Illustre, e Reverendiss. Sig. come fratello. Stante la penuria, che è in cotesta Città di Sacerdoti Secolari ad esercitar il carico di Confessori di Monache sottoposte alla cura, e governo di V. S. come per parte di Lei è stato rappresentato alla Sacra Congregazione, si contentano questi Illustriss. miei Sig. ch' essa possa valersi à quest' effetto dell' opere de' Regolari, non ostante li Decreti della medesima Sacra Congregazione, che proibiscono a' Vescovi di servirsi di confessori Regolari per confessori delle Monache soggette all' Ordinario: mentre però ella facci provisione di Padri qualificati, & esemplari, di età di 45. *anni, & atti à dar sodisfazione, e consolar le Monache nelli loro bisogni spirituali, e purche i medemi Regolari non continuino simil carico oltre il triennio. Dio la preservi. Roma li* 7. *Giugno* 1620. vide Monacell. *for. p.* 1. *tit.* 5. *ad for.* 5. *pag.* 199.

CAPUT XIV.

Officialis quoad Confraternitates.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit Confraternitas?*
2 *Disposita à Clemente VIII. super Confraternitatum erectionibus.*
3 *Non limitantur erectiones Confraternitatum SS. Sacramenti.*
4 *Confraternitates non possunt interdicere actus devotionis: & transactiones annullantur &c.*
5 *Possunt Episcopi visitare Confraternitates erectas in Ecclesiis Regularium.*
6 *Confraternitates debent providere Altaria de necessariis.*
7 *Patres Conventuales possunt Confraternitates Cordigerorum ubique locorum erigere.*
8 *Ubi Conventuales non sunt, Observantes erigunt.*

9 *Di-*

9 *Distinctio Confraternitatis Cordigerorum à Tertio Ordine S. Francisci.*
10 *Confraternitates Rosarii erigunt Superiores Generales Ordinis Prædicatorum.*
11 *Confraternitates eriguntur absque præjudicio jurium Parochialium.*

1 NOmine Confraternitatum (desumpta denominatione à Confratribus, hoc est, à quasi Fratribus, simul in pace, & charitate, sub certis legibus respicientibus divinum cultum, unitis) veniunt Collegia Personarum liberè ad exercitia pietatis sub alicujus Sancti titulo, & protectione exequenda congregatarum.

2 Quarum ut una esset apud omnes erectionis, & aggregationis forma, Clemens VIII. Constitutionem edidit, incip. *Quæcumque à Sede* 115. *Bull. tom.* 3. in qua plura quoad hoc observanda præscribit: quæ summariè huc transfero.
Dec. 1604

I. Statuit, unicam tantùm Confraternitatem ejusdem instituti, & generis posse in Ecclesiis Laicorum, & Regularium institui, & aggregari.

II. Quòd id fiat de consensu Ordinarii, & cum litteris testimonialibus ejusdem.

III. Quòd instituentes, vel aggregantes Confraternitatem, eidem expresse, & in specie communicent Privilegia, Indulgentias &c. Ordini instituenti, vel aggreganti nominatim concessa; non verò ea, quibus per Privilegium communicationis gaudet.

IV. Quòd statuta Confraternitatum examinentur, & approbentur ab Ordinario loci, & corrigi possint.

V. Quòd in aggregandis, & instituendis Confraternitatibus servetur formula ab eodem Pontifice approbata.

VI. Quòd Gratiæ, & Indulgentiæ Confraternitati communicatæ, prævia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur.

VII. Quòd Confraternitas eleemosynas, & alia charitatis subsidia excipiat iuxta formam per Ordinarium præscribendam.

VIII. Quòd dictæ eleemosynæ pro arbitrio Ordinarii in utilitatem Ecclesiæ, aliosque pios usus erogentur.

IX. Quòd Confessarii Confraternitatum sint ab Ordinario approbati.

X. Quòd, si sint Regulares, à propriis etiam Prælatis approbentur; & absolvant Confratres iuxta Privilegia eisdem concessa, dummodò sint in usu, nec Concilio Tridentino, cæterisque Pontificum Constitutionibus adversentur.

XI. Quòd Confratres non possint absolvi à casibus infrascriptis.

1 Contentis in Litteris Bullæ Cœnæ.

2 Violationis Immunitatis Ecclesiasticæ.

3 Violationis clausuræ Monasteriorum Monialium: si ingressus fuerit sine urgenti causa, & absque Superioris licentia, vel cum istius abusu.

4 Iniectionis manus violentæ in Clericum.

5 Singularis certaminis, seu duelli.

6 Et ab aliis Sedi Apostolicæ, & Ordinario loci respectivè reservatis, & pro tempore reservandis.

7 Nec non à quavis excommunicatione ab homine lata.

8 Neque super irregularitatibus valeant dispensari.

XII. Quòd litteræ erectionis, & aggregationis gratis dentur.

XIII. Quòd priùs erectæ novas erectionis litteras petant iuxta formam ab eo approbatam; alioquin erectiones, & institutiones abolentur, & annullantur.

XIV. Deinde apponit decreta roborantia, decretum irritans, & alias fortes derogatorias, & non obstantias.

3 Et quamvis firmet unicam tantùm institui debere; tamen, quantum ad illam Sanctissimi, Sacramenti, sub die 7. *Februarii* 1607. cum approbatione Pauli V. Sacr. Congr. Indulgentiarum declaravit, prout sequitur: *Ma nell' instituire nuove Confraternite vogliono le Signorie Illustrissime, che una sola se ne possa fare in qualunque Città, Terra, o luogo, eccettuando però la Compagnia del Santissimo Sacramento, quale concedono, anzi desiderano, che sia eretta in ogni Chiesa Parochiale, non ostante, che ci si trovi eretta prima qualsivoglia altra Confraternità.* Lauretus de Franchis *controver. Episc. & Regul.* 1. *par. n.* 231. Lan tusc. *ver. Confraternitas num.* 9.

Quod dicitur de Societate Sanctissimi Sacramenti, ampliandum est ad illam Doctrinæ Christianæ, iuxta Litteras circulares Innoc. XI. Episcopis directas 22. *Iunii* 1686.

4 Ex suppressione Societatis, vel actuum

ctuum sub prætextu sodalitatis faciendorum, non potest Confraternitas anterior in loco, erecta v. g. sub titulo S. Antonii, descendere ad concludendam quoque privativam actuum ex devotione exercendorum in alia ejusdem loci, & Sancti Ecclesia; quia cum sint diversa, & ex diversis non fiat illatio, ut notavit Sperellus *decis.* 138. *num.* 73. de uno ad aliud non tenet discursus; & quævis ea de re inducta transactio, utpotè in casu non transigibili, aliavè amicabilis compositio astipulata, tamquam publicæ Sanctorum venerationis inimica, fideliumque læsiva pietatis, nulla, itemque rescissione digna censetur, prout in simili fuit pronunciatum in Prætorio A. C. Aldrovando 19. *Febr.* 1701. *in actis Franciscbini Notarii.*

5 Disponit Trid. *sess.* 22. *cap.* 8. *de reform.* habere Episcopos, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegatos, jus visitandi Confraternitates Laicorum, dummodò sub immediata Regum protectione non sint; & cum exceptio firmet regulam in contrarium, sequitur, eorumdem visitationi omnes alias, existens etiam in Ecclesiis Regularium, subjici.

6 Ideò possunt erectas cum usu saccorum in eorumdem Ecclesiis, visitare in iis, quæ respiciunt administrationem, & adimplementum onerum, vel relationem habent ad Confratres, ipsorumque Capellas, & Altaria quoad onera, adeout *si Confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare, & illius cultum, Episcopus potest visitare circa ea, quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum, & ornamenta Altaris, seu Capellæ, onera Missarum, atque Divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, & circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent;* prout in terminis censuit S. Congr. Conc. *in una Nucerina Paganorum* 23. *Iunii* 1629. Decretum per extensum refert Monacell. *formul. part.* 1. *formul.* 1. *tit.* 5. *numer.* 8. & sub anno 1698. 14. *Novembris* fuit à Sacr. Congr. Episc. rescriptum Episcopo Giracen. prout sequitur: *Questi Eminentissimi miei Signori m'hanno comandato di significarle, che da questa Sacra Congregazione de Vescovi, e Regolari è stato più volte resoluto, che gli Ordinarj possono visitare le Confraternite, de' Laici erette nelle Chiese de' Regolari, e d' altre persone esenti, non solo in quanto à li beni, & entrate loro, con rivedere i conti, mà anche le Capelle stesse, in quanto à quello, che risguarda l' amministrazione, & altri oblighi personali, che spettano alla Compagnia, e Confrati ascritti à quella: cioè in riconoscere, se l'entrate, & elemosine, che si danno per adornare, e mantenimento della Capella, e per accrescere ivi il culto Divino, e devotione del Popolo, siano spese fedelmente, e con effetto s' impiegano ad utilità, & in beneficio della stessa Capella, e non in altri usi; non toccando però il restante, che spetta alla cura, e total' amministrazione de' Frati, e Regolari, che son Padroni di tutto il Corpo della Chiesa, dove sono dette Capelle, e Confraternite: come gli Altari, Imagini, & altre cose materiali, & utensili sacri applicati à quelle, sopra de' quali nè i Vescovi, nè altri Ordinarii hanno da ingerirsi, ne usar alcuna giurisdizione, ò sopraintendenza, à segno tale, che non l' è permesso usar alcun atto giurisdizionale nelle sudette Chiese de' Regolari, fuora di quanto s' è detto di sopra. Onde V. S. dovrà governarsi in questa conformità, che tale è sempre stato il senso della Sacra Congregazione.* Quomodo autem potest Ordinarius inspicere, an fideliter sint erogatæ eleemosynæ juxta testatorem voluntatem, nisi ad ipsa loca accedat, id visurus, & inspecturus? A quibus adnexis si præscindas, eisdem non licere jam liquet; quod aliis verbis, sed non sensu significat Lezan. *sum. quæst. Regul. tom.* 2. *cap.* 15. *num.* 27.

Hujusmodi Laicorum Confraternitates tenentur manutenere, & providere Altaria, ad quæ sunt erectæ, de luminariis, fabrica, & aliis necessariis, tam ad Altaris ornatum, quàm ad Missæ Sacrificii celebrationem; quia ex ponderatis à Panimolla *dec.* 15. *nu.* 9. ex Barbos. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 64. *n.* 16. & Genuensi *in praxi*, per erectiones ad dicta Altaria factas, cēsentur, & reputantur se obligasse ad manutenendum ea de præfatis, perinde ac si essent Altarium patronæ.

7 Confraternitatem Cordigerorum possunt ubique in propriis Ecclesiis erigere Patres Conventuales ex concessione Sixti V. Const. *Ex supernæ dispositionis* 13. *Bullar. tom.* 2. qui eorundem Archiconfraternitatem in Ecclesia S. P. Francisci Assisien. ipse primò instituit; cui ex tunc omnes alias Cordigerorum Confraternitates imposterum erigendas aggregavit.

8 In

8 In locis verò, in quibus Fratres Min. de Obs. & non ipsi Conventuales existunt, easdem in suis tantùm Ecclesiis, illis erigere conceditur à Paulo V. Const. *Nuper Archiconfraternitatis* 25. *Septembris* 1607. Lantusc. *verb. Confraternitas num.* 3. Postremò præfata confirmavit, ac nuper concessit, & ad partes etiam Indiarum Orientis, & Occidentis extendit Clem. X. *sub die* 13. *Julii* 1673. Const. *Dudum felicis*, in qua circa medium sic habetur: *Nos igitur ipsos Franciscum Mariam Procuratorem Generalem, ac Ministrum, & Commissarium Generales specialibus favoribus &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, facultatem erigendi, & instituendi Confraternitates Cordigerorum S. Francisci utriusque sexus in Ecclesiis Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci de Observantia à memorato Paulo prædecessore concessam, ut præfertur, expeditasque desuper ipsius Pauli prædecessoris litteras prædictas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac eisdem Ministro, & Commissario Generalibus, eorumve cuilibet, ejusmodi Confraternitates Cordigerorum S. Francisci in Ecclesiis eorum Ordinis tantùm, ubicunque, etiam in Indiis, tam Orientalibus, quam Occidentalibus, consistentibus, in locis tamen, ubi non sint Ecclesiæ, vel Conventus prædicti Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, erigere, & instituere, illisque omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes, aliasque gratias spirituales præfatas, servata tamen dictarum Constitutionum Sixti, & Clementis, ac litterarum Pauli prædecessorum prædictorum forma, & dispositione, communicare licuisse, & deinceps perpetuis futuris temporibus licere, authoritate, & tenore præsentium, declaramus &c.* Regestum 22. *Curiæ Cismontanæ Ordinis Minor. de Obser. ab anno* 1670. *usque ad* 1674.

Ex quibus discurritur, facultatem erigendi d. Confraternitatem Ordini Minorum competere privativè quoad alios quoscunque, quia idem Sixtus d. Const. *Ex superna*, vult cordam, quam Confratres gerunt, debere priùs esse à Superioribus Ordinis benedictum. Quod per hæc confirmat Paulus V. Const. *cit. Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui in memoriam ejusdem S. Francisci cordam benedictam, ab ejusdem Ordinis Superioribus suscipientes, prædictam Archiconfraternitatem de cætero ingredientur.*

Formulam in erectione servandam refert Lantusca *cit. num.* 2.

9 Cordigerorum Societatem à tertio ejusdem S. P. Francisci Ordine, qui *de Pœnitentia* nuncupatur, distinguimus: nedum, quia iste ab ipsomet S. P. Francisco sub anno 1221. originem habuit, *Ord. Seraph. tom.* 2. *lib.* 12. *c.* 1. *pag. mihi* 785. *numer.* 2. illam verò instituit ejusdem Seraphici Patris filius, Sixtus V. ut in dicta Constitutione *Ex superna*; sed etiam, quia Cordigeri fune dumtaxat à Superioribus benedicta cinguntur, & quibusdam solis statutis ab Ordinario, & non aliqua Regula ex illis à S. Sede approbatis, reguntur: cum ex opposito Tertiarii huiusmodi Regula gubernentur; & præter cordam (quam eis expresè concedunt statuta *cap.* 3. à Paulo III. Const. *Ad fructus* 5. *Nonas Iulii* 1547. confirmata, *Direct. Trium Ord. pag.* 28. *n.* 16. & alia desumpta ex *Speculo Seraphico*, apposita *ad cap.* 3. *Regulæ Nicolai IV. idem pag.* 71. & approbata *ab Innoc. XI. Const. Ecclesia Catholicæ die* 28. *Iunii* 1686. *loco cit. const.* 2. *pag.* 151.) utuntur etiam habitu distincto, vel saltem amplo scapulari, iuxta locorum consuetudinem, & professionem emittunt, Lexan. *loc. cit. part.* 2. *verb. Tertiarii cap.* 14. Ad quem solummodò debent recipi per habentem à Ministro Gener. facultatem recipiendi ad ipsum; ut idem Paulus *cap.* 2. de quo plura cap. 52.

10 Confraternitates Sanctissimi Rosarii erigunt, & instituunt Sacri Ordinis Prædicatorum Magistri, vel Vicarii Generales, & per eos deputati Fratres, etiam in sæcularibus Ecclesiis, prout Sixtus V. Const. *Dum ineffabilia* 21. *Bullar. tom.* 2. ubi ipse Pontifex confirmat, & innovat privilegia, & Indulgentias à Prædecessoribus, Confraternitatibus Rosarii concessa.

Cæterùm in erectione, & institutione similium Confraternitatum est servanda locorum distantia per Constitutiones Apostolicas taxata, & forma Clementis VIII. prout disponit Innocentius XI. ut infra: *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus*

nus Cloche, Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod licèt multæ in dictis Ordinis, aliisque Ecclesiis, seu Oratoriis, existant Confraternitates utriusque sexus Christifidelium sub titulo Sanctissimi Rosarii, quæ suas functiones ad instar similium Confraternitatum obeunt, multaque pietatis opera exercent; de aliquarum tamen ex illis canonica ab initio institutione & forma non constat &c. Nobis propterea dictus Antoninus humiliter supplicari fecit, ut de benignitate Apostolica indulgere dignaremur &c. Nos igitur &c. ipsum Antoninum speciali favore gratiæ prosequi volentes, à quibusvis excommunicationis, suspensionis &c. omnes, & singulas Confraternitates prædictas sub titulo Sanctissimi Rosarii, in quibusvis locorum positas, & existentes, tametsi de earum canonica ab initio erectione, & institutione non appareat, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, confirmamus, & validamus, easque in statu valido esse, & fore decernimus in omnibus &c. ac si illæ canonicè erectæ, & institutæ fuissent &c. omnesque, & singulos juris, & facti defectus, qui propter præmissa desuper intervenerint, supplemus, & sanamus; & quatenùs opus sit, ipsas Confraternitates omnes, & singulas, servata tamen cæteroquin Constitutionum, & Decretorum hujus S. Sedis, præsertim circa distantiam locorum in erectarum Confraternitatum similis instituti servandam, emanatorum, forma, & dispositione, de novo erigimus, & instituimus. Cæterum in erectione, & institutione similium Confraternitatum de cætero faciendis formam Clementis prædecessoris ad amussim servari volumus &c. alioquin erectiones hujusmodi nullius sint roboris, & momenti: decernentes easdem præsentes litteras semper firmas fore &c. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus &c. Datum Romæ apud S. Petrum die 15. Junii 1679. Pontificatus Nostri Anno 3.

11 Confraternitates erigi semper debent sine præjudicio jurium Parochialium, ut post Pignatell. ponderavit Monacell. *form. par.* 1. *for.* 11. *tit.* 6. *num.* 10. De sepultura Confratrum dicendum *c.* 48.

CAPUT XV.

Officialis quoad Conservatores

SUMMARIUM.

1 *Conservatores conceduntur à Summo Pontifice.*
2 *Forma eligendi conservatores ex Greg. XV. Et quinam sint eligendi?*
3 *Differentia Dignitatis Ecclesiasticæ à personatu.*
4 *Episcopi possunt in conservatores a Regularibus eligi.*
5 *Prælati Regulares nequeunt eligi conservatores.*
6 *Nec eligibilis est Canonicus Collegiatæ.*
7 *Quando possint eligi non Judices Synodales?*
8 *Testimonium electionis est exhibendum Curiæ Episcopali, & ibi relinquendum.*
9 *Semel electi durant per quinquennium.*
10 *Facultas conservatorum.*
11 *Conservatores judicant de manifestis, in quibus rigor judiciarius non servatur, sed substantialia non omittuntur.*
12 *In notorio ante sententiam est citandus reus.*
13 *Quid veniat nomine notorii?*
14 *Quæ sunt ita dubia, ut specialem inquisitionem exigant, sunt extra facultates conservatorum.*
15 *Conservatores non possunt procedere criminaliter.*
16 *Possunt censuras ferre.*
17 *Sed non adversus Episcopos.*
18 *Debent uti Notario Curiæ Episcopalis.*
19 *In quibus sint exempti à jurisdictione Ordinarii?*
20 *An deputatus in una Diœcesi possit in alia jurisdictionem exercere?*
21 *Arrestantes animalia Regularium in pascuis reservatis possunt à conservatoribus excommunicari.*
22 *Pœna conservatorum excedentium in suo officio, ac partis id procurantium, & eligentium eos, non servata forma Gregoriana.*
24 *In Ord. Min. de Observ. facultas eligendi conservatores non est in Guardianis.*

24 *Con-*

24 *Conservatores legitimè impediti possunt alium subdelegare.*

25 *Quando, quibus in causis, & contra quos possint Regulares coram Judice saculari agere?*

1 CONservatores sunt particulares Judices à Summo Pontifice delegati; ad quos spectat eos, quibus sunt concessi, à molestiis, & injuriis sibi illatis tueri, & in propriorum bonorum, & jurium possessione conservare.

Alii sunt conservatores secundùm jura, alii verò secundùm privilegia, ex Confect. *de privil. Mend. part. 2. tit. 4. c. 2.* Illi sunt, qui miserabilibus personis, vel etiam Ecclesiarum Capitulis conceduntur, ne super bonis, rebus, ac suis iuribus vexentur. De quibus Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *de ref.* At de eis hìc non loquimur. Alii verò sunt, qui à Regularium Ordinibus iuxta facultates in ipsorum privilegiis expressas deputantur, ut Regulares, & Ordines pro posse in iusta iurium, privilegiorum, & bonorum possessione manuteneant, & conservent, ut ex Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 98. *n.* 8. Dicuntur enim conservatores, quasi iurium conservatores. Conservatorias Regularibus concessas Trid. *ibid.* salvas esse voluit: nec esse sublatas notavit Ventrigl. *prax. tom.* 1. *annot.* 23. *num.* 15. referens id esse à S. C. decisum. De qua materia, nonnulla practicabiliora notabo.

2 Itaque modum, & formam, cæteris revocatis, in conservatorum electione servandam, & eligendorum qualitates tradit Gregorius XV. Const. *Sanctissimus in Christo Pater 9. Bull. tom.* 3. Ex qua utilia, & necessaria hìc adnotantur.

I. Statuit, & decrevit, ut Judices con-
„ servatores huiusmodi, sive principales,
„ sive subrogati, eligi, nominari, aut depu-
„ tari non possint, nisi, non solùm habeant
„ qualitates requisitas, & descriptas in
„ Constitutione similis recordationis Boni-
„ facii PP. VIII. *etiam Prædecessoris sui, quæ*
„ *incipit*, Statutum (*c.* 11. *in* 6. *de rescriptis*)
„ itaut, vel dignitate Ecclesiastica præditi,
„ vel personatum obtinentes, vel Ecclesia-
„ rum Cathedralium Canonici existant; sed
„ etiam in Concilii Provincialibus, aut
„ Diœcesanis, iuxta Decretum Concilii
„ prædicti (*scilicet Trid. sess.* 25. *de ref. cap.*
„ 10.) Judices electi, seu designati sint.

Quapropter, attenta dispositione Gregorii, Regulares eligentes conservatores, debent assumere personas qualificatas, constitutas nimirùm in dignitate Ecclesiastica, aut obtinentes in Catheralibus personatum, vel Canonicatum, modò sint in dictis Conciliis Iudices Synodales electi. Et omnia alia Regularium privilegia redacta sunt ad terminos dictæ Constitutionis.

3 Dignitas Ecclesiastica in hoc à personatu discriminatur, quòd dignitas est *præeminentia in gradu cum perpetua administratione rerum Ecclesiasticarum, & jurisdictione*, ut per Confect. *cit. cap.* 4. & Fagnan. *in cap. Ut Abbates de ætat. & qualit. & in* 3. *ad c. Ad hæc de prabend. nu.* 21. personatus verò est *præeminentia, seu præcedentia in Ecclesia sine jurisdictione*, per Sanctor. *comment. in stat. c.* 12. *stat.* 11. *v. quæro* 4. Quare personatum dicitur habere, qui in choro habet stallum honorificum præ aliis Canonicis, etiam ante receptis, minorem tamen dignitatibus, Peyrin. *de privil. Regul. ad const.* 5. *Greg. XV.* §. 2. *n.* 8.

Sed est advertendum, quòd necesse non est, ut eligendi conservatores dignitatem Ecclesiasticam, vel personatum obtineant in Cathedralibus; sed sat est, ut eos ipsam, vel personatum extra illas habeant; nam Constitutio procedit per alternativam *vel*: ut est textus clarus.

Atque ita conservatores eligi possunt, non tam obtinentes dignitatem Ecclesiasticam [licèt inferiorem] in Cathedralibus. ut Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius &c. sed etiam eam habentes extra illas, ut Decani, Præpositi, Priores Collegiatæ, Clerici Cameræ, Auditores Rotæ, Referendarii, & Prothonotarii Apostolici. Hi enim omnes dicuntur in Ecclesiastica dignitate constituti, per Peyrin. *cit. n.* 17. videndus etiam Sperellus *dec.* 167. & Fagnan. *d. loc. num.* 1.

Sed ulteriùs necesse est, ut in eis concurrat aliud requisitum, ut in Constitutione; ut nimirùm sint Iudices Synodales electi, ut ex eius lectura patet, ponderando clausulas, *non solùm &c. sed etiam &c.*

Hoc unum admonitos Regulares velim, ut semper personas doctas, & prudentes curent eligere in conservatores, ut isti possint, velint, & sciant ius suum unicuique tribuere, & proprium defendere.

4 Quæritur. *An possint Episcopi, & eorum Vica-*

Vicarii Conservatores à Regularibus eligi, & nominari?

Resp. Affirmativè, prout est decisum à S. Congr. Conc. quæ 23. *Octobris* 1623. consulta: *An ipsi Episcopi, & eorum Vicarii Generales possint eligi in Conservatores Regularium?* Respondit, *Posse*, apud Peyrin. *ibid. additam ad constit. Gregor. XV. c. 11. nu. 17.* Atque ita videtur esse de mente S. Congr. quòd possint eligi etiam Archiepiscopi, & Eminentiss. Cardinales; cum dixerit posse eligi in Conservatores Episcopos, eorumque Superiores, Pascuc. ad Pignatell. *v. Conservatores, v. Quo casu.*

5 *An autem possint eligi ipsi Regulares?*

Resp. Negativè. Ita S. Congr. Episc. *in Vicentina* 10. *Januar.* & iterùm 6. *Octobris* 1617. apud Fagnan. *in 1. ad c. Sanè il 2. de offic. deleg.* Quærenti enim Archiepiscopo Turritano: *An Regulares unius Conventus, Monasterii, vel Domus, aliquem Priorem, seu Guardianum, vel quemvis alium, licèt dignitate Regulari fulgentem, in suum Conservatorem eligere, vel deputare possint?* Resp. *Non posse.* Quod quoque censuit S. Congr. Conc. 9. *Octob.* 1618. decernens: *Regulares esse non posse Conservatores; sed esse debere Clericos sæculares, aliàs idoneos*, Nicol. *Flosc. v. Conservatores num. 2.*

6 *Sed quid dicendum de Canonico Collegiatæ, qui sit Doctor?*

Resp. Non potest conservator deputari, juxta ejusdem S. Cong. Conc. sententiam: quæ ad dubium: *An possit eligi in Iudicem Synodalem Cononicus Ecclesiæ Collegiatæ, qui sit Doctor, si non extent in Cathedrali Doctores, vel saltem ita idonei?* Respondit, *Non posse*, Sperell. *cit. n. 6.* Et inde nec Conservator esse potest, quia deberet esse Judex Synodalis; adeoque ut Canonicus Collegiatæ est ineligibilis.

7 Advertendum est, quòd, dum in Diœcesi non sunt Judices in Provinciali, vel Diœcesana Synodo designati, possint non Judices à Regularibus assumi, ut aliàs censuit Sac. Congr. Conc. *Direct. Trium Ord.* & Congr. Episc. & Reg. *die* 4. *Decembris* 1671. decrevit dandam esse infrascriptam declarationem, aliàs editam, tenoris, qui sequitur; nimirum: *S. C. &c. censuit, Episcopos quamprimùm Diœcesanam Synodum omninò celebrare teneri; & interim in Civitatibus, & Diœcesibus, in quibus nulli Iudices extant in Concilio Provinciali, aut Diœcesano designati, licere Regularibus, servata in reliquis forma Constitutionis fel. rec. Gregorii XV. hac de re editæ, Conservatores nominare habentes qualitates à jure requisitas; quorum tamen Conservatorum facultas eo ipso expiret, cum primùm hujusmodi Synodus celebrata, in eaque Iudices designati extiterint.* Quam declarationem à Clemente X. Constit. *Inter opera* 18. *Januarii* 1672. confirmari, ibidem legitur *num.* 49.

III. *Ut in Synodis Provincialibus aut Diœcesanis* (sequitur textus) *quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione ejusdem Bonifacii Prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas, designari* (scilicet Ordinarii) *procurent; & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem, aut Diœcesanam Synodum.* Quod priùs decreverat Trid. *sess.* 25. *c. 10. de refor.* Et observandum, per ea verba, *& alioquin ad id aptas*, quæ ex Trid. cit. desumuntur, significari, in Judicibus Synodalibus præter qualitates ex *d. capite statutum* necessarias, requiri etiam doctrinam, ut sic causæ ex intentione Tridentini committantur personis idoneis.

8 IV. *Ut electionis, seu assumptionis documentum debeant penes acta Curiæ Ordinariorum exibere, & dimittere teneantur, adeout, nisi infra præfinitum tempus exhibuerint, ac dimiserint, coram Ordinario loci debeant Regulares conveniri*, ibid. prout Sac. Congr. ab Innocentio X. deputata, *ut infr. cap. 19.* Et intelligendum, sub pœna nullitatis actuum teneri Conservatores à Regularibus nominatos, & electos, id exequi ante exercitium suæ iurisdictionis; prout eadem Congr. ad XIII. firmavit, & idem Innocentius approbavit.

9 V. *Ut Conservatores semel legitimè deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus, aut aliis supradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis amoveri, aut mutari nullatenùs possint, & valeant*, ibid. Et ultra quinquennium non posse durare decrevit Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *de refor.*

10 VI. *Ut coram ipsis Conservatoribus Regulares, ac Personæ suprascriptæ conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conveni-*

venire, aut trahere non possint; ita ut memorati Conservatores, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, prorsus nullam jurisdictionem habeant, sed in iis tantùm, in quibus rei extiterint, ibid.

Occasione hujus textus dubitatum fuit. *An per ea verba sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares à manifestis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiciuntur, & propriis bonis uti, ac frui impediuntur?*

Super quo S. C. Conc. censuit, *ejusmodi verbis minimè sublatam esse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares à manifestis injuriis, ac violentiis; dummodò observent formam præscriptam in Constitutionibus Innoc. IV. & Bonifacii VIII. relatis in cap. 1. & fin. de offic. deleg. in 6. ut in Bullar. ad calcem d. Gregorianæ.*

Quapropter in casu quoque, quo Regulares sunt actores, & confugiunt ad conservatores, eisque per viam accusationis, vel denunciationis deferunt reum, ac iniuriam, & producunt, vel nominant testes, qui fuerunt pręsentes, dum injuriæ fuerunt illatæ, possunt conservatores procedere adversus accusatos, & denunciatos.

11 At, *quænam est forma in dictis Decretalibus præscripta?*

Resp. Ea est, ut conservatores de manifestis cognoscant, & non se ingerant in iis, quæ judicialem indaginem, seu judiciariam inquisitionem exigunt.

Verùm sciendum, in notoriis non prohiberi omnem examinationem judiciariam. Nam text. *in cap. Ad nostram il 3. de jureju rand.* dixit, in notoriis, & manifestis non esse *per omnia* servandam subtilitatem ordinis judiciarii; & cum dicat *per omnia*, sequitur quoad aliqua debere servari. In omni enim iudicio, etiam quando proceditur *sine tela judiciaria, summariè, de plano, sine strepitu, & figura judicii, & sola facti veritate inspecta*, essentialia, & substantialia sunt servanda, licèt, quæ sunt de solemnitate judicii, omittantur, ut est text. *in cap. Sæpe contingit de verb. signif.*

Ideò, cum Conservatoribus in notoriis committitur iurisdictio, ea quoque conceduntur, sine quibus iurisdictio exerceri non valet: quæ contra aliquem propter notoriam iniuriam exerceri non potest, nisi de notorietate iuridicè constet. Iniuria, & vexatio probanda est per iuratos testes, contestes, de visu; sed non sunt cogendi ad ferendum testimonium carcere, vel tortura. Eaque probata, pronunciandum est delictum esse notorium: & ita Judex fundat suam iurisdictionem.

12 Cæterùm priusquam ad sententiam adversus reum descendat, est hic citandus, & audiendus in suis defensionibus; & ubi aliquod relevans contra notorietatem allegaverit, ipsi conservatori probabile, debet ab iudicio cessare, per Glos. *in cap. 1. de offic. delegat. ver. Conservatores*, Peyrin. *cit. ad d. const.* §. 5. *num.* 47. Ameno *pract. part. 1. tit. 3. §. 4. numer. 56.* Propterea reo est concedendum tempus congruum ad se defendendum.

13 Appellatione notorii, & manifesti id venit, quod per evidentiam facti ita notorium est, ut nulla probabili tergiversatione celari possit, Glos. *citat.* Vel ita est patens, ut nulla examinatione, & inquisitione indigeat; & quatenùs egeat, potest clarè, & certitudinaliter per testes probari, ita quòd negari non possit, Peyrin. *num.* 38.

14 Apud quem est certum, conservatores posse cognoscere de omnibus iniuriis, & violentiis, Regularibus, sive *verbo, re*, vel *scripto*, irrogatis; & in eis cognoscendis possunt adhibere eam inquisitionem, quæ in notoriis communiter adhiberi solet. Quod esse videtur iuxta text. *in Const. Militanti* 10. *Eugenii IV. Bullar. tom.* 1. edita super iurisdictione Conservatorum Congregationis Cassinensis, ibi §. 3. *In his videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summariè, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta; in aliis verò, prout qualitas eorum exegerit justitiæ complementum.* Concordant Constitutiones *Regimini* 6. & 7. *Sixti IV. ibid.* Atque ita iuxta lecturam Peyrini sensus illorum verborum *ex dict. cap. 1. de offic. delegati: Nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem*: est, quòd Conservatorum iurisdictio non se extendat ad dubia, & obscura, in quibus verificandis, & probandis, omninò specialis examinatio est necessaria, quia dubia sunt, ut ibi Glos. *in ver. Indaginem*. Ideò, cùm deli-

delictum est occultum, & delinquens ignoratur, procedere non possunt. Secus, quando per accusationem, vel denunciationem de illis notitiam perceperunt sed, ut diximus, est semper probanda notorietas.

15 Dubitatur autem, *an Conservatores possint procedere criminaliter?*

Resp. Negativè. Ex d. Peyrin. *numer.* 44. agit Judex criminaliter de delicto, cum intendit publicam vindictam, & punitionem à legibus præfinitam reis: ut, quòd fur ad aliorum exemplum suspendatur, vel ad triremes damnetur; & hoc spectat ad publicam potestatem, & Judicem ordinarium. Agit verò civiliter, cùm nihil curat de pœna, sed solùm intendit, quòd fur ver. gr. rem ablatam restituat. Civiliter itaque conservatores cognoscunt, quatenùs nil aliud intendunt, quàm, quòd Regulares non molestentur, & damna eis illata reparentur.

16 Petitur etiam, *an possint per censuras procedere?*

Resp. Affirmativè, prout in allegatis Constitutionibus. Frustrà enim daretur jurisdictio, si cum coactiva non esset conjuncta. Cùm enim unum committitur, omne pariter conceditur, sine quo illud exequi non potest. Quare possunt Conservatores Regularium privilegia authenticè intimare, monere, & præcipere manifestè injuriantibus Regulares contra formas in istorum privilegiis statutas, ut à molestia desistant sub pœna censurarum: & quatenùs non cessent, possunt eos excommunicare, vel excommunicatos declarare, constito primò de vexationis notorietate, ac præmissa bina saltem monitione, etiam per edictum, si opus sit, & citatione ad comparendum ad dicendum, quare non debeant declarari incidisse &c. iuxta Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.*

Cæterùm gladius excommunicationis magna circumspectione ex eod. Trid. *ibid.* & non temerè, aut levibus ex causis est exercendus; ac ab eo abstinendum, dum possunt alia via delinquentes compesci. Vnde Ecclesiasticos Judices non pigeat praxim in hoc ex d. cap. percipere.

Possunt pariter conservatores ad suas sententias executioni mandandas auxilium brachii sæcularis invocare; vel eius, aut Episcopi familiam armatam petere; nam alioquin eorumdem auctoritas contemneretur, ut ex Cokier. *de exempt.* 4. *p. q.* 111. *à n.* 16. Peyrin. *d. cap.* 11. *num.* 12. Quinimmò, cum non habeant carceres, uti possunt carceribus Episcopi, vel Potestatis sæcularis ex eodem *ibid.*

17 Difficultas verò est. *An Conservatores possint excommunicatione cohibere Ordinarios locorum exercentes jurisdictionem in Regulares extra casus non permissos?*

Sunt hinc inde rationes. Quare.

I. Videtur non posse ob præstantiam Episcopalis Dignitatis, arg. ex Trident. *cap.* 6. *sess.* 13. *de reform. & cap.* 5. *sess.* 24. *de reform.*

II. Videtur posse, ex cap. *Quia Pontificalis de offic. Deleg. in* 6. At servanda est cautela *in d. cap.* præscripta, prout ibi cum sua Glossa.

In quo opinionum conflictu primam in praxi censeo tenendam. Nam, ut iura clamant; & est text. *in d. cap.* maximè deferendum est Dignitati Episcopali: propterea cum ipsis reverenter, & animo temperato est agendum.

Nec obstat allegat. cap. *Quia*. Nam responderi potest, locum non habere, nec procedere in causis controversiæ super competentia iurisdictionis, ortæ inter Ordinarios, & Conservatores, quia, ut post Trid. *c.* 5. *sess.* 14. *de refor.* Gregorius *in d. Constit.* statuit: *In causis non esse procedendum, donec per arbitros in forma iuris electos super jurisdictionis competentia fuerit judicatum*: vel ad Sedem Apostolicam est recurrendum, & interim nihil innovandum.

18 Quæritur. *An Conservatores Regularium uti debeant Notario Curiæ Episcopalis?*

Negat Peyrinus *in formular. lit. C. cap.* 20. *numer.* 3. Ameno *tit.* 11. §. 8. *numer.* 48. D. Carolus Antonius de Luca *observ. ad Ventrigl. prax. part.* 1. *adnot.* 27. §. *unic. num.* 3. allegans Card. de Luca *de jurisd. discur.* 4. *num.* 14.

Affirmat Pascucc. cit. *v. exclusa*, referens resolutum à Congr. Episc. *in Vincentina* 10. *Januar.* 1605. Gavantus *in manuali verb. Conservatores numer.* 33. & decisum refert Nicol. *part.* 2. *lucubrat. lib.* 1. *tit.* 29. §. 8. apud d. Pascuc. Quibus propter Sac. Congr. decretum adhærendum est.

19 Quæritur. *An Conservatores Regula-*

la-

larium exempti sint ab jurisdictione Ordinarii?

Resp. Negativè, præterquam quoad ea, quæ concernunt sui muneris exercitium: in quo dicuntur Ministri Apostolici, ipsi Deleganti subditi. Atque ita in causis propriis, tam civilibus, quàm criminalibus, seu mixtis, subsunt Ordinario; ac proinde coram eo conveniri, & ab eo puniri possunt, Card. de Luca *ubi sup. n.* 2. & Pascucc. repetit decisum à S. C. Conc. 17. Septembr. 1667. in Faventina jurisdictionis *ibid. ver. Affirmativè, quia.*

Quinimò cum Conservator excedit terminos suę jurisdictionis contra Judicem Ecclesiasticum, potest hìc suam jurisdictionem tueri, *c. Dilecto de sent. excom. in 6. cap. Ex parte il* 1. *de verb. signif.* eo enim casu transgrediens cancellos suæ potestatis habendus est tamquam privatus.

20 Quæritur. *An Conservator deputatus in una Diœcesi, in qua situm est Monasterium exercere possit jurisdictionem in altera, in qua sunt Granciæ, vel membra illi Monasterio unita?*

Resp. In d. Gregoriana hæc sunt: *Neque extra Civitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant.* Cæterùm S. Congr. Concil. 23. Octobris 1623. ad dubium: *An, si unum, & idem Monasterium habeat bona in diversis Diœcesibus, eligendi sint Conservatores in unaquaque Diœcesi, an verò unus tantùm sufficiat?* censuit: *Conservatorem esse deputandum in Civitate, vel Diœcesi, ubi situm est Monasterium, atque ibi tantùm, & non alibi posse eumdem Conservatorem procedere, etiam in casibus bonorem, ac membrorum ejusdem Monasterii extra ipsam Diœcesim existentium*, apud Peyr. *d. cap.* 11. *in additamen. num.* 17.

21 Quæritur. *An Conservatores possint ad censuras procedere contra arrestantes animalia Monasteriorum pro damno dato in pascuis domini Territorii, vel Communitatis?*

Est commune inter Canonistas, quòd, ubi pascua sunt domini temporalis loci, vel Communitatis, ita ut Cives, vel incolæ prohibeantur ibi sua animalia depascere, non soluta consueta fida, tamquam pretio justo, & adæquato valore ipsius pascui, Clerici volentes proprios greges item in eis depascere, teneri solvere pretium pascui; cum Ecclesiastica Immunitas non tribuat licentiam aliena usurpandi, & lædendi justitiam commutativam, quam respicit dicta solutio; unde tenentur ad solvendum pretium pro reparando damno illato, quando aliàs eorum animalia pascua damnificaverint.

Hinc difficultas non levis inter Ecclesiasticos, & Laicos esse solet, non circa substantiam, sed circa modum, & competentiam fori, ac facultatem arrestandi ipsa animalia, num id *Laicali auctoritate fieri potest?*

Ad quod videtur, per Laicorum Executores posse arrestari, ut impediatur ulterior damnificatio; statim deducenda ad ipsos tamen Regulares.

Verùm damnificatio impediri potest per expulsionem animalium à loco pasturæ, testibus adhibitis de damno illato. Quatenùs verò Regulares damnum renuant reparare, recurrendum est ad Judicem Conservatorem, si adsit, vel Episcopum, ut ad solutionem eos obliget. Nom enim potest ad Judicem Laicum recurri, utpotè incompetentem pro Ecclesiasticis. Et hinc ad dubium sub *n.* 21. affirmativè.

22 Tandem advertendum, quòd Conservatores in suo officio limites excedentes suspenduntur per annum ab officio Conservatoris; & pars, quæ hoc fieri procurat, incurrit excommunicationem, per tex. in d. Gregoriana; à qua non potest absolvi, nisi ei, quem indebitè molestavit, satisfaciat de expensis, *d. c. fin. de offic. deleg. in* 6.

Pariter Regulares eligentes Conservatores, non servata forma à Gregorio præscripta, ipso jure voce activa, & passiva sunt privati, ad quas habilitari à nemine possunt, quàm Romano Pontifice: & Monasteria, eorum personæ, & bona ad annum carent Conservatore, adeòut eorum causę coram locorum Ordinariis cognosci debeant. Legatur d. Constitutio; cujus forma servanda est etiam ab aliis, non Regularibus, eligentibus Conservatores pro locis expressis in d. *cap.* 5. *sess.* 14. Trid.

23 Quæri etiam solet. *In quonam Regulari sit facultas eligendi, & nominandi Conservatores: an in Generali, vel Provinciali tantùm: an etiam in superiore locali; nam Constitutio non determinat personam, sed dicit, Regulares?*

Hoc relinquitur dispositioni Constitutio-

tionum particularium Religionum. In Ordin. Minor. de Observ. ad Provinciales spectat, prout ex *statut. Generalibus cap.* 12. §. 21. ibique datur formula Litterarum patentium; secuta verò electione, ac nominatione, à Sede Apostolica auctoritatem recipiunt. Deputati per quinquennium durare debent, nec possunt pro eo removeri, nisi ex causa à Sede Apostolica, vel locorum Ordinariis approbanda. Quo elapso, eorum spirat jurisdictio, juxta Tridentin. *loc. cit.* etiam quoad negotia inchoata; sed in libertate eligentium est dictam jurisdictionem per novam deputationem prorogare, Peyrin. *in dict. formular. numer.* 2. allegans Chokier. *de Conservator. part.* 2. *quæst.* 7. *num.* 7.

24 Cum Conservatores legitimè sunt impediti, possunt alium, causa urgente, subdelegare. Nam delegati Pontificis sub delegare valent, per text. *in c. si pro, & cap. Pastoralis de offic. deleg.*

Sed obstat tex. *in c. fin. eod. tit.* ibi: *Cæterum nulli, cui commissum fuerit prædicare Crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare.* Ergo, sicut Delegatus Pontificis, cui committuntur prædicta, non potest subdelegare, ita in casu.

Resp. Duo hìc sunt distinguenda. Unum, committere jurisdictionem, & aliud committere nudum ministerium, aut merum officium, & executionem. Hoc secundum alteri committi non potest, benè verò primum, ut expressè text. *in d. cap. final.* ibi: *Quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte.* Constat autem, Conservatores jurisdictionem habere, nam sunt Judices, ut ex Trid. *d. c.* 5. & Gregorio.

Alibi autem dicendum, quando censeatur committi nudum ministerium, & eligi industria personæ; interim videatur Gonzalez in *tit.* 29. *cap.* 3. *num.* 11. *& tit.* 31. *cap. fin.* & Rosa *de execut. lit. Apostol. par.* 2. *cap.* 5.

25 Demùm possunt Regulares, aliique, de quibus Constitutio Gregorii, in casibus à jure permissis, Judicem non suspectum à Principe, seu Magistratu sæculari petere, modò hæc tria copulativè concurrant. I. Ut Regulares, & alii prædicti sint Actores, non autem rei. II. Ut agant contra Laicum, non verò contra Ecclesiasticum, vel aliàs à jurisdictione sæculari exemptum. III. Ut causa, in qua Judex deputatur, sit profana, non autem Ecclesiastica, ut expressè textus in dict. Constitutione.

Alia videnda *c.* 19. *c.* 51. *& cap. ult.*

CAPUT XVI.

Officialis quoad Conventus.

SUMMARIUM.

1 *In fundatione Conventuum attenditur Const. Clem. VIII.* Quoniam, *Greg. XV.* Cum aliàs, *Urbani VIII.* Romanus Pontifex, *& Innoc. X.* Instaurandæ.
2 *In Conventu novæ erectionis* 12. *ad minus Religiosi debent degere.*
3 *Audiendi sunt jam introducti Regulares, etiamsi introducendi haberent congruam dotem.*
4 *Præjudicium præexistentibus ex mult is potest inferri.*
5 *Etiam si introducendi essent ejusdem Ordinis.*
6 *Sepè audiuntur existentes in distantia majori quatuor millia passuum.*
7 *Quæ Hospitia comprehendantur sub Constitutionum dispositivis?*
8 *Quæ vim quoque habent in reassumptione Conventuum.*
9 *Non verò in ampliatione eorumdem.*
10 *Consensus debet esse Capitularis.*
11 *B. Pius V. revocat facultates mulieribus datas ingrediendi claustra Regularium. Pœna contra eas, & Religiosos contravenientes.*
12 *Quid septa, quid Monasterium significent?*
13 *Horti &c. quando sub clausura contineantur?*
14 *Quid de Sacristiis?*
15 *Et de Grangiis, & Infirmariis &c.*
16 *Quid verba* introducere, *quidve* admittere *importent?*
17 *Vivæ vocis oraculum B. Pii V. factum Card. Cribello super ingressu mulierum tempore processionum, usque ad num.* 20.
21 *Sæculares non possunt pernoctare &c. in Conventu Frat. Min. de Observ. usque ad num.* 22.

23 *An*

23 *An ad recipiendum Conventum suppressum alterius Religionis, opus sit consensu Regularium praexistentium in loco.*

QUamquam Monasterium, Conventus, & Cœnobium in nomine sint diversa, in re tamen significata conveniunt; cùm ex eis quodlibet quædam loca & ædificia significet, in quibus ad Deo serviendum Religiosi congregantur, & convivunt.

1 In his de novo construendis est observanda Constitutio Clement. VIII. incip. *Quoniam ad institutam 99. Bullar. tom.* 3 & alia Gregor. XV. incipien. *Cum alias* 31. *Bullar. eodem tom.* extendentis dispositionem Clementis, ut audiantur Regulares existentes etiam in distantia quatuor milliarium ad effectum, ut ipsi consensum præstent dum eis constiterit ex nova Conventuum erectione non esse detrimentum reportaturos; nam in casu damni erectio non permittitur; ac altera Urbani VIII. incip. *Romanus Pontifex.* 27. *Bullar. tom.* 4. in qua præfatæ innovantur cum revocatione quarumcumque licentiarum erigendi Monasteria, & alia loca Regularia, non servata forma Sacrorum Canonum, Conc. Trident. & contenta in Constit. Clement. & Greg.

Præter consensum Ordinarii, quem & Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* exigit in erectionibus Conventuum, est necessarius copulativè assenssus Summi Pontificis, juxta dispositа *cap. cum eo de excessib. Prælator. in sexto, & in Constitut. Instaurandæ* 27. Innocent. X. *ut in Bullar. tom.* 4. in qua, præmissa extinctione, & suppressione parvorum Conventuum, §. *Verùm*, subdit: *Verum quia parum est mala præcidere, nisi etiam malorum causa, & radix evellatur, Constitut. fel. rec. Bonifacii VIII. quæ incip. Cum ex eo necnon Clementis VIII. incipien. Quoniam ad institutam, aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, super erectione novorum Conventuum editas, earumdem tenorem innovantes, illisque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium? vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cuiusvis alterius Instituti, etiam Societatis Jesu, in aliqua Civitate, Castro, Villa, seu Loco ad habitandum domos, vel loca quæcumque de novo recipere, seu Monasteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præsumat, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali plenam, & expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem, in scriptis, & gratis concedenda, prævia examinatione Congregationis negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ; si secùs egerint, eo ipso incurrant pœnas privationis & inhabilitatis, ut supra, inflictas; & nihilominùs receptiones, fundationes, & erectiones sint ipso jure nullæ, & invalidæ: & domos, ac loca ipsa, & personæ in eis degentes, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Ordinarii loci plenè in omnibus subjaceant.*

2 Examen præfatæ Congregationis eò tendit, ut constet an alii Regulares ex nova fundatione detrimentum recipiant, aut præiudicium juribus Parochialibus ex eo inferatur: & tandem ut servetur Decretum Sacr. Congregat. Concil. aliàs auctoritate Urbani Octavi editum tenoris, qui sequitur: *Deinceps verò Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis huiusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi, degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus ut supra detrahendis, competenter substentari valeant, ad præscriptum decreti fel. rec. Gregorii Decimi Quinti hac de re editi; alioquin Monasteria, & loca huiusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actum non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.* Quod novissimè cum aliis relatis supra *cap.* 10. ab eadem emanatis, confirmavit, & approbavit, ac ab omnibus exactè, & perpetuò servari voluit, & mandavit Innocentius XII. Constitut. *Nuper prout loc. cit.* §. 5. *nu.* 24.

Præfatorum observantiam Sacra Congregat. Episcop. & Regular. ad praxim deducit; nec erigendi novi Conventus unquam facultatem concedit, quin priùs Ordinario loci negotium committat, & sensum ipsius audiat, tam quoad commodam sustentationem Religiosorum de

novo introducendorum in numero duodeno, absque ullo cæterorum præexistentium Regularium præjudicio; quàm quoad istorum consensu, ac jurium Parochialium indemnitatem.

Audiendi essent præexistentes Regulares in casu etiam, quo alii de novo introducendi essent Clerici Regulares, quia Constitutiones comprehendunt quodcumque Institutum. Imò, etiam si haberent congruam dotem pro victu, & vestitu Religiosorum, in numero ab Apostolicis Constitutionibs præfixo; quia fortè, eo non obstante, possent antiqui, & præsertim Mendicantes (quibus ex Gloss. *ad alleg. cap. cum ex eo in ver. Mendicantes*, victum tribuit incerta mendica ntes) præiudicium ex eo recipere, Monacellus *form. par. 1. tit. 6. ad form. 19. n. 12.*

4 Propterea Pignatellus *tom. 1. consulo. 177. num.* 43. ponderavit, inspiciendam non esse qualitatem Regularium introducendorum, sed introductorum præjudicium, qualecumque sit. Quod æquæ benè resultare potest ex eleemosynarum quæstuatione, ac ex diminutione concursus, & emolumentorum, quæ haberi] solent ex celebratione Missarum, tumulatione Cadaverum, aliisque pluribus, in quibus Parochi aliique Regulares præiudicium recipere possunr; & obinde eorum consensus requiritur. Unde dispositiva constit. comprehendit quotquot volunt fundare, sive Mendicantes sint, sive non quod expresse legitur in illa Innoc.

5 Et procedit etiam in fundatione novi Conventus ejusdem Religionis, & Instituti. Quia in hoc etiam consideratur ratio motiva Constitut. Clement. & Greg. quorum fuit per interdictam multiplicationem Religiosorum absque sufficientibus redditibus prospicere, ne introductis præjudicium infertur. Quod certè, etiam in casu, esset inevitabile; nam de novo introducti præexistentibus, sive clàm, sive palàm eleemosynas surriperent, damnumque inferre dicerentur, eorumdem diminuendo patrimonium, quod unicè fundatur in eleemosynis Fidelium, prout ibid. *n.* 27. scripsit Pignatellus.

Et facit, quòd Constitut. non emanavint ad evitandum p ręcisè præiudicium elemosynarum, commodumve bursale, ut loquitur Glos. *ad alleg. cap. cum ex eo in ver. scandala*; sed ad rixas quoque, & scandala eradicanda, quæ de facili propter æmulationes inter vicinos Conventus enascuntur, prout eiusdem *cap. cum ex eo*, narrativa significat.

6 Potest etiam finis legis habere locum etiamsi Conventus erigendus sit in loco plusquam per quatuor milliaria distanti ab eo, in quo alius priùs ædificatus reperitur; maximè si huic loca existentia intra limites distantiæ, per Gregorium necessariæ, non sufficiant ad subministranda victualia, pro numero Religiosorum per Apostolica Decreta præfixo. Tunc certè vocandi, & audiendi sunt existentes, etiam extra allegatam distantiam. Proinde Sac. Congregat. Episcop. & regular. in terminis erectionis Conventus in Insula Corsicæ, ob circumstantiam inopiæ Regionis, majorem præfata unius loci ab altero distantiam exigit, prout sequitur: *Sacr. Congregat. Episcop. 14. Aprilis 1663. decrevit, imposterum in dicta Corsica Insula pro huiusmodi fundationibus, tam ab Observantibus, quàm à Reformatis, & Capuccinis respectivè servandam esse dictam distantiam duodecim milliariorum, mensuræ illarum partium*. Quod subinde Clemens X. Constitut. *Nuper. sub die 20. Maii* 1673. confirmavit; in qua refertur sub anno 1661. in Provinciis Burgen. Granaten. & Aragoniæ ad quindecim extendisse, *Reg. 22. Cismontanum Aracœlitanum pag.* 101. *à tergo*.

7 Item sub earumdem Constitutionum dispositione, dubium non debet esse, ea loca venire, quæ aliàs solent dici *Hospitia*. Verùm in nullo, præterquam in nomine, à Monasteriis differunt. Propterea nullatenus debent Ordinarii (etiam postquam Regulares obtinuerint licentiam à Sacra Congregatione) aperitionem permittere, nisi ad unguem servatis conditionibus pro Hospitiis, præscriptis in sequenti Decreto emanato in causa Calaguritana de Bilbao, quod est: *Patres Carmelitas Discalceatos posse continuare in Hospitio, vel potiùs ipsum reducere ad Hospitum sæculare cum habitatione, quæ tantummodo deserviat pro recipiendis Religiosis itinerantibus: quod in nullo servetur forma Regularis: non erigatur Ecclesia, seu Oratorium formale cum janua in publica via, sed tantùm Oratorium internum ad effectum inibi Missas, & Orationes privatas pro eorum spirituali usu*

usu tantùm celebrandi; *quòd in illo Sacramenta non administrentur, nec fiant publicæ Conciones, nec Divina, aliæque functiones peragantur: non tumulentur Cadavera, nec retineatur Campana, nec aliquod signum, quod vero Conventui adaptetur, & transcendat naturam, & conditionem meri, & simplicis Hospitii sæcularis: addita prohibitione quæstuandi, necnon, quòd Regulares ad illud se transferentes non assumant titulum Præsidentis, vel alterius Officialitatis, subjiciendo ulteriùs in casum contraventionis ipso facto pœnis contra Religiosos degentes extra Claustra: non obstante quodcumque exemptione, aliisque arbitrio Sac. Congr. Et quòd super observantia præmissorum Provincialis, & Diffinitorium validè se obligent coram Episcopo, qui instrumentum dictæ obligationis ad eamdem S. Congr. transmittat. Romæ 15. Septembris 1690.*

Hanc Hospitii legem eadem Sacr. Congr. Episcop. & Regular. servari mandavit in Atrien. Hospitii à PP. Discalceatis S. Augustini 31. Augusti 1691. & in Valiterna à Carmelitis Discalceatis 5. Decembris 1692. in utraque referente clar. memor. Card. Petruccio. Unde si Episcopus in sua Diœcesi Regulares contra præscriptam formam hospitari reperiat, utatur jure suo, & S. Cong. instructam reddere festinet, Monacell. *ibid. num.* 15.

8 Constitutiones pariter urgent etiam, dum agitur de reassumptione Conventus, quem Regulares priùs spontè reliquerant, ut ex Sac. Congregat. Episcop. in responso dato Archiepiscopo Turritano 17. Novembris 1617. Monacell. cit. *n.* 13.

9 Difficultas esse potest. An Regulares habentes privilegium, quòd nova Monasteria non erigantur, nisi servata certa distantia, possint se opponere translationi Conventus in eodem loco faciendæ, adeòut non sit cōcedenda translatio, nisi ipsi cōsentiant?

Quòd dicta translatio non sit licita, dum cęteri se opponunt, dixit Donat. *prax. tom.* 1. *p.* 2. *tract.* 1. *q.* 26. *n.* 6. 7. *&* 8. Passer. *in cap. unic. n.* 17. *de excessib. Prælat. in* 6. Pignatel. *consult.* 12. *tom.* 10. Quibus in prioribus editionibus adhæsi: sed nunc recedo propter Decreta edita à Sac. Congreg. Episc. in una Monti-Regalis 9. Junii 1642. & in Agrigentina 28. Martii 1697. relata à cit. Monacell. *num.* 5. *&* 7.

Limitandum tamen est in casu, quo nova fabrica ad æmulationem extolleretur; aut inde vicini Conventus notabile præjudicium in lumine recipiendo sustinerent; vel servitus intolerabilis prospectus induceretur, Monacell. cit. *num.* 10.

10 Non sufficit consensus Regularium, nisi ab eis præstetur Capitulariter congregatis, ut optimè deduci potest ex integro *titul. de his, quæ fiunt à prælat. &c.* ubi annullantur, & cassantur, quæ à Prælatis fiunt sine consensu Capituli, prout textus ibi videndi. Nec relevat, quòd Gregoriana videatur contenta, ut detur à Procuratoribus, vel Prioribus: quia uti certum est tenendum, non loqui taxativè, & exclusivè, sed dumtaxat demonstrativè, quatenùs demonstrat, consensum eorumdem esse necessarium, ab eis dandum servata forma juris communis, *alleg. tit.*

11 Mulieres prohibentur ingredi Monasteria, & Claustra cujusvis Ordinis Regularis, prout ex Const. Regularium B. Pii V. 20. *cum ejusdem declaratione Bullar. tom.* 2. Prohibitio extenditur, tam ad mulieres ingredientes licentiarum prætextu, quàm sine licentiis, ut in dicta declaratione incip. *Decet.* Liganturque excommunicatione Papę reservata in alleg. Const. *Regularium.* Excipitur, nisi ingrediantur tempore, quo fiunt Processiones, ut in d. declarat. *Decet*, & infra *num.* 17.

Regulares pręsumentes introducere mulieres, & eas admittentes, ipso facto Officiis privantur, inhabiles ad illa, & alia obtinenda declarantur, & Divinis absque alia declaratione suspenduntur, dicta Const. *Regularium*. Pœna verò excommunicationis ligantur per expressa in Const. Greg. *Ubi gratiæ* 28. *Bull. tom.* 2. si admittant eas sub licentiarum prætextu.

Verùm absolutè quisque innodatur censura Sedi Apostolicæ reservata, si aliquam ex illis admittat, recipiatvè: ad formam Decreti Sacr. Congregat. Episcop. & Regular. apud Lant. *verb. Clausura Conventuum num.* 1. Cujus tenor fuit à Card. Matthejo Ordin. Minor. Protect. transmissus Com. Generali Min. de Observ. eique significavit. *Che i Signori Cardinali della Congregazione de' Vescovi, e Regolari hanno deciso, e determinato, che dove è il Guardiano con la Famiglia, etiamdio che il luogo non sia affatto compito, nè circondato da muri, fossi, ò siepe, ò che sii aperto, ivi sia Clausura:*

sì come hà deciso la fel. memor. di Papa Pio V. & entrandovi le Donne siano scommunicate, e li Frati, così Prelati, come sudditi, introducendole, incorrano nella stessa scommunica, riservata al Papa, restando ipsofacto privi dell'Officio loro, & inabili in futurum.

Il medesimo si dice delle selve, che non sono circondate, ut supra, etiam che siano grandissime: in quella parte però s'intende Clausura, ove li Fratri sogliono ordinariamente spasseggiare, dicendo le loro devozioni; mà dove fosse selva grande, che serve per legname, e li Frati ordinariamente non vi sogliono conversare, nè praticare, ò che sia luogo aperto, ivi s'intende Clausura.

Ma nelli luoghi, dove non sono più che trè, o quattro Fratri alla cura della Fabrica, ivi non è Clausura, tanto nelle selve, quanto negl'orti; nulladimeno se li Frati introdurranno le Donne nel le stanze, dove abitano, dormono, mangiano, ò cucinano, siano penitentiati, e privi, come di sopra. E' vero, che dov' è consuetudine, che le Donne servano per manipolo, portando calce, pietre, e simili, se bene ci fosse il Guardiano con la sua Famiglia, e le Donne fossero entrate per l'espedizione della Fabrica, così nell'orto, selve, e parte del Monastero, ove si fabrica, come ove stà serrato, purche non vadino in parte, dove abitano, dormono, e mangiano detti Frati, non incorrono in scommunica. E nostro Signore la prosperi. Roma 4. Ottobre 1588.

Come Fratello

Il Card. Mattei Protettore.

12 Septa Conventus, à quibus Mulieres arcentur (quæ ex observatis à Gloss. in *Clementina Ne in agro v. septa de statu Monachorum*, à sepio sepis dicuntur) significant clausuram Monasterii; partes autem Monasterii explicant Nicol. III. *cap. Exiit, de verbor. significat. in 6. §. Denique*, disponens: *Et nomine Monasterii volumus claustrum* (porticum nimirum, aut ambulacrum) *domos* (cellas videlicet) *& officinas interiores intelligi*: ut cœnaculum, seu refectorium, coquinam, infirmariam, mansiones familiarium, & animalium, ex Panimolla *decis.88.numer.25.* Neque debent excludi viridaria, horti, prata, & sylvæ, quæ usui Monasterii, & recreationi Religiosorum deserviunt; & quatenùs non veniant nomine Monasterii, ut censet Sorbo *ver. ingredi Monasteria versic. secundò quia*, tamen sunt ipsius loca sub eadem clausura materiali, & intra ejusdem limites ex dispositione Superioris, cujus est ipsam determinare, contenta. Atque ita ex consequenti ad ipsa est mulieribus ingressus interdictus, in vim Pianæ *Const. Decet*, & Gregorianæ *ubi gratiæ*; quæ prohibitionem extendunt, etiam ad Monasteriorum *loca*; cujus generis debent omnia illa reputari, quæ cum eis sunt conjuncta ex resolutione Sac. Congreg. in una Arben. de anno 1606. 3. Junii, Nicol. *Flos. ver. Claustrum num.* 4. & extra quæ nulli Religioso, non petita à Superiore licentia, fas est exire. Et procedit etiam, si murus Clausurę materialis sit ex accidenti dirutus, quia semper remanent fundamenta, quæ sunt limites Clausuræ jam positæ, quam ex Ameno *de pœnis tit.4. §. 8. n.* 18. non potest Superior Localis variare; & loca Monasterii reputantur, ut priùs.

13 Sed quid de hortis, ad quos patet aditus per viam publicam? Dicendum, quòd si hujusmodi hortos potest Religiosus intrare, nulla petita à Superiore licentia, sunt pars Clausuræ, & Fœminæ ingredi nequeunt. Si verò ad illos non potest accedere, nisi priùs obtenta à Superiore benedictione, & Socio assignato: dicendum, non esse vetitum Fœminis ad illos ire, tametsi ad eos posset accedi à Conventu per alium aditum ab eo, qui est per viam publicam. Ratio est, quia tales horti reputantur à Clausura separati; quod probat praxis, & usus apud Regulares idem: qui licentia Superioris non egent, ut per loca Clausuræ ambulent; & ideò, quia extra Clausuram, nulla prohibitio ab eis Fœminas arcet, & si intrent, nulla figantur censura, per resoluta à S. Congr. in Arben. 3 Junii 1606. Nicol. *Flosc.* ubi supra.

14 Quoad Sacristias distinguitur per DD. Ameno *ibidem num.* 20. Sorb. *ver. ingredi Monasteria Frat. & Monialium*, Bonac. *tom.1. de clausura quæst.5. puncto 1. sub num.* 1. Donatus *tom.1. tractat.4. quæst. 12. par.2.* Si ad Sacristiam aditus non patet, nisi per januam, quæ sit in Claustro, Mulieres eam ingredi non possunt; si verò habeat ingressum à sola Ecclesia, eis non prohibetur; quia sic censetur pars Ecclesiæ, & ejusdem, & non Conventus officina. Dubium potest esse de illa, ad quam duplici porta, altera in Claustro, alia in Ecclesia existente, patet adi-

aditus. Sed sub Clausura contineri docuit Bonacin. Ameno *ibid.* post Sorbo ponderavit, PP. Pium, & Gregorium prætactas Const. edidisse, ad consulendum Religiosorum quieti, eosque liberandos à molestiis, & periculis conversationi Mulierum connexis; quæ omnia cum Fidelium scandalo de facili possunt haberi per ingressum Mulierum in eamdem, ideò ab ea prorsùs sunt removendæ. Et hæc esse debet Superiorum regula, nisi velint errare, ut loquitur Sorbo.

15 Neque possunt ingredi Grancias, Infirmarias, & Hospitia, quamquam à Conventibus distantia; dummodò in eis sit Ecclesia cum Campanis, & Divina celebrentur Officia, secùs si sint loca purè sæcularia, & ad divinum cultum non destinata; Donat. *ibid. tract.* 3. *quæst.* 8. quæ non gaudere privilegio Conventus firmavit *Innocen. X. Const. Cum sicut la* 29. *Bullar. tom.* 4. *ad* 15. vid. sup. *c.* 10. *num.* 82.

16 Notandum, illa verba adjecta Const. *Regularium*: *Ne eas introducere, admittereve præsumant*, idem non importare; *introducere* enim omnem actionem comprehendit, quæ activè influit in ingressum Mulierum in Conventum, ut invitare, consulere, approbare, hortari, monstrare iter, auferre impedimenta, ianuam aperire, & alia huiusmodi ad effectum, ut Fœminæ intrent; *admittere* verò importat eas recipere, concedere, & auctoritativè permittere, ut intrent; quod nullus potest exequi, nisi qui tenetur ex officio prohibere; ut sunt, Superior, & Janitor, seu Sacrista, qui januas Conventus, & Ecclesiæ debent respectivè custodire. Hi omnes delinquunt omittendo, quòd exequi debent; si non claudant ostium non resistant, nè intrent, & non expellant, dum intraverint, intimando illis censuras, repræsentando offensam Dei, & Const. Apostolicarum contemptum.

Credunt aliqui Const. utpotè pœnales, & loquentes in præcisis terminis, *introducere, admittereve*, non extendi ad mandantes, consulentes, aut adjuvantes, juxta sensum *Regul.* 15. *juris in* 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari*; sed errant: in quo post Sorbo *vers. est etiam notandum*: reprehenduntur ab Ameno *num.* 24. affirmatque cum Genuensi *prax. cap.* 17. *à num.* 1. nec dissentit Sperellus *dec.* 48 *num.* 61. quòd dispositio pœnalis extenditur ex identitate, & maioritate rationis, quando, si non fieret extensio, sequeretur absurdum, lex redderetur elusoria, & multa sequerentur scandala; quæ omnia concurrerent, si ad consulentes, &c. Constitutiones non extenderentur; ut quisque rudis quoque intellectus potest deducere. Nec videtur id post Litteras Greg. *Ubi gratiæ*, verbis adjectis, *ingredi faciant vel permittant*, posse negari maximè, quia de consulente verificatur, quòd moraliter influat ingressum.

Sed quid, si Religiosus, qui nec introduxit, nec admisit, nevè influxum etiam moralem habuit in ingressu Mulieris, eam jam introductam ex urbanitate salutet, & ex decentia status illius per Conventum comitetur? Dicendum cum Ameno *n.* 31. delinquere crimine admittentium, aut introducentium, modò operetur aliquid, ob quod Fœmina diutiùs detineatur in Conventu; quibus addendum censerem, nisi eam quoque ad egressum stimulet, aut consulat.

Prætactas pœnas non incurrunt Fœminæ ingredientes Claustra, nevè Regulares eas permittentes ingredi tempore Processionum, cùm id eis non sit interdictum, ut ex sequentibus patet.

„ 17 Nos Alexander miseratione Divi-
„ na tituli Sancti Joannis ante Portam La-
tinam Præsbyter Cardinalis Cribellus
„ nuncupatus, omnibus, & singulis præ-
„ sentes nostras Litteras inspecturis, le-
„ cturis, & audituris fidem facimus indu-
„ biam, & in verbo veritatis attestamur,
„ qualiter Sanctissimus in Christo Pater,
„ & Dominus noster D. Pius Divina pro-
„ videntia Papa V. vivæ vocis oraculo no-
„ bis facta, dixit, & declaravit, fuisse, & es-
„ se mentem, & intentionem suam, quòd
„ eius Litteræ in forma Brævis, sub die 24.
„ Octobris 1566. Pontif. sui anno primo
„ editæ, quibus, mulieribus quibuscumque
„ Monaster. Regularium ingressus cum de-
„ rogatoriis clausuris, & irritantibus decre-
„ tis prohibebatur, non solùm comprehen-
„ dant, & comprehenderent mulieres ha-
„ bentes, & habere prætendentes faculta-
„ tem, & indulta ingrediendi huiusmodi
„ Monasteria, sed etiam omnes, & quas-
„ cumque mulieres alias, tam in genere,
„ quàm in specie. Significans nihilominus
„ idem Sanctissimus D. N. eodem vivæ vo-
„ cis oraculo nobis facto, quod propter
„ hæc, & per dictas suas Litteras non intel-

„ ligit, quòd mulieribus præcludatur aditus accedendi ad Monasteria, & loca Regularia, ac eorum Clauſtra, quando in eis Miſſæ, & Divina officia celebrantur ac quando Proceſſionis fiunt, & quando Chriſtifidelium cadavera ibi ſepeliuntur, uc etiam pro eis ſuffragia fiunt: ſed liberè conceſſit, & concedit eiſdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis Catholicis perſonis accedere liberè, & licitè poſſint, & valeant: & ſimiliter quòd, quando Divinum Verbum in Eccleſia Monaſteriorum, & Regularium locorum huiuſmodi proponitur, vel propter aliam quamcumque cauſam eſt tantus concurſus populi, quòd commodè ingredi non poſſint, & egredi per principalem portam Eccleſiæ, conceſſit, & concedit eodem vivæ vocis oraculo, ut dictæ mulieres unà cum aliis ſæcularibus perſonis poſſint ingredi, & egredi per portam Clauſtri Monaſteriorum, & Regularium locorum huiuſmodi, dummodò recto tramite accedant ad portam, qua exitur à Monaſterio: non obſtantibus Privilegiis & Litteris Apoſtolicis, ac quibuſcumque in contrarium facientibus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum preſentes noſtras Litteras exinde fieri fecimus, illaſque manu propria ſubſcripſimus, ſigillique noſtri, quo in talibus utimur, impreſſione communivimus.

„ Datum Romæ in Palatio Apoſtolico in ædibus noſtræ ſolitæ Reſidentiæ ſub Anno à Nativitate Domini 1568. Indictione 11. die verò 28. Menſis Januarii, Pontificatus prælibati Sanctiſſimi D. N. Pii V. Anno 3.

Alex. Card. Cribellus.

18 Nec dicendum, Oracula fuiſſe per Sedem Apoſtolicam revocata; quia Gregorius XV. Conſtitut. *Romanus Pontifex* 27. *Bullar. tom.* 3. à ſua revocatione excipit ea facta S. R. E. Cardinalibus; & quamquam Urbanus VIII. Conſtitut. *Aliàs* 121. *Bullar. tom.* 4. extendat præfatas Litteras Gregorii ad ea etiam ipſis Cardinalibus facta idem tamen Conſtitut. *Aliàs felicis, ibidem* declarat, Oracula Officialibus Papæ facta antequam emanarent dictæ Conſtitutiones, adhuc vivere, & auctoritatis eſſe eoſque in Litteris emanatis ſuper revocatione Oraculorum, non comprehendi, & ad abundantiorem cautelam eoſdem Officiales, & Miniſtros adverſus eaſdem Conſtitutiones plenariè in integrum reſtituit, perinde ac ſi quoad illos enunciatæ Conſtitutiones non emanaſſent; Cardinalis autem Cribellus erat tunc Officialis D. Papæ, ut etiam patet ex data ſuarum Litterarum.

19 Opponitur adverſus ingreſſum mulierum intra clauſtra decretum S.C. Indulgentiarum, ut infrà. Propoſito dubio: *An verba Pontificii Brevis concedentis Indulgentiam omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, Capellam intra clauſtra Regularium ſitam viſitantibus, ſic accipi poſſint, ut comprehendant Capellam in ipſo dormitorio conſtructam?* Sacr. Congregat. reſpondit: *Minimè illam comprehendere: nullamque tribui facultatem mulieribus ingrediendi clauſtra.* 2. *Maii* 1679. apud Monacell. *in append. for. p.* 1.

Cæterùm hoc tantùm probat, mulieres ex vi dictæ clauſulæ non poſſe Clauſtra Religioſorum ingredi; & hoc intendit Decretum: quod tamen Indulta aliàs conceſſa non revocat, nec prohibet abſolutè ingreſſum, ſed ſolùm pro eo caſu reſpondet quæſito.

Nec opponatur Decretum S. R. E. C. 30. Septembris 1628. quo reſpondit Epiſcopo Oriolen. *non licere mulieribus comitari Proceſſiones per Clauſtra Monaſteriorum Regularium, niſi adſit expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ.* Nam de privilegio Apoſtolico conſtat ex d. Conſt. B. Pii, *& alleg. vivæ vocis Oraculo.*

Caveant Superiores, nè aliquam Proceſſionem ex induſtria inſtituant, ut illius occaſione mulieres Clauſtra ingrediantur; nam id eſſet in fraudem legis, & laxationis incentivum. Nec mulieres admitti poſſunt, dum confertur habitus alicui Novitio, vel tempore lotionis pedum, quæ fit Feria quinta in Cœna Domini, vel alia occaſione, Roderigo *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 48. *art.* 3. Lantuſca *ver. Clauſtrum num.* 4. contra Peyrin. *de privil. ad conſt.* 6. *Julii II.* §. 3. *n.* 13. *&* 14. ubi tamen Superiores non excuſat à peccato. Sed ubi d. privilegium non eſt in uſu, ſervetur ſolitum.

20 Viris Sæcularibus non eſt ad Regularium Clauſtra aditus abſolutè interdictus.

dictus. Verùm quibusdam eos recipere, & admittere in certis circumstantiis prohibetur; prout sub die 1. Decembris 1679. *S.C.Ep. & Reg.* id Fratr. Minor. de Observantia injunxit; cuius dispositio reperitur confirmata à sanct. mem. Innoc. XI. die 20. Septembris 1685. *Direct. trium Ord. Const.* 8. prout sequitur: *emanavit aliàs*, & infrà, *decretum tenoris, qui sequitur*: *videlicet, Sac. Congreg. &c. Religiosæ quieti, & tranquillitati Fratrum Minor. Sancti Francisci de Observ. benignè consulens, injungendum censuit, prout præsentis decreti tenore injungit omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus Provincialibus, Localibus, eorumque subditis, sub pœna privationis officiorum Ordinis immediatè incurrenda, ne ullo unquam tempore; quovis prætextu, vel quæsito colore permittant, aut consentiant sæculares quoscumque ingredi septa suorum Conventuum, deferendo per sylvas, hortos, & prata sclopos ad venandum, sive alia armorum genera; vel illa apud Fratres, tam Superiores, quàm subditos deponere; pariterque ludere quomodolibet per Claustra, aliaque loca publica, vel privata ipsorum Conventuum; & convivere, ac pernoctare in eis ultrà triduum, tantùm piæ hospitalitatis titulo, & sic servari mandat: non obstantibus, &c. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, &c. Non obstantibus, &c.*

21 Sub qua dispositione legis comprehenduntur etiam Clerici, nisi sint bonæ vitæ, ut sub die 10. Maii 1680. eadem Sac. Congreg. in terminis firmavit, ut infrà: *S.C. &c. referente Eminentissimo Casanate, censuit, suprascriptam prohibitionem extendendam esse etiam ad Clericos, exceptis tamen Clericis, qui exemplarem vitam ducunt.*

22 Non verò Syndici Apostolici Conventuum præfatorum Fratrum ex ejusdem ibidem, Sac. Congregationis responso ad dubium, eidem super ea re per Patrem Fratrem Joannem Baptistam ab Atina, Procurat. Generalem dict. Ordinis propositum: *An scilicet dicti Syndici comprehenderentur in Decreto emanato* die 1. Decembris 1679. Quæ respondit, ut infrà: *S.C. &c. audito Patre Ministro Generali Ordinis, & attentis narratis, censuit, ac declaravit, præfatos Syndicos Apostolicos Conventuum ejusdem Ordinis non comprehendi in enunciato Decreto. Romæ 4. Decembris 1699.*

G. Card Carpineus.
Joseph Emygdius Ferrus Pro-Secretarius.

Intelligas, decretum Sac. Congr. de anno 1679. non comprehendere Sæculares confugientes ad præfatorum Conventus pro immunitatis beneficio, vide *cap. 24. num. ult.*

23 Quæritur. An ad recipiendum Conventum suppressum alterius Religionis, necesse sit ut audiantur Regulares in loco præexistentes?

Resp. Affirmativè, prout ex Decreto S. Congr. Episc. ut infrà.

Fratres Reformati Ordinis Sancti Francisci Provinciæ Tusciæ obtinuerunt ex benignitate Eminentissimi Cardinalis Commendatarii Abbatiæ Sancti Joannis Baptistæ, Conventum, & Ecclesiam, aliàs Congregationis Fratrum Jesuatorum suppressæ, intra mœnia Civitatis Florentiæ existentem, cum obligatione tamen adimplendi omnia onera Missarum, & Aniversariorum, eidem Ecclesiæ annexa; in quem Conventum iidem Fratres Reformati eorum antiquum hospitium transferre, seu potiùs novum Conventum erigere intendebant, contradicentibus ad id cæteris Mendicantibus qui ex huiusmodi translatione, seu novi Conventus errectione, non leve sibi præiudicium inferri præsumebant; quare delata huiusmodi controversia ad Sacram Congregationem negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam.

Eadem Congregatio, utriusque partis rationibus maturè examinatis, referente Eminentissimo Cardinali Columna, declaravit, atque decrevit, non esse locum hujusmodi translationi, seu novi Conventus erectioni; & dictos Fratres Reformatos dimittere debere præfatum Conventum noviter acquisitum, & ad eorum antiquum Hospitium redire, in eoque permanere, servata eiusdem Hospitii forma. Quæ omnia ut executioni fideliter demandentur, censuit remittendum, prout præsentis Decreti tenore remittit Eminentis-

tiss.

tiss. Archiepisc. Florentino, ut cum facultatibus ejusdem Sac. Congreg. dictos Fratres Reformatos ad eorum Observantiam compellat, contrariis quibuscumque non obstantibus, &c. Romæ 26. Martii 1677.

CAPVT XVII.

Officialis quoad declarationem Regulæ S. Francisci.

SUMMARIUM.

1 *Commentis sæpè verborum sensus alteratur.*

2 *Constitutio Urbani VIII. revocatoria indultorum contra Regulam, & Decretales Nicol. III. & Clement. V.*

3 *Constitutio Innoc. XI. super puritate Regulæ, usque ad num. 13.*

14 *Innoc. XII. Const. confirmatoria litterarum Innocentii XI.*

15 *Quot actibus probetur frequentia?*

16 *Praxis irritandi electionem ad præscriptum Innocentianæ.*

17 *Diferentia inter requirere consilium, & consensum.*

18 *Fratr. Min. de Obser. non possunt habere vineas.*

19 *Nec esse possunt executores testamentorum.*

20 *Possunt habere bibliothecas.*

21 *Est eis interdictus pecuniarum quæstus.*

22 *An eis liceat asservare victualia?*

23 *Syndici Apostolici non repugnant Observantiæ Regulæ, usque ad n. 45.*

46 *An Fratres Minores emere, & vendere possint?*

47 *An recipientes de novo Conventus, annuas præstationes recipere valeant?*

48 *Quid intelligatur per duas tunicas, unam cum capucio, & aliam sine capucio, quas Divus Franciscus in secundo capitulo suæ Regulæ, iis qui voluerint, permittit habere.*

1 QUia sæpissimè per glossas, seu commenta, aut doctrinales interpretationes, solet legitimus verborum sensus, & pura authoris intentio, vel depravari, aut alterari, & ad non intentum extorquendi; ideò Regulam Sancti Francisci, utpotè ab eodem in suis tabulis strictè interdictum, glossare non intendimus; nec referre super ea editas Declarationes Nicolai III. & Clem. V. ab Ordine receptas, quæ videri respectivè possunt, illa Nicolai *cap. Exiit, de verber. signif. in 6.* & altera Clementis *Clement. Exivi item, de verb. signif.* sed aliqua juxta ipsarum tenorem dubia resolvere; quibus præmittimus Constit. Urbani VIII. & Innocentii XI. & XII.

Omnia itaque Privilegia, Concessiones & Indulta, sive per Litteras Apostolicas, etiam motu proprio, sive vivæ vocis oraculo concessa, quæ puritati Regulæ, aut dd. Declarationibus Nicolai III. & Clement. V. quomodolibet adversantur, revocantur ab Urbano VIII. adeòut illis deinceps uti non possit, ut infra.

„ 2 Sacrosanctum Apostolatus ministerium humilitati nostræ, nullo licèt meritorum suffragio, Divina dispositione „ commissum, postulat, ut inter gravissimas, multiplicesque Apostolicæ solicitudinis curas, illam peculiari studio complectamur, per quam personæ sub suavi „ Religionis jugo. Salvatoris, & Domini „ nostri obsequiis famulantes, felicioribus „ in dies proficiant incrementis. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii Fratres „ Ord. Min. S. Francisci de Observ. assiduis „ Verbi Dei Prædicationibus, continuaque „ Sacramentorum Ecclesiasticorum administratione, necnon aliis spiritualibus „ exercitiis uberes in vinea Domini fructus jugiter afferre noscantur.

„ Nos, ut Fratres prædicti in tam laudabilium operum exercitio eò alacriùs perseverent, quò amplioribus fuerint ab hac „ Sancta Sede favoribus muniti, providere necnon felici illorum statui, quantum nobis ex alto conceditur, consulere „ volentes, necnon statutis, & per eos in „ Capitulo Generali proximè præterito „ decretis inhærentes, ac supplicationibus „ etiam dilecti filii Bernardini de Senis, „ ejusdem Ordinis Ministri Generalis, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, omnes, & singuli ejusdem Ordinis Professores, juxtà dicti Ordinis Regulam, necnon Declarationes à piæ „ mem. Nicolao III. & Clemente V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris desuper emanatas, cum calepodiis, „ seu sandaliis apertis dumtaxat incedere

„ te-

„ teneantur; neque alio pedum operimento, sive panneo, sive alterius cujuscumque materiæ existat, absque expressa licentia uti possint; quòdque integrum eorumdem Professorum vestimentum duabus tantùm tunicis constet, & constare debeat, una scilicet cum caputio, & alia sine caputio, ut eadem Regula præscribit; neque ejusdem Ordinis Professores tertia tunica, seu camisia staminea, aut interula, sive sudariis, vel alia quacumque re, contra ejusdem Regulæ tenorem, etiam in vim concessionis fel. record. Julii Papæ II. etiam Prædecessoris nostri, sive quovis prætextu, & ex quacumque causa ullo modo uti valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò statuimus, atque declaramus; prædictamque Julii Prædecessoris, & quascumque alias concessiones, sive indulta, tam per Litteras Apostolicas, & motu proprio, quàm vivæ vocis oraculo, & aliàs quomodolibet concessa, eidem Regulæ quomodolibet contraria, abrogamus. Decernentes, &c. non obstantibus, &c. *Dat. Romæ* 1. *Octobris* 1625. „ Marchant. *q.7. proœm. in Reg.S.Franc.*

3 Innocentius XI. declarat, omnes, & singulos Fratres de corpore Observantiæ teneri observare Regulam Sancti Francisci, juxta Declarat. Nicolai III. & Clementis V. contrarias consuetudines, & privilegia revocet; plura præcepta specificat, & alia disponit observanda in receptione, & professione venientium ad Ordinem, & Prælatorum electione; ac usum Syndici Apostolici licitum declarat, & bonorum administrationem, etiam Monialium, Fratribus prohibet, ut infrà: *Solicitudo Pastoralis Officii, & infrà.*

4 §. *I. Cum itaque (sicut accepimus) in pluribus Capitulis Gener. Ord. Fratr. Min. S. Francisci de Observ. nuncupatorum, & novissimè in Vallisoletano, quod anno 1670. celebratum fuit, unanimi omnium Fratrum vocalium consensu, declaratum, & protestatum fuerit, in nullo Regulæ eorumdem Fratrum Minorum præcepto eatenùs cum Fratribus Minoribus de Corpore Observantiæ, sive Observantes, sive Reform. sive Discalceati, sive Recollecti dicantur, dispensatum fuisse, nec ipsum Observantiæ Corpus ullam unquam admisisse, vel admittere dispensationem in Regulam, sed potiùs velle pro viribus, Divino favente auxilio, illam purè observare, juxtà Summorum Pontificum declarationes à Fratribus Observantibus, seu de Observantia in suis Statutis Generalibus recompilatas, pro Cismontanis anno* 1673. *& pro Ultramontanis anno* 1621. *ac à Reformatis, Discalceatis, & Recollectis in suis particularibus Constitutionibus respectivè admissas, & receptas.* (Dictio *respectivè* facit, ut singula singulis sint referenda, Gobat. *tom.* 2. *oper. moral. tract.* 3. *cap.* 6. *append.* 2. *sub num.* 32. *lit. A.*)

5 §. *II. Nos pro majori hujus protestationis firmitate, & ut in Ordine præfato status, & Regula Fratrum Minorum purè observetur, singulisque Fratribus prætextus eam transgrediendi precludatur, eandem protestationem, & declarationem supra expressam, harum serie, auctoritate Apostolica, approbantes, & confirmantes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium declaramus, omnes, & singulos Fratres de Corpore Observantiæ dicti Ordinis teneri in conscientia observare Regulam Fratrum Minorum Sancti Francisci, & præcepta ejus, à fel. record. Nicol. III. & Clemen. V. Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris, exposita, & numerata ad formam Constit. prædictarum respectivè; & signanter, præter præcepta, quæ non ita frequenter occurrunt, & recitationem Divini Officii, teneri ad jejunia præcepta in Regula, nisi excuset necessitas; ad incedendum sine calceamentis, hoc est absque aliquo, quod pedem cooperiat, cujuscumque illud materiæ sit, nisi adsit vera necessitas à Prælato approbanda; ad non equitandum, nisi infirmitas, vel necessitas, judicio Superiorum probata, excuset; ad vilitatem vestium juxtà prædictas Constitutiones respectivè; ad non utendum pluribus vestimentis, quàm illis, quæ Regula præscribit, nempè una tunica cum caputio, & alia sine caputio, corda, & femoralibus; nam aliud quodvis vestimenti genus ultrà prædicta (excepto mantello ab initio Religionis licito) ut indusia, seu camisiæ, sudariola, tunicellæ, & similia, sunt contra Regulam, nisi adsit vera necessitas excusans à præcepto per Prælatum approbata.*

6 §. *III. Ac demùm teneri ad capitale præceptum Religionis Fratrum Minorum de*

non recipiendis denariis per se, vel per interpositam personam.

7 §. *IV. Aliarum enim rerum necessariarum possunt Fratres Minores de Corpore Observantiæ hujusmodi habere usum, licet non dominium; denariorum autem, nec dominium, nec usum; & proindè quævis contrectatio pecuniæ, seu denariorum, quæ non sit purè naturalis, seu quæ sit quovis modo politica, cujuscumque domini sint denarii, seu pecunia, Fratribus Minoribus Observantibus, seu de Observantia est omninò prohibita.*

8 §. *V. Ac propterea omnes, & singulas dispensationes, concessiones, & consuetudines, si quæ contra præmissa in Corpore Observantiæ Ordinis prædicti reperiantur, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacamus, ac revocatas, cassatas, irritas, & nullas, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuas esse, & perpetuò fore decernimus, & declaramus.*

9 §. *VI. Declarantes tamen pariter, quòd per præmissa non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apostolici, cum eorum usus non sit dispensatio in Regula, sed modus à Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris provisus pro puriori illius observantione; sive ejusmodi Syndici assumantur ad præscriptum Constit. Nicol. III. & Clement. V. prædecessorum prædictroum, sive secundùm dispositionem Constitutionum rec. mem. Martini IV. & Martini V. ac Pauli IV. prædecessorum pariter Nostrorum, prout illorum usus in singulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis prædicti respectivè fuerit receptus.*

10 §. *VII. Ut autem in ingressu Religionis unusquisque de obligationibus, quas assumere vult, plenè informetur, statuimus, ut nullus recipiatur ad habitum Regularem in eodem Ordine, nisi priùs plenè informatus sit de prædictis præceptis Regulæ, obligantibus in conscientia, & prævia hac notitia, velit probationem subire; nec quisquam admittatur ad professienem Regularem, nisi priùs examinatus sit de intellectu Regulæ, & præceptorum ejus, juxtà prædicta; & deindè immediatè ante illam coram tota Communitate fiat ei protestatio, quòd ad observantiam Regulæ cum omnibus ejus præceptis, tunc numerandis, & exprimendis, obligetur in professione, eamque protestationem admittat, & sub ea professionem faciat.*

11 §. *VIII. Quia verò efficacius prædicta observandi medium est exemplum Prælatorum, sive Superiorum, ideò statuimus pariter neminem eligi posse in Prælatum, sive Superiorem in Ordine prædicto, qui vitam communem Observantiæ non sequatur; hoc est, qui frequenter equitet, seu infirmitatem, qua ab obligatione pedibus incedendi excusetur, habeat, qui indusiis, seu camisiis, aut lineis utatur apud se, vel in lecto; qui calceatus incedat; qui jejunia Ecclesiæ, & Regulæ non observet; qui aliquando visus sit contrectare pecunias, nisi jam per triennium saltem emendatus sit; qui notabiliter defectuosus sit in assistendo Communitatibus Chori, Refectorii, & aliis, prout sibi in Constitutionibus præscribitur.*

12 §. *IX. Porrò electio illius, qui in omnibus præmissis vitam communem non sequatur, irritanda sit à Prælato, sive Superiore Generali, capta informatione extrajudiciali pro sua conscientia sine strepitu judicii; cum consilio tamen, & assensu trium Fratrum, qui Ministri Provinciales, vel saltem Definitores Provinciæ sint, vel fuerint: ipsorum autem conscientias, ne aut ille expellatur, qui vitam communem sequatur, aut ille confirmetur, qui eam non observet, oneramus.*

13 §. *X. Demùm, ut omnis occasio transgrediendi præceptum de non contrectandis denariis, seu pecuniis auferatur, omnibus, & singulis dicti Ordinis Prælatis, sive Superioribus in virtute S. Obedientiæ, ac sub pœna privationis suorum officiorum injungimus, ut nulli Religioso ejusdem Ordinis permittant administrationem fundorum, redditUum, ac quarumcumque aliarum rerum, & bonorum mobilium, vel immobilium, cujuscumque domini illa sint; & signanter, ut nulli Religiosorum Ordinis hujusmodi permittatur administratio bonorum temporalium alicujus Monasterii Monialium sub quovis prætextu, aut nomine: nempè, Administratoris, Syndici, Factoris, Coloni, Superintendentis, Villici, aut alio quovis imaginabili. Decernentes, &c. sublata eis, &c. ac irritum, & inane, &c. non obstantibus, &c. Romæ 20. Novembris 1679.*

14 Innocentius XII. solvit dubium ortum supereligibilitate, vel ineligibilitate eorum, qui non servant rigorem Regulæ, prout sequitur: *Aliàs à fel. rec.* deindè in-

inserit litteras Innoc. XI. & infrà subdit : *Cùm autem, sicut dilectus filius Bonaventura Poerius Minist. Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, nonnulli Visitatores ex utraq; Familia ejusdem Ordinis, tam de Observantia, quàm Reformati, dubium ei proposuerint: An eorum Religiosorum, qui vitam communem in victu, vestitu, Chori frequentia, iter pedibus agendo, aliisque similibus à Regula præscriptis rigoribus non observant, idque ex infirmitatis, sive alterius impotentiæ causa, quæ eos juxta textum Regulæ, & Constitutionum dicti Ordinis excusat, adeoque à transgressionis culpa eximit, electio in Prælatos, sive Superiores in eodem Ordine valida sit; eaque, si alias canonicè facta reperiatur, & illi officiorum, ad quæ fuerint electi, cæteroqui sint capaces, ab ipsis Visitatoribus confirmari possit, & debeat; ipse verò Bonaventura Minister Generalis, tametsi existimet, Religiosos, qui propter infirmitatem, aut aliam quamvis necessitatem, vitam communem, aliaque in præinsertis Innocentii Prædecessoris Litteris præscripta exactè observare nequeunt; ab Officiis, & Gradibus Superioritatis excludi debere, seque, ac pro tempore existentem Ministrum Generalem Ordinis supradicti, eos, etiam alias canonicè electos, juxta earumdem Litterarum formam, excludere posse; illos autem, qui culpabiliter dictam vitam communem non observant, & ex malitia delinquunt, non solum ab Officiis, & Gradibus hujusmodi excludi, sed etiam pœnis contra transgressores statutis puniri debere; nihilominùs dubium præfatum declarari, ac aliàs desuper opportunè à nobis provideri plurimùm desideret.*

Nos ejusdem Bonaventuræ Ministri Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Bonaventuræ Minist. Generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanct. Roman. Eccl. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super Disciplina Regulari specialiter à Nobis deputatorum qui rem maturè discusserunt, consilio, Religiosos omnes præfati Ordinis, qui vitam communem observantiæ in præinsertis, Innoc. Prædecessoris Litteris præscriptam verè, & cum effectu sequi non solent, etiamsi id ex infirmitatè, seu alia quavis necessitate, & absque ipsorum culpa accidat, in Prælatos seu Superiores ejusdem Ordinis eligi non posse, eorumque electionem, si quando fiat, tametsi aliàs canonica foret, à Prælato, sive Superiore Generali dicti Ordinis, servata quoad hoc earumdem Litterarum forma irritandam esse; illos verò, qui in prædictis observantiæ communis exercitiis, seu in eorum aliquo culpabiliter deficere consueverunt, non modò, ut suprà, ineligibiles esse; sed insuper pœnis Constit. ipsius Ordinis subjacere, auctoritate Apostol. tenore præsentium, declaramus, ac etiam statuimus, & ordinamus. Decernentes, &c. non obstantibus, &c. Romæ 2. Julii 1695. Bullar. par. dict. Innoc. XII. la 47.

Verùm absolutè non concluditur ineligibilitas ex equitatione, sed ex ea cum frequentia; ex frequentia enim crimen aggravatur, ut docent Sperellus *decis.* 37. *num.* 49. Ameno *de pœn. tit.* 4. §. 4. *adulterium num.* 53. tantò enim sunt graviora peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam, *cap. Cum tanto, de consuetudine.*

15 At dubitatur, quot actibus frequentia probetur? Duos sufficere, tradit Gloss. *in verb. Frequentare ad cap. Monasteria de vita, & honestate Clericor. cap. Ita nos*, 25. *quæst.* 1. & infertur ex 40. *regula jur. in* 6. ubi, *Pluralis locutio, duorum numero est contenta*. Verùm satis non esse videtur certum ex distinctione, quæ reperitur inter Relapsum, Recidivum, & Frequentem; siquidem *Recidivus* in crimine, per Ameno *cit. num.* 53. ille censetur, qui semel de delicto punitus, ejusdem speciei novum committit; & *Relapsus*, *cap. Accusatus, de hæreticis in* 6. §. *Eum verò*, dicitur, qui hæresim in judicio abjuravit, & posteà in aliam etiam hæresis speciem, sive sectam committit, ut ibi text. *Frequens* verò, qui pluries crimen committit, de quo nunquam punitus sit: unde frequentia pluralitatem exigit; sed ad duos actus ex vi Const. non restringitur, alioquin in ea non sumeretur, ut contradistinctè à Relapso; ideò numerus

rus actuum, & ipsorum qualitas arbitrio judicis relinquitur.

Sic pariter ineligibilis est, qui *utitur lineis apud se, vel in lecto*, hoc est, qui, vel illa ad carnem defert, vel tenet in lecto, & quoad id de facto consuetudinem habet; quam per Ameno *cit.tit.* 2. §. 1. *n.*181. usus in casu significat, & super numero actuum ad eam inducendam sufficientium Judex pronunciat, ex Engel. *Colleg.univers. juris Canon.lib.*1.*tit.* 4. *num.*8. Non peccare, subdit Ameno *cit.num.* 182. qui fatigatus ex itinere, concione habita, exercitio, laboreve violento sudans lineo sudario se abstergit; ipsumque deinde, sudore perseverante, ad illum excipiendum subtus habitum ad quatuor, vel sex horas, & sine sæcularium scandalo defert; nedum, quia id ex legitima causa, & ex necessitate faciat; sed etiam, quia illud ea occasione, & ad modicum horarum tempus portare, non possit dici lineorum usus. Cæterùm mortaliter, & non tantùm venialiter, ut Joannes de Graffis asseruit, Fratr. Min. peccat, qui sine dispensatione lineam camisiam, etiam truncatis manicis, ad carnem gestat, ut apud Marchant. *in c.*2. *Regulæ tit.*3. *q.*5. *conc.*1. & taliter dispensati à Prælaturis arcentur, etiam ex dispositione Constit. Gener. *cap.*2. §.9. *num.* 15. *Minister verò eum, qui cum tali licentia utitur camisia, adnotet in eorum numero, qui vitam communem servare non possunt, ut liquidò constet conformiter ad Statuta, quòd non possit eligi in Officium alicuius Prælaturæ.*

Ad concludendam ineligilitatem ex contrectatione pecuniæ, sat est, ut quis semel visus sit easdem contractare. Verùm eligi non prohibetur, si per triennium ad minùs se correxisse constet; ut ex Const. Innoc. *n.* 11. Ex quo habetur, quàm strictè ipsis Fratribus prohibeatur pecunia.

16 Electionem irritare, eamque ad præscriptum Const. cassare, non est de spectantibus ad actus facultativos; nam actus meræ facultatis, censentur per Engel. *cit.n.*9. qui nullam juris obligationem, aut necessitatem habent, & pro cuiuslibet arbitrio fieri, vel omitti possunt, id autem arbitrio, & libertati Generalis non committitur, sed potiùs necessitas imponitur; ut per expressa, *ibid.num.*12. & significant clausulæ: *Irritanda sit; ipsorum autem conscientias, ne aut ille expellatur, qui vitam communem sequatur, aut ille confirmetur, qui eam non observet, oneramus.*

Debet Generalis super eo pronunciare, *Capta informatione extraiudiciali pro sua conscientia, sine strepitu judicii*, ut expressè textus; quorum sensus datur in Clement. *Sæpè contingit, de verbor. signif.* ut sequitur: *Sancimus, ut Judex, cui taliter causam committimus, necessariò libellum non exigat, litis contestationem non postulet tempore etiam feriarum, ob necessitates hominum indultarum à jure, procedere valeat; amputet dilationum materiam; litem quantum poterit, faciat breviorem; exceptiones, appellationes dilatorias, & frustratorias repellendo; partium Advocatorum, & Procuratorum contentiones, & jurgia, testiumque superfluam multitudinem refrænando: non sic tamen Judex litem abbreviet, quin probationes necessariæ, & defensiones legitimæ admittantur, &c.* Et facit Gloss. *ad cap. Statuta, de hæret. in 6. in ver. Certum est*, Pasqualigo ad Lauretum de Franchis *par.*1. *num.* 708. tradit servanda; & probationes, citationes, defensiones legitimas, juramenti præstationes, ait, nunquam esse in summario processu omittendas, utpotè necessarias pro habenda veritatis notitia Engel. *lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 12. distinguens judicium ordinarium (ut, cùm Judex cum ordinaria figura, & strepitu judicii, juxtà præscriptum juris procedit) à summario (ut cum idem, omissis ambagibus, & ordinariis judiciorum solemnitatibus summatim de causa cognoscit) docet hoc summarium judicium necessarium esse in causis electionum, provisionum, & similibus, ubi periculum aliquod & damnum ex morà, & administrationis defectu timetur; quod in casu nostræ electionis posse evenire, non est dubitandum.

Et cum consilio, & assensu trium Fratrum, ait text. *qui Ministri Provin. vel saltem Definitores Provinciæ sint, vel fuerint*; quæ copulativè requiruntur, tanquam de forma, adeòut si unum, vel alterum omittatur, decretum de electionis nullitate vim non habeat. Quòd omissio consilii, quando id jura requirunt, actus irritet, habetur expressè *cap. Novit, c. Quando, de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu capituli, & cap. Cum in veteri, de electione*; ubi disponitur non tenere electionem, non requisito, vel non expectato consilio, quod de Papæ mandato requirendum, & expectan-

ctandum erat. Et idem *tit: cit. cap. De his, cap. Ea noscitur, cap. Tua nuper, & cap. Pastororalis*, statuunt respectivè Cœlest. & Innoc. III. si consensus non accesserit.

17 Differunt requisitio consilii, & requisitio consensus. Cum consensus requiritur, tenetur Prælatus id exequi, & sequi, quod major pars Capitularium concluserit, *alleg. cap. Ea noscitur*. Cum verò consilium dumtaxat exigitur, sola consultatio cum Capitularibus sufficit, absque eo, quòd Prælatus teneatur eorumdem consilium sequi, *cap. Cum olim, de arbitr.* cum sua Gloss. *ver. Inter Priorem*.

18 Quæritur. *An Fratres Minores possint habere vineas, agros, &c.*

Resp. Negativè, per text. *in d. cap. Exiit, §. Ad hæc*; ubi ipsis prohibetur recipere vineam, vel agrum ad excolendum, vel domum ad locandum. Et in d Clement. *Exivi, §. Licèt verò*, ubi Fratribus permittitur habere *hortos, & areas competentes ad recollectionem, vel recreationem sui, & interdum ad seipsos post labores hujusmodi corporaliter deducendos, necnon ad habenda necessaria hortalitia pro se ipsis; habere tamen hortos aliquos, ut colantur, ac olera, & alia hortalitia pretio distrahantur, necnon & vineas, repugnat suæ Regulæ. Quòd si talia ad usus proximè dictos, ut putà agrum, vel vineam ad excolendum, & consimilia Fratribus legarentur, per omnem modum Fratres à receptione talium abstinerent; cum etiam præmissa habere, ut pretium fructuum suis temporibus habeatur, ad naturam, & formam proventuum appropinquet*.

19 Ex quibus deducitur I. Quòd eis non licet habere hortos excessivos, hoc est, non necessarios; cum eis habere non liceat, quod necessarium non est; & ideò in fraudem paupertatis retinentur, & in scandalum populi.

II. Quòd, quamvis eis permittantur horti ad præfactos effectus, vineæ omninò negantur, ex quo istæ ex sui natura ordinentur ad vinum reponendum; quarum fructus sapiunt copiam, & accedunt ad naturam proventuum, ac annui, hoc est, certi redditus, secundùm ea, quæ notat ibid. Gloss. *in ver. Oppono*; & ideò per eas eorum paupertas, & mendicitas relevari videtur; ex eo etiam, quòd accedunt ad naturam possessionum, quarum etiam usus eis interdicitur, dict. Clement. §. *Cumque annui redditus*.

III. Quòd habere paucas vites in dictis hortis, vulgò *Pergole*, ad percipiendum uvam pro usu Fratrum, non censetur eis vetitum, cum inter hortalitia annumerentur.

20 Quæritur. *An dicti Fratres possint esse executores testamentorum, & ultimarum voluntatum?*

Resp. Negativè, prout dict. Clement. §. *Cumque annui redditus, in ver. Cumque dicti Ordinis*; cum id, juxta textum, ut plurimùm non contingat absque actibus litigiosis, & contrectatione pecuniæ, quæ eis omninò *dicto loco* vetatur. Et quamvis sæpè accidat, ut ea non eveniant; tamen non cessat prohibitio, ut per Gloss. *ibid. in verb. Dixit*; nam sufficit, quòd hæc aliquando contingere possint. Neque ea fuit sola ratiò prohibendi, sed etiam ne avocarentur à spiritualibus laboribus, quibus quotidiè debent occupari, prout §. *Licèt verò*; ac etiam ut evitentur fraudes, quæ sæpissimè in talibus contingunt. Nam est à viris perfectis specialiter evitandum, non solùm, quod malum esse dignoscitur, sed & omne, quod speciem habet mali, ut in §. *Ampliùs*. Cæterùm posse super ultimarum voluntatum consilium dare, eis non interdicitur, ut expresè text. *ibid.* cum ex hoc ipsis, circa bona temporalia nulla jurisdictio, sive actio in judicio, sive dispensatio tribuatur.

21 Quæritur. *An Fratres Min. de Observ. possint habere bibliothecas?*

Resp. Affirmativè, ut in terminis *d. cap. Exiit, §. Quia verò libros*; sed librorum dominium ad Papam spectat, ut ibi text.

Circa quod est ponderandum, surripientes furto librum, aut quinternum è Bibliothecis Minorum, ligari excommunicatione Papæ reservata, ex Const. *B. Pii V. Cum sicut accepimus, la 18. in Bullar.* Roderici edita 4. Novembris 1568. Quæ (ex ejusdem testimonio, *ibid. tit.* Clemens VIII. §. *Fidem facimus, & ex primo regesto Aracæl. Cur. Ultramontanæ*) non fuit revocata ab eodem Clemente, quemadmodum moderatus est alteram Sixti V. *Cum sicut, la 67. in Bullar. tom. 2.* quoad pœnas in ea statutas, quibus subdebantur consulentes, & removentes per se, vel per alios, etiam pro minimo temporis spatio, è dictis Bibliothecis libros,

ros, quinterna, & folia. Quare in præsenti circa hoc attenditur Constitutio B. Pii, quæ loquitur solùm de surripientibus furto, prout scripsit etiam Sanctorio *de pœn. cap.8. §. Undecimus casus*.

Cæterùm ad incurrendum censuram à B.Pio latam, necesse est, ut libri furto surripiantur è Bibliothecis formalibus. Bibliotheca autem formalis censetur, non quæcumque librorum in quovis loco adunatio, & collectio, sed notabilis, & magna librorum copia (juxtà qualitatem Conventus) in loco publico cum armariis, & thecis, vulgò *Scanzie*, authoritate Superioris electo, ut Bibliotheca vocetur, & pro Bibliotheca habeatur; & ita ad Bibliothecam formalem requiruntur libri, armaria, & locus deputatus, juxtà *l.librorum, ff. de legatis, & fideicomm. §. Sed si bibliotheca*.

21 Quæritur. *An in Ecclesiis Fratrum Minor. sit interdictus pecuniarum quæstus?*

Resp. Affirmativè de quæstu, qui cadit in commodum, & utilitatem ipsorum Fratrum, ad text. *in d. Clement.* §. *Quocirca*. ibi: *Quocirca quæstus omnis pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio in Ecclesia, vel cippi, vel trunci ordinati ad offerentium, vel donantium pecunias reponendas; necnon recursus alius ad pecunias, seu habentes ipsas, qui per declarationem prædictam* (hoc est Nicolai III. *d.cap.Exiit*) *non conceditur; hæc, inquam, omnia sunt eis simpliciter interdicta*. Unde mortaliter peccant, non modò contra Regulam, sed etiam ratione scandali, quoties pecunias petant. Casus pro quibus ad amicos spirituales eis licet pro eleemosynis pecuniariis recurrere, & per quos sint expendendæ, enunciantur in *d. cap. Exiit*, §. *Cæterùm cum in eadem*, & d.Clemen. §. *Porrò*, *vers. Cum etiam*.

Dixi, quæ *cadit in utilitatem Fratrum*; quia aliter est discurrendum, cum quæstus pecuniæ ad instantiam Episcopi, vel Civitatis fieret pro pia causa aliorum, & pro pauperibus Urbis, Hospitalis, Terræ Sanctæ, &c. prout hìc Romæ praxis est, ut tempore Quadragesimæ ad instantiam Vicesgerentis, vel aliorum extra Ordinem, in Concionibus in hac Ecclesia Aracœlitana commendetur à Concionatore pecuniarum quæstus, ad dd. similisve causas; sed tunc pecunia recolligitur per sæculares, & statim per eosdem absque ulla Fratrum opera personis instantibus traditur. A pecuniis enim Fratres ita alieni esse debent, ut nec ipsis liceat earum usus, & contrectatio, prout est textus in allegat. *cap. Exiit*, §. *Ad majorem*, & in d.Clement. §. *Cumque annui redditus*, *vers. Verùm etiam*, vide *c.* 10. *num.* 45.

22 Quæritur. *An Fratribus Min. liceat conservare victualia, granum vinum, oleum, &c.*

Resp. Affirmativè, sed hac limitatione, si rationabiliter judicent, quòd alio modo ea habere non possint, ut expressis terminis d. Clement. §. *Licèt*, *ver. Rursus*.

23 Quæritur. *An repugnet observantiæ puritatis Regulæ Fratrum Minor. de Obser. uti Syndico Apostolico assumpto ad præscriptum Constitutionum Martini IV. Martini V. & Pauli IV. in cujus Const. ex Clementin. la* 1. *in Bullar. tom.* 2. *confirmantur illæ utriusque Martini?*

Pro repugnantia, multa infarcinat Sanctorio Comment. *in stat. cap.* 4. *stat.* 4. præsertim quoad actum recipiendi eleemosynas pecuniarias pro Fratrum necessitatibus per benefactores oblatas, & donatas. Considerans I. hujusmodi Syndicos esse datos ad thesaurizationem.

II. Quòd dominium pecuniæ sit apud Fratres, & non apud Sedem Apostolicam, quæ in se recipit dumtaxat dominium earum rerum, quarum usus Fratribus licet habere, prout expresè declarat Nicol. III. *d.cap.Exiit*, §. *Ad hæc*. Et Clemens V. *dict. Clement.Exivi*, §. *Prindè*. Et idem Paulus *dict.const.§.* 11. ibi: *Qui* (hoc est Syndici) *res ipsas, & rerum ipsarum pretium, & prædictas eleemosynas nomine Romanæ Ecclesiæ (ad quam rerum omnium mobilium, & immobilium, quibus Fratres uti possunt, jus, proprietas, & dominium, nullo medio spectat) recipiant, & recipere possint, & debeant per eosdem in Fratrum ipsorum utilitates, etiam pro victu, & vestitu eorum, ac reparatione Conventuum, & Fratrum hujusmodi necessitatibus pro tempore convertenda, sicut & quando à Generali in toto Ordine, & Provincialibus Ministris, ac Custodibus* (sub quibus comprehenduntur etiam Guardiani) *in Provincia, & Custodia sibi decreta, vel ab iisdem Fratribus de consensu eorum fuerint requisiti*. Usus autem pecuniæ dd. Fratribus non licet: ergo ejusdem dominium in Romanam Ecclesiam non transit.

24 Sed

24 Sed his non obstantibus hujusmodi Syndicos puritati Regulæ non repugnare, nec inferre dispensationem relaxativam in observantia Regulæ, patet. I. Ex quo in manu Sedis Apostolicæ sit ipsam Regulam declarare, modosque idoneos, & accomodos juxta temporum circumstantias, ad puram ejusdem observantiam approbare, & disponere. Quod sanè à nullo negabitur, cum approbare Religiosorum Regulas ad Romanum Pontificem privativè quoad alios quoscumque spectet, per textus *in cap. Quod votum, de voto in 6.*

25 II. Ex quo idem Paulus *dict. const. & §.* declaraverit, *Fratres non facere contra Regulam, quam profitentur, imò cum illius observatione quoad hoc, & pura, & sana conscientia sine alicujus conscientiæ scrupulo vixisse eatenùs, & in posterum vivere.* Ubi per clausulam, *sublata*, claudit os aliter dicendi, & irritat, quidquid secùs judicatum fuerit.

26 III. Ex eo etiam, quod Innoc. XI. d. const. *Solicitudo §.6.* declaret, usum Syndici assumpti, etiam ad præscriptum Constit. Martini, & Pauli, non esse dispensationem in Regula, sed modum à Romanis Pontificibus provisum pro puriori illius observationem. Cujus Constitutio propter clausulam, *Motu proprio, & ex certa scientia*, non potest vitio subreptionis notari, cùm tanta sit ejusdem clausulæ virtus, ut omnem subreptionem excludat, *cap. Si motu proprio, de præbend. in 6.* & Clement. *Si Romanus, eod. tit.*

27 IV. Tum pariter, ex quo dict. Syndicorum usus licitus supponatur à S. Congreg. ab Urbano VIII. consultat. Frat. Minor. præposita. Quæ licèt fuerit erecta ad tollendos abusus contra observantiam Regulæ inductos, tamen *dist.* 3. *ad* 4. censuit, Syndicos Apostolicos posse accipere pecunias spontè oblatas pro Missis per Fratres celebratis, ut dicam infrà *cap.*30. *num.* ....

28 V. Tum etiam, quia dicti Syndici non sunt Procuratores Fratrum, sed Sedis Apostolicæ substituti, Procuratores, & Oeconomi (& propterea dicti Syndici Apostolici) cujus nomine eleemosynas pecuniarias recipiunt, easque in Fratrum necessitate erogant.

29 Deindè ad resolutionis confirmationem posset considerari, nihil opponi dd. Syndicis, quod retorqueri non possit, & applicabile non sit Syndico, & substitutis donantium, sive ab istis, sive à Fratribus nominatis, concessis à dict. Nicol. *cit. cap. §. Quia verò.* Qui tamen nec Regulæ repugnant; prout de hac re doctè scripsit, & collationem fecit Marchant. *relect. theol. in Regul. S. Franc. difficult. de instit. Synd.* ideò nos calamo parcimus, & ad eum Lectorem mittimus.

Ad rationes à Sanctorio productas.

30 Ad primam, negamus Syndicos dari ad thesaurizationem; nam Fratres non debent permittere, ut apud eos plus pecuniæ deponatur, quàm eorum necessitates, non futuræ, sed præteritæ, præsentes, vel imminentes ferant, juxtà *d. cap. Exiit §. Et quia oportet, v. Caveant.* Nec Syndici in fraudem paupertatis debent excessivas pecuniarum eleemosynas accipere.

31 Ad secundam, dicimus, si conferentes eleemosynas dominium sibi non reservant, ipsum esse apud Romanam Ecclesiam, de quo dubium esse non potest. Tum quia ejus nomine recipiuntur, & authoritate administrantur, tum quia huc intrat dispositio Nicolai III. *d. cap. §. Ad hæc cum;* ubi, ne rerum perfectè, & absolutè oblatarum, donatarum, concessarum Fratribus Minor. (qui nec sibi in speciali, nec Ordini in communi aliquod acquirere possunt) dominium sub incerto videatur esse, decrevit, ad Romanum Pontificem, & Romanam Ecclesiam plenè, & liberè pertinere.

32 Nec dicas, id restringi ad mobilia, quorum usus Fratribus licet, ut expressè text. Nam illud, ne *rei dominium sub incerto videatur esse*, procedit etiam in dominio pecuniæ absolutè donatæ. Tum quia aliarum rerum dominium illis perfectè donatarum ad Romanum Pontificem spectat; quia Pontifex est aliquo modo Pater specialis Fratr. Minor. & filius incapax acquirendi sibi, acquirit suo modo Patri, ut ibi textus. Tum quia §. *Quia verò, versic. Si verò*, à Nicolao decernitur, quòd pecunia, quæ exigitur ex re Fratribus licita, quæ vendi contingat, in rem, cujus usum ipsis Fratribus licet habere, per Procuratorem, ab ipsa Sancta Sede, vel Cardin. Protectore deputandum expendatur. Modò, tempore in-

intermedio ad venditionem, & conversionem pecuniæ in rem Fratribus licitam, dominium pecuniæ apud alium esse non potest, quàm Romanum Pontificem; cùm nullus alius præter eum assignari possit, in quem transferatur, & maneat, ut consideranti textum, obvium erit. Consequenter ita est resolvendum de dominio pecuniarum, quæ in eleemosynam conferuntur, & à Syndicis Paulinis pro Fratrum necessitatibus expenduntur; cùm apud Fratres non sit, quia ex Regula incapaces; nec apud dantes, quia per eleemosynam dominium transfertur; nec apud Syndicos, quia sunt puri Procuratores, & Oeconomi Romanæ Ecclesiæ, cujus nomine pecunias recipiunt, & administrant.

33 Nec repetas, textum esse restrictum ad dominium rerum, quarum usus Fratribus non prohibetur; nam non loquitur exclusivè ad dominium pecuniæ existentis ex pia, & liberali Benefactorum voluntate, aut Missarum stipendio apud Syndicos; sed esse apud Romanam Ecclesiam, concludentissimè habetur *d.* §. *Quia verò*, ut superiùs ponderavimus.

34 Neque pariter urget textus ex Paulina. Nam ex ea apertè colligitur dominium pecuniæ in manibus Syndici pertinere ad Ecclesiam, cùm ejus nomine recipiatur, & authoritate erogetur in Fratrum necessitates. Quod sanè ad dominium spectat, cùm sit *Jus, seu facultas legitima disponendi liberè, & absque ullius injuria de re, vendendo, donando, emendo, &c.* Clausula verò, *Ad quam rerum omnium, &c.* dict. Constit. non est apposita cum exclusione ad dominium Romanæ Ecclesiæ in dd. pecunias; sed ad significandum dd. Fratres, nec sibi in speciali, nec Ordini in communi posse aliquid acquirere. Et quòd, etiam rerum, quarum usus eis licet, jus, proprietas, & dominium nullo medio, sed immediatè spectat ad Romanam Ecclesiam.

35 Et inde est differentia paupertatis Minoriticæ ab ea cæterarum Religionum. I Quia illæ in communi rerum dominium habent, per Trid. *sess. 25. cap. 3. de regul.* II. Quia Religiosi ipsarum in particulari possunt de licentia Superiorum habere usum pecuniæ.

Neque iterùm replices: dantes pecunias Syndicis intendunt dare Fratribus, non Sedi Apostolicæ. Nam non est verisimile, nec præsumendum, quòd velint dare modo illicito, & peccaminoso, & ita, ut Fratres sint trangressores Regulæ; sed potiùs modo possibili, & ad proprium meritum, eorum necessitatibus providendo, ut *d.* §. *Quia verò, ver. Non enim.* At dato, quòd vellent, ut Fratres haberent pecuniarum dominium, adhuc apud eos dominium non foret, cùm ipsorum Regula resistat, & ad Romanam Ecclesiam spectaret, quamvis nollent; dummodò sibi non reservarent, & factum esset intentioni contrarium.

36 Dices. Usus Syndici in terminis Paulinæ, est contra *d. cap. Exiit, dict.* §. *Quia verò libros*; ubi deputatio Syndici ad Sedem Apostolicam, vel ad Card. Protectorem dicitur pertinere: adeóque videtur inferre dispensationem in Observantia Regulæ, quæ juxtà Declarationes Nicolai III. & Clement. V. observanda est, prout in quovis Capitulo Generali protestatio permittitur.

Resp. Negando antecedens. Ex difficultate enim adeundi Romam pro deputatione Syndici, vel à Sancta Sede, vel Cardin. Protectore, frequentissimè offendebatur puritas Regulæ per recursum modo illicito ad pecunias. Cui malo provisum est per dd. Pontifices, tribuendo Generalibus, & Provincialibus facultatem nominandi Syndicos. Nec capio, ex quo inferatur dispensatio in Regula, si ponderetur *in dict. cap.* §. *Cæterùm cum, ver. Si tamen ipse*: ex Paulina solùm habetur, quòd facultas deputandi Syndicos à S. Sede attributa Card. Protectori, sit ampliata ad dd. Ministros, ut ipsi eos nominent.

37 Et adverte, quòd Paulina utitur verbo, *nominare*; quia non ipsi Superiores conferunt authoritatem Syndicis recipiendi, & expendendi eleemosynas pecuniarias in Fratrum necessitates; sed supposita per ipsos nominatione, eam, recipiunt à S. Sede, cujus ex dictis sunt Oeconomi, & veluti substituti. Superiorum nominatio est pura declaratio, quòd auctoritas Papæ ad præfata exequenda in personas nominatas derivat.

38 Item. Considera contra Sanctoro nullam esse paritatem inter Sindicos, & cippos, ac possessiones. Quoniam Sancta Sedes concedit Fratribus usum Syndici,

ci, non verò cipporum, & possessionum, Clement. §. *Porrò*. Tum quia in his aliquid certi pro sustentatione relucet. Pariter observa: Syndicos non esse *interpositam personam*. Nam persona interposita, juxtà text. *in cit. cap. Exiit*, §. *Ad majorem*; illa dicitur, quæ nomine Fratrum pecunias recipit, & eas eorum authoritate, & tanquam ipsorum expendit: Syndicus autem pecunias nomine Fratrum non recipit, nec ipsorum nomine expendit, sed solùm nomine Romanæ Ecclesiæ, ut in d. Paulina.

39 Ex quibus habetur. I. Quòd Syndici Apostolici dici possunt substituti amici spiritualis, Papæ nimirùm, qui cum impotens sit per se ipsum immediatè expendere pecunias datas in Fratrum necessitates, eas erogandas committit personæ à Fratribus nominatæ. Quemadmodum substituti donantium dicuntur substituti amici spiritualis, personæ nimirùm, quæ ex amore Dei, vel devotione ad Fratres dat pecuniam pro Fratrum necessitatibus. Quinimò ipsis Syndicis ratione ministerii potest participativè convenire nomen amici spiritualis.

40 II. Quòd Syndici sunt instruendi se pecunias recipere, non nomine Fratrum, sed Sedis Apostolicæ, hujusque nomine, & authoritate expendere in Fratrum necessitates. Et in receputis, quas faciunt, non debent testari esse Fratrum, sed in necessitates Fratrum expendisse.

41 III. Quòd non debent pecunias in tanta quantitate recipere, ut sint in fraudem paupertatis.

42 IV. Quòd Fratres non possunt recurrere ad Syndicos, nisi pro necessitatibus præteritis, præsentibus, vel imminentibus, & cum aliæ cessant eleemosynæ, *d. c. Exiit*, §. *Cæterum cum ver. Et quia*.

43 Item sequitur, quòd Fratres nil juris habent in pecunia, nec possunt Syndico præcipere, ut pecunias expendat; sed solùm debent rogare, & ad eum humiliter recurrere, manifestando, & significando necessitates Fratrum, prout *ibid. ver. Ita tamen, quod*.

44 Et tandem habes, non posse Fratres à Syndicis computus juridicos exigere, quia hoc est proprium habentis jus in pecunias. Et cum videntur Syndici ipsis computus reddere, id non est actus juridicus in debito, & obligatione civili fundatus, sed est charitativa informatio Superioribus exhibita ad ostendendam propriam fidelitatem, ad quam possunt per Fratres moneri, ut ibi textus.

45 Usus itaque Syndici, juxta Paulinam est Fratribus licitus; sed Fratres debent in recursu ad ipsos omni cautela procedere, & adnotata servare. De capacitate Fratrum ad legata dicendum c. 30.

46 Queritur etiam. *An Frater Minor possit vendere, & emere?*

Resp. Negativè, nam est Fratribus vetitum, nedum contrectare pecuniam, sed etiam quoscumque contractus civiles celebrare, juridicas obligationes contrahere, conventione civiliter, vel juridice obligatoria de pretio rei pacisci; adeòque & in rigore emere; etenim ea omnia, rigorosa emptio comprehendit. Dicitur *in rigore*, quatenùs lato modo eis emere licet, hoc est, non se obligando civiliter ad pretium pro re empta solvendum, nec mandando solutionem eorum fieri auctoritate, neque rei acquirendo dominium, aut proprietatem; sed prout emere dicit, de pretio per modum conventionis naturalis convenire, solutionem rei per idoneam personam, scilicet Syndicum, vel amicum spiritualem procurare, & in simplicem usum dumtaxat acquirere, prout text. expressus *dict. cap. Exiit*, §. *Cæterum, Cum possint tamen*, ait Nicol. *ipsi* (hoc est, Superiores, & de horum licentia subditi) *pro satisfactione facienda pro eorum necessitatibus, quæ pro tempore occurrerint (cessantibus eleemosynis, de quibus satisfieri commodè tunc non posset) citrà cujuslibet obligationis vinculum dicere, quòd per eleemosynas, & alios amicos Fratrum ad solutionem hujusmodi faciendam intendant fideliter laborare.*

Sic etiam eis in rigore vendere non licet; nam rigorosè vendens, jus, & dominium rei in emptorem mediante obligatione pretii tranfert, pecunias recipit, sive jus recipiendi acquirit, quæ ipsis Fratribus sunt prohibita, unde solùm possunt naturaliter de pretio rei absque obligatione convenire, & rogare, ut res per personam idoneam, Syndicum nimirùm, vendatur; ita Marchant. *in cap. 1. Regul. tit. 3. quæst. 1. & 2.* & Statuta Generalia Ord. *cap. 4. §. 1. num. 5.* firmant: *Sine dicto Procuratore*,

vel substituto, nihil emi, aut vendi, vel de eleemosynis prædictis sub quocumque prætextu disponi possit sub pœna proprietatis, sub qua etiam pœna prohibemus, ne Guardianus, nisi in manu Syndici, vel substituti de ejusdem licentia, eleemosynas pecuniarias teneat, vel per manus aliorum expendat.

47 Dubitatur: *An Fratres Minores de Corpore Obser. & Capucini, dum de novo in locis recipiunt Conventus, possint à Fundatoribus exigere, ut annuatim certa pecuniæ summa expendenda, vel in emenda pitantia, aut Fratrum vestimentis, vel quid aliud fixum, solvatur?*

Ad quod, eorum inspecta Regulæ, & professionis puritate, negativa firmatur. Quod per enunciatas Decretales eis etiam prohiberi constat, & ad causam in terminis trahi possunt disposita in superioribus, utpotè retinendi juris contra quemcumque, & juridicæ exercendæ actionis incapaces, ac ad pacta, & conventiones inepti; quibus ad amicos spirituales, ut Fratrum indigentiis provideant, recursus dumtaxat conceditur in casu necessitatis, veræ, præteritæ, præsentis, vel imminentis, quod magis evincitur, & fortiùs probatur, ex quo hujus generis onus reputetur, & in re sit locis impositum in fraudem Minoriticæ paupertatis, & incertæ mendicitatis, Fratribus dietim victualia parantis, ac inter redditus computandum; per disposita in allegandis decretis, *d. cap.* 30. & tradit Monacell. *for. par. 1. for. 19. n. 27. tit. 6.*

Sed quid, si præfatorum locorum fideles vellent eis per modum eleemosynæ quolibet anno eam summam dare?

Dicendum, posse eam per Syndicum recipere, at nonnisi veris occurrentibus necessitatibus; & tunc solùm, cum victus, & vestitus mendicatione, nonnisi valdè incommodè acquiri posset, vel saltem non sufficiens. Præmitti tamen deberet solemnis protestatio, ab integro definitorio formanda, ut *dict. cap.* ut authenticè constaret, ad id nil juris Fratres habere, & se ex dietim mendicato, & incertis quæstuationibus velle vivere, quam in facti contingentia (me Curiæ Secretario) Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in casu consimilis fundationis, per Eminent. Petruccium exegit.

48 Quæritur. *In secundo capitulo Regulæ Sanctus Franciscus loquens de habitu professorum. hæc habet*: Habeant unicam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, qui voluerint habere? Petitur, *quid per has tunicas intelligatur.*

Resp. cum Sancto Bonaventura in hunc textum, quòd *tunica cum caputio supponit pro habitu externo, cui respondet caputium, tunica verò sine caputio pro tunica inferiori, seu, quæ sub externo habitu gestari potest*. Plures itaque tunicas præter expressas nullus potest absque dispensatione legitima, & necessitate habere; ut dixerunt quatuor Magistri: *Habere duas tunicas, & non plures, regularis est formæ; plures verò duabus dispensationis est Regulæ, auctoritate eorum, quibus est commissa cura Fratrum.*

Dices. Euangelium *Matth.* 10. prohibet duas tunicas habere: *Neque duas tunicas.*

Resp. Euangelium intelligitur de vestimentis, seu tunicis mutatoriis, quarum una in itinere, & altera in locis, in quibus quis manet, utatur, ut notavit Tirinus *to. 2. in Script. ad hunc textum.* Ante quem Hugo, de Dina dixit: *Necessitati consulitur, duplicibus, seu mutatoriis derelictis, quæ Apostolis duarum nomine tunicarum Dominus interdicit.*

Hinc sequitur, quòd tunica inferior potest, quin etiam debet esse brevior, & angustior tunica exteriori, ac ex panno non tantæ grossitiei, ut hac forma magis recedat à ratione habitus mutatorii, & faciliùs possit tum in itinere, tum ad reparandum frigus gestari, ac aliis honestis usibus, & decentiis inservire.

Judicium autem, & determinatio, tum habitus, & caputii, quantum interioris tunicæ, tam quoad formam & figuram, quàm quoad longitudinem, latitudinem, grossitiem, & subtilitatem panni, spectat ad Generalem pro toto Ordine, & Provinciales, ac Guardianos in suis administrationibus, juxtà extravag. *Quorumdam Joan. XXII. de verb. signif. inter extravag. ejusdem Pontif.* Quibus pariter concessit, ut indicarent super asperitate, vilitate, & paupertate vestimentorum; præcipiendo omnibus, & singulis Fratribus, ut iisdem parerent, & super illis mandata reciperent, imposita excommunicationis pœna deferentibus habitus strictos, curtos, & difformes, si ad mandatum Generalis eos non deponant.

CA-

CAPVT XVIII.

Officialis quoad electionem Prælatorum.

SUMMARIUM.

1 *Describitur electio, & descriptio explicatur.*
2 *A nemine, quàm Romano Pontifice, potest electio ad aliquos restringi.*
3 *Eligendi sunt habiles, & pœnæ eligentium indignos.*
4 *In electionibus non debent electores uti notitia habita ex confessione Sacramentali.*
5 *Electio debet fieri per vota secreta, non per compromissum, nec per inspirationem, usque ad num. 14.*
15 *Ad electionem vocandi sunt, quotquot de jure, vel consuetudine habent jus suffragandi.*
16 *Electio censetur Canonica, quæ fit à majori parte Capituli.*
17 *Exeuntes à loco Capituli, censentur se facere alienos, & remanentes possunt ad electionem procedere; sed cautela est adhibenda.*
18 *Vota non debent dari alternativè, vel sub conditione, aut vagè.*
19 *Vota absentium non supplentur per Titulares, aut Procuratorem.*
20 *An in electionibus vocem habeant Sacris non initiati?*
21 *Ad validitatem electionis non est satis major pars respectivè ad minorem, sed debet esse major respectu totius Capituli.*
22 *Electio est facienda ab electoribus collegialiter unitis.*
23 *Scrutatores, seu disquisitores sunt assumendi de Collegio electorum.*
24 *Electio dicitur canonica à forma Canonis observata.*
25 *Electio, cui interveniunt Laici, est ipso jure nulla, usque ad num. 32.*
33 *Subornatio describitur, & quot modis contingat, usque ad num. 41.*
42 *Colligationes, & factiones inferunt nullitatem electionum.*
43 *Electionibus præmittendi sunt tractatus consultoris.*
44 *Juramentum non est de substantia electionum, usque ad numer. 46.*
47 *Quando decretum irritans positum in Constitutionibus Apostolicis censeatur actus annullare?*
48 *Formula juramenti præstandi ante electionem.*
49 *Præses Capituli non potest vocales voce activa, vel passiva privare, nisi juris ordine servato.*
50 *Sententiæ privationis vocis activæ, & passivæ, per mensem ante electionem debent promulgari.*
51 *Præses qua Præses votum non habet, usque ad num. 53.*
54 *Præses Capituli non est de substantia electionis.*
55 *Electio canonicè celebrata, debet confirmari; & à quo Superiore? limita in quibusdam Prælatis.*

1 Non agitur hìc de electione in tota sua generalitate, sed solùm, ut restricta est ad electiones inter Regulares; nam aliàs nimis fatigaret lectura Capituli. Circa quam, ad alia remittimus, dicenda infrà *cap.* 50. *num.* 4. Et interim considerandum proponimus, electionem posse describi, quòd sit *Personæ idoneæ ad Ecclesiam, vel Prælaturam vacantem per vota Capitularium, seu eligentium canonica vocatio*. Vel, *Quòd sit libera assumptio unius idonei ex pluribus per vota secreta electorum, collegialiter unitorum, canonicè facta*. Primæ descriptionis intellectus legatur infrà *cap.* 38. *num.*..... & super secunda pondera I. Per hoc, *libera assumptio unius ex pluribus*, significari libertatem electionis. In omnium enim sententia, libertas est de essentia, & substantia illius; nam esse debet in libertate eligentium, sine qua non sustinetur, ut expresse habetur, *cap. Cum terra, de elect. & cap. Ubi periculum, de elect. in 6.* ibi: *Cessat electio, dum libertas adimitur eligendi*.

2 Quapropter nulla est electio sine authoritate Apostolica limitata, & restricta ad aliquos, cæteris exclusis, prout DD. concordant; & patet ex Sac. Congreg. Conc. responso ad dubium: *An, stante libertate electionis, liceat Prælato Regulari proponere duos, vel tres, ex quibus necessariò eligatur unus? Sac. Congr. censuit non licere, lib.* 12. *decret. fol.* 136. & Fagn. *in* 2. *ad cap. Constitutis, il* 2. *de appellat. num.* 3.

*num.*3. refert, quòd eadem Sac. Cong. consulta à Generali Ord. S. Augustini: *An liceat in electione Provincialium, Priorum, aliorumque Officialium facienda, aliquos nominatim proponere, ex quibus unus canonicè per secreta suffragia ad officium eligatur?* Respondit, *non licere*.

Hinc sequitur, quòd si Generalis, vel Præses proponeret tres, aut quatuor, cæteris ab electione passiva iniustè exclusis, mandans expresse Electoribus, ut unus ex illis eligeretur, adiecto etiam decreto irritante electionem aliter factam, non tenerentur Electores obedire; & ubi aliquem ex illis moti motu per Generalem, vel Præsidem incusso eligerent, electio esset nulla; quippe per dict. coarctationem tollitur libertas electionis. Quæ est ita de ejus substantia, ut nec consuetudine introduci possit, quominùs libera sit, ut dicitur *dict. cap. Cum terra*. Et proindè, non obstante tali præcepto, & decreto, possent Electores alium idoneum validè eligere; quem Generalis, vel Præses tenerentur confirmare, si haberet cætera requisita.

In Ordine Minor. de Observ. Generalis, vel Præses Capituli coarctans Electores, ne liberè eligant, privantur officio, ex Const. B. Pii V. *Pastoralis* 128. §. 3. *Bullar. tom.* 2.

Cæterùm est commune, apud Fagnan. *in* 1. *ad cap. Cum dilectus, de consuet. num.* 36. non tolli libertatem electionis ex eo, quòd restringatur electio ad certum genus personarum, ut ad Magistros, Lectores, &c. vel ad certam Nationem. Et valere electionem, dixit Donat. *prax. tom.* 1. *tr.* 1. *quæst.* 10. sicut valet illa Pontificis, qui de Collegio Cardinalium assumitur. Et patet ex practica multarum Religionum, in quibus sunt alternativæ institutæ, ut electio Superioris semel fiat de una, & semel de alia natione, Sed hoc non procedit, dum arctatio particulares personas respicit: nam, si ex natione unus dumtaxat esset dignus eligi, electio non esset libera assumptio unius ex pluribus; nec Electores dicerentur liberè eligere, cum libertas sine indifferentia non subsistat, & indifferentia duo ad minùs requirit, ut ad unum magis, quàm ad alterum, quis determinetur, per DD. & Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 77. *num.* 8. & cit. Donat. *to.* 2. *par.* 1. *tract.* 1. *quæst.* 9. & ideò si in natione, vel genere personarum idonei non reperiantur, ex alio assumendi sunt, per Fagnan. *ibid. num.* 51. Quinimò ubi sunt dd. alternativæ, debent esse à Sede Apostolica canonizatæ.

3 II. Per hoc *unius idonei*, significatur, quòd electio debet esse de non impeditis, sed de dignis; nam electio indigni est ipso jure nulla, per *cap. Cùm in cunctis, de elect.* & ibi DD. Et eligentes scienter indignum, hoc est, quem Sacri Canones inhabilem declarant, uti infamem, censuratum, ac non habentem conditiones requisitas morum, scientiæ, ætatis, &c. de quibus *dict. cap. Cum in cunctis*, mortaliter peccant, *cap. Grave nimis, de præben.* Et pro ea vice privantur jure eligendi, ex allegato *cap. Cum in cunctis*.

Dicitur *scienter*, quia si adhibitis diligentiis, digniorem esse putent, quamvis à parte rei sit indignus, non peccant; quia quantum in se est, fecerunt, quod moraliter debuerunt, & potuerunt. Peccat autem eligens dignum putans esse indignum, quia quantum in ipso est, indignum eligit,

4 Sed quid, si quis electorum noverit ex Sacramentali confessione aliquem esse indignum, cui aliàs teneretur suffragari?

Resp. Nec peccat, nec jure eligendi privatur, si ipsum eligat; modò notitiam de ejusdem indignitate aliundè non habeat, quàm ex Sacramentali confessione. Nam ei tenetur suffragari, ne frangat sigillum Confessionis; & ita se gerere debet in foro externo, ac si nihil in foro Sacramentali novisset. Consequenter leges, quæ dd. pœnas imponunt, intelliguntur de habentibus scientiam extra forum Sacramentale. Vide quæ dixi *lib.* 2. *cautela Confess. cap.* 27. *numer.* 14. & 15.

At petitur. Viginti vocales sunt in Capitulo, decem, & novem parati sunt concurrere ad eligendum indignum; potest ne vigesimus, certò sciens per denegationem suffragii nil posse proficere impediendo electionem, se cum cæteris conformare?

Resp. negativè, ut communiter DD. apud Peyrin. *de subd. quæst.* 1. *cap.* 31. §. 2. *Quares quartò*, Quia eligere indignum est ab intrinseco malum; ergo nulla ratione potest esse licitum. Tum quia, ille ab aliis iniquè in dignitatem intruditur; ergo eorum peccato cooperandum non est. Tum quia, circumstantia iuramenti præstandi de eligen-

gendo meliori, ex dicendis num. 44; omninò resistit.

5 III. Illud *per vota secreta electorum*, significat, quòd de substantia, & forma electionis est, *Quod fiat per vota secreta, itaut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*, ut expresse Trid. *sess. 25. cap. 6. de regul.* irritam declarans electionem factam contra præscriptum in d. decreto. Quare propter decretum irritans habetur id esse de forma electionis, & excluditur forma electionis per *quasi inspirationem*, & per *compromissum*. Ubi voluit, electionem Regularium Superiorum utriusque sexus aliter fieri non posse, quàm per vota secreta, & nomina electorum nunquam esse publicanda; neutra autem ex illis est secreta; non illa per *quasi inspirationem*, quia hæc contingit, cùm nullo præcedente tractatu super speciali persona eligenda, omnes Capitulares, nullo excepto, uno ore loquentes, unum eligunt; ob quam concordiam talis quasi per inspirationem Spiritus Sancti electus creditur, & præsumitur. Nec alia per *compromissum*, quæ habetur, dum Capitulares facultatem eligendi in unum, vel plures viros idoneos transferunt. Tum quia compromissarii non arctantur ad secretum, ut notat Gloss. *in cap. Cum dilectus*, *in ver. Examinatis*, *de elect.* Quare cum Carthusiani dubitaverint: *An in electione Superiorum possit procedi, nedum per viam scrutinii, sed etiam inspirationis, vel compromissi?* Sac. Congr. Conc. *censuit electionem horum Prælatorum debere fieri per vota secreta, ut se habent verba propria Concilii d. cap. 6.*

6 Et hìc pondera, quòd in electione Superiorum Regularium, de quibus dict. loc. Trident. servari non potest cum toto rigore forma electionis per scrutinium, tradita *in dict. cap. Quia propter*, cùm hæc non compatiatur cum forma præscripta à Trident. *ibid.* nam ex præscripto dict. decretalis sunt assumendi tres scrutatores, qui proprio ore vota singulorum exquirant, interrogando electores, in quem consentiant, & quo zelo, ac de illius meritis, & qualitate; ideò textus habet, *Vota cunctorum diligenter exquirant*. Et quo patet, quòd non sufficiat solùm votum eligentis accipere, sed insuper necesse sit rationem inquirere, quare eligens hunc potiùs, quàm alium electum velit; ex quo deindè collatio zeli ad zelum, & meriti ad meritum habeatur, ut notavit Gloss. *ibid. in verb. Collatione*. Quod servari non potest secundùm formam electionis inductam à Trident. quæ ita debet esse secreta, ut non sit canonica, si duo, vel tres vota electorum eo modo suscipiant. Propterea cum fuerit dubitatum: *An electio facta per scrutinium, ubi duo, vel tres suscipiunt vota eligentium, sit conformis dispositioni expressæ cap. 6. sess. 25. de regul.* Sac. Congr. Conc. censuit non esse, apud Fagnan. *in 1. ad dict. cap. Quia propter num. 22. & num. 49.*

7 Ideò apud Regulares, ut sine fraude, & rectè electiones contingant, vota omnia secreta esse debent, & eligentium nomina nunquam publicari; siquidem hujusmodi publicatio in Congregationibus, propter necessitatem simul convivendi, periculosa foret, & causa discordiarum, ac malorum origo; ideò receptum est, ut electores per secreta balottationum, aut schedularum suffragia eligant. Et ubi per schedulas electiones celebrantur, nomen eligendi in schedulis scribitur, & in urnam mittunt; sed ex parte, qua nomen eligentis continent, ita obsignatæ esse debent, ut nec scrutatoribus notantibus suffragia innotescat nomen electoris, nec appareat, quisnam electo suum votum dederit, vel negaverit.

8 Dices, non est contra formam electionis canonicæ, quòd nomina eligentium sint nota, & quòd per deputatos excipiantur, ut manifestum est in electione Abbatissæ, in qua ore Moniales suffragantur; ergo ad secretum electionis non officit, quominùs duo scrutatores vota eligentium exquirant, & accipiant, ac audiant.

Resp. id esse speciale in electione Abbatissæ, ex ejusdem Trid. decreto *cap. 7. d. sess.* ibi: *Episcopus, sive alius Superior ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat*. Sed personæ necessariæ audientes tenentur ad secretum; & in secreto audire debent, adeòut electricibus non innotescat, cui singulæ suffragentur: nam & Abbatissarum electio secreta esse debet, ut nomina eligentium nunquam publicentur, ad *d. c. 6.* vide *cap. 1. n. 2.*

Quare apud Regulares nulla erit electio, ubi Præses, vel alter de Capitulo alicui, vel

aliquibus tradunt ſchedulas, in quibus notetur nomen illius, qui eligitur, ex non ſervata forma præſcripta *in d. cap. 6. Concilii*, prout in ſimili caſu cenſuit Sac. Congreg. ex Fagnan. *ibid. num.* 23.

10 Item, erit nulla, ubi eligens utitur ſchedula aliquo patenti ſigno ſignata, ut innoteſcat ſcrutatoribus, vel uni ex illis, quòd talis elector eum eligit, qui nominatur in ſchedula, ex ponderatis à Peyrin. *ibid. q.* 1. *cap.* 31. *not.* 6. & Barboſ. *ad d. c., Trid. n.* 9. Unde ita electus, factus de hoc certus, tenetur reſignare Prælaturam, aut Officium, vel à Papa confirmationem cum diſpenſatione impetrare.

11 Item, erit nulla, ubi manifeſtatio etiam unius ſchedulæ cenſetur realis cauſa, vel præſumptiva rationabiliter, quòd electio ſequatur in hanc, vel illam perſonam particularem.

12 Item, erit nulla, ſive ab uno, ſive à pluribus, ſive occultè, ſive publicè manifeſtetur, modò manifeſtatio fiat, vel in actu electionis, vel ante conſummationem, ſive publicationem, aut ante confirmationem electionis incluſivè. Nam mens Concilii eſt, ut abſolutè ſuffragia non publicentur. Ex eo enim multa mala, contentiones, rixæ, odia, & ſimilia ſolent inter Religioſos oriri.

13 Limitatur, niſi quis id faciat in fraudem, ut nimirùm electio non ſubſiſtat; aliàs poſſet unuſquiſque bono communi præjudicare, & omnes electiones ex propria malitia infringere, ex Pignatell. *ibid. num.* 15. Nemini enim propria fraus patrocinatur.

14 Pariter non irritatur electio, ſi propalatio ſolo verbo fiat, aut taliter, ut non poſſit inde certò ſciri, an verè huic determinatè quis ſuffragium dederit.

Neque irritatur per puram, & ſimplicem oſtenſionem ſchedulæ ſecretò factam alicui ab aliquo ex electoribus, ut videat, quem ipſe eligat, per Barboſ. *ibid. n.* 4. Sed id procedit, modò hujuſmodi manifeſtatio, nec verè ſit, nec rationabiliter præſumatur cauſa, cur potiùs iſte, quàm alter electus ſit, ut notavit Sperellus *deciſ.* 161. *num.* 36.

15 IV. Illud *electorum* importat ad electionem vocandos eſſe, quotquot habent de jure, aut conſuetudine jus in ea ſuffragandi, & ſunt in quieta poſſeſſione eligendi, ut tenent DD. communiter *ex dict. cap. Quia propter*, & ibi Gloſſ. *in ver. Qui debent*. Adeòut, ſi vel unus, qui de jure, aut conſuetudine vocari debuiſſet, vocatus non ſit, poſſit agere de contemptu, & electionem irritare. Et id procedit etiam poſtquàm electio fuerit confirmata; quia confirmantur electiones, non quæcumque, ſed legitimæ; quamvis enim non ſit de ſubſtantia electionis, ut vocentur abſentes, ut obſervavit Fagnan. *dict. c. Quia propter num.* 38. & Peyrin. *ubi ſup. noto* 1. eſt tamen de juſtitia; ideò ex contemptu aliquorum electio non vitiatur, ſed retractari debet ipſis proſequentibus contemptum, *cap. Quod ſicut, de elect.* nam plus operatur contemptus unius, quàm contradictio multorum.

Limitatur I. niſi propter bonum pacis contemptus velit electioni conſentire, & non contradicere, prout in terminis *dict. cap. Quod ſicut*, §. 1. *in fine*. II. Si contemptus ante confirmationem, ſciens electionem factam, & potens contradicere, nihil opponat; nam in caſu cenſetur tacitè approbare, ac ratum habere, & iuri ſuo renunciare, adeòut poſteà non ſit audiendus, ex Paſſerino *de elect. cap.* 11. *num.* 119. & Sperell. *deciſ.* 181. *num.* 43.

16 Verùm, ut valeat electio aliquibus contemptis, debet eſſe à maiori parte Capituli, habito reſpectu ad contemptos, ut idem Sperell. ponderavit *num.* 47. Cum enim electio canonica cenſeatur (dum cætera non deſint) quæ eſt à maiori parte electorum, ex Clement. *Exivi, de verbor. ſignific. §. Demùm*; debet maior pars conſiderari, non tantùm reſpectu eorum, qui ſunt præſentes, ſed eorum etiam, qui fuerunt contempti. Quare, ſi electores congregati eſſent decem, & novem, & vigeſimus contemptus, non ſufficeret ad electionem canonicam habere decem vota, ſed deberent undecim concurrere; quia maior pars ex numero viginti vocalium ſunt undecim. Unde advertendum eſt quòd ut abſentes nequeant de contemptu agere, debent citari, exprimendo ad effectum electionis vocari: & cum præfixione temporis habilis, in quo poſſint commodè comparere; alioquin ſi tempus ita breve eſſet, ut impoſſibile foret eos in eo comparere, pro non facta citatio cenſeretur, *cap. Rem non novam, de dol. &*

con-

contum. & non comparentes in tempore expresso faciunt se alienos à Capitulo, Pigantell.*tom.*10.*consultat.*23.*num.*3. *ex dict. cap. Cum nobis.* Verùm si essent nimis distantes, ut eorum præsentia non posset haberi, nec possent de electione moneri, non propterea sine eis celebrata irrita foret electio per text. in *d. cap. Quod sicut*, ibi: *Si tamen sine periculo potuerunt convocari*. De Magistris *sylva Eccles.par.* 1. *lib.*1.*tit.*6.*cap.* 2.*num.* 3.

17 Sed quid, si omnes jam congregati in Capitulo, v.g. decem, aliqui egrediantur, v. g. quatuor, aut sex?

Resp. Qui remanent, possunt de jure electionem facere, & electio erit canonica: nam qui exierunt, non computantur ampliùs in numero electorum, & se alienos fecerunt: est textus expressus in *dict. cap. Cum nobis*, cum sua Gloss. *ver. Alienos*, & jus eligendi remanet in remanentibus.

Cæterùm, antequam ad electionem procedant, debent egressos canonicè monere, ut redeant, & solicitè curare eos revocare, ut ibi text. & dum aliquod rationabile non allegarent, propter quod esset ab electione cessandum, & redire renuerent, possent remanentes iure suo uti, & electionem celebrare, quamvis egressi protestarentur contra electionem; nam non tenet protestatio, ut nulla electio fiat, quia publicæ utilitati interest, ut fiat electio,ut notavit Gloss. ad dictum *cap. Cum nobis ver. Nulla electio*: ideò protestatio, vel appellatio esse debet, ut non fiat electio, nisi canonica, ibid. text.

Nec potest dici contemptus elector, qui præsens in Coventu ad electionem non accedit ad sonum Campanæ, quo omnes vocantur: nam non fiunt monitiones omnibus singulatim ex communi Religionum praxi: & sibi imputet defectum. Pignatell. *cit. tom. consult.* 40. *num.*17.

18 Vota alternativa,ut, *eligo Petrum? vel Paulum*; aut conditionata, si conditio sit de futuro, suspendens actum: ut, *eligo Petrum, si in eum major pars Capituli consenserit*; vel, *consentio in Paulo, & si noluerit, in Petro*; aut in certa: ut *illum eligo, quem Paulus eligit*; vel, *eligo individuum natura humanæ*; pro non datis habentur, & reprobantur, *cap. In electionibus, de elect. in* 6. notatque ibi Gloss. *ver. Incerta*, omnia talia vota non valere; atque ita tota eligendi potestas apud eos est, qui purè, & absolutè elegerunt. Glos. *cit. ver. residente*.

Ita dicitur electionem non irritari, si quis per errorem, vel malitiam schedulam albam mittat in urnam, ex Lezzan. *summ. q.*9.*tom.* 1.*cap.* 15. *ver. Electio num.* 18. Harbens. *sum. qq. ver. Electio num.* 186. Peyrin. *cit.*§.6.*Dico quarto*: quia censetur, qui eam posuit, juri suo renunciasse, & nolle in ea electione vocem activam habere, & esse de numero Electorum.

19 Absentium vota per Titulares, aut Procuratores suppleri non possunt, aut censuit Sac. Congreg. Conc. in una Bulgariæ 3. Decembr. 1644. *ad cap.* 6. *de regul. sess.* 25. apud Pignatell. *tom.*1.*consult.*28. ut infra: *S.* Congreg. *censuit cavendum, ne deinceps Titulares constituantur ad effectum electionis faciendæ; aut voces, & suffragia absentium suppleantur, lib.* 12. *decret. fol.* 149. Et cum Trident. ibid. prohibet dd. Titulares ad effectum faciendi electiones, & supplendi absentium suffragia, idem Pignatell. *tom.* 10. *consult.*77. *num.* 16. tradit, esse intelligendum, ut non possint suppleri à Præside electionis, vel Capitulo propria authoritate; quia huiusmodi institutiones,& supplementa in publicum damnum, & Religionum perniciem resolvuntur.

Nec per hoc sequitur, quin in locum absentium possint ad effectum suffragandi aliqui subrogari, dum id per Ordinum Constitutiones, maximè à S.Sede approbatas, præscribitur: nam tunc vota non supplentur authoritate Præsidis in fraudem electionis, sed necessitate legis taxantis subrogandorum qualitates, & genus.

20 In electionibus vocem non habent, qui ad Subdiaconatus Ordinem non sunt promoti, ut expressè Tridentin. *sess.* 22. *cap.*4.*de reformat.* & Sacr. Congregat. Concil. prima Februarii 1659. in una Tertii Ordinis Sancti Franc. Congreg. Gallicanæ, ex Pignatell. *tom.*1.*consultat.* 224. *censuit, cap.* 4. *sess.* 22. *comprehendere etiam Regulares Mendicantes, itaut Regulares, qui non sunt in Ordine Subdiaconatus, vocem habere non possint in Capitulis, & actibus Capitularibus, si in Constitutionibus ejusdem Religionis aliter expressè non caveatur.* Ideò cum Statuta Religionis Regularibus Sacris non initiatis in specie indulgent, ut vocem habeant in Capitulis, Concilium non resistit;

stit;

ſtit; nec hunc caſum comprehendit, ex adducto decreto, & alio apud dict. Pignatell. *tom.10.conſ.86.num.13.* ſub die 22. Maij 1577.

21 Sed oritur dubium: cùm electio ex dictis *n.16.* ex aliis etiam titulis valida, cenſeatur canonica, ſi major pars Capituli conſenſerit; petitur, an debeat eſſe major pars reſpectu totius Capituli, an verò ſatis ſit, ut ſit major reſpectivè ad minorem?

Reſp. Ad validitatem electionis exigitur, ut maiora vota ſint reſpectu totius Capituli, adeòut ſi Electores ſint viginti, undecim adminùs debeant convenire in electum, aliàs à maiori parte non eligeretur: Et hinc habetur, quòd ſi eſſent tres electi, & vota ſic diviſa, ut unus haberet octo, alius ſeptem, & alter quinque, nullius electio valida eſſet, ad text. *d.Clement.* Pignatell. *cit. conſul.22. num.1.*

Nec in electione per ſecreta ſuffragia habetur ratio maioris zeli eligentium, cùm hac maioritas in actione ſecreta non poſſit diſcerni; ſed attenditur ſola ratio maioris numeri, per Nicol. *floſc. ver. electio num.* 8.

22 V. Illud *collegialiter unitorum*, denotat, ad electionem non ſufficere conſenſum Electorum ſimpliciter præſtitum, & quemlibet in ſua camera ad actum electionis concurrere; ſed collegialiter, & in communi debent conſentire, & ſuffragia ferre, ex d.*cap. Quia propter*, ibi? *Præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe*: & expreſsè habetur in *cap. In Geneſi eodem tit.* Electiones enim clandeſtinæ reprobantur, *d.c. Quia propter §.electiones*, & electiones clandeſtinæ dicuntur per Gloſ. *ibid. in ver.clandeſtinæ*, quæ fiunt ſingulariter, & occultè per occulta conventicula.

23 Ex quo Collegio aſſumendi etiam ſunt tres Scrutatores, ſeu Diſquiſitores, qui ſecreta ſchedularum ſuffragia notent, ut patet ex *alleg.cap.* ibi: *Aſſumantur tres de Collegio*; & cùm hoc ſit ſubſtantiale in electione, ſequitur, quòd ubi tantùm duo deputarentur, electio non ſubſiſteret. Quoniam electio illa valida non eſt, in qua non ſervantur, quæ ſunt de forma, & ſubſtantia electionis: & regula, *utile per inutile non vitiatur*, locum non habet, ubi ius aliquid inducit pro forma ſubſtantiali, ut in caſu ex adiectione decreti irritantis, prout ibi Fagnan. *d.c.Quia propter n.45.* & non ſervatur.

24 VI. Illud *canonicè fiat*, importat, in electionibus etiam Regularium, ut ſint canonicæ, eſſe ſervandam formam canonis inductam in cit. *c. 6.* Trid. & quoad electiones, quæ per ſchedulas etiam inter eos celebrantur, illam præſcriptam in alleg. *c. Quia propter*; at non in toto rigore, ſed quatenùs non eſt contra decretum Trid. *d. cap.* Legatur Fagnan. ad *d. c. Quia propter*, ubi plura ſubſtantialia electionis ex eod. cap. refert, & examinat.

25 Quæritur. An electio, in qua cum Electoribus Eccleſiaſticis interveniunt etiam Laici, ſit ipſo iure nulla?

Reſpond. Affirmativè. Quod procedit. I. Quando Laici tanquam privati interveniunt ſimul cum Electoribus ad coeligendū, *c. Maſſana de elect.* Hìc utile, iure reſiſtente, per inutile vitiatur; nec valet contraria conſuetudo, ut ibi text. Nam Laici vocem habere non poſſunt in electione Prælati Eccleſiaſtici, Fagnan. *d.cap.n.1.& 30.*

26 II. Quando Electores requirunt Principem Laicum, ut conſenſum præſtet ſuper perſonis eligendis, ſic, ut eidem, duobus propoſitis, poſtea eum eligant, qui à Principe non repellitur. Nam id eſt in perniciem, & gravamen Eccleſiaſticæ libertatis, ex tex. in *c. Cum terra eod.tit.*

27 III. Quando Princeps Laicus aliquos nominat, ut ex eis aliquis ab Electoribus eligatur, ad præſcriptum *d.cap.* Quippe id eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, cum reſtringatur ius, quod habent electores eligendi habiles. Nec electio debet pendere ex conſenſu alterius, ſed eſſe debet in libera eligentium poteſtate, ut concordant DD. *ibidem*.

28. IV. Quando Princeps Laicus, vel Poteſtas intereſt electioni non coeligendo, ſed metum Electoribus incutiendo, ut certam perſonam eligant. Et in caſu veriſſimè electio dicitur facta per abuſum poteſtatis Laicalis, & contra *canonicam libertatem*. De quo Gonzalez in primum *tit.6.c.43.n.1.*

29 V. Quando Sæcularis poteſtas intervenit electioni in aula capitulari, licèt nullam interponat authoritatem, & iuriſdictionem exerceat, ſed nudam præſtet aſſiſtentiam; fortè hoc titulo, nè Electores veniant ad arma, vel aliud ſcandalum oriatur. Nam & hæc intereſſentia eſt contra Eccleſiaſticam libertatem. Etenim in electionibus liberum eſſe debet arbitrium, non ſolùm ab oppreſ-

oppressione manifesta, sed etiam ab occulta formidabili. Tum quia protectionis prætextu Principes vendicarent sibi hoc ius interessendi electionibus; prout forte id sibi nonnulli vendicant, asserentes sibi competere iure Regaliæ. Tum quia in *d.cap. Massana*, prohibetur interessentia Laicorum ad coeligendum. Ergo in *d. cap. Quisquis* debet quæcunque interessentia in aula Capitulari, etiam ad protegendum, prohiberi; ut hæc duo capitula invicem differant, & non sint superflua. Proinde Sac. Congregatio ab Innocentio X. deputata sub 5. Aprilis 1646. nullum declaravit ob laicæ potestatis abusum, Capitulum Provinciæ Bethicę Ordinis S. Augustini celebratum cum assistentia, & interventu Auditoris Regiæ Cameræ in Aula Capitulari. Apud Fagnan. d. *cap. Quisquis num.* 40.

Dices: possunt Laici interesse ad protegendum Electores à violentiis.

Resp. Id intelligendum est non de interessentia physica, & corporali in ipso actu, & loco electionis, sed de interessentia morali. Congruè enim dicitur electionem protegere, qui extra aulam Capituli violentias propulsat, & Electorum libertatem defendit, Fagnan. *cit. n.* 41.

30 Ponderandum est, de omnibus dictis electionibus verificari, celebrari per abusum laicæ potestatis, quia non usus, sed abusus est, quòd Laici intersint electionibus coeligendo, vel consensum præstando, vel nominando, aut metum Electoribus incutiendo, vel exhibendo præsentiam in loco Capitulari.

31 Ponderandum etiam, quòd Electores spontè admittentes Laicos (quibus privilegium Apostolicum non assistit) ad interessendum electionibus, privantur per triennium officiis, & beneficiis, ac iure eligendi, ut dicto *cap. Quisquis*, & ibi Gloss. in *ver. Tunc*. Consentiens autem electioni privatur officio, ad quod est electus; & ineligibilis redditur, nec absque dispensatione potest ad aliquam Dignitatem iterùm eligi: prout expresè ibi text. Omnesque incurrunt excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra violatores immunitatis, & Ecclesiasticæ libertatis, ut dixi infra *c.* 38.

32 Verùm cùm inviti, ac per vim, aut metum eos admitterent, nullatenùs punirentur, quia si à prædominio quis coactus vult, magis non vult, quàm vult, & metus excusat à dd. pœnis; ex adnotatis à Fagnan. *ibid. num.* 27. Sed electio semper est ipso iure nulla, quia semper verificatur esse facta per abusum laicæ potestatis, & contra canonicam libertatem. De simonia in electionibus vide infra *cap.* 50.

33 Quæritur. An sit irrita electio facta per subornationem?

Resp. Affirmativè. Cùm per subornationem lædatur libertas electionis, quæ sine libertate non subsistit, ex dictis supra *num.* 2. Nā ea est subornationis natura, ut suffragatores moraliter cogat, & alliciat ad ferenda suffragia pro uno determinato, cæteris exclusis. Quæ proinde describi potest, quòd sit *procuratio vocis, vel suffragii pro aliquo uno determinatè mediis artibus, & modis illicitis*: ut, importunis precibus, comminationibus, vituperationibus, donis, & promissis, aliisque idoneis ad commovendum animum, etiam constantium virorum. Et propterea non modò libertas electionis offenditur, sed destruitur etiam ipsa electionis natura. Quæ eo in casu non foret assumptio unius ex pluribus, sed unus solùm assumeretur ad mentem subornantis, Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 77. *num.* 8.

34 Subornatio contingit. I. Si preces importunę apud Electores adhibeantur ad effectum, ut suffragium ferant pro uno determinatè, quem subornatores intendunt. Preces autem importunę important assiduam, & vehementem violentiam postulationis, ac actuum aptorum ad commovendum animum etiam constantem, & extorquendum suffragium pro se, vel amico.

35 II. Si donis, & promissis Electores corrumpantur ad unum determinatè eligendum.

36 III. Si Electores improperiis, & vituperationibus graventur, obiiciendo eis crimina falsa, vel etiam vera, sed occulta: ut, *Si non dederis mihi suffragium in hac electione, publicabo te esse furem, fornicarium &c.* Nam est manifestum, hìc ad suffragandum eos moveri ob timorem amittendi propriam famam: apprehendunt enim tales minas, ut graviter offensivas proprię æstimationis, & inde non liberè, sed iusto metu moti alicui suffragantur: adeòque nulliter; cum nulla declaretur electio ex metu, & terrore facta, per *c. Ad aures de iis, quæ vi &c.*

37 IV. Si Electoribus non parentibus

Sub-

Subornatoribus grave immineat periculum verborum, carceris, aut seditionis, cum populi scandalo. Metus enim iste dicitur justus, & cadens in virum constantem; super quo videantur dicta *cap.* 42. hìc servata proportione applicanda.

38 V. Si Generalis, Provincialis, vel Visitator ad vota pro aliquo uno expiscanda comminarentur Electori expulsionem è Provincia, aut è Conventu, vel impedimentum à consecutione justi gradus; aut procederent cum imperio, vel minis, à quibus (quia natura violentis) majora mala expectari possent: sanè hæc apta sunt ad justum incutiendum timorem in Electore, qui propterea ad electionem procedit metu amittendi quietem, & pacem animi, & nè à Superiore iniustè vexetur. Et quemadmodum metus reverentialis erga Patrem cum minis coniunctus, sufficit ad annullandam professionem ex ibi dictis; ita metus reverentialis, & timor offendendi Superiorem hoc, & illud malum inferre minantem, libertatem ab Electore tollit.

39 Subornationem prohibuit Clemens VIII. Const. *Nullus* 60. *Bullar. tom.* 3. §. 22. sub pœna privationis officiorum ipso facto incurrenda cum inhabilitate ad alia; quod fuit innovatum ab Urbano VIII. Const. *S. Congr.* 25. *Bullar. tom.* 4. & pœnæ extenduntur ad complices, ac simpliciter scientes, & non revelantes: quarum dispensatio est reservata Romano Pontifici.

In Ordin. Min. de Observ. Subornatores pro se, vel alio, ex Const. B. Pii V. *Pastoralis* 128. *Bullar. tom.* 2. incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, & privationem vocis activæ, & passivæ. Cæterùm dispositionem Pii est quoad absolutionem excommunicationis moderatus Greg. XIII. Const. *Consuevit* 13. *ibidem*, & eam §. 6. reservavit Ministro, & Commissario Generalibus, ubi agitur de electione Superiorum inferiorum.

Advertendum, quòd ad incurrendas pœnas necesse est, ut subornatio habeat effectum, hoc est, ut subornatus suffragium dederit in electione, quamvis electio non sequatur: vel sequatur, sed non iuxta Subornatoris mentem. Nam semper verificatur, quòd subornatio habuerit effectum, nimirùm suffragationem, quam intendit: videndus Sanctor. *de pœn. c.* 15. *q.* 7. *ver. Alia difficultas*, & Ameno *de pœn. tit.* 5. §. 8. *n.* 13.

40 At petitur. De quo verificetur, quòd indirectè subornet; quod à Clemente etiam prohibetur?

Resp. De eo, qui sciens subornationem pro se fieri, tacet, & non obstat, sed id ratum habet: ex facto enim colligitur acceptare, & approbare.

41 Sed quæritur. An liceat Electores subornare ad effectum, ut eligatur dignus, vel pro tali reputatus?

Respond. Negativè. Quoniam iura, quibus subornatio prohibetur, non distinguunt de dignitate, & indignitate eligendi, sed simpliciter, & absolutè subornationem interdicunt: ergo simpliciter, & absolutè sunt accipienda. Legantur allegatæ Litteræ Clement. B. Pii, & Greg. in quibus omnes subornationes, sive in bonum, sive in malum finem ordinentur, sunt prohibitæ; nam in qualibet verificatur læsio libertatis. Et consideratur etiam, quòd Elector subornatus non potest benè eligere, cum eligat secundum mensuram subornationis. Unde, qui subornat, quantùm est de se, semper ponit causam malæ electionis, intendens, quòd electio sequatur in terminis suæ subornationis, adeòque ut ad unum determinata; & ideò intendit, quod per se est malum, licèt aliquando per accidens sequatur bonum Nunquam autem licet intendere malum, sive in ordine ad bonum, sive in ordine ad aliud malum propulsandum: nam non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Per quæ probatur etiam, non licere uti subornatione contra subornationem, prout affirmavit Villalobos *tom.* 2. *summ. tract.* 37. *diffic.* 30. *nu.* 5. ubi dixit licere adhibere munera, preces, & promissiones, aliaque hujusmodi in ordine ad subornandum Electores, quando noscitur ab aliis ad eum finem fuisse adhibita. Etenim absque nova subornatione possunt præstari remedia priori subornationi contraria, eam detegendo, & manifestando Præsidi, & Electoribus, ac proponendo motiva justæ, & debitæ electionis.

Dices. Omnia jura clamant licere vim vi repellere; ergo & per subornationem licebit subornationem purgare.

Resp. Negatur consequentia. Discrimen est, quia vis, qua altera vis cum moderamine inculpatæ tutelæ repellitur, per se non ordinatur ad malum, sed ad id, quod licet, & est honestum, nimirùm, ad sui defensionem, quæ est de jure naturali licita, & per se hone-

honesta. Quòd si tunc mors injusti aggressoris sequatur, est per accidens, ut DD. concordant, & dixi *lib. 1. caut. cap. 13. n. 9.* At subornatio per se primò ordinatur ad malum, & per accidens est, quòd aliquod bonum sequatur.

42 Quæritur: *An Colligationes, & Factiones in electionibus inferant nullitatem electionum?*

Resp. Affirmativè. Nam & in casu destruitur libertas electionis. Quoniam colligatio in casu aliud non est, quàm *multorum vocalium unio ad concludendam electionem pro aliquo uno determinatè, vel contra alium.* Colligationes, & factiones fabricat is, qui non zelo publicæ utilitatis, sed ut de electione pro suo arbitrio, & privato commodo disponat, nonnullos ex Electoribus alloquitur, eosque allicit, ac variis artibus cum illis agit, ut secum permaneant ad effectum eligendi hunc, aut illum. Et inde fit, quòd electio non libera, sed violenta sit.

43 Dixi, *non zelo publicæ utilitatis*, quia tractare, ut electio in dignorem cadat, examinando ejus merita, & virtutes, & ad regendum sufficientiam, non est Colligationes facere, vel in Factiones, & Partitas Electores scindere; sed præmittere electionibus tractatus consultorios, qui de necessitate sunt præmittendi, & sine quibus electio esset nulla, *cap. in Genesi de elect.* vel saltem cassanda, *cap. cum inter, cap. in causis, cap. cum in veteri eod. tit.* cum suis Gloss. Nam, dum dd. tractatus consultorii non præmittuntur, aliquod substantiale deest, sine quo non potest fieri electio. Etenim cum sit assumptio unius præ alio, & dignor sit eligendus, non potest talis assumptio habere locum sine tractatu, quin ante electionem examinentur merita, & qualitates eligendorum, cum alias non possit Electoribus innotescere, quinam sit cæteris præferendus. Unde ad electionem, non præmisso tractatu, prudenter non proceditur: sed est casualis, quamvis in ea dignor eligatur, quia hoc est per accidens, & Electores mortaliter peccant, cum in incognitum tendant & contra Canones in re adeò gravi operentur.

Quinimò est tractatus de qualitatibus eligendorum ante electionem necessarius ex circumstantia juramenti præstandi ad formam d. Const. Clem. & Urban. VIII. ibi: *Jure ut que Electores secundum veritatem cujusque conscientiæ, probiores, ac magis idoneos se electuros.* Quomodo autem potest alicui innotescere unum in individuo, & hìc, & nunc esse præ alio magis idoneum, nisi præmittatur examen, & scrutinium qualitatum eligendorum; Jurans debet advertere, & bona fide putare verum esse, quod jurat, aliàs jurando graviter peccat, temerè Deum adducens in testimonium rei, quam ignorat, vel de qua dubitat. Veritas enim est comes juramenti.

Sed quid, si quis habeat conscientiam invincibiliter erroneam, quòd aliquis sit indignus, qui tamen in rei veritate dignus sit?

Resp. Si priùs, adhibitis diligentiis de veritate inquirenda, eam deponere non potest, tenetur secundum eam operari; & nequit contra ipsam votum ferre, quia facere contra dictamen rationis est malum, prout DD. concordant, & dixi *lib. 1. Caut. Confess. c. 20. n. 21.* Potest autem viros doctos, prudentes, & probos, de quorum veritate non dubitat, consulere, ut de idoneitate eligendi instruatur, & veritas ei aperiatur. Et ubi errorem deponeret, & judicium sibi efformaret de dignitate eligendi, posset tuta conscientia eidem suffragari, vide Peyrin. *cit. §. 2. Quæres 7.*

Quare non subsistit assertum Hasbens. *sum. 99. ver. Electio nu. 161.* scribentis posse Electorem pro bono pacis ei suffragari, quem minùs dignum novit, si cæteri illum vellent eligere, captivando intellectum proprium in obsequium cæterorum, quòd dignior sit; quia id ei prohibetur ex natura juramenti de eo eligendo; qui dignor sit, non aliorum judicio, sed proprio. Et quamvis talis à parte rei non sit, sicut Elector prudenter putat, adhuc absque culpa ad suffragandum procedit, quia suffragia danda sunt juxta prudens dictamen rationis dictantis de dignitate unius præ aliis.

Hinc, ubi Electores sine culpa esse velint, eligant, quem proprio judicio digniorem judicant, assumantque non positivum, sed comparativum, hoc est, non dignum, sed digniorem, & eum, quem putant futurum magis utilem regimini, publico bono, ac quieti; juxta Triden. mandatum *sess. 24. cap. 1. de reform.*

44 At petitur. An istud juramentum sit de substantia electionis, adeòut electionem invalidet, si non præcesserit?

Respond. Negativè. Nam in Constitutio-

tionibus Clement. & Urbani non habetur clausula Decreti irritantis. Ubi enim Legislator vult imponere pœnam nullitatis actus, id exprimit; prout non semel in Apostolicis litteris, & sæpè in decretis Trident. legitur.

45 Nec obstat *regula 64. jur. in 6. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*. Nam id est verum, dum jus procedit per actum nullitatem, vel cum clausula decreti irritantis, aut adimit potentiam, & facultatem; quod contingit, dum verbo, *Potest*, præponit negotiationem, hac phrasi: *Non possit*. Siquidem, tunc negatio antecedens privat potentia, & reddit actum impossibilem, cum idem sit aliquod esse impossibile, & fieri non posse, ut notavit Fagnan. *d. loc. ad cap. Causam num. 20. & 32.* Leges autem prædictæ exigentes juramentum ante electionem, nec decretum irritans habent, nec procedunt hac forma: *Non possit*.

46 Tota difficultas currit de electionibus factis in Ord. Min. de Observ. vigore Constit. Innoc. XI. *Militantis Orb.* Seraph. *tom. 4.* ubi Electoribus sub pœna non suffragandi, præcipitur, ut præmittant electionibus Provincialis, Custodis, Definitorum, & Guardianorum, juramentum coram Imagine Crucifixi se electuros in dd. respectivè officii, *quos in conscientia, omnibus æqua lance libratis, digniorem judicabunt*. Et augetur difficultas propter clausulam *decreti irritantis*. Cæterùm validitati electionis non obest præcisa, & pura omissio juramenti. Nam juramentum non est de substantia electionis, sed de solemnitate, & ponitur ad cautelam, & melius esse, ut Electores horrentes gravitatem perjurii, faciliùs dignores assumant. Quod patet ex sententia S. Congreg. Regularium, in qua, cum fuisset dubitatum de validitate electionis Provincialis Mediolanen. Ord. Minor. Conventualium celebratæ non prævio juramento de eligendo digniore, contra prohibitionem Constitutionis Ordinis; & opponeretur, quòd esset nulla propter decretum irritans, appositum in Bulla confirmationis Constitutionum ejusdem Ordinis: S. Congr. *hoc non obstante, resolvit pro validitate electionis, cum Constitutio illa de juramento præstando non haberet in specie clausulam annullativam actus contrarii*. Quæ resolutio est aptabilis electioni factæ apud Min. de Obser. non præmisso d. juramento; cùm in Constitutione Innocentii confirmantis dd. Statuta non habeatur clausula annullativa electionis, Fagnan. *in 1. ad cap. Cum accessissent de constit. n. 32.* Passerin. *de elect. c. 18. num. 63.* Non obstante sententia Tambur. *de jure Abbat. to. 1. disp. 5. q. 6. nu. 35.*

47 Nec obstat illud, *Sub pœna non suffragandi*; quia per ea verba non imponitur actu pœna privationis suffragii, sed solùm comminatur, adeòut possit per sententiam Judicis voce privari Elector, qui non juratus vult in electione suffragari.

Nec pariter obstat, quod in Constitutione Innocentii sit appositum decretum irritans. Nam est advertendum, an decretum irritans sit adjectum alicui particulari ordinationi, vel prohibitioni: & tunc indistinctè importat nullitatem actus in contrarium attentati, per tex. *in cap. Si cui, de electione in 6.* An verò apponatur in clausulis executionis, ut fieri solet ex stylo; & tunc referri debet ad Judices, ut verba ipsa sonant: apponitur enim ad finem removendi obstacula impedientia executionem actus, super quo Constitutio editur, *cap. Si eo tempore eod. tit. in 6.* & ex eo tollitur jurisdictio aliter judicandi, ex notatis per Fagnan. *ibid. n. 33.* & legendus etiam *n. 37.* Decretum autem irritans in d. Constitutione Innoc. non primo, sed secundo modo adjectum consideratur.

Debent itaque Electores jurare se electuros, quos digniores judicant; quia non privatis affectibus, & commodis, sed bono publico Religionis debent consulere, & non personis, sed officiis providere. At digniores in casu non reputantur, qui sunt sanctiores, & doctiores, sed qui aptiores ad regiendum creduntur, & magis utiles judicantur, licèt non sint adeò sancti, & docti, sicut cæteri non æquè ad gubernandum idonei, juxta doctrinam D. Thom. 2. 2. *q. 63. art. 2. & q. 185. art. 3.* Cum quo communiter transeunt DD. & legitur in dicto decreto Trident. significaturque per dictam clausulam: *Omnibus æqua lance libratis*. De quo pleniùs *cap. 38.* & apud d. Peyrin. *cit. §. 1. noto 3.*

48 Formula juramenti præstandi ante electionem ab Electoribus de meliori eligendo, esse potest.

Ego Fr. N. juro *me illum eligere, quem secun-*

secundùm meam conscientiam judico futurum Religioni, vel *Provinciæ*, *aut Conventui in spiritualibus*, & *temporalibus utiliorem & aptiorem*.

Tituli inegligibilitatis in Fratre Minor. de Observ. referuntur in Constitutione Innocent. XI. incipien. *Solicitudo* §. 8. & 9. de qua supra *cap.* 17. *num.* 4. ob quos eligi prohibetur; & electio secuta irritari debet à Generali, prout *ibidem* §. 10. & in Constitutione Innoc. XII. incip. *Alias* Alia videas *d. cap.* 38.

49 Quæritur: *An præses Capituli possit Religiosos voce activa, vel passiva privare, ipsis non citatis, nec eisdem data actorum copia, ut se possint via juris defendere?*

Resp. Negativè, etiamsi in mandatis à Superiore Generali haberet, ut procederet sive simpliciter, sive de plano, & sine strepitu, ac figura judicii: semper enim legitimæ defensiones sunt salvæ, *cap. Ex parte il 2. De re judic. & cap. Sæpè contingit de verb. signif. cum sua Gloss.* in quo declaratur, quid significent dicti termini in judicialibus commissionibus insertis, prout dixi *d. cap.* 17. *num.* 11. Aliàs plurimùm claudicaret judicium; & frequenter contra innocentes sententiæ pronunciarentur, & audiretur impugnatio, & non defensio, quæ à jure naturali provenit, & quam Judici, sive Principi tollere non licet, *capit. Eum inter de except.* Quod adeò est verum, ut etiam si dicatur in commissione, quòd possit dd. Religiosos voce activa, & passiva privare, id debeat intelligi, & explicari juris *ordine servato*, in eo, quod ad substantiam judicii spectat; ad quam præcipuè pertinet, ut nullus inauditus condemnetur; & ideò citandi sunt, ut in suis exceptionibus audiantur, per Pignatell. *cit. consf.* 18. *num.* 10. *Si enim accusasse sufficeret* (ajebat Julianus Apostata) *quis innocens esset*? Ideò probetur delictum, & reus audiatur. Superiores erga sibi subditos ita se gerant, sicut optant, ut ii, quibus ipsi subsunt, cum se ipsis se præbeant.

Quare, ubi aliqui vocales à Præside, juris ordine non servato, voce privantur, electio ab Judice est irritanda, si id ab exclusis petatur; cùm non fuerint admissi, qui erant admittendi; & proinde, si isti velint suam injuriam prosequi, debet Judex electionem nullam declarare, prout expressè *cap. Bonæ memoriæ il secundo*, §. *electionem*, & *capit. Quod sicut de elect.*

50 Sententiæ autem privationis debent per mensem ante Capitulum pronunciari, & causæ expediri, juxta Visitationis Apostolicæ Decretum editum 14. Octobr. 1601. à Clemente VIII. approbatum, tenoris, qui sequitur: *Privatio vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis decreta, sententiæ quæ ab eisdem Superioribus Ordinis latæ, ne deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturvè, atque ea promulgata vocales minimè afficiant, nisi per mensem ante fuerint intimatæ, prout Sanctitas Sua omninò vetuit.* Quod Decretum Card. Verallus sub 27. Martii 1616. præcepit observandum in Ord. Fr. Minor. de Oserv. testatur Lantusf. *Theatr. regul. verb. Causa, seu lis num.* 2. illudque fundatur in jure communis. secundum quod omnes mutationes, & sententiæ prolatæ in limine Capituli, præsumuntur factæ ad fraudandam futuram electionem, ut advertit Castellinus *de elect. cap.* 13. *numer.* 14. Propter quod occurritur quorumdam malitiis, qui, data opera, citato Capitulo, contra vocales nonnulla producunt, ut eos ab electione tum activa, tum passiva repellant.

Sed quid, si, citato Capitulo, & vocalibus congregatis, emergat casus, propter quem vocalis sit voce activa, vel passiva privandus: an Præses possit contra ipsum per sententiam privationis procedere?

Resp. Affirmativè, sed semper reus est citandus, & audiendus ad videndum, an aliquam excusationem pro se adducere possit, aut velit, Clement. *Parochialis* §. *Cæterùm de sent. & re judicata*. Et procedit, etiam si delictum esset notorium. Quia, ut dixerunt Hostien. & Joan. Andr. apud Fagnan. *in* 2. *ad cap. Cum olim de sent. & re judic. numer.* 46. justiùs, & tutius est, nullum reum quantumcumque notorium, fore damnandum sine citatione, vel admonitione, quia multi dicuntur notorii, qui non sunt, *cap. Consuluit de appell.*

Nec obstat d. Decretum, quia ibi assignatur terminus, inter quem debent examinari causæ, non quæ emergunt post citationem Capituli, sed quæ emerserunt ante. Ideò, eo non obstante, potest optimè procedi in causis posteà incidentibus, aliàs non esset benè provisum. Et ita potest privatione vocis puniri Elector, qui, vel in ipso Capitulo

tulo grave aliquod delictum commmiserit; vel quia ad Capitulũ non detulerit attestationem juratam à Sacerdotibus sui Conventus super celebratione Missarum, ad prescriptum Const. *Nuper de celebr. Missarum §. curent, ut sup. c. 10. n. 9.* Et hoc casu citandus est Elector ad dicendum, quare non debeat declarari incurrisse in utriusque vocis privationem, inflictam à d. Constitutione. Similes casus vide apud Sanctor. de pœn. *c. 15. q. 10. §. Sed hic est duplex.*

51. Quæritur: *An Præses in paritate votorum habeat in electione decisivum?*

Hic advertendum, quod Præses, qua Preses, vocem activam in electionibus non habet; ideò in eis, nisi aliunde vel ex officio, vel concessione sibi competat, nequit suffragari. Quod est manifestum, tum in Superiore regulari, qui præsidet electionibus Abbatissarum Monasteriorum sibi subjectorum, & in eis vocem non habet, ut dixi *cap. 1. n. 7.* tum in Ordinario loci, qui unà cum eodem *per se* vel *per alium*, potest dictis electionibus præsidere, juxta Constitut. Gregorii XV. *Inscrutabili la 18. Bullar. tom. 4.* & tamen in illis non suffragatur, Monacell. *part. 1. tit. 11. form. 22. num. 2.* Quod procedit etiam, ut vocem non habeat in electione Abbatissæ Monasterii de suo regimine. Tamburin. *de jure Abbatiss. disput. 28. qu. 6. num. 6.* contra Sanctor. *Coment. cap. 11. stat. 7. Dubitatur 4. resp. 7. alleg.* Portellum *ver. Abbatiss. num. 9.*

Ex quibus ad quæsitum dicitur negativè: unaquæque Religio attendat, quid sit sibi à Sancta Sede concessum. In Ord. Minor. de Observ. reperitur decisivum Præsidi indultum in electione Proministrorum mittendorum ad Capitulum Generale, & Custodum (extra Capitulum eligendorum) ac Guardianorum, prout in Const. Urbani VIII. *Religiosos viros la 312. Bullar. tom. 5.* ibi: *Ut de cætero omnes, & singulæ electiones tam Pro-Ministrorum, & Custodum, quàm Guardianorum dicti Ordinis, per suffragia secreta, & balottationes fiant, & in paritate suffragiorum Præsidens electionibus hujusmodi votum, sive suffragium decisivum habeat &c.* & Alexand. VII. Constit. *Creditæ nobis la 139. Bullar. ibidem*, extendit ad familiam Ultramontanam. Deficiente verò Pæside, in paritate votorum, decisivum in electionibus, & negotiis in Definitorio peragendis conceditur à Sacr. Congregat. Episcop. Ministris Provincialibus, ut sequitur: Sac. Congr. &c. *ad evitandam paritatem suffragiorum, quæ ex numero pari sex vocalium, quibus Diffinitoria Provincialia constant, tam in electionibus faciendis, quàm in negotiis decidendis oriri potest: Ministris Provincialibus, deficiente Præside, in hujusmodi casibus votum decisivum concessit. Romæ 13. Martii 1653.* Lant. *v. Electio sub n. 6.*

52 Ceterùm neutra dispositio est ad alios casus extendenda; sed in d. Ordine, electiones, tum in Capitulis Generalibus, tum Provincialibus, sunt faciendæ non per secreta balottationes, sed per secreta schedularum suffragia, ita obsignata, ut eligentium nomina sint secreta, & occulta, & numquam publicentur, ac, peracto scrutinio, scedulæ, & omnia hujusmodi scripta coram omnibus vocalibus illicò comburantur, ut expresse Sixtus V. Constit. *Et communis cura Bullar. Roderici la 7. d. Pontif.*

53 Commissarii Provinciales in d. Ord. qui tempore Capituli Generalis relinquuntur ad gubernandas Provincias, eligendi sunt à Diffinitoris Provincialibus per balottationes, juxta resoluta in Capit. General. *Vallisolet. de ann. 1670. titul. pro Ultramont. Fam. n. 6. Orb. Seraph. tom. 4. & in cap. Gen. 1700.* Sed quia super eo fuit dumtaxat dispositum, & declaratum à Diffinitorio Generali, cujus provisiones solùm, ipso durante, obligant, ideò in occurrentibus casibus videatur praxis Provinciarum.

54 At petitur. An Præses Capituli sit de substantia electionis, adeòut hæc sine eo celebrata sit nulla;

Videtur communiter ex practica receptum, ut Capitula non celebrentur absque Præsidente, ut inde habeatur aliquis, qui actus Capitulares dirigat, vitetur confusio, & jurgiorum occasio amputetur. Sed, hoc non obstante, videtur verius, Præsidem ad substantiam electionis non pertinere. Nam in *cap. Quia propter de elect.* in quo substantialia electionis perstringuntur, de Præside nihil disponitur. Sicut nec in Decreto Tridentin. *sess. 25. cap. 6. de regul.* Nec alicubi, teste Fagnan. *in primum ad dict. capit. Quia propter de elect. numer. 72.* reperitur in jure, quòd ex defectu Præsidis fuerit aliqua electio cassata, vel reprobata; neque ullus Doctor, ut ibidem scripsit, id exigit ad electionis validitatem. Ideò, nisi aliud expresse disponat Litteræ Apostolicæ, vel Ordinis Statuta,

tuta, à S. Sede confirmata, videtur dicendum non esse invalidam electionem absque præside celebratam.

Ad rationem in oppositum dicitur, illud solum probare præsidem esse non de forma, sed de solemnitate electionis, sicut reputantur *infraposita*; ut præstatio juramenti de eligendo magis idoneo: quòd electio de nocte non celebretur: ut priùs cantetur Missa de Spiritu Sancto, & similia, apud Sanctor. Comment. *c.* 8. *stat.* 13. Actus Capitulares possent dirigi ab antiquiore, vel dignore in defectum ejus, qui juxta legem præesse deberet, & fortè nollet; & tunc ille diceretur præses subsidiarius, hoc est, datus in defectum præsidentis legalis.

55 Quæritur, an electio canonicè celebrata sit confirmanda?

Resp. Affirmativè; adeout ante confirmationem nequeat electus se administrationi immiscere, nec recipere juramenta, homagia, subjectionem &c. Quod si fecerit sub quocunque titulo, & prætextu, etiam sub eo Oeconomi, ipso facto est privatus jure ex electione quæsito ad petendam confirmationem, reditusque imposterum ineligibilis, *c. Qualiter de elect. &c. Avaritiæ eod. tit. in 6.* Unde dixit Panormitanus, quòd confirmatio est necessitatis licèt electio ab initio fuerit libertatis; & per hanc acquiritur electo jus ad Prælaturam, seu petendam confirmationem; per quam eidem acquiritur exercitium, & ut possit actus exercere ad d. Prælaturam. Gonzalez *cit. c.* 5. *n.* 8.

Confirmatur autem electio ab immediato, & proximo Superiore, juxta *c. Nihil §. Cæterùm de elect.* & debet examinare qualitates, & mores electi, & an sit servata forma electionis; quod maximè procedit, si electio fuerit in discordia facta, juxta d. Clement. *Exivi §. Demum.*

Cæterùm resolutio non procedit quoad Prælatos, qui statim electi consequuntur jus Prælaturæ, & simul exercitum, & administrationem. Cujusmodi sunt Generales, juxta privilegia Ordinibus à S. Sede concessa. In Ord. Min. Generalis confirmationem, electione perfecta, à Sede Apostolica recipit. Constit. *Clement. IV. Virtute conspicuos la* 4. *Bull. tom.* 1. Provinciales verò ex d. Clement. confirmantur à Generalis, vel ejus delegato, & de consilio discretorum Ordinis, ubi electio fuerit in discordia celebrata Guardiani autem eodem actu eliguntur, & confirmantur, ut post alios notavit Hasbens. *cit. n.* 193. & per Monac. *loc. cit. n.* 10. Non currit in Abbatissis, quæ antè confirmationem possunt administrare. S. C. *in Mazarien.* 18. *Martii* 1700.

56 At petitur. An sit confirmanda electio illius, qui electus fuit post lapsum terminum, electioni ab jure præscriptum? In Ordin. Min. *ex d. Clement. &* §. ibi: *Declaramus, ut electio Ministri Provincialis resideat apud Capitulum Provinciale: quam idem Capitulum die sequenti, qua fuerit congregatum, facere teneatur.* Et infra *§. Cæterum: Si Capitulum die prædicta Ministrum eligere prætermittat, ex tunc Ministri Provincialis provisio ad Generalem Ministrum liberè devolvatur.* Intelligas, nisi fraude iste electionem impediat, quia fraus nulli patrocinatur, *c. ad aures de empt.*

Resp. Electionem factam esse ipso jure nullam, utpotè factam eo tempore, quo jus eligendi à Capitularibus ablatum, ad Superiorem devolutum est, *c. licet de suppl. negl. Prælat.* De nullitate electionis Provincialis apud dd. Min. celebratæ extra diem præfixum, patet ex alleg. Clemen. in qua apponitur clausula decreti irritantis quantùm ad ea, quæ de Ministro Provinciali disponuntur, *§. Porrò si quid.* Ideò, cùm electio, de qua dubium procedit, sit nulla, confirmanda non est. Et ubi confirmaretur, non propptereà revalidaretur. Nam, qui confirmat, jus acquisitum corroborat. Et proindè, ubi electio non tenet, nec confirmari potest. Quoniam, si non valeat principale, nec valebit accessorium, ut dicitur *cap. inter dilectos de fid. instrument. §. Cum igitur.* Peyrin. *cit.* §. 11. *secundò, quia.*

57 Et adverte, quòd, confirmatione declarata irrita, vel propter non servatam debitam juris solemnitatem, vel quia Judex confirmandi potestatem non habebat, non propterea irritatur, aut annullatur præcedens electio canonica, per *cap. Confirmationem de elect. in 6.* Confirmatio enim, & electio sunt partes separatæ: & in habentibus causam separatam, utile per inutile non vitiatur, ut ibi Glos. *in notabilibus.*

Similiter pondera, quòd confirmatio facta post appellationem, ad Sedem Apostolicam ex legitima causa interpositam, nisi prius fuerit ab appellatione canonicè recessum, est nullius roboris, & momenti, *cap. si postquam eod. tit. in 6.*

58 Solet ante electiones à præside inter Regulares præmitti absolutio à censuris ad tollendum impedimentum inhabilitatis ad eligi, & eligere, juxta formulam datam *cap.* 38. *num.* 20. Propter quod hìc oritur dubium. An d. absolutio sit cum reincidentia? an verò absoluta sic, ut absoluti, & dispensati in Capitulis post completum electionis negotium non relabantur in censuras, & inhabilitates? Sanctor. *Comment. c.* 8. *stat.* 35. dixit esse absolutam, nec eas iterùm redire, considerando, quòd cùm frequenter unus, vel plures ex electoribus respectivè eligantur ad Prælaturam, & Ordinis officia, essent propter reincidentiam incapaces ad illa exercenda.

59 Verùm sensus absolutionis non videtur esse absolutus, sed ad cautelam, nè ex titulo censurarum possit posteà electio, aliàs valida, impugnari. Etenim absolutè non datur, sed restrictè ad *effectum electionis faciendæ*: ergo, electione completa, in casu Capitulares, qui priùs ad eligendum, vel eligi propter censuras erant inhabiles, in eas reincidunt. Hæc enim est natura absolutionis ad cautelam ad aliquem effectum datæ. Ita Ameno *pract. tit.* 19. §. 9. *num.* 65. scripsit reum excommunicatum, prius absolvi debere ad effectum se sistendi in judicio; & *num.* 68. subdit: Quo elapso, in eadem excommunicationem reincidit, quia absolutio in tali casu non tollit totaliter censuram, sed tantùm suspendit ejus effectum pro eo tempore, quo reus actualiter est in judicio; quo elapso, effectus censuræ non ampliùs remanet suspensus; & ideò sine nova sententia, aut delicto iterùm ligat; & sic in eadem excommunicationem reincidit. Et ex hoc habetur, quòd non sufficit, ut reus semel, hoc est, in primo examine absolvatur, sed toties, quoties constituitur.

60 Et habetur ex Genuen. *prax. cap.* 5. *num.* 10. qui de communi testatur, quòd etiam delegatus Papæ potest absolvere testes ad finem ferendi testimonium, ex *cap. Veniens il* 2. *de testib.* §. *Quo circa*; testis verò sic absolutus, facta depositione, statim sine alia monitione, & sententia reincidit in eandem excommunicationem. Idemque ex Decio refert procedere in quolibet absoluto cum reincidentia. Et in expressis terminis de Canonico absoluto ad finem faciendi electionem, apud ipsum probat Felinus *cap. ad reprimendum de offic. ord.*

Nec obstat ratio à Sanctorio ponderata; quia, ut electus possit deinde officium exercere, debet absolutionem petere à Sacra Pœnitentiaria. Nam absolutio, quæ à præside præstatur, solùm operatur, ut possit eligi, non verò, quòd valeat exercere; sed hìc opus est purò, & absoluto absolutionis beneficio. Quisque videat, nè ex doctrina Sanctorii occasionem sumat vilipendendi censuras, & insordescendi in illis.

61 Quæritur. Celebratur Capitulum Provinciale, in quo eliguntur soliti Officiales, & Prælati; subinde d. Capitulum ex aliquo defectu annullatur, adeout sit nova Superiorum electio facienda; petitur, quinam debeant esse vocales hujus posterioris electionis?

Resp. Illi, qui fuerunt electores in Capitulo invalidato, cum pro vocalibus non possint admitti electi in Capitulo nullo, aut nulliter declarato, *cap. si electio de elect. in* 6. & ibi DD. cum Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 81. *num.* 1. Facultas enim primorum electorum non fuit consumpta, ut tradit Sigismundus à Bonoia *de elect. dub.* 12. *numer.* 1. *& seq.* Ideò ad eos revertitur. Intellige, si absque propria culpa d. Capitulum fuerit nullum; nam si nulitas eorum defectu fuerit, jure suffragandi privantur, juxta dicta superiùs.

Unde sciendum, quòd ubi electores scienter admittunt aliquem inhabilem ad eligendum, electio est nulla; secùs si ignoranter, juxta distinctionem Abbatis *in cap. consultat. num.* 6. *de Procurat.* Fagnan. *d. c. Massana n.* 31. Ubi autem dubitatur, an alicui competat votum, nec potest ob circumstantiam imminentis electionis res apparere, admittendus est cum protestatione, *quatenus de jure potest, & non aliàs*, per Peyrinum *cit.* §. 6. *dico* 8.

CAPUT XIX.

Officialis quoad exemptionem ab jurisdictione Ordinarii.

SUMMARIUM.

1 *Describitur exemptio.*
2 *Episcopis in exemptos modò ordinaria, modo delegata jurisdictio conceditur.*

3 *Re-*

3 *Referuntur plures casus, in quibus de praesenti Regulares subiiciuntur Episcopis, usque ad num. 34.*
35 *Episcopi possunt in Ecclesiis Regularium, etiam in Pontificalibus celebrare.*
36 *Non verò, ipsis invitis, Ordines conferre, Indulgentias &c.*
37 *Quando, & contra quos Regulares possint Episcopi censuris procedere?*
38 *Episcopi possunt denunciare Regulares aliàs excommunicatos vitandos, non verò declarare.*
39 *In dubio, an Episcopis competat jurisdictio in Regulares, est recurrendum ad Sedem Apostolicam.*
40 *Constitutio Innoc. X. in causa Angelopolitana, usque ad num. 67.*
68 *DD. non conveniunt in assignanda diversitate legis Diœcesanæ, à lege jurisdictionis, ad 69.*

1 EXemptionem describunt DD, Est privilegium, *quo persona aut locus* (& est distinctio exemptionis localis, & personalis) *ab jurisdictione Episcopi, vel Ordinarii liberatur, & subtrahitur, ac Summo Pontifici immediate subiicitur*: quod ex *c. si Papa de privilegiis in 6.* notavit Engel. *Colleg. univ. jur. Canon. lib. 5. tit. 33. num. 28.* Quæ probatur, si in litteris concessionis Papa asserat: *hæc Ecclesia est exempta*: *vel ad jus Beati Petri, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ, vel Romanum Pontificem specialiter pertinet*: *vel Episcopus non audeat in ea Cathedram collocare, vel aliquod imperium, & potestatem exercere*; aut alio simili modo, videndo apud Ascan. Tamburin. *tom. 1. de jur. Abbat. disp. 15. q. 5.* Etenim ea est natura privilegii, ut ejus verba non sint otiosa, & aliquid semper operentur; unde cùm omnes Mundi Ecclesiæ ad jus Beati Petri, & Ecclesiæ Romanæ, omnium aliorum capitis, & Magistræ, subjectæ nascantur, ut apposita in litteris exemptivis aliquid pro ea Ecclesia specificè operentur, & plus à privilegio recipiat, quam accepit à natura, infertur, Pontificem eidem voluisse concedere, ut modo quodam distincto Romanæ Ecclesiæ subiiceretur, eam nimirum ab Ordinuriorum potestate, quibus prius suberat, eximendo. Quæ cæteris locis piis applicantur.

Notandum plenariam Regularium exemptionem esse correptam, & Dominos Episcopos in certis casibus jurisdictionem in exemptos habere: aliquando delegatam, aliquando Ordinariam, per notata ab Engel. *loc. cit. num.* 31. Delegatam tunc habent, cùm Canones, & jura disponunt, ut contra exemptos, authoritate Apostolica, vel tanquam Sedis Apostolicæ delegati procedant: Ordinariam verò, quando contra eos jure ordinario, seu ex suo ordinario officio procedunt. Utriusque jurisdictionis exempla sunt in Trid. & Apostolicis Litteris obvia.

Quæritur. *Quinam sint casus, in quibus hodie Regulares subjacent Episcoporum jurisdictioni?*

Resp. Plures equidem sunt, quorum aliquos per dicenda narrabimus.

2 Itaque Regulares subduntur Episcopis, quantum ad editionem librorum; nam eos nequeunt imprimere, vel curare, ut imprimantur, absque prævio Episcopi examine, & approbatione, ac suorum Superiorum licentia, Trid. *sess.* 4. *in Decret. de edit. libror.*

3 Quantùm ad lectionem Sacræ Scripturæ, quæ in Monasteriis, in quibus commodè haberi potest, facienda est, & ubi Superiores negligentes fuerint in deputandis Lectoribus, possunt opportunis remediis ab Episcopis ut Sedis Apostolicæ delegatis compelli. Trid. *sess. 5. c. 1. de refor.*

4 Quantùm ad verbi Dei prædicationem; nec in Ecclesia sui Ordinis sine benedictione, nec in Ecclesia, quæ sui Ordinis non sit, absque Episcopi licentia prædicare possunt, *d. sess. c.* 2. & in alterutra, Episcopo contradicente, prædicare prohibentur, *cap. 4. sess. 24. de refor.* Hic advertas aliud esse simpliciter non concedere benedictionem, & aliud expresse contradicere. Quoniam Episcopus, qui benedictionem non concedit, se habet præcisè negativè. Qui verò contradicit, facit actum positivum interdicendo prædicationem. Quare, si Episcopus solùm benedictionem non concedat, poterit nihilominùs Regularis, benedictione petita, licèt non obtenta, in Ecclesiis suis Ordinis prædicare, per disposita à Clement. X. Const. *Superna* la 18. *Bullar. tom.* 5. sed, si non tantùm benedictionem non concedat, sed ulteriùs expresse prohibeat, nullibi, nec in sui Ordinis Ecclesiis prædicare poterit, ad tex. *in d.*

Const. & in alia *Greg. XV.* incip. *Inscrutabili la* 18. *Bullar. tom.* 3. In contravenientes possunt Episcopi, etiam censuris procedere, ut in dd. Const. Vide *dicta cap.* 12. *num.* 2. *& 3.*

5 Quantùm ad cautelam prædicandi, adeout debeat ab Episcopo interdici Regulari, etiamsi in Ecclesiis sui Ordinis prædicaverit, munus prædicationis, si errores, & scandala in populum disseminaverit, Trid. *d. decr. & sess.* 5. Quòd si hæreses prædicaverit, debet adversus eum secundùm juris dispositionem procedere, *ibid.*

6 Quantùm ad delicta, quæ à Regularibus extra Monasteria degentibus committuntur, Trid. *sess. 6. cap.* 3. *de ref.* Vel, cum intra Monasteria degunt, tamen extra ita notoriè delinquunt, ut populo scandalo sint. Idem *sess.* 25. *de Regul. cap.* 14. Vide, quæ dixi *cap. ult. n.* 20.

7 Quantùm ad Judices Conservatores, adeout, qui Conservatores non elegerint, aut electis uti ausi fuerint, quam juxta formam præscriptam à d. Gregor. Const. *Sanctissimum la 9. ibid.* ad annum Conservatore debent carere, & intereà eorum causæ coram locorum Ordinariis cognosci, & definiri. Quamobrem licèt *cap. 5. Trid. sess.* 14. *de refor.* quantùm ad disposita circa Conservatores nominatim excipiat Regulares, tamen debent in eo procedere ad formam d. Constitutionis Vid. *c.* 15.

8 Quantùm ad visitationem Monasteriorum commendatorum. Trid. *cap.* 8. *sess.* 21. *de ref. Lege d. c. ult.*

9 Quantùm ad publicationem Indulgentiarum Trid. *ibid. cap. 9.* & ex Sac. Congr. Conc. quæ, cum dubitatum fuisset: *An Regularibus liceat publicare, vel proponere populo Indulgentias olim sibi concessas, sine licentia, vel approbatione, aut authoritate Ordinarii; aut illas, quæ Confraternitatibus quibuscumque sint concessæ; censuit non licere*, Fagnan. *in 1. ad cap. Grave de offic. ordinar. num.* 45. Nulla tamen recepta mercede: prout præscribit Trid. *cap. 9. sess. 21. de reform.* & Taxa Innocentiana. Monacell. *form. par. 2. tit. 16. form. 6. num.* 8.

10 Quantùm ad elemosynarum quæstas, Trid. *ibid.* & Sac. Congr. declaravit apud eundem, & dixi *cap.*43. sed nulli est permittendum, ut elemosynas quærant per alios, quàm per sui Ordinis Fratres.

11 Quinimò Ordinarii possunt Fratribus in locis, in quibus non habent Monasteria, prohibere, ne eleemosynas quærant, dum videant id per eos fieri non posse absque præjudicio Conventuum, qui in dictis locis sunt erecti. Propterquod certè Sacr. Congr. per dicta *loc. cit.* declaravit, *Regulares volentes eleemosynas quærere extra loca, in quibus non habent Conventus, debere suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere. Et si extra Diœcesim, teneri etiam illius consensum obtinere.* Nam Ordinariis ex debito sui officii incumbit providere, ne Conventus suæ Diœcesis præjudicium, & gravamen recipiant.

12 Quantùm ad observanda, & vitanda in celebratione Missarum, Trid. *sess.* 22. *de Sacrif. Miss. in Decret. de evitand. in celebrat. Miss.* Vide *d. cap.* 10.

13 Quantùm ad susceptam administrationem Confraternitatum, vel Hospitalium: quippè eos potest Episcopus cogere ad reddendas rationes administrationis,& culpabiles repertos ad juris præscriptum punire. Trid. *ibid. c.* 8. ut declaravit Sac. Cong. apud d. Fagnan. *n.* 47.

14 Quantùm ad Confraternitates Laicorum in Ecclesiis Regularium existentes. Quas Episcopus visitare potest, & ab ipsarum Administratoribus rationem administrationis exigere, ad præscriptum *d. cap.* 8. *& 9. ejusd. sess.* Non tamen potest earum Capellas, Icones, aut Altaria visitare, nisi quatenùs Confratrum administrationem concernunt, per resoluta à Sacr. Congr. prout notavimus *supra cap. 6. num.* 14. *& d. c. ult: n.* 17.

15 Quantùm ad erectionem Confraternitatum. Quas Regulares (quibus licentia eas erigendi concessa est) erigere, & instituere non possunt, nisi de consensu Ordinarii, ex Const. Clement. VIII. incip. *Quæcumque la* 115. *Bullar. ibid.* Vide *dict. cap.* 14.

16 Quantùm ad susceptionem Ordinum, interstitia, & examen, Trid. *sess.* 23. *c.* 8. 11. 12. *&* 14. *de ref.* Vide *infr. c.* 35.

17 Quantùm ad audiendas confessiones Sacramentales Sæcularium, etiam Sacerdotum; quas nec Regulares excipere possunt, nisi fuerint ab Episcopo approbati, si eis videbitur necessarium, *ibidem cap.* 15. Et poterunt puniri ab Episcopo, ut Sedis Apostolicæ Delegato, in vim d. Con-

d. Constit. *Inscrutabili*, tanquam delinquentes in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, si eas audiant, aut omninò absque Episcopi licentia, aut illa expirata, vel revocata. Vide supra cap. 6. *n.* 9.

18 Item in vim *d. Constit.* poterunt puniri ab Episcopo, si sigillum Sacramentale fregerunt; nam censentur delinquere circa administrationem Sacramenti.

19 Item possunt ab Ordinariis puniri etiam Regulares docentes, pœnitentes non teneri ad denunciandos Confessarios sollicitantes, ex Const. *Universi Gregor. XV. la* 34. *Bullar. to.* 3.

20 Quantùm ad accessum ad Synodum Diœcesanam, *sess.* 24. *c.* 2. *de reform.*

Verùm ad Synodum, nonnisi Regulares exercentes curam animarum debent accedere, quia textus ibi loquitur. *Ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interessè deberent, accedere teneantur*. Sed, si Regulares Curati non essent, forent exempti; ideò ratione curæ, & ad effectum, ut instruantur de iis, quæ in Synodo statuuntur, & in ea proponant, quę judicant necessaria ad administrationem sibi commissam, interesse deberent. Ergo cum à Trid. sit exemptio quoad eos sublata, Regulares Curati debent ad Synodum accedere.

21 Sed petitur. *In Synodo statuitur, quòd Regulares debeant interesse conferentiæ casuum conscientiæ; quæritur, quos Regulares statutum obliget?*

Resp. Eos, quibus dispositio est aptabilis, hoc est, qui lege Synodali cogi possunt. Adeoque nonnisi Regulares curatos, prout in terminis firmavit Sac. Congreg. Conc. *die* 3. *Semptembr.* 1630. *in una Forosempronien. lib.* 19. *Decret.* 76. Et iterùm Sac. Congreg. super Statu Regul. ut infr. *Cum Conventus suppressi, & postea restituti, in quibus non degunt de familia duodecim Religiosi, sint vigore Decreti*, Ut in parvis, *Innoc. X. subjecti visitationi, correctioni, & ordinariæ jurisdictioni Ordinariorum locorum, contigit dubitari: an Religiosi Confessores, & non Parochi in hujusmodi Conventibus degentes compelli possint ab iisdem Ordinariis, ut accedant ad conferentias casuum conscientiæ.*

Proposito hoc dubio in Sac. Congreg. super Statu Regularium habita in Palatio Vaticano die 15. *Januarii* 1682. *Em. PP. censuerunt, Ordinarios locorum posse quidem hortari, non autem compellere Religiosos Confessores non Parochos ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiæ.*

22 Quantùm ad Fratres itinerantes absque Superiorum licentia, quos Ordinarii punire possunt, *c.* 24. *sess.* 25. *de Regul.*

Quantùm ad clausuram Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum. Trid. *ibid. c.* 5. Quantùm verò ad licentias accedendi ad crates ad colloquendum cum Monialibus, S. Cong. Episc. decernit similes licentias ab Episcopo etiam esse subscribendas, licèt ex consuetudine à Superioribus Regularibus dumtaxat subscribi consueverint. Cæterum, ubi hæc consuetudo non reperitur, soli Episcopi eas concedunt, per d. *c.* 3. *n.* 5.

23 Quantùm ad hoc, quòd Confessarii Monialium Monasteriorum intra mœnia Civitatis existentium non possint apud dicta Monasteria pernoctare, nisi Episcopus judicium suum proferat super distantia Conventus à Monasterio, & cognoscat, approbetque distantiam necessariam inter mansionem pro usu Confessarii, & Monialium Monasterium, à quo non modò per parietes, verùm & per tecta debet esse disjuncta, & separata, Alex. VII. Constit. *Felici la* 156. *Bullar. tom.* 5. in qua §. 8. transgressores puniuntur ipso facto excommunicatione privationis vocis activæ, & passivæ, omniumque officiorum, & inhabilitantur ad alia. Quos possunt Episcopi, tamquam delegati Sedis Apostolicæ, quoties opus fuerit, corrigere, *v. c.* 11. *n.* 2. *§.* 12.

Quantùm ad audiendas Monialium confessiones, quas audire nequeunt, nisi specialiter sint ab Ordinariis ad eum effectum approbati, prout expresè in adduct. Constit. Gregor. & Clement.

24 Quantùm ad electionem Abbatissarum Monasteriorum sui Ordinis. Cui *per se*, vel *per alium*, potest Episcopus interesse, si vult, ut in d. Constit. Greg. XV. Vid. d. *c.* 1. *n.* 8.

Quantùm ad delicta commissa circa personas intra septa, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem Monasteriorum Monialium etiam Regularibus subjectarum, ibid. Greg.

25 Quantùm ad concernentia curam animarum, & Sacramentorum administrationem, Trid. *sess. cit. cap.* 11. & Greg. Const.

Conſt. *cit*. In curæ enim exercitio, & in Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione Regulares ſubduntur juriſdictioni Ordinarii, per dictum *cap. Quoad vitationem &c.*

26 Quantùm ad componendas controverſias ſuper præcedentia in Proceſſionibus, tum publicis, tum iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, *ibid. cap.* 13.

27 Quantùm ad accedendum ad Proceſſiones publicas. Excipiuntur, qui in perpetua clauſura perpetuò vivunt, *ibid.* & ii, quorum Monaſteria diſtant à Civitate, ultra medium milliare. Vide c. 40.

28 Quantùm ad expoſitionem Sanctiſſimi Sacramenti. Etenim illud ſolemniter non poſſunt abſque licentia Ordinarii exponere, prout ex Sac. Cong. quæ 10. *Decemb.* 1602. decrevit: *Non liceat Regularibus, etiam in propriis Eccleſiis, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario, ex cauſa autem privata poſſint, dummodò SS. Sacramentum è Tabernaculo non extrahatur, & velatum remaneat, ita ut ipſa Hoſtia videri non poſſit*, apud Nicol. *floſc. ver. Euchariſt. num.* 32. Fagnan. *cit. n.* 77. Et S. R. C. ſub die 22. *Januar.* 1701. *in Firmana expoſitionis SS. Euchariſtiæ*, cenſuit: *Frat. Minor. de Obſer. Oppidi Monleani licere publicè adorandum exponere SS. Euchariſtiæ Sacramentum in eorum Eccleſia, ſingulis diebus feſtivis totius anni, exceptis Quadrageſimalibus, & Dominicis, de licentia tamen Archiepiſcopi*. Pro perſonis privatis ritus eſt, ut exponatur in oſtiolo Tabernaculi, aut in Pixide velata cum luminibus, & aſſiſtentia. Quod etiam firmavit S. Cong. Epiſc. 7. *Septemb.* 1598. Gavant. *Manual. v. Euchariſt. n.* 54.

29 Quantùm ad Sacras Imagines & Reliquias ponendas, exponendaſve in Regularium Eccleſiis, *d. ſeſſ.* 25. *in Decret. de invocat. venerat. & reliq.* appobante enim Epiſcopo, id debet fieri.

30 Quantùm ad eos, qui manifeſtè in perſonam Ordinariorum delinquunt, ex *cap. Romana de pœnis in* 6. Vel Prælatorum juriſdictionem competentem impediunt, nè munus ſuum exequantur. Tunc poſſunt ab Ordinariis legitimè coerceri, & puniri, ut cenſuit Sac. Congr. Conc. Et Congr. ſententiam approbavit Greg. XIII. Qui dixit, decretum concipiendum eſſe contra (non, turbantes, quod eſt nimis generale) impedientes juriſdictionem Prælatorum, quæ phraſis loquendi habetur *cap. Quia de offic. deleg.* ibi: *Si eos manifeſtè cognoveris juſtitiam impedire*.

31 Quantùm ad obſervandos dies feſtos ab Epiſcopis in Diœceſibus præfixos, ead. *ſeſſ.* 25. *de Regul. c.* 12. Vide *c.* 21.

Quantùm ad renunciationes, & obligationes Novitiorum, quæ nullæ decernuntur, niſi fiant cum licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii infra duos menſes ante profeſſionem, *d. ſeſſ. c.* 16.

32 Quantùm ad reſtituendas Novitiis, abeuntibus ante profeſſionem, res omnes, quæ ipſorum erant. Et poſſunt ii, ad quos ſpectat, ab Epiſcopis per cenſuras compelli, *d. ſeſſ. & cap.*

33 Quantùm ad cenſuras, & interdicta Eccleſiaſtica, etiam ab Ordinariis emanata, quæ, mandante Epiſcopos, à Regularibus in eorum Eccleſiis debent publicari; & ſervari, Trid. *d. ſeſſ. c.* 12. de quo c. 27.

34 Quantùm ad erectionem Baldachini ipſis Epiſcopis in Eccleſiis Regularium, ubi in eis, *tam ex conſuetudine, & privilegio, quàm ex Sacrorum Canonum conſtitutionibus, & Pontificalis Romani præſcripto, aut alio jure Pontificalia exercere, aut Pontificalibus paramentis cum Mitra, vel etiam cum ſola Cappa intereſſe poſſunt, teneantur ipſi Regulares*, ex mandato Clement. VIII. Baldachinum eis attollere, prout in ejuſdem decreto incip. *Decret. edit.* 10. *Junii* 1603. Quod refert Pignatellus *tom.* 10. *conſult.* 106. *num.* 30. Et, ubi Regulares indebitè reſiſtunt; vel negligunt, poſſunt ab Epiſcopis per cenſuras, aliaſque pœnas Eccleſiaſticas compelli, & Baldachinum ex alia Eccleſia ad illas Regularium curare, ut aſportetur, ut ibi *tex.*

35 Quòd autem poſſint Epiſcopi in locis ſuæ Diœceſis, etiam exemptis, abſque Regularium licentia, etiam in Pontificalibus celebrare, benedicere populo, audire Divina Officia, & in ſua præſentia facere celebrare, eſt textus in Clement. *Archiepiſcopo de privil.* Similis enim celebratio in Pontificalibus reſpicit honorem, reverentiam, & præeminentiam Epiſcopo debitam, non autem juriſdictionem, & ſuperioritatem, nec propterea violantur exemptorum privile-

vilegia, Quæ quantùm ad cætera præservantur, ibi. *Absque eo, quod ex similibus functionibus aliquod jus acquiratur Episcopo in præjudicium exemptorum, vel aliud jus prætendere possit*; ut habetur in terminis d. Clement. & notatur à Fagnano in 1. ad c. *Quia nos de auctor. & usu pallii n.* 13.

36 Propterea, Episcopi non possunt in Regularium Ecclesiis, invitis Regularibus, functiones exercere Pontificales, quæ habent mixtam considerationem honoris, & jurisdictionis: ut Ordines conferre, Indulgentias concedere, degradere, & similia; quia hæc in litteris non exprimuntur: nisi Ecclesia sit Parochialis. Unde, cùm in Sacr. Congr. Conc. quæreretur: *An Emin. Episopus Brixien. in Ecclesia Parochiali Monachorum exemptorum, possit administrare Sacramentum Confirmationis, invitis ipsis Regularibus? & quatenùs possit: an contra eosdem Regulares impedientes dictam administrationem valeat censuris procedere*; Sac. Congr. *re pluries proposita, & maturè examinata, utraque parte informante, affirmativè ad utramque dubitationem respondit 9. Junii* 1657. Ita etiam Episcopus, tamquam primus Parochus, potest certè in Ecclesiis Parochialibus Regularium baptizare, argum. ex cap. *Quoniam de sent. excomm. in 6.* Sed dicta non debent extendi ad Vicarios Episcoporum, etiam absente Episcopo, ex declarat. Sac. Rit. Congr. quæst. 10. *Junii* 1621. declaravit, *non posse hujusmodi Vicarios, invitis Regularibus, erigere Baldachinum in eorum Ecclesiis*, Pignatell. *ibidem num.* 23.

37 Petitur: *An Episcopi possint censuris adversus Regulares procedere;*

Resp. Negativè, quoties durat exemptio; secus dicendum in casu aliquo particulari, aut cùm vigore Concilii, vel Constitutionum Apostolicarum eis conceditur. Vide Monacell. *form. part.* 1. *form.* 20. *num.* 26. *tit.* 6.

38 Hìc nota, quòd, licèt Regulares in casibus, quibus propter privilegia, quòd ab Episcopo excommunicari non possint, non ligentur statuto Episcopi habente excommunicationem adnexam, adhuc potest Episcopus Regularem aliàs excommunicatum vitandum (vel, quia est publicus Clerici percussor: vel, quia sine licentia Parochi infirmis sæcularibus ministravit Eucharistiam, aut Extremam Unctionem, vel Matrimonia solemnizavit: hoc est solemniter benedixit, ut expressit Gloss. *in cit. Clement.*: vel, quia absolvit excommunicatos à Canone, vel à sententiis per statuta Provincialia, vel Synodalia promulgatis: vel, quia declaratus est à suo Prælato excommunicatus) suis subditis denunciare ad effectum, ut eum vitare teneantur, ad text. *in Clement. Religiosi de privil.* & ex sententia S. C. C. quæ consulta: *an Episcopus possit excommunicatos denunciare Regulares, qui ob delictum notorium in excommunicationem inciderunt? censuit posse ab Episcopo publicè denunciari excommunicatos, ut ab aliis evitentur*, Fagnan. *ad d. cap. Grave num.* 75.

Dictum est *denunciare, & non declarare*, quia denunciare Regularem ut supra excommunicatum, non est exercere jurisdictionem, sed dumtaxat suos subditos monere de obligatione, quam habent vitandi sic excommunicatum. Declaratio verò haberi non potest sine exercitio jurisdictionis: quoniam est reus citandus ad videndum declarari &c. debetque Ordinarius informari, ut sibi plenè constet de jure, & de facto. Regulares autem sunt exempti à jurisdictione Episcoporum, nisi aliter jus disponat. Vide Antonell. *de regim. Eccl. lib.* 7. *c. ul. n.* 2.

Cæterum, quamquam Regulares exempti sint ab Ordinariorum jurisdictione, & ita non teneantur comparere, dum ab eis citantur; tamen id non procedit, cùm in citatione exprimitur causa, quæ fundat super Regulares jurisdictionem; ut, si citentur ad comparendum, ex quo ad Processionem non accesserint: tunc enim non excusantur, cùm Episcopus assistat dispositio Conciliaris, eisdem tribuens jus compellendi exemptos ad Processiones.

39 Semper tamen ex decentia, & reverentia Episcopis debita debent comparere, vel ad allegandum privilegium, & possessionem exemptionis adversus incompetentiam fori, vel etiam ad illud exhibendum, si exemptio non sit notoria: non enim creditur parti asserenti de qualitate privilegii, de qua non constat, sed eam asserens probare tenetur, per Piasec. *prax. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *num.* 73. Donat. *prax. tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 13. *quæst.* 17. & est text. *in c. Cum personæ de privil. in 6.* ubi Glos. *in verb. Diœcesi* notavit, quòd, pendente lite super

exhibitione privilegii, non potest Episcopus Regulares turbare in sua possessione exemptionis, neque in eos poterit suam jurisdictionem exercere; & in dubio, an jurisdictio pertineat ad Episcopum, non potest Episcopus in causa cognoscere, nè sint Judex in propria causa, sed examen, & decisio sunt de reservatis Sedi Apostolicæ, ad tex. *in d. Const. Superna*.

40 Tandem dictis subnectitur Constit. Innoc. X. incip. *Cum sicut 29. Bullar. tom. 4. in causa Angelopolitana jurisdictionis*, vertente inter Episcopum, & PP. Jesuitas. Occasione cujus nonnulla dubia fuerunt utrinque proposita, & à S. Congr. ad hunc effectnm specialiter deputata, resoluta, prout ex narrativa Constitutionis. Cujus lectura utillima erit ad plures componendas, & evertendas controversias jurisdictionis in exemptos; ejusque tenor est: *Cùm sicut accepimus*, & infr. *Sac. Congr. sæpiùs auditis &c. ad singula dubia ab utraque parte proposita*, Ordinario scilicet, & Jesuitis, *respondit ordine, qui sequitur*.

41 I. *An in casu, quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini à Regularibus observari, & executioni demandari; Regulares quicumque, etiam Societatis Jesu, sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia, possint eligere conservatores? -- Congregatio respondit. Si Episcopus præcipiat Regularibus, etiam Societatis Jesu, ut illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel Constitutiones Apostlicas Regulares exempti subjiciuntur jurisdictionis, & correctionis Episcopi, minimè licere ipsis Regularibus ob eam causam conservatores eligere*.

42 II. *An, quando Ordinarius procedit, juris ordine servato, adversus Regulares exemptos in casibus, in quibus per Concil. Trid. vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur, possint conservatores Judices assignare? -- Respondit ut ad proximum non posse*.

43 III. *An Regularibus, etiam Societatis Jesu, asserentibus se habere privilegia, quominùs obediant Episcopo in executione decretorum, juris communis, Concil. Trid. & Constitutionum Apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum? -- Respondit Ordinarios non teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere, absque integrali privilegiorum exhibitione*.

44 IV. *An in casu, quo Regulares quicumque, etiam Societatis Jesu, exhibeant aliqua privilegia, & Ordinarii judicent ea non suffragari casui, de quo agitur, & ad rem non facere, Regulares præfati possint, ac debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis, ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem, vel potiùs possint hoc casu eligere Judices conservatores? Respondit. Si verba privilegiorum sunt obscura, & ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Episcopum, nec conservatores eligere, sed Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum*.

45 V. *Utrum Const. fel. rec. Gregorii XV. circa Conservatores Regularium publicata anno 1621. cum declarationibus Eminentissimorum Sac. Congr. Concil. Interpretum desuper editis, æquè afficiat, & comprehendat Religiosos Societatis Jesu, ac reliquos Regulares ita, ut omnia alia præfata Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictæ Constitutionis, & sic imposterum debeant ab iis eligi conservatores, juxta formam, & tenorem præscriptæ Constitutionis? Respondit hujusmodi Constitutionem cum declarationibus, ut præfertur, editis, æquè afficere Religiosos Societatis Jesu, atque aliorum Ordinum, & conservatores ad illius præscriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quippè quæ omnia sunt redacta ad terminos ipsius Constitutionis*.

46 VI. *An Regulares prædicti gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel testamentorum executores possint conveniri coram Ordinario, si conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præscriptum? Resp. Regulares in causis præfatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum Const. sa. me. Greg. XV. Conservatores non elegerint, ipsumque electionis, documentum intra præfinitum tempus in actis curiæ ipsius Ordinarii non exhibuerint, ac dimiserint*.

47 VII. *An dicti Regulares, Conservatores, sive ad jura, sive ad privilegia tuenda assumentes, teneantur ante exercitium commissionis præstare cautionem coram Ordinario, sive alio Judice competente de judicio sisti, & judicatum solvendo, casu, quo in lite, sive causa succubuerint; Respondit. Non teneri*.

48 VIII. *An, quando Episcopi jura, vel deci-*

decimas Cathedralium adversus Regulares prædictos dote sua spoliantes Ecclesias coram Judice competente tuentur, librosque, memorialia, & allegationes producunt, jus Ecclesiarum Cathedralium exprimentes, & acquisitiones Religiosorum, aliaque id generis adnumerantes, hujusmodi scriptorum occasione possint Regulares nominare conservatores, prætendentes injuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones; Respondit: si Episcopi pro tuendis juribus Cathedralium Ecclesiarum coram Judice competenti hujusmodi scripta producant, & Regularium immoderatas acquisitiones veraciter, & modestè referant, non licere ob eam causam ad conservatores recurrere.

49 IX. *Utrum Regularis quicumque, etiam Societatis Jesu, possit administrare Sacramentum Pœnitentiæ Sæcularibus absque licentia Episcopi Diœcesani, etiamsi in alia Diœcesi ab Episcopo approbatus sit? Respondit: Regulares, etiam Societatis Jesu, in una Diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum Sæcularium audiendas, nequaquam posse in alia Diœcesi hujusmodi Confessiones audire, sine approbatione Episcopi Diœcesani.*

50. X. *An Episcopus contra dictos Regulares, audientes in sua Diœcesi confessiones Sæcularium absque approbatione, vel concionantes absque licentia Episcopi intra, & extra proprias Ecclesias, possit procedere, eos à talibus ministeriis removendo, sive præceptis, & aliis juris remediis coercendo? Respondit. Eisdem Regularibus, qui confessiones personarum Sæcularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel prædicant in Ecclesiis sui Ordinis non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque illius licentia, vel in Ecclesiis, etiam sui Ordinis, ipso contradicente, posse Episcopum in vim Const. fel. record. Gregorii XV. quæ incipit* Inscrutabili Dei providentia, *tamquam Sedis Apostolicæ delegatum, administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eosque juris remediis coercere, ac punire.*

51 XI. *An, quando Episcopo constat, dictas licentias obtentas non fuisse, possit ipse præcipere, ut, donec licentiam intra præscriptum tempus exhibeant, à tali ministerio abstineant? & an requirendus sit per Episcopum pro his exibendis Provincialis in alia Diœcesi, vel longissimè existens, vel ipsi Regulares Confessarii, vel eorum Superiores ejusdem Diœcesi, in qua prædicta exercentur? Respondit. Posse Episcopum sic præcipere: nec pro hujusmodi licentiis requirendum esse Provincialem, sed satis esse ipsas Religiosos requirere, aut eorum Superiores in Diœcesi Episcopi existentes.*

52 XII. *An si contingat, ut aliquis prædictorum Regularium insurgat contra Episcopum in propria Diœcesi, maledicto, scripto, vel dicto, populum scandalizando, possit ab Episcopo puniri, & qua animadversione? Et quid, si hujusmodi delinquens transiverit ad aliam Diœcesim, hoc casu servandum sit, & qua pœna puniendus sit Regularis, qui commorans in una Diœcesi spargat famosos libellos contra Ordinarium alterius Diœcesis? Respondit. Si Regularis intra claustra degens, extra ea in casibus in dubio expressis, ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, teneri Superiorem Regularem intra tempus ab eo præfigendum; severè illum punire, ac de punitione Episcopum certiorem facere: alioquin sic delinquentem ab Episcopo puniri posse, ad præscriptum Concilii Triden.* cap. 14. sess. 25. de Regul. *Quod si deliquens ad aliam Diœcesim migraverit, servandum esse, quod præcipitur in Const. san. mem. Clem. VIII. incip.* Suscepti muneris ratio.

53 XIII. *An Conservatores nominati, & electi à Regularibus præscriptis ante exercitium suæ jurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere curam Ordinario sub pœna nullitatis actuum? Respondit: Ubique teneri.*

54 XIV. *An privilegia, quæ sunt contra jurisdictionem Ordinarii, & quibus gaudent, & gaudere prætendunt Regulares præfati, debeant Episcopis notificari, seu insinuari? Respondit: Regulares teneri hujusmodi privilegia Episcopo exhibere, si ejus uti voluerint.*

55 XV. *An prædia, metallorum fodinæ, sacchari opificinæ à Regularibus Societatis, vel aliis possessa, vel aliæ domus Sæculares, in quibus videlicet unus, vel duo Regulares tantùm commorantur, gaudeant privilegio Collegiorum, seu Conventuum? Respondit: Non gaudere.*

56 XVI. *Utrum Regulares præscripti apothecas quarumcumque mercium, macella, & similia, præsertim propè Collegia,*

gia, seu Conventus exercentes, possint ab Ordinario sub censuris inhiberi, ne hujusmodi exerceant? Respondit: Non posse Episcopum hoc prohibere Regularibus exemptis; sed si in præmissis ita notoriè delinquant extra claustra, ut populo scandalo sint, servandum esse, quod dictum est supra in responsione ad duodecimum.

57 XVII. *Utrum Regulares etiam Jesuitæ in suis prædiis, opificinis, aliisque suis domibus Sæcularibus, sitis intra limites Parochialium, ad se non spectantium, possint administrare Sacramentum Baptismatis solemnis, Matrimonii, Extremæ Unctionis, & Eucharistiæ in festo Paschatis famulis, mercenariis, rusticis, sive aliis id genus hominibus Sæcularibus absque Ordinarii, vel Parochi licentia? Respondit: Non posse.*

58 XVIII. *Utrum Patres Societatis in Civitate, & Diœcesi Angelorum possint consecrare Vasa Sacra, Altaria, & similia, in quibus unctio requiritur? Respondi: Itidem non posse.*

Pro parte verò Religiosorum Societatis Jesu proposita fuerunt infrascripta dubia.

59 I. *An Episcopi in partibus Indiarum possint ex integro totum unum Monasterium, vel Collegium ab audiendis Confessionibus suspendere? Respondit: Episcopos Indiarum posse qnidem omnibus simul unius Monasterii, vel Collegii Confessariis adimere facultatem audiendi confessiones personarum sæcularium, etiam inconsulta Sacr. Congreg. Episcoporum, & Regularium negociis præposita, cum decretum ab ea editum sub die* 20. *Novembris* 1515. *ex intentionis defectu, & convenientia morali non extendatur ad regiones illas, tam longè ab Urbe dissitas. Verùm ab hac generali suspensione, quæ vix sine scandalo, & animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo Sac. Congr. illorum conscientias graviter voluit esse oneratas.*

60 II. *An Episcopus Regularem pro Confessionibus semel approbatum sine nova causa suspendere possit ab ipsis Confessionibus audiendis? Respondit: Regulares, aliàs liberè ab Episcopo, prævio examine, approbatos ad audiendas confessiones personarum Sæcularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine nova causa, eaque ad Confessiones ipsas pertinente.*

61 III. *An Bulla Pii V.* 34. *in Ordine* tom. 2. Bullar. *concessa, instante, & supplicante Serenissimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium, sit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur. Respondit: Agendum cum Sanctissimo, an velit declarare Bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus Parochorum.*

62 IV. *An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in Confessionibus audiendis, vel prædicatione Verbi Dei: & hoc, vigore Concilii Tridentini, vel per quem canonem? Respondit: Posse procedere, non quidem in vim Conc. Trident. sed in vim Const. Greg. XV. quæ incipit,* Inscrutabili Dei providentia &c.

63 V. *An licentia audiendi Confessiones, & prædicandi, ab Episcopo per litteras missivas, an solùm per litteras patentes Cancellariæ, concedi possit? Respondit; posse concedi, etiam per litteras missivas, si ita Episcopo videbitur.*

64 VI. *An talis licentia oretenus sine scriptis concedi possit; Respondit, Ut ad proximum.*

65 VII. *An facultas eligendi conservatores, concessa Societati à Gregorio XIII. suffragetur illis in locis, in quibus non adsunt Judices Synodales? Respondit, Privilegium Greg. XIII. suffragari, ut Societas non teneatur ex illius eligere conservatores, dummodò tamen in reliquis servetur forma Constit. Greg. XV. hac de re edita.*

66 VIII. *An Conservatores Societatis, Vicarios Generales Episcoporum auctoritate Apostolica per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas compellere possint virtute Bullæ Greg. XIII. incipientis,* Æquum reputamus, *datæ ultima Februarii* 1573.? *Respondit, Posse à manifestis injuriis, & violentiis eos compescere, etiam censuris, & pœnis Ecclesiasticis. Datum Romæ die* 16. *Aprilis* 1648. *Quapropter, ut præmissa firmius subsistant, & inviolabiliter observentur, nobis pro parte Joannis Episcopi huiusmodi fuit humiliter supplicatum, ut illa, auctoritate Apostolica confirmare dignaremur. Nos igitur &c. Decernentes &c. Sic non aliter &c. Irritum, & inane &c. Non obstantibus &c. Romæ* 14. *Maji* 1648.

76 Posset quæri. An Regulares sint exempti à lege Diœcesana Ordinarii? Sed quo-

quoniam DD. multum laborant in assignanda diversitate inter legem Diœcesanam, & jurisdictionis; nec approbatur distinctio, quòd ea, quæ consistunt in recipiendo, sint de lege Diœcesana; & ea, quæ consistunt in dando, seu conferendo, sint de lege jurisdictionis, ut per Fagnan. *in pr. ad cap. Dilectus de offic. Ordin. num.* 3. ideò quæsitum omittimus, quoniam abstinendum est à quæstione de voce, vide Engel. *de privil. Monast. privil.* 3.

68 Petitur. An Episcopus possit procedere adversus Regulares non tenentes lampadem accensam ante Altare, in quo est Tabernaculum, in quo asservatur SS. Sacramentum?

Resp. Affirmativè in vim Conc. Trid. in *Decreto de evitand. in celebrat. Miss.* Nec sufficit tenere lampadem in Choro, sed tenenda est ante, & propè d. Altare, prout S. R. Congr. sub die 22. Augusti 1699. respondit Generali Capuccinorum qui dubium proposuerat, Monacell. *for. p.* 1. *in cap. pend. ad Const.* 18. *Greg. XV. n.* 1.

CAPUT XX.

Officialis quoad Exequias.

SUMMARIUM.

1 *S. R. C. resolvit, Regularibus, quoad tempus humationis cadaverum esse servandam Synodum: & nonnulla alia.*

2 *Parochus defuncti occasione associandi corpus ad Ecclesias Regularium, potest licitè transire per Parochium alterius cum Stola, & Cruce elevata.*

3 *Parochus non potest ingredi Ecclesias Regularium cum Stola, & Cruce &c.*

4 *Distributio candelarum occasione funerum pendet ab arbitrio hæredum &c.*

5 *Officium funeris in Ecclesia Regularium non peragitur à Parocho.*

6 *Parochi non possunt majorem eleemosynam exigere ab hæredibus illorum, qui sepulturam sibi elegerunt in Ecclesiis Regularium.*

7 *Non possunt Regulare absque consensu Parochi deferre processionaliter extra Conventum corpora Religiosorum. Et quid, si Religiosus moriatur extra Conventum?*

8 *Ad Parochum spectat declarare viam, per quam deferendum est cadaver sepeliendum.*

9 *In funeralibus una tantùm Crux defertur, & cujus Ecclesiæ? & quid, si interveniat Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ?*

10 *Capitulum non invitatum, invitis hæredibus, non potest intervenire funeralibus.*

11 *Capitulum Cathedralis gaudet prærogativa ingrediendi cum Cruce, & Stola Ecclesias Regularium.*

12 *Confraternitates in Processionibus funeralium non erigunt propriam Crucem.*

13 *Responsa S. R. C. in causa* Novarien. *ad undecim quæsita, concernentia functiones, & jura funerum, ac sepulturæ.*

14 *Decreta S. Congr. Episc. in causa* Nullius, seu Aquinaten. juris sepeliendi, *ad tria dubia concernentia hujusmodi materiam.*

1 PLura super associatione cadaverum, & observandis in prax, dum corpora defunctorum ad Ecclesias Regularium, aliasque deferuntur, videnda relinquo apud DD. Lant. *v. cadaver, v. exequiæ, & in supplem. v. assoc. cadaver.* Peyrin. *de privileg. in fine v. decret. San. Congr. decret.* 9., *&* 10. Lezana *Summ. tom.* 3. *v. defunct.* Panimolla *decis. prima adnot.* 10. *& decis.* 5. *adnot.* 3. *nu.* 70. & interim quasdam exibeo SS. CC. responsiones, emanatas super dubiis, eisdem porrectis, ad effectum, ut ex earumdem dispositivis, quid certi sit tenendum, noscitur; & inter alia excribo, *Quòd pro parte Procuratoris Generalis Min. Observ. Sancti Francisci expositum fuit apud Sac. Rituum Congregationem, quòd in nonnullis Conventibus suæ Religionis vigent lites inter Parochos, & suos Religiosos, occasione associandi cadavera defunctorum, ideoque ad evitandas dissentiones, & scandala, quæ in futurum orri possent, idem Procurator supplicavit pro extensione resolutionum super infrascriptis dubiis emanatarum, in una* Senogallien. 22. Junii proximi præteriti, *etiam ad prædictos suos Conventus: Et eadem S. Congr. petitam extensionem benignè concessit, & dubia resoluta sunt, ut infra, videlicet.*

I. *An*

agebatur de lampada [illegible] apposita altari SS. Sac[illegible] [illegible] in choro [illegible] inserviebat simul dormitorio.

I. *An hæredes defunctorum sint cogendi ad retinendum domi cadavera usque ad tempus illa sepeliendi? An verò eisdem hæredibus liceat pro libito asportare dicta cadavera è propriis domibus ad quamcumque aliam Ecclesiam per modum depositi usque ad horam illa tumulandi, etiamsi sepelienda essent in Ecclesiis Regularium, non obstante dissensu Parochi, seu prohibitione ab eodem facta, uti Vicario Foraneo.*

II. *An illatis cadaveribus privatè ab hæredibus ad aliquam tertiam Ecclesiam per modum depositi, Regulares convenire, & congregari debeant in dicta tertia Ecclesia, aut in Parochiali, ad effectum illa associandi ad Ecclesiam, ubi sunt tumulanda?*

III. *An Cadavera sepelienda in Ecclesiis Regularium, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant priùs asportari ad Parochialem, & in ea permanere per aliquod tempus?*

IV. *An Regulares possint cogi ad associanda cadavera in eorum Ecclesiis tumulanda: an verò possint expectare in dictis propriis eorum Ecclesiis? Et, an in casu, quo Regulares non accedant ad associandum dicta cadavera, amittere debeant intortitia, uti Parochus prætendit?*

V. *An Parochus teneatur associare cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda, usque ad januas ejusdem Ecclesiæ, etiam ipsis Regularibus non associantibus? Et an Parocho associanti liceat ingredi Ecclesias Regularium cum Stola, & Cruce?*

VI. *An, si Parochus requisitus interveniri recuset funeralibus defunctorum, in Ecclesiis Regularium sepeliendorum, possint hæredes, imo & ipsi Regulares, asportare cadavera ad Ecclesiam sepulturæ electæ, Parocho non interveniente, ac prædicti Regulares eadem cadavera sepulturæ tradere? Et an Parochus in funeralibus dictorum defunctorum majorem eleemosynam solito prætendere possit?*

Ad primum. *Sacra Congregatio respondit: quoad tempus humationis cadaverum servandam esse Synodum. Et in reliquis petita, & etiam non obtenta licentia, posse cadavera deponi arbitrio hæredum in qualibet Ecclesia usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepulturæ.*

Ad secundum. *Sacra Congregatio inhærendo aliàs decretis respondit, Regulares debere congregari in illa Ecclesia tertia, ubi cadaver fuit depositum, ut supra.*

Ad tertium. *Sac. Congr. respondit negativè.*

Ad quartum. *Sacr. Congregatio respondit, Regulares non posse cogi ad exeundum à propriis Ecclesiis ad effectum associandi cadavera in ejusdem sepelienda, sed sufficere, quod illa expectent ad januas; quoverò ad intortitia remisit causam ad Judices suos.*

Ad quintum. *Sac. Cong. respondit, Parochum teneri associare cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda; Quoverò ad ingressum Parochi cum Stola, & Cruce, distulit resolutionem: eam videas inferiùs n. 3.*

Ad sextum. *Sac. Congreg. respondit, vocato Parocho, & ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc Regularibus licere absque Parocho deferre cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda; quoverò ad emolumenta per Parochum prætensa, nihil dandum ultra solitum. Et ita denuò declaravit, & servari mandavit. Hac die 13. Julii 1675.* Lant. *cit. in suppl.*

2 Quibus deinde accessit alia Sac. Congregationis Episc. & Regul. declaratio; quæ dubio, an Parochus unius Diœcesis possit aliquam partem ceræ, & pecuniarum ab hæredibus defuncti prætendere, dum occasione deferendi cadaver ad Ecclesias Regularuim alterius Diœcesis, sit necessariò per ejus Parochiam transeundum, prout infra respondit: *Sac. Congr. &c. censuit dandas esse declarationes aliàs factas, nempe curatum unius Diœcesis (quacumque sit) in transitu cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia Diœcesi, transeundo per propriam Parochiam, & jurisdictionem, non posse aliquam partem ceræ, & pecuniarum ab hæredibus defuncti prætendere: itidem proprium Parochum defuncti transeundo per Parochiam unius Parochi, alterius cujuscunque Diœcesis, ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad Ecclesiam Regularium, posse liberè, & licitè per eandem cum stola, & Cruce elevata transire, etiam irrequisito Parocho: quas quidem declarationes in casu, de quo agitur, fideliter observari mandat, & præcipit eadem S.C. Romæ die 15. Novembris 1675.*

3 In associatione cadaverum ad Ecclesias Regularium vocari non debent cum

Pa-

Parocho cæteri de Capitulo, ex recenti responso Sac. Congreg. Rituum *in una Vaden. ad dubia eidem proposita*, ut sequitur. *Prætendentibus Parochis, seu Mansionariis Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Vaden. in associatione defunctorum, qui sepulturam sibi eligunt, sive alio quovis modo in Ecclesia Regularium sunt tumulandi, ab eorumdem hæredibus, unà cum proprio Parocho defuncti, omnes esse invitandos: Ecclesias Regularium ingredi cum Stola, & Cruce: ibique functiones, & officium circa cadaver peragere: ac insuper pinguiorem eleemosynam pro associandis, seu tumulandis Forensium, seu exterorum cadaveribus in Ecclesiis prædictis Regularium, quàm à civibus, posse exigere, si in ipsis Parochialibus sepelirentur. Deducta coram Reverendissimo Episcopo Vaden. controversia, & ab eo post quamplurimas comparitiones pro declaratione ad Sac. Rituum Congregationem remissa: Exinde Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali de Noris commissa, & ab eodem propositis infrascriptis dubiis, videlicet.*

I. *An in associatione cadaverum ad Ecclesias Regulares sint vocandi omnes Mansionarii, præter Parochum?*

II. *An Parochus ingredi possit Ecclesias Regularium cum Stola, & Cruce, ibique officium, & functiones peragere?*

III. *An liceat Parocho exigere majorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesiis Regularium, quàm a civibus?*

Sac. eadem Rituum Congregatio, utraque parte, tam in voce, quàm in scriptis, priùs audita, negativè in omnibus respondit, & ita declaravit, & servari mandavit. Die 2. Augusti 1698.

4 A Parochis nequeunt hæredes defunctorum cogi, & compelli, ut, si duodecim V.G. Fratres vocant ad associandum cadaver, totidem omninò pares numero Clericos sæculares vocare debeant, ut in terminis expresè respondit S.C.C. *in una Papien. die 27. Decembris 1665.* nisi præfatis Parochis immemorabilis, coram Judice legitimè probanda, assistat: Panimoll. *alleg. decis. 5. adnot. 3. num. 79.* A quo *decis. 1. adnot. 10. num. 20.* refertur Sac. C. Episc., & Regul. in una Placentina *sub die 16. Decembr. 1661.* dubio: *se possano quei, che fanno li mortorj, & esequie, dar maggior quantità di Candele, e cera à detti Monaci* (controversia erat inter Clerum sæcularem Placentiæ, & Monachos Cassinenses) *di quello, che diano al Parocho, ò Parochi, & al Clero secolare*, per hæc satisfecisse: *Circa secundum censuit, declaravit, & decrevit, distributionem candelarum quoad differentiam quantitatis pendere ab arbitrio hæredum, aut aliorum distribui mandantium.*

Amplia, ut neque Parochis pro associandis cadaveribus eorum qui repentina, vel violenta morte decedunt, liceat exigere majus emolumentum eo, quod exigi, seu præstari solet ab eo, qui testamentum condidit, juxta disposita à Sac. Congreg. Conc. *die 24. Augusti 1669. lib. 26. decret. fol. 283.*

5 Ponderabis, esse quoque Parochis prohibitum peragere in Ecclesiis Regularium officia, & funerales functiones supra corpus defuncti, quod in eisdem tumulatur, & esse à Regularibus peragenda, privativè quoad alios, legitur à Sacr. Congreg. Episc. & Regul. dispositum, & à Clemente X. confirmatum, *Constit. 57. Bullar. tom. 5. ut infrà.*

„ Nuper pro parte dilicti filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratr. Min. S. Francisci, de Observantia nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sac. Rom. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, exposito, quòd eadem Congregatio die 16. Decembr. 1661. super controversiis, quæ inter Parochos Civitatis Placentin., & Monachos Monasterii S. Sixti, Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti, occasione funerum erant exortæ, inter alia decreverat, servanda esse decreta, & declarationes aliàs factas, scilicet, Parochis in associatione, seu occasione associationis cadaverum non licere ingredi Ecclesiam Monachorum prædictorum, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Ecclesiarum; ibique solùm posse benedicere, & dare ultimum vale; officia verò, & munia, quæ in hujusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Monachis peragi debere, non autem à Parochis; atque ita in præmissis omnibus deinceps fieri, & executioni mandari

„ præ-

,, præceperat. Et in eadem expositione subjuncto, quòd eædem rationes militarent ad favorem dicti Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, ideòque supplicato, ut Congregatio præfata resolutionem, sive decisionem hujusmodi extenderet ad associationem, per Parochos fieri solitam, cadaverum defunctorum, quæ in Ecclesiis Fratrum hujus Ordinis sepeliuntur; idque ad tollendas controversias, quæ in aliquibus Parochiis ea occasione inter Parochos, & Fratres Ordinis hujusmodi nascuntur non sine scandalo, & fraternæ, ac Christianæ charitatis detrimento, emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

,, Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, censuit, Oratoribus dandam esse infrascriptam Declarationem, aliàs editam, nempè: Parochis in associatione, sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi Ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Ecclesiarum, ibique solùm posse benedicere, & dare ultimum vale; Officia verò, & alia munia, quæ in hujusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem à Parochis: atque ita in præmissis omninò deinceps fieri, & exequi præsentium vigore mandat, & præcipit: contrariis quibuscumque non obstan. Romæ 27. Novembris 1671. Deinde sequitur *approbatio Decreti cum clausulis solitis* 28. *Januarii* 1672.

6 Aliud ab eodem Clemente *ibidem const. la* 58. approbatur ejusdem Sac. Congreg. Decretum, quo Parochis, cæterisque Clericis, & Presbyteris sæcularibus committitur, præcipitur, inhibeturque, nè majorem eleemosynam ab hæredibus Defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium sepeliuntur, exigant, quàm acciperent, si in Parochiali, vel alia Cleri sæcularis Ecclesia sepelirentur: ut sic removeatur, quidquid posset retardare, & de indirecto impedire libertatem Sæcularium in eligenda sepultura in Ecclesiis Regularium: ut infra.

» Alias pro parte tunc existentis Commissarii curiæ Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, supplicato, ut prohiberetur Parochis, & Clericis Terræ de Leveranno Brundusin. Diœcesis, omnibusque aliis Parochis, & Presbyteris, ne auderent accipere majorem eleemosynam pro defunctis, qui sepelirentur in Ecclesiis dictorum Fratrum, quàm accipiebant pro iis, qui in ipsorum Parochorum, & Presbyterorum sæcularium Ecclesiis sepeliebantur. Emanavit die 7. Decembris 1640. ab eadem Congregatione Decretum tenoris sequentis, videlicet.

» Sacra Congreg. Eminentissimorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad tollendas indebitas exactiones, quæ, ut proponitur, in tumulandis defunctorum corporibus fieri solent, censuit injungendum, prout præsentis decreti tenore injunxit Archiepiscopo Brundusino, cæterisque locorum Ordinariis, nè permittant, ut Parochi, aliique de Clero sæculari, majorem posthac eleemosynam sibi attribui faciant ab hæredibus defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium prædictorum sepulturam sibi elegerint, quàm percipere possent, si in Parochiali, seu alia ipsius Cleri sæcularis Ecclesia sepeliri voluissent, contrariis quibuscumque non obstantibus &c. *die* 7. *Decemb.* 1640. Et subindè, cum tunc existentes Fratres Provinciæ Dalmatiæ dicti Ordinis Congregationi præfatæ exposuissent, functiones funerales defunctorum, quorum cadavera in eorum Ecclesiis sepulturæ mandarentur, facere ad eos, non autem ad Parochos spectare; Congregatio præfata *die* 31. *Augusti* 1657. aliud decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet.

» Sacra Congregatio Eminentissimorum S. Rom. Eccl. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, juxta aliàs resoluta, censuit functiones funeralium super cadavera defunctorum,

,, quæ

„ quæ in Ecclesiis Regularium contingit sepeliri, *postquàm ad easdem Ecclesias pervenerint*, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere, ac proinde ita in Oratorum Ecclesiis circa præmissa servandum esse, prout servari mandat, & præcipit, contrariis non obstantibus quibuscumque, *die* 13. *Aug.* 1658. Sequitur approbatio Decreti cum consuetis clausulis. 18. *Januar.* 1672.

7 Regulares nequeunt Religiosum in Conventu defunctum sine consensu Parochi deferre per vicos, plateas, & Parochias prout declaravit. S. Congr. Conc. *ad* 11. *in una Bonien. sup. cap.* 7. *n.* 2. Prohibentur enim, ut etiam notavit Donat. *prax. regul: tom.* 1. *part.* 2. *qu.* 81. & dicam *cap.* 40. Episcopo, vel Parocho irrequisitis, extra clausuram Conventuum Processiones in pompa Ecclesiæ, & Cruce erecta, facere; nam hæc actum jurisdictionis continent, ita proprio adhærentem Territorio, ut in alieno exerceri non possint, nisi consentiat loci patronus: *arg. ex cap. ut animarum de Const. in 6. & cap. novit. de offic. legat.*

Ad proprium tamen Conventum eis, etiam Parocho inconsulto, licet, & deferre de nocte possunt Religiosorum corpora, qui in domibus consanguineorum, vel alibi extra Monasterium decedunt, prout in terminis ipsa Sac. C. C. *in alleg. Bononien. ad* 10.

8 Ad Parochum spectat declarare viam, per quam deferatur cadaver sepeliendum in Ecclesia Regularium, prout in sequenti: S. R. C. *inhærendo declarationi hac eadem die factæ in Savonen. & aliis, defunctorum corpora in Ecclesiis Regularium tumulanda, esse deferenda certo tramite, & per viam à Parocho declarandum, ad Ecclesiam ipsorum Regularium, non autem prius ad Parochialem; declaravit ulterius servandum esse, etiam hæredibus defunctorum contradicentibus, & ad d. Parochialem prius deferri volentibus*, 19. *Decembris* 1671.

9 In funeralibus unica tantùm Crux defertur illius Ecclesiæ, ad quam corpus defertur, S.C.Rit.in Baren. 29. Julii 1676. *Nicol. Flos. ver. sepult. num.* 13. & alibi sæpè: nisi interveniat Capitulum Cathedralis, cujus Crux defertur, sub qua omnes associantes funus incedere debent. Et magis præcisè eadem Sac. Congr. Rituum in *Fossanen.* 21. *Julii* 1645. cujus Decretum est tenoris sequentis: *Episcopus duobus dubiis humiliter petiit responderi.* Primò, an servandum sit Decretum ab ipso factum, quòd ad funera vocatis non liceat expectare defunctum per vias, vel illius domum petere, sed quòd debeant interveuire ad Ecclesiam Parochialem, ad quam funus defertur, vel ad Cathedralem, si Cathedralis capitulariter interveniat, consuetudine immemorabili in contrarium non obstante. Secundò, an cum Cathedralis, & Parochi soleant deferre singuli suas Cruces, ac vexilla Confraternitatum in suis Ecclesiis respectivè existentium, ut captent duos cereos pro singulis Crucibus, & vexillis, possit idem Orator præcipere, ut Clerus sæcularis totus incedat sub unica Cruce, Cathedralis videlicet quando capitulariter, alias Parochialis, ad quam funus defertur, remotis hujusmodi vexillis, etiam Regularium, prædicta consuetudine non obstante?

Sac. Ritum Congr. *ad primum respondit. tam Sæculares, quam Regulares, etiam exemptos, ad funera mortuorum vocatos in Ecclesiam Cathedralem, aliàs in Parochialem, ad quam funus deferatur, convenire debere, & nullo modo permittendum, quòd expectent per vias, vel adeant domum defuncti, consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstante.*

Ad secundum, sub unica Cruce incedere debere omnes associantes funus, & ea sit illius Ecclesiæ, ad quam corpus defertur sepeliendum, nisi intervenerit ut supra Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ, quo casu sub una duarum respectivè Cruce omnes incedere debent; prædicta consuetudine non obstante. Die 21. *Julii* 1645. Ita reperitur &c. Quod decretum confirmavit postea eadem Congr. *in Aretina de anno* 1664. *inter Monachos Cassinenses, & Capitulum Cathedralis, & denuo inter easdem partes* 22. *Decembris* 1697. *in responsione ad primum*, Monacell. *form. p.* 1. *tit.* 5. *form.* 7. *n.* 38.

10 Non potest Capitulum non invitatum intervenire funeralibus, invitis hæredibus, nec expensas funerum pro qualitate personarum defunctarum præscribere, ut decrevit S. C. Conc. Quæ *die* 16. *Junii* 1668. *audita relatione Episcopi Lavellen. inhærendo declarationi ejusdem S. Congr. in Matheranen. sub die* 13. *Novembr.* 1660. *ema-*

emanata, censuit non posse funeralibus, invitis hæredibus, interesse, nec licere taxam ad suum libitum facere: sed eidem Episcopo injungendum, prout injungit, ut, auditis partibus, taxam conficiat, eamque S. Congregationi probandam transmittat. Instantia fuit Sacræ Congr. proposita à communitate Lavellen. Monacell. *form. part. 2. form. 1. tit. 13.*

11 Capitulum Cathedralis gaudet prærogativa, ut omnes funus associantes incedant sub sua Cruce usque ad Ecclesiam tumulantem inclusivè: at post ingressum in Ecclesiam non potest cum Cruce funeri assistere, maximè, si Ecclesia sit Regularium, sed adhibenda est Crux Ecclesiæ tumulantis: ut respondit S. R. C. in *Aretina 13. Julii 1697.* in qua, proposito dubio: *An in associatione cadaverum sepeliendorum in Ecclesiis quorumcumque Regularium, & præcipuè Cassinensium, liceat Capitulo, & Canonicis Cathedralis ad associationem invitatis Ecclesiam eorundem Regularium ingredi cum Cappa, & Rocchetto, & in eadem sic assistere usque ad humationem cadaveris, sola Cruce d. Capituli erecta, & non alia.* S. C. respondit: *Affirmativè, ita tamen, ut in absolutione funeris sola adhibeatur Crux Ecclesiæ tumulantis,* Monacell. *form. p. 1. for. 7. tit. 5. n. 39.*

12 Super erectione Crucis Confraternitatum, & ad sedandas lites, & controversias inter eas, & Parochos Urbis, extant responsa S. C. C. ut infra.

Cùm multis ab hinc annis ortæ fuissent controversiæ inter RR. Parochos, & Ven. Societates Urbis, occasione Processionum funeralium, & partes habuissent recursum ad Sacram Congregationem Concilii, hæc dubiis tunc porrectis dedit infrascriptas resolutiones, videlicet:

Primò. *An Archiconfraternitas possit in funeralium Processionibus erigere suam Crucem, quando defuncti tumulandi deferuntur ad ipsius Ecclesiam, in qua sepulturam elegerunt.*

Secundò. *An eadem Confraternitas possit suam Crucem erigere, tam per viam, quam in Ecclesia Parochiali, quando est invitata ad associandum cadaver, sepeliendum in ipsa Ecclesia Parochiali.*

Tertiò. *An Capellanus ejusdem Archiconfraternitatis indutus Cotta, & Stola possit, post absolutum à Parocho Officium funeris, in Ecclesia Parochiali unà cum Confratribus canere Psalmos* Miserere, & Deprofundis, *cum aspersione aquæ Benedictæ?*

Quartò. *An possit Parochus Officium funeris peragere in Ecclesia Archiconfraternitatis super cadavere defuncti in eadem Ecclesia tumulandi, etiam si sit Parochus, intra limites cujus Parochiæ Ecclesia Archiconfraternitatis est?*

Ad Primum. *Præcedat Confraternitas, deinde Crux ejusdem Ecclesiæ, deferenda per Clericum ipsius: postea sequatur Clerus Regularis, & tandem Sæcularis.*

Ad secundum. *Negativè, tam in Ecclesiis, quàm in Processionibus funeralibus, præsente Parocho.*

Ad Tertium, & Quartum. *Negativè.*

Quorum observantiam præcepit Eminentissimus Urbis Vicarius Gaspar Card. Carpineus. *Die.. Anno 1698. apud Impressorem Cameralem.*

13 Novissima dubia & responsa Sac. C. C. *in una Novarien. funerum, & jurisdictionis.*

Primò. An cadavera impuberum oppidi Varalli debeant ex aliqua speciali consuetudine sepeliri in sepultura designata existente in Ecclesia Parochiali; vel potiùs licitum sit parentibus, tam antè quàm post mortem illorum ea tumulare facere in proprio sepulchro majorum in Ecclesia PP. Reformatorum existente? Et quatenùs affirmativè quoad secundam partem.

Secundò. An dicta cadavera deferri possint ad dictum sepulchrum majorum absque associatione Parochorum, & Cleri sæcularis post eorum monitionem ad interveniendum funeri, & recusantium?

Tertiò. An, Parochis intervenientibus, sive associatis, sive non ab aliis Concanonicis ejusdem Parochiæ, distribui debeat candela maior illa, quæ datur Superiori Regularium, associato ab aliis Fratribus?

Quartò. An dicta cadavera deferri valeant ad Ecclesiam quacumque hora diei: & an de nocte absque expressa licentia Ordinarii?

Quintò. An Parochi sub aliqua, & quacumque prætentione possint differre, vel impedire, ne tempore debito cadavera ad sepeliendum deferantur? Et quatenùs negativè.

Sextò. An Parochis impedientibus, lici-

licitum sit hæredi post expectatum triduum à morte defuncti ducere funus, etiam de nocte, ad Ecclesiam, in qua Cadaver est sepeliendum?

Septimò. An Parochi cogere possint hæredes ad peragendum in Ecclesia Parochiali omnes functiones Missæ solemnis, accensis luminibus in singulis Altaribus, & Anniversariorum, quæ fiunt in Ecclesia Reformatorum occasione funerum?

Octavò. An dicti Parochi possint cogere hæredes, ut celebrare faciant Missas pro defuncto singulis Sacerdotibus sæcularibus funus associantibus?

Nonò. An in prætensa associatione cadaverum sint per hæredem defuncti in æquali numero convocandi tot Sacerdotes sæculares, quot convocantur Fratres Reformati.

Decimò. An in casu, de quo agitur, Episcopus Novariensis habuerit jurisdictionem in supradictos Fratres Reformatos, prætensos delinquentes extra Claustra, seu turbantes jura Parochorum.

Undecimò. An Interdictum de quo agitur, sustineatur in casu &c.

Die xv. Martii 1704. *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum: Ad primum respondit negativè quoad primam partem, affirmativè quoad secundam. Ad secundum affirmativè. Ad tertium negativè. Ad quartum affirmativè, ante tamen Solis ortum: & de nocte negativè; nisi de licentia Episcopi. Ad quintum negativè. Ad sextum affirmativè, præterquam ante Solis ortum, & de nocte. Ad septimum, octavum, nonum, decimum, & undecimum, negativè respondit.*

Omnes tandem sciant, ex *cap. Abolendæ de sepulturis*, nullo modo esse licitum, sed contra Christianæ pietatis officium, & rem per Ordinarios castigandam, propter exactionem pecuniarum, seu mortuaria non soluta, defunctorum cadavera inhumata relinquere.

14 Circa hujusmodi materiam attendenda sunt decreta, etiam novissimè edita a Sac. Congr. Episcop. in nullius, seu Aquinaten. juris sepeliendi. In qua ad infrascripta dubia.

1 *An in associatione Cadaveris ad propriam Ecclesiam Regulares possint incedere sub propria Cruce, vel potiùs teneantur incedere sub illa Ecclesiæ Parochialis Collegiatæ?*

2 *An possit Capitulum ejusdem Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ cum Stola, & Cruce ingredi Ecclesiam dictorum Patrum, in eaque functiones aliquas facere circa Cadaver, antequam sepulturæ tradatur; seu potiùs debeat tantùm dare ultimum* Vale? *& quatenus affirmativè quoad secundam partem.*

3 *An dictum ultimum* Vale *consistat in simplici benedictione Cadaveris, recto tramite introducendi in Ecclesiam Regularium; vel potiùs in recitatione alicujus psalmi, vel alterius orationis?*

Sacra &c. 6. *Septembris* 1709. *auditis partibus respondit.*

Ad 1. *Negativè quoad primam partem, & quoad secundam affirmativè in casu, de quo agitur.*

Ad 2. *Negativè quoad primam partem, & quoad secundam affirmativè, quoad ingressum, & ultimum* Vale.

Ad 3. *Ultimum* Vale *consistere in simplici benedictione.*

Quæ benedictio fit aspergendo Cadaver aqua benedicta, dum Ecclesiam ingreditur.

Quantùm ad primum Sacra Congregatio consideravit Parochialem Collegiatam, cui eum honorem exhiberi voluit: & proinde ejus dispositio trahi non potest ad simplicem Parochialem. Sicut in secundo dubio hanc prærogativam Capitulo Parochialis, & Collegiatæ adiudicavit, ut sine stola, & Cruce posset ingredi Ecclesiam Regularium, & in ea dare Cadaveri ultimum *Vale*. Quod pariter ad alios Presbyteros, & Parochos simplicis Parochialis ampliandum non est; sed standum est aliis resolutionibus, prout supra *nu.*3.*ad* 2. & hinc ab istis est ultimum *Vale* dandum Cadaveri extra ianuam Ecclesiæ, & dum in eam defertur.

CAPUT XXI.

Officialis quoad Festos dies.

SUMMARIUM.

1 *Dies Festi ab Episcopis indicti à Regularibus servandi.*
2 *Possunt Regulares dies festos, & jejunia in suis Ecclesiis annunciare.*
3 *Diebus festis opera servilia prohibita.*
4 *Limitatur: & ibi Decretum Sac. Congregat.*
5 *Præter causam est necessarius consensus Episcopi.*
6 *Eodem die duæ Ecclesiæ vicinæ non celebrant idem Festum.*
7 *Festum Sancti Antonii de Padua celebratur eodem die à Patribus Franciscanis.*
8 *Decretum Sacr. Rit. Congregat. super celebratione Missæ, & Officii de Sanctis.*
9 *Ejusdem decretum super translatione Festi SS. Annunciationis.*
10 *Aliud super Festo S. Joseph, occurrente Feria v. majoris Hebdomadæ.*
11 *Vigilia Sanctæ Mathiæ non anticipatur &c.*
12 *Non jejunatur, quando Festivitas Corporis Christi venit in vigilia S. Jo: Baptistæ.*
13 *Communicatio privilegiorum non extenditur ad Officia Sanctorum.*
14 *Agitur de Indultis, quibus conceduntur quædam Officia, vel semel, aut pluries in anno.*
15 *Dubia S. R. Congr. super celebratione Missarum per Sacerdotes sæculares in Ecclesiis Regularium, occurrentibus ipsorum Festis.*
16 *Decreta S. R. C. sunt regula proxima Rituum Ecclesiasticorum.*
17 *Rubricæ pariter sunt ipsorum immediata regula.*
18 *Rubricæ aliæ sunt præceptivæ, aliæ directivæ.*
19 *Color paramentorum non potest ad libitum variari.*

1 Dies festos, quos Episcopi in sua Diœcesi servandos præceperint, deberi etiam à Regularibus observari, statuit Trident. *sess.* 25. *c.* 12. *de Regular.* Super quo S. C. Congr. declarationem edidit, prout in *lib.* 10. *Decret.* ubi censuit *decretum cap.* 12. *ver. dies Festi sess.* 25. *de Regular.* „ ita esse intelligendum, ut Regularium ritus illis diebus Festis semper permaneant „ quoad Missas celebrandas, & cætera Divina Officia, tam publicè, quàm privatim „ ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis „ persolvenda; nec circa hæc ab Episcopis „ quoquomodo in contrarium quidquam „ eisdem Regularibus præcipi posse: quòd si „ de facto præceperint, Regulares neutiquam ipsis Episcopis obedire teneri. Verùm, quoad conciones, & lectiones, „ quas idem Regulares ad populum habuerint, debent se conformare Euangeliis, & Epistolis, quibus Clerus sæcularis „ utitur illis diebus Festis. Peyr. ad Const. „ 27. Leonis X. Piasec. *prax. part.* 2. *cap.* 3. „ *art.* 6. *num.* 47.

2 Possunt Regulares dies Festos, & jejunia in suis Ecclesiis annunciare, prout in terminis firmavit Sac. Congreg. Conc. sub die 2. Julii 1620. quæ interrogata; *An Regulares possint annunciare dies festos, & jejunia in suis Ecclesiis ad Altare in celebratione Missæ? Respondit Regulares non prohiberi dies festos, & jejunia in suis Ecclesiis annunciare.* Imò posse ab Ordinariis obligari, ne Festorum, & jejuniorum ignorantia Fideles transgrediantur præcepta Ecclesiæ, tradit Roderico *qq. regular. tom.* 1. *quæst.* 43. *art.* 7.

3 In diebus Festis quodcumque opus servile prohibetur, de quo fusiùs Summistæ Layman. *lib.* 5. *Tractat.* 7. *cap.* 2. Quilici *Confessar. manuduct. quæst.* 15. *ar.* 3. *num.* 3. Engel. *Colleg. Jur. Canon. lib.* 2 *tit.* 9. *§.* 2. *num.* 9. Habetur *cap. Licèt de Feriis*: & expressè B. Pius V. in *tom.* 1. *Bullar. Const.* Cum primùm *la* 5. § 7. ut infra disposuit. „ Cum verò dierum festorum observatio „ ad Dei cultum maximè pertineat, & in „ lege Divina præcipiatur, cupientes abusus pravos, qui ex eorum inobservantia „ invaluerunt; omninò corrigere, & antiquorum Canonum statuta renovantes „ mandamus, ut dies Dominici, & præcipuè in honorem Dei, B. Mariæ Virginis, & SS. Apostolorum feriati, cum omni veneratione observentur: & omnes „ in diebus præfatis Ecclesias frequentent, „ divinis officiis devotè intendant, ab omni

„ ni illicito, & servili opere abstineant ? „ mercatus non fiant; profanæ negotiatio- „ nes, & judiciorum strepitus conquie- „ scant. Qui verò in diebus præfatis opus „ aliquod illicitum fecisse deprehensus fue- „ rit, præter Divinam ultionem, & amis- „ sionem animalium, quibus ad vecturam „ utetur, etiam graves pœnas incurret ar- „ bitrio Nostro, seu Vicarii nostri in Ur- „ be; in aliis autem locis arbitrio Ordina- „ riorum &c.

4 Ex causa tamen necessitatis licet, etiam diebus festivis, quædam opera servilia peragere; ut præallegati tradunt, & legitur *allegat cap. licet*, *& cap. Conquestu*, ibidem, necessitati causa pietatis adjicitur, prout ex Piasec. *allegat. c.* 3. *art.* 3. *num.* 23. „ Sac. Congreg. Rituum censuit licere die- „ bus festis dare operam rebus ad victum „ necessariis, ac tempore perituris; præ- „ sertim tempore vindemiarum, & mes- „ sium, ac recollectionis fructuum, vel, „ ubi necessitas urgeat, aut suadeat pietas. „ Cæterùm, quoniam verendum est, nè „ privatis affectibus, domesticarumque „ rerum studio aliqui eò perducantur, ut „ hac Sacrorum Canonum indulgentia in „ aliis etiam casibus abutantur, iidem Pa- „ tres Illustrissimi adijciunt, ad Ordinarii „ cujuscumque iudicium, ac censuram per- „ tinere, ut dignoscat, num verè ulla ex „ causis suprascriptis subsit, propter quam „ liceat diebus festis rebus servilibus vaca- „ re: ut nec dierum festorum observantia „ ulla in re violetur, nec opera illis die- „ bus summa cum ratione permissa impe- „ diantur.

5 Unde præter causam necessitatis, & pietatis debet quoque accedere consensus Episcopi; ut etiam docuit Sylvester *Summ. verb. Dominica quærit.* 5. enumerans casus, pro quibus, vel urgeat necessitas, vel suadeat pietas; vide Engel. citat. à *num.* 13.

6 Cùm in eodem loco nova erigitur Ecclesia, (vel si sit antiqua, illa non solebat) non potest die, qua alia eiusdem loci, sive sit sęcularis, sive Regularis, celebrat aliquod Festum, idem & ipsa celebrare, sed debet in aliam diem protrahere; interim non retardata manutentione illi, quæ est antiquior in celebratione? quemadmodum Nicol. *flos. ver. festum n.* 5. refert resolutum a S. Congreg. Episcop. Regul. in una Messanen. 19. Martii 1581. & in Sabinen. 20. Novembris 1684. his verbis: *Non debet eadem die celebrari Festum in duabus Ecclesiis vicinis, sed moderna debet eligere alium diem*; & in simili habetur decisio Sac. Rit. Congr. quæ, in controversia vertente inter PP. SS. Vincentii, & Anastasii in Trivio (quibus per speciale breve Innocentius XII. concesserat, ut in feria secunda cuiuslibet hebdomadæ publicè adorandum exponerent, Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum) & PP. SS. XII. Apostolorum de Urbe, qui sub eadem die in propria Ecclesia eamdem functionem explent, sub die 13. Junii 1697. censuit, *consulendum Sanctissimo pro translatione Indulgentiæ ad feriam quartam, addita perpetuitate: & facta relatione Sanctitas sua benignè annuit, & translationem Indulgentiæ approbavit.*

7 Festum S. Antonii de Padua ex declaratione Sacr. Congr. Episcop. & Regul. potest ipso solemnitatis die celebrari; tum à PP. de Corpore Observantiæ, tum Conventualibus, prout infra. „ Sacra &c. at- „ tentis narratis, auditisque partibus super „ hinc inde allegatis, censuit licere, tam „ Fratribus Minor. Conventualibus; quàm „ Observantibus Reformatis S. Francisci „ in propriis suorum Ordinum Ecclesiis „ solemnizare Festum S. Antonii de Pata- „ vio Confesoris, ea ipsa die, in quam in- „ ciderit: modò tamen Reformati a Proces- „ sionibus abstineant; decretis, seu litteris „ eiusdem S. Congreg. aliàs circa pręmissa „ emanatis, & reliquis in contrarium de- „ ductis, minimè obstantibus. Romæ 20. „ Septembris 1658. ut in regesto eiusdem „ Sacræ Congregat. Lantusc. *ver. festum à* „ *num.* 3.

8 Missæ celebrantur, & Officia recitantur de Sanctis in Martyrologio descriptis ad formam sequentis Decreti.

Decretum Generale. „ Cùm S. Rituum „ Congregationi innotuerit, quamplures „ abusus irrepsisse circa recitationem Offi- „ cii, sub prætextu decreti ab eadem Con- „ gregatione evulgati de anno 1630. & in „ Breviario Romano impressi, in quo per- „ mittitur posse in Ecclesia recitari Officia „ & Missas celebrari de illis Sanctis, quo- „ rum Corpora, aut Reliquiæ insignes in „ ea asservantur: Eminentissimi Patres, „ eidem Sacr. Congreg. Præpositi, iisdem „ abusibus evellendis præcipuè intenti

„ inhærendo decretis, aliàs in similibus „ editis, declararunt prædicta Officia Sanctorum, ratione Corporis, seu insignis „ Reliquiæ, recitanda, intelligi debere de „ Sanctis, dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis; de cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus à Sancta Sede non „ fuerit specialiter concessum, Officia recitari, & Missas celebrari, vetuerunt: „ non obstante, quòd ipsorum Corpora, „ vel insignes Reliquiæ in Ecclesiis asserventur. Quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debitam fidelium venerationem (prout hactenus servatum „ est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio, & Missa, sub pœnis de non „ satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Const. Pii V. contentis. „ Die 11. Augusti 1691.

„ Et facta de prædictis Sanctissimo per „ me Secret. relatione, Sanctitas Sua hujusmodi Decretum approbavit, ac ut debitæ exequutioni demandetur locorum „ Ordinariis injungendum esse præcepit. „ Die 19. Octobris ejusdem anni.

9 Occurrente Annunciatione Sabbato Sancto, *Festum unà cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus transfertur ad Feriam 2. post Dominicam in Albis. Celebratio Missarum eo die prohibetur; sed unicam Missam Conventualem unà cum officio ejusdem Sabbati Sancti esse celebrandam præcepti S. Congr. Rit.* die 11. Februarii 1690. approbante Alex. VIII. 12. ejusdem mensis, & anni.

Et idem servandum, si contingat in feria 6. Parasceve: & in d. feria 2. & eodem Ritu est celebrandum quoad Officium, & missam, quo in Calendario apponitur die 25. Martii: eadem Congr. 11. Martii 1690. SS. item approbante.

Subinde posita d. translatione decrevit, ut infra.

„ Etsi secundum regulas Breviarii Romani, cum plura festa, æqualia in ritu „ transferenda sunt, unum ante aliud transferri debeat eo ordine, quo erant celebranda propriis diebus; attamen quia anno 1690. ab hac Sacrorum Rituum Congreg. approbante, & mandante fel. rec. „ Alexandro Papa VIII. specialis prærogativa concessa fuit translationi festi Annunciationis B. Mariæ Virginis Matris „ Dei. incidentis in feriam sextam Parasceve; vel Sabbatum Sanctum: idcircò eadem S. Rituum Congregatio istiusmodi „ novis decretis inhærens, ob specialem reverentiam Dominicæ Incarnationis speciali hoc privilegio decorandum censuit „ idem festum Annunciationis, nimirum, „ ut quotiescumque post hac contigerit festum prædictum, etiam quoad solum Officium, post Octavas Paschæ, transferri, „ in eodem cæteris semper Festis æqualis „ ritus præponatur, licèt temporis ordine „ illis sit in Kalendario posterius: & ita servari mandavit die 14. Junii 1692.

10 Occurrente festo S. Josephi feria v. majoris hebdomadæ plures Missæ currentis Officii ipsa die celebrantur, & solùm quoad Chorum, seu Officium transfertur festum Sancti, non quoad forum, ut itidem eadem Congr. firmavit.

„ Cùm anno proximè venturo occurrat „ festam S. Josephi in feria v. Maioris hebdomadæ, extortum fuit dubium, attenta „ universali consuetudine Ecclesiæ celebrandi eo die unam tantùm Missam, an „ unà cum Officio ipsius S. Josephi transferri debeat anno prædicto, etiam obligatio audiendi Missam, ac vacandi ab operibus servilibus? Dubioque hujusmodi in „ Sacrorum Rituum Congregatione proposito; eadem Congregatio ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Albani, re maturè discussa, censuit „ Officium transferendum esse ad aliam „ diem, juxta rubricas Breviarii Romani, „ & decreta ipsius Congregationis; cæterùm pæceptum audiendi Missam, & vacandi ab operibus prædictis non esse „ transferendum, sed servandum esse prędicta feria v. majoris hebdomadæ: adeòque „ per Ordinarios locorum accuratè providendum ut eo die aliquæ quidem Missæ „ privatæ, ante celebrationem solitæ Missæ „ Conventualis celebrandæ, pro præcepti adimplemento non desint: sed tamen propterea antiquus mos Communionis Clerici in Missa solemni ejus diei, „ quo Ecclesia SS. Eucharistiæ Sacramenti „ institutionem, & memoriam recolit, „ summa religione hactenus detentus, „ nullatenùs omittatur; & ita declaravit, „ ac decretum huiusmodi publicari, & „ imprimi mandavit. Die 13. Septembris „ 1692.

11 Non

11 Non anticipatur vigilia S. Mathiæ Apostoli, licèt occurrat ultimo die baccanalium, prout infra.

„ Quæsitum fuit à Sacrorum Rituum „ Congreg. declarari; An vigilia S.Mathiæ „ Apostoli, occurrens hoc anno in feria „ tertia post Dominicam Quinquagesimæ, „ possit ratione carnis privii anticipari „ cum ieiunio? Et eadem S. Cong. respon„ dit negativè, & jeiunium prædicta feria „ tertia omninò servandum. Die 23. Ja„ nuarii 1694.

12 Nec in die Corporis Christi est ieiunandum, si incidat in vigilia S. Joannis Baptistæ, sed anticipandum est ieiunium die antecedenti, feria nimirum quarta, prout ieiunatur in ipsa vigilia, ex decreto Sac.Rituum Cong. edito die 24. Septembris 1638. & Const. Urbani VIII. *Bullar. Cùm evenire la* 154. *tom.* 4.

13 Communicatio amplissima privilegiorum unius Religionis alteri facta non se extendit ad officia Sanctorum, prout S. C. Rituum 10. Decembris 1679. firmavit ad dubia eidem proposita à Ministro Generali Ordinis Minorum de Observantia, prout sequitur.

„ I. An communicatio, etiam am„ plissima, privilegiorum unius Religio„ nis alteri facta se extendat ad officia San„ ctorum.

„ II. An facultas recitandi officium de „ aliquo Sancto concessa specialiter Mino„ ribus Conventualibus, vel Capuccinis, „ vel Fratribus Tertii Ordinis S. Francisci; „ vel Monialibus S. Claræ, S. Elisabeth, „ Conceptionis, Annunciationis; se exten„ dat ad Fratres Minores de corpore Ob„ servantiæ, sive de Familia, sive Reforma„ ti, sive Excalceati, sive Recollecti dican„ tur, itaut isti illa licitè uti possint?

„ III. An facultas recitandi officium con„ cessa specialiter Fratribus Minoribus Re„ formatis Italiæ, sub hoc nomine se exten„ dat ad Observantes de Familia, vel Ex„ calceatos Hispaniæ, vel Recollectos „ Galliæ, & è converso?

„ IV. An eadem facultas, concessa spe„ cialiter Fratribus Minoribus de Observ. „ Familiæ Cismontanæ, se extendat ad Fra„ tres ejusdem Ordinis Familiæ Ultramon„ tanæ?

„ V. An facultas recitandi aliquod offi„ cium concessa specialiter alicui Provin„ ciæ, se extendat ad alias Provincias ejus„ dem Ordinis, & Instituti; aut concessa „ specialiter alicui Conventui, se extendat „ ad alios Conventus eiusdem Ordinis, vel „ saltem eiusdem Provinciæ?

„ Sacra Congregatio respondit ad om„ nia, esse intelligendum cum moderatio„ ne: & ita declaravit; & prædicta omnia „ ab omnibus Fratribus Regularis Obser„ vantiæ, non solùm de Familia, sed etiam „ Reformatis, Discalceatis, Recollectis „ aut alio quovis nomine nuncupatis, ser„ vari mandavit sub pœnis arbitrio præfati „ Ministri Generalis, eiusque Successo„ rum pro tempore imponendis contra in„ obedientes; non obstantibus quibus„ cumque &c.

Moderatio fortè continetur in dictione *specialiter*; quæ certè exprimit concessiones uni specificè factas ad alios non extendi; & facit, quòd generalis communicatio privilegiorum non trahitur ad ea, in quibus specialiter est provisum, prout tradit Rota in Ulyssiponen. 11. Septembris 1637. coram Rojas *decis.* 618. *num.* 17. *tom.* 2. *part.* 5. *dec. recent.*

14 Hìc notandum est, quòd Congregationes, Religiones, sive Ecclesiæ, vel Nationes, quibus concessum fuit à Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadibus, vel mensibus, possint celebrare Officium de Sanctissimo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo duplici, vel semiduplici, non possunt hujusmodi officia facere in diebus Quadragesimæ, Adventus, Vigiliarum quatuor Temporum, etiam si in Indulto de his diebus nulla sit facta specialis mentio, ut novissimè declaravit Sac. Congregat. Rituum in subnexo generali Decreto, ad dubia proposita.

Primum. *An, cùm multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit à Sancta Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadibus, vel mensibus celebrentur varia officia per annum, v. g. de Sanctissimo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo duplici, vel semidupli, liceat ejusmodi officia facere, etiam in diebus Sancta Quadragesimæ, Adventus, Vigiliarum, & Quatuor temporum, eitam si de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus?*

Secundum. *An dies impediti Festo duplici, aut semiduplici pro dictis officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est officium de Festo duplici, vel semiduplici translato, quemadmodum dicitur responsum fuisse olim à Sac. Congregatione: quod scilicet Festum duplex, vel semiduplex, etiam translatum, nec non dies Octavæ, sit dies impeditus respectu talium Officiorum.*

Tertium. *An Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, possint addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, & Confiteor; itemque recitare Officia, & Missas concessas aliis Religionibus?*

Sacrorum Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi D. Card. Colloredo respondit.

Ad primum. *Negativè: & hujusmodi indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor temporum, Vigiliarum, sive cum jejunio, sive absque jejunio, nec in feria secunda Rogationum, nec in alia feria, in qua secundum rubricas sit reponendum officium Dominicæ.*

Ad secundum. *Affirmativè.*

Ad tertium. *Negativè in omnibus.*

Et ita declaravit, ac servari voluit. Ac insuper, ut declarationes, seu decreta prædicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit. Die 20. Martii 1706.

15 An autem Sacerdotes sæculares possint in Regularium Ecclesiis, recurrente die Dominico, vel Festo, Missam celebrare de eorum Sanctis, & se uniformare eorum ritui, quamvis officium proprii kalendarii non concordet. Responsio habetur ex resolutis ab eadem Sac. Rit. Congregat. à qua PP. Tertii Ordin. Sancti Francisci petierunt.

I. *An diebus Dominicis, aliisque diebus, quibus in ipsorum Ecclesiis celebratur de Sāctis Ordinis sub ritu duplici, Sacerdotibus exteris ad eam confluentibus permitti debeat celebratio de Dominica, vel alio Festo, vel etiam de Requiem? Et quatenùs affirmativè: an in Missa de Dominica, aliisque Festis, debeant Sacerdotes exteri uti paramentis competentibus dictis Dominicis, & Festis: vel possint se conformare paramentis, quibus eisdem diebus utuntur Fratres?*

II. *An Fratres diebus, quibus propria officia celebrant sub ritu duplici, celebrantes in alienis Ecclesiis possint celebrare Missas cum dictis officiis concordantes; vel possint celebrare de aliis conformando se ritui earumdem Ecclesiarum, ac etiam de Requiem? Et quatenùs affirmativè quoad primam partem, quid quoad colores paramentorum?*

III. *An Sacerdotes exteri confluentes ad ipsorum Ecclesias, ut supra, & celebrantes de Sanctis Ordinis, ser. serv. possint in Missis se uniformare cum Fratribus quoad Credo, & quoad numerum Orationum more duplicium?*

IV. *An diebus Dominicis, quibus tam Fratres, quàm exteri celebrant de Dominica, possint exteri uti coloribus paramentorum, quibus utuntur Fratres ratione alicujus Octavæ? & Fratres celebrantes in alienis Ecclesiis uti coloribus juxta ritum earundem? & an, tam exteri in Ecclesiis Fratrum, quàm Fratres in alienis possint apponere Commem. Octavæ ut supra occurrentis, servata rubrica de duplici Oratione habenda in Dominicis infra Octavam?*

V. *An in officio ad Hymn.* Iste confessor *pro SS. Confessoribus, quoties eisdem fixa dies est assignata, recitari debeat* ℣. Meruit beatas scandere sedes, *eo quod revera officium fiat de die obitus? Et quatenùs affirmativè, an eadem regula servanda sit in officiis de Confessoribus translatis, dummodo officium sit de die obitus?*

Ad 1. *Quoad primam partem dubii negativè, quando Festum celebratur cum solemnitate, & concursu populi: & quoad secundam partem jam provisum.*

Ad 2. *Ut ad primam.*

Ad 3. *Posse.*

Ad 4. *Posse.*

Ad 5. *Negativè.* Monacell. *form. par. 2. form. 2. num. 29. tit. 13.*

16 Hic notabis, etiam Decreta S. R. C. esse regulam proximam Rituum, & cæremoniarum, tam agendorum, quàm dicendorum in celebratione Missæ, divinorum Officiorum, & Sacramentorum administratione. Nam hæc Congregatio facultatem habet intrepretandi, & declarandi quæcumque dubia, quæ oriuntur circa Ritus Ecclesiasticos, ut in *Constitut. Sixti V. 74. Bullar. tom. 2.* ad quam ex universo Orbe Christiano recurrunt Ecclesiastici pro negotiis Rituum; & eius responsa maximam habent auctoritatem, & vim legis; ac in omnibus similibus casibus obtinent vim in ter-

terpretationis generalis, ut allegato Bonac. *de leg. disp.*1. *punct.* 8. *prop.*1. dixit Turrinus *director. sacrif. par.* 1. *sect.* 1. *c.* 2. Etenim si vim legis obligantis non haberent, sequeretur, quòd inutiliter fuisset hæc S. Congr. instituta: quilibet enim pro suo libito posset ejus Decreta non observare.

17 Pariter Regula proxima, & immediata Rituum Ecclesiasticorum sunt Rubricæ præscribentes, quid faciendum, & dicendum sit, tum in celebratione Missæ, tum recitatione Officii, tum Sacramentorum administratione; nam Regula aliud non est, quàm mensura, ob quam agens inducitur ad agendum hoc, vel illud, hoc, vel illo modo, vel ad agendum, aut non agendum. Rubricę autem tam Missalis, & Breviarii, quàm Ritualis, sunt hujusmodi mensuræ: ergo sunt regula Sacrorum Rituum.

18 Dividuntur Rubricæ in *præceptivas*, quæ ex genere suo obligant sub mortali, & *directivas*, ad id non obligantes, nisi ex contemptu omittantur. Saperet autem contemptum, si sæpiùs, & ut plurimùm, vel cum scandalo populi negligerentur, ut per Gavant. *ad Rubr. Missal. p.*3. *tit.*11. *num.*13. videndum omninò, qui rem examinat, & discrimen inter eas considerat.

Obligatio Rubricarum innotescere potest, tum ex Constit. B. Pii: *Quod à nobis* 64. *Bullar. to.* 2. edita pro reformatione Breviarii Romani, tum ex alia eiusdem Constitutione: *Quo primum la* 106. *pro reformatione Missalis*, in quibus omnis mutatio, additio, & detractio circa Missam, & Divinum Officium respectivè prohibetur. Et concludentissimè habetur ex Trident. *sess.* 7. *can.*3. *de Sacram.* ibi: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Prælatum mutari posse, anathema sit*; & *sess.* 22. *can.*9. *de Sacrificio.* ibi: *Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse &c. anathema sit.* Unde si Ritus in Sacramentorum administratione mutari, vel omitti non possunt, ideò est, quia præcipiuntur: siquidem si esset de consilio, possent pro libito Ministri omitti, vel mutari, quia consilia non obligant, ut *loc. cit. Turrinus.*

19 Observat Monacellus *ibidem num.*31. quòd color paramentorum non potest ad libitum variari, quia B. Pius mandat, ut Missa celebretur iuxta formam traditam in Rubricis Missalis, prohibendo, ne ulla fiat mutatio, & detractio; ideò, qui in Missis Defunctorum pro colore nigro utitur violaceo absque necessitate, Rubricam offendit in re gravi, & non est immunis à culpa; quemadmodum à culpa non excusatur, qui in Rubricis præceptivis contra eas operatur; nisi excusetur à naturali inadvertentia, & parvitate materiæ, ubi hæc datur.

CAPVT XXII.

Officialis quoad fori Ecclesiastici Privilegium.

SUMMARIUM.

1 *Quid importet privilegium fori Ecclesiastici?*
2 *Usurpantes jurisdictionem Ecclesiasticam ligantur excommunicatione Papæ reservata.*
3 *Clerici gaudent fori privilegio.*
4 *Quis censeatur proprius Episcopus ad effectum, ut coram ipso conveniatur: & de modo sortiendi forum.*
5 *Quivis, sive Clericus, sive Laicus, potest coram Papa conveniri.*
6 *Conditiones ex Trid. ad hoc, ut Clerici in minoribus constituti gaudeant privilegio fori.*
7 *Quid significet Tonsura?*
8 *Judicium, an habitus sit Clericalis, spectat ad Episcopum.*
9 *Clericus beneficiatus incedens sine habitu Clericali privatur ipso facto Beneficio, sed ut privetur privilegio fori, est necessaria declaratoria Judicis.*
10 *An Clericus prima tonsuræ, cui est reservata pensio, gaudeat fori privilegio, si sine habitu incedat?*
11 *Non requiritur pro privilegio fori Beneficium possidere, sed sat est, obtinuisse.*
12 *Non privatur fori privilegio Clericus, qui sine habitu cum armis à Laicis capturatur. Declara.*
13 *Laicus capturans potest ob ignorantiam à censura excusari.*
14 *Quando Laicus debeat Clericum sine*

habitu capturatum remittere ad Judicem Ecclesiasticum? & quibus Clericatus probetur.

15 *Clerici non habentes requisita Trident. sess. 23. c. 6. non conveniuntur coram Judice Laico.*

16 *Judex Laicus detinens Clericum in carceribus incurrit etiam excommunicationem Canonis*, si quis suadente.

17 *Differentia privilegii fori à privilegio Canonis. Et an illud perdens censeatur amittere alterum.*

18 *Requisita, ut Clerici conjugati gaudeant privilegio fori, & Canonis.*

19 *Agitur de Laico post crimen patratum promoto ad Primam tonsuram, an gaudeat privilegio fori?*

20 *An Judex Laicus possit procedere contra concubinam Clerici pro crimine cum Clerico commisso?*

21 *An Clerici portantes arma contra banimenta Judicis Laici possint ab executoribus Curiæ Laicæ armis spoliari?*

22 *Novissima Decreta S. C. Immunitatis edita in materia concernente privilegium fori.*

23 *Ecclesiastici non tenentur ad observantiam Legum Laicalium, nec vi directiva, usque ad 31.*

32 *Onera, & commoda inter Ecclesiasticos, & Laicos compensantur.*

33 *Ecclesiastici non tenentur ad pœnam præfinitam à Laico propter damna illata à Custodibus suorum animalium.*

34 *Privilegio fori quinam protegantur?*

1 AGunt DD. de privilegio fori in *cap. Si quis de for. compet.* Quod aliud non est, quàm exemptio *personæ Ecclesiasticæ ab jurisdictione Laicorum, tam in civilibus, quam in criminalibus*. Nam penes Ecclesiæ Prælatos est jurisdictio propria, ordinaria, & privativè quoad alium Iudicem, in Ecclesiasticas personas, juxta Triden. *sess. 25. c. 20. de reform. c. nullus eod. tit. c. perniciosum de offic. ordin. cap. decernimus de judic.* & alibi sæpè.

2 Contra usurpantes sibi Ecclesiasticam, & in Ecclesiasticos jurisdictionem ac immunitatem eis debitam violantes, censuram excommunicationis pronunciavit Bonifac. VIII. *in c. Quoniam de immunit. in 6.* Quæ est Romano Pontifici reservata in *Can. 15. Bullæ Cœnæ*, quæ quotannis per ejus publicationem innovatur; & inde adversùs eam ignorantia allegari non potest, nec affirmari, quòd in usu non sit.

3 Privilegio fori gaudent Clerici: qui propterea conveniendi sunt coram proprio Episcopo, *c. Si quis Clericus de for. compet.* Ad quem effectum appellatione Episcopi veniunt etiam inferiores Prælati, habentes iurisdictionem quasi Episcopalem ex officio, privilegio, vel consuetudine.

4 Et ad eum finem proprius Episcopus dicitur I. Is, in cuius Diœcesi Clericus conveniendus domicilium, & habitationem habet; nam forus domicilii dicitur verus, & naturalis forus, ex Fagnan. *in 2. ad c. Si quis de foro compet. num.* 10. quæ autem spectent ad essentiam domicilii, videndum *c. Quoad Ordines*.

Secundò. Is in cuius Diœcesi Clericus Beneficium obtinet, etiamsi Beneficium personalem residentiam non exposcat, & Clericus alibi habitet, qui in loco beneficii conveniri debet; sed solùm, dum de beneficio agitur, & in spectantibus ad ipsum, prout decrevit Trid. *sess. 24. c. 11. de ref.* ubi: *Privilegia residentibus in Curia Romana vigore Eugenianæ Constitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere solent: ea in iis, qui beneficia Ecclesiastica obtinent, ratione prædictorum Beneficiorum minimè intelligantur, sed Ordinarii jurisdictioni subjecti permaneant; non obstantibus quibuscumque inhibitionibus.*

Tertiò. Ille, in cuius Diœcesi quis delinquit, vel celebrat contractum, aut fingit celebrare, aut rem litigiosam, vel possessionem habet: sive res sint mobiles, sive immobiles: omnes isti sunt modi speciales, quibus regulariter forum quis sortiri dicitur, *c. Licèt il 2. de foro competent.* Plures alios modos refert Gloss. *ad l. Hæres absens §. proinde ff. de judic.* ibi videndos.

Præter quos admittitur modus generalis sortiendi forum, ratione nimirum communis Patriæ, vel communis Superioris. Et, cùm Roma sit communis Patria, *l. Roma ff. ad municipal.* & Papa sit Iudex ordinarius singulorum, *c. Cuncta per Mundum 9. qu. 3.* ideò in Romana Curia (quæ censetur, ubicumque est Papa) quilibet Clericus, vel Laicus conveniri potest, licèt ibi non delinquat, vel contrahat, aut aliàs forum sortiatur.

Nec

Nec videtur obstare Trid. *sess.* 24. *c.* 20. *de refor.* statuens; *Causa omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur.* Nam dispositio Conciliaris per ea verba, *coram Ordinariis locorum*, comprehendit non modò ordinarium loci domicilii, verùm etiam Ordinarium cuiuscumque loci, ubi quis ad iuris præscriptum forum sortitur; sive id verificetur ratione originis, vel beneficii, sive delicti, contractus, aut rei litigiosæ, aliisque modis; adeòque & ad Ordinarium loci Romanæ Curiæ extenditur; nam in ea Clerici forum sortiuntur, & Papa debet cognoscere, cuius forum nulli declinare fas est, Gloss. *ad cap. Licèt il 2. de foro compet. in ver. Compelli.*

6 Privilegium extenditur ad Clericos, etiam prima tonsura initiatos, & in minoribus constitutos, Trid. *sess.* 23. *cap.* 6. *de ref.* sed non gaudent, nisi in eis concurrat una ex conditionibus ad eodem requisitis. I. *Ut beneficium Ecclesiasticum habeant.*

II. *Vel Clericalem habitum, & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant.*

III. *Vel Clericaliter incedentes in aliquo Seminario de licentia Episcopi degant.*

IV. *Vel quòd in habitu, & tonsura incedentes in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi versentur in via ad maiores Ordines.*

Est autem advertendum, illa verba Concilii, *de mandato Episcopi, de licentia Episcopi*, non esse substantialia, iuxtà resolutionem Sac. Congr. apud Fagnan. *ad cit. cap. Si quis num.* 23. *Quæ declaravit Clericum inservientem alteri Ecclesiæ, quàm ei, cui mandaverat Episcopus ut inserviret, nihilominùs gaudere privilegio fori; nimirùm, quia qualitas mandati, vel licentiæ est levis, satisque est concurrere, quæ potiora sunt, nempè tonsuram, delationem ipsius cum habitu Clericali servitium Ecclesiæ vel commorationem in schola aliqua.* Ita enim cessante Episcopi mandato, vel licentia, satisfit menti Concilii.

7 Advertendum interim, per tonsuram designari abscissionem capillorum in parte superiore capitis per modum spheræ, quæ vocatur corona, & clerica, apud Gloss. *in cap. unic. de Cler. coniug. in* 6.

8 Item, quòd iudicare, & cognoscere, an habitus sit clericalis, vel non; non spectat ad iudicem sæcularem, sed resolutio est reservata Judicii Ecclesiastico, ex declaratione Sac. Congreg. Conc. relata per eundem *loco cit. num.* 12. Et super illius qualitate attenditur etiam Regionum consuetudo.

Item, quòd Clerici in sacris constituti semper gaudent privilegio fori, quamvis habitum, & tonsuram non deferant, nec beneficium habeant, quia Trid. ea exigens loquitur tantùm de promotis ad minores, Antonell. *de reg. Eccl. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 6. Qui si post trinam monitionem factam a Prælato, eam non resumant, eo privantur, per *cap. In audientia, de sent. excom.*

9 Sed dubitatur: *An fori privilegio gaudeat Clericùs primæ tonsuræ, vel minorum Ordinum, obtinens beneficium Ecclesiasticum, sed habitum Clericalem; & tonsuram non deferens?*

Resp. Affirmativè, eo enim non privatur, nisi post latam ab Judice Ecclesiastico declarationem super facto, seu delicto, hoc est, quod habitum, & tonsuram Clericalem minimè gestaverit, ut censuit S.C.C. 6. Novembr. 1612. apud Fagnan. *cit. num.* 23. Cæterùm si erat solitus illa deferre, licet aliquando dictam gestationem intermiserit, & posteà lata sit declaratoria super facto, nec privilegium fori perdit, prout eadem S. Congr. apud *allegat. num.* 26.

Privatur tamen ipso facto beneficio vigore Constitutionis Sixti V. *Cum Sacrosanctum* 92. *Bullar. tom.* 2. & alteri potest conferri absque monitione, citatione, aut decreto Judicis, ut dixit Rota in Barchinonen. Beneficior. 15. Aprilis 1704. §. *Arctiùs coram Molines*. Nec potest allegari non usus dict. Constitutionis. Quia contra Constitutiones Papales allegabilis non est usus, vel contrarius usus. Cùm enim Papa immediatam potestatem habeat a Deo, absque ulla dependentia a populo eiusdem Constitutiones, statim ac editæ sunt, & publicatæ, dicuntur effectuatæ, & obligant sine ulla ope acceptationis subditorum; ut communiter dicunt Canonistæ, & Theologi, & in terminis de d. Constit. Sixti, Rota in d. Barchinon. §. *Cæterùm*, allegata a Monacell. *form. par.* 2. *for.* 4 *num.* 2. *tit.* 15.

10 Potest etiam dubitari de Clerico, cui fuit reservata pensio super fruct. bene-

neficii Ecclesiastici, non incedente in habitu, & tonsura, nec Ecclesiæ inserviente? At hic eo gaudet vigore resolutionis editę à Gregor. XIII. 18. Decembris 1576. qui audita relatione Congr. declaravit pensionarium censeri beneficiatum, ad effectum gaudendi privilegio fori Ecclesiastici, de quo loquitur Trid. *sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* apud Sperell. *decis.* 66. *num.* 35.

Cæterùm, quòd Clericus pensionarius non gaudeat privilegio fori, nisi deferat habitum, & tonsuram, est decisum a S. Cong. 6. Junii 1622. in qua fuit dictum, *Quod ita Sanctissimus rescribendum statuit*, ut refert Monacell. *ubi sup. form.* 7. *tit.* 14. *num.* 14.

11 Ad gaudendum in Clerico fori privilegio non exigitur, quòd in effectu beneficium possideat; sed sat est, ut a legitimo Superiore ipsum obtinuerit, quamvis alter intrusus possessionem retineat: ratio est, quia ex sola collatione sine alia traditione, vel adeptione possessionis, ius in beneficio tribuitur, & de iure illius esse dicitur, cui fuit collatum, tametsi de facto alius possessionem occupet. Propterea dicitur beneficium vacare per obitum ipsius, & non iniustè possidentis. Quare apud Fagnan. *cit. num.* 44. Sac. Congr. proposito sibi dubio: *An Clericus primæ tonsuræ provisus de beneficio possit gaudere privilegio fori, quamvis possessionem beneficii non habeat propter intrusum, contra quem litem movit*; Censuit *posse*.

Ponderanda sunt hæc ultima, *litem movit*, quia si provisus intra præscriptum tempus litem adversus intrusum non moveret, non posset se tueri adversus jurisdictionem judicis sæcularis? nam reputaretur propter silentium ipso jure beneficio privatus, & in fraudem ad eludendam jurisdictionem laicalem pro beneficio supplicasse, ut Fagnan. *ibidem*.

12 Pariter non privatur privilegio fori Clericus non beneficatus, solitus tamen Ecclesiæ inservire, & in habitu, & tonsura incedere, si nocte, vel interdiù in habitu laicali cum armis à laicis deprehendatur. Quia iuxtà alleg. *c.* 6. *Trid.* ad privilegium fori alterutrum sufficit; hoc est, ut Clericus vel *Beneficium habeat, vel habitum, & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ inserviat*. In casu hoc secundum verificatur; nec ex defectu, quòd fuerit repertus sine habitu, debet Clericus excludi a privilegio fori, quemadmodum eo non privatur Clericus, qui uno, vel altero die cessat a servitio Ecclesiæ, quia cum versemur in materia pœnali, & odiosa omissionis privilegii fori, factum non dicitur, quod factum non durat, *cap. Nam & ego, de verbor. signif.* & facit Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *de refor.* ibi: *Qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt.*

Nec obstat, quòd regulariter attenditur tempus delicti, *l.* 1. *de pœn.* Quia procedit quoad pœnam imponendam a suo Judice, non quoad iudicis competentiam.

13 Neque item relevans est, quòd inspiciendum sit tempus delecti ad cognoscendum, ad quem forum spectet cognitio causæ. Nam negatur, Clericum, de quo discurritur, etiam pro eo tempore fuisse extra iurisdictionem Judicis Ecclesiastici, quia ad hunc effectum non est satis modica habitus, & tonsuræ dimissio, ut probat Sperellus *decis.* 133. *num.* 82. Solùm sequitur, quòd Laicus ignorans fuisse Clericum excusetur ab excommunicatione, iuxtà text. *in cap. Si Iudex Laicus, de sent. excomm. in* 6. Nam ignorantes censura non ligat, *cap. Animarum, de constit. in* 6. & dixi *lib.* 1. *cautelæ Confess. cap.* 33. *num.* 23. Ex qualitate autem habitus reputatur ignorans, quia habitus facit præsumptionem, ut quis iudicetur talis, qualis ab habitu demonstratur, *cap. alleg. Si Judex*.

14 Et quamvis non teneatur iudex Laicus credere capto in laicali habitu, asserenti oretenùs Clericatum? nec remittere, nisi sibi litteræ Clericatus, vel alia documenta ostendantur, aut Clericatus sit notorius; tamen debet omninò supersedere in causa, & intereà consulere Episcopum pro habenda rei veritate; cùm hæc sit exceptio declinatoria fori, quæ impedit processum ad ulteriora, Ostensis autem sibi litteris Clericatus, vel commendatitiis Episcopi, facientibus de Clericatu memoriam, aut aliis authenticis probationibus productis, aut deponentibus testibus de publica voce, fama, & reputatione (quibus Clericatus sufficientissimè quoad effectum remissionis probatur) non potest ampliùs ipsum retinere, & statim ante viginti horarum spatium tenetur remittere; aliàs incidit in excommunicatione, *cap. Quoniam, de immunit. in* 6. & Episcopus potest, imò debet ad declarato-

toriam censurarum procedere, Sperell. *decis.17.num.47.*

15 Similiter exemptus est à sæculari potestate Clericus, prima tonsura initiatus, vel in minoribus constitutus, à Curia sæculari repertus cum armis, sine habitu, & tonsura Clericali, estò non habeat requisita à Conc. Trid. *cit. cap. 6.* prout resolutum dicitur à S. C. C. & ab Urbano VIII. approbatum, ut infrà die 12. Novembris 1630. *Facta relatione SS. D. N. in causa Leodien. 9. ejusdem in S. Congr. Conc. proposita, Sanctitas sua approbavit declarationem factam, ut Clerici etiam non habentes requisita c. 6. sess. 23. de reform. licèt ipsi tamquam contravenientes ordinationi S. Concilii, non possint per seipsos allegare privilegium fori: nihilominus subsint iurisdictioni Episcoporum, seu Ordinariorum, illorumque cognitioni, nedum in causis, in quibus iidem Episcopi, seu Ordinarii prævenerunt; verùm etiam in quibus non prævenerunt; videlicet, si neque à jure, neque ab homine per declarationem servatis servandis factam, privilegiis Clericalibus denudati, seu privati sint.*

Sac. Congr. Immunit. in Bisignanen. 18. Novembr. 1653. proposito dubio: *An Clerici prævio præcepto incedendi in habitu, & tonsura, & inserviendi Ecclesiæ, si contraveniant, gaudeant privilegiis Clericalibus?* Sac. Congreg. respondit, *Declarandos esse ser. servan. privatos privilegiis Clericalibus.* Et in Aprutina 6. Martii 1635. in qua habetur: *Clericos gaudere exemptione ab oneribus personalibus, necnon realibus, etiamsi non incedant in habitu, & tonsura, & Ecclesiæ non inserviant*. Sufficit enim solus character Clericalis, ut Clericus ab oneribus gabellarum, & collectarum eximatur; delatio habitus, & servitium Ecclesiæ non requiritur, nisi respectu privilegii fori; sed necessarium semper est, ut Judex Ecclesiasticus pronunciet super delicto: *An nimirùm habitum, & tonsuram gestaverit, & Ecclesiæ inservierit, vel non?* Et subindè declaravit privilegio fori non gaudere, ubi videret reverà post trinam monitionem à se factam deliquisse.

Quare Clericus, de quo agitur, à laicis capturatus, non potest detineri, nisi priùs Judex Ecclesiasticus cognoverit super requisitorum existentia, & qualitate, ut in simili resolvit Sac. Congreg. Immunit. apud Sperell. *dec. 17. num. 47.* Nam semper est sub Ecclesiastica jurisdictione.

16 Quatenùs verò judex laicus procederet contra Clericum, eum detinendo in carcere, non modò ligaretur censura lata contra usurpantes sibi jurisdictionem in Ecclesiasticos, verùm & incideret in sententiam Canonis, *Si quis suadente, 17. quæst. 4.* Quia tametsi hujus Canonis dispositio procedat in actibus, qui in privata actione contra personam consistunt, & non in eis, qui fiunt titulo jurisdictionis, & publicæ potestatis; tamen id intelligitur in casu, quo Judex Laicus procedat justè, & prævia declaratione Prælati Ecclesiastici, quòd hæc persona non gaudeat privilegio fori; secùs autem, si ante; nam tunc iniustè, & violenter procedit ut privatus cum iniuria personæ. Et ita actio habet utramque malitiam, contra nimirùm privilegium fori, & privilegium Canonis.

17 Clericus privatus privilegio fori non intelligitur privatus illo Canonis, prout declaravit S. C. C. quæ proposito dubio; *An Clerici, qui Decreto Conc. cap. 6. sess. 23. privilegio fori privantur, intelligantur etiam privati privilegio Canonis?* Die 16. Decembris 1582. *censuit non intelligi privatos*, Fagnan. *d. cap. Si quis, in fin.* Ideò non valet illatio a privativa unius privilegii ad illam alterius. Quoniam a diversis non fit illatio; præsertim in pœnalibus, *cap. Pœna, de pœnit. dist. 1.* & ibi Gloss. *in ver. Non excedunt.* Diversa autem sunt hæc privilegia; nam illud fori Ecclesiasticos eximit a laicorum iurisdictione; illud verò Canonis refrænat ab iniuriis, & violentiis, personis Ecclesiasticis inferendis, legatur Sperellus *decis. 126. num. 96.*

18 Quæritur, an Clerici coniugati gaudeant privilegio fori?

Resp. Affirmativè, ut expresè *in c. unic. de Cleric. conjug. in 6.* sed tres conditiones a Decretali exiguntur.

I. *Ut tonsuram deferant*. II. *Ut in habitu Clericali incedant*. III. *Ut cum unica, & virgine matrimonium contraxerint.* Trid. *sess. 23. cap. 6.* quoad illud fori addit quartam istis verbis: *Modò hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent*, vide *cap. 39. num......*

Quo gaudent non modò in criminalibus, verùm & in civilibus, ex resolutis a S. C. Immunitatis 17. Iunii 1631. quæ scri-

psit Episcopo Reginen. ut infrà: *Se il Chierico conjugato Giacomo Giovan Majetti dalla Mirandola hà tutti i requisiti di Chierico conjugato espressi da Sacri Canoni, senza dubio egli deve godere il privilegio del foro in tutte le sue cause, ancorche civili, conforme l' opinione di questa Sacra Congregatione sopra le controversie giurisditionali, che è quanto occorre dire à V. S. in questo particolare*. Apud Dian.*coord.tom.9. in fin.tit.declarat. S.Congr.*

Tenentur autem ad datia, & gabellas; quia exceptis privilegiis Fori, & Canonis, in cæteris privilegio Clericali non gaudent, ut expresè text. *d. c. Clerici in fin.* Sed uxore defuncta, recuperant, Antonellus *de regim. Eccl.lib. 2. cap.2.num.*14. & dixi supra *cap.*8. *num.* 3.

19 Quæritur, *An Laicus post patratum delictum initiatus prima tonsura gaudeat privilegio fori, itaut non possit à judice sæculari puniri, & judicari?*

Videtur negandum; nam status Clericalis præsumitur assumptus in fraudem: fraus autem nulli patrocinari debet, *cap. Officii, de testam.* Nec censetur Ecclesia eos protegere, qui Clericatu abutuntur. In qua sententia est Gonzalez *in* 2. *tit.*2. *cap.* 19. *num.*5. Quare potest iudex laicus in causa cognoscere; maximè si causa fuerit introducta ante Clericatum.

At vera sententia est cum Diana *coord. d. tom.*9.*resol.*80. & 106. Pignatell. *tom.* 6. *consult.*17. Pascucc. *tom.*1. *de Immunit.* quòd judex laicus non potest procedere adversùs d. Clericum. Quia per Clericatum incorporatur Collegio Clericorum. Qui absolutè à foro laico eximuntur, *cap. Nullus hoc tit.* Nec in nostra potestate est privilegium restringere, & coarctare ad delicta commissa post, & non ante Clericatum, dum Canon absolutè loquitur.

Cessat autem objectum de fraude, quia ut ait Bellamer.alleg. à Fagnan.*num.* 1. *ad c. Magnus, de obligat. ad ratiocinia num.* 28. propter fraudem, non à laico, sed ab Iudice Ecclesiastico esset puniendus. Ad quem spectat cognoscere, an illa intervenerit, ut ex S. Congr. Conc. 1. Februarii 1607. apud allegat.Fagnan. Et Sac.Congr.Immunit. 10. Septembris 1627. *in Reatina*, censuit; *Quòd Clericus post dimissionem habitus resumens illum in fraudem, gaudet privilegio fori quoad personam, non quoad bona*. Adeòut possit judex laicus procedere contra ipsius bona, ut ex dict.Decreto Sac.Congreg. Conc. sed non quæcumque bona, sed ea dumtaxat, quæ propter delictum commissum fuissent ipso jure confiscata, per Engel.*Colleg. jur. Canon.lib.*2. *tit.*2.§.6.*à num.*53. Sed quoad personam non potest se ingerere, ut ex ead. S.C. Immunit. quæ 7. Decembris 1632. censuit: *Clericus effectus post delictum commissum, non punitur quoad personam, nisi a Judice Ecclesiastico.*

Nec Episcopus in materia Immunit. potest allegari suspectus, Sac. Congr. Immunitatis in *Ostunen.* 20. Martii 1630.

Advertenda item sunt Decreta, quæ subnectimus.

Clericus primæ tonsuræ a die, quo fuit ordinatus, per septem annos continuos non incessit in habitu, & tonsura; imò intra dictum tempus exercuit officium judicis; commisso delicto, fuit à judice laico inquisitus, citatus, & domi sistere jussus, sed arrepta fuga, reassumptoque habitu, cœpit Ecclesiæ servire. Pro sua directione supplicat Episcopus Nicien. declarari.

I. An iste Clericus gaudeat privilegio fori?

II. An Episcopus possit judici laico, fundanti se super notorietate, ac reassumptione habitus in fraudem, inhibere, ne procedat, nec quoad personam, nec quoad bona, donec ipse cognoscat, an gaudere debeat?

III. An saltem id possit visis litteris primæ tonsuræ.

IV. An contra judicem laicum nihilominùs non desistentem possit procedere ad censuras?

V. An possit Episcopus hanc causam sibi vindicare?

VI. An debeat?

Die 30. Maii 1676. Sac. Congreg. Conc. respondit, *ad omnia affirmativè*. Et concordant antiqua Decreta emanata 10. Decembris 1599. & *in Papien.* 23. Maii 1626.

Quòd si in reassumptione habitus adsit fraus, quam ex dictis Iudex Ecclesiasticus inspicere debet, tunc iudex laicus poterit prosequi causam, & processum quoad bona, seu compositionem Clerici, non autem quoad personam. Sac.Congreg. Immunit. *in Teatina* 10. Septembris 1629. Et recenter *in Sabinen.* contra Clericum coniugatum, in qua casus sic exponebatur: *Nicolaus Pedocchia Clericus conjugatus non servans*

vans requisita Concilii, sed factus miles, armistitiis, & aliis operibus militaribus, arma tractare solitus, non tamen in bello, conventus fuit in Curia sæculari pro emendatione damni dati ab ejus animalibus, mediante mandato contra ejus bona, non verò contra personam; reus conventus post motum judicium, habitum, & tonsuram reassumpsit, ac militiam dimisit; unde contingit dubitari, an dictus Clericus, dimissa militia, & reassumpto habitu, gaudere debeat privilegio fori? Die 30. Martii 1686. Sac. Congr. Conc. respondit: *Negativè*, in casu, de quo agitur, Monacell. *par. 2. for. ad for. 4. num. 17. & 18. tit. 15.*

20 Quæritur. An judex laicus possit procedere contra concubinam Clerici pro crimine cum isto commisso?

Resp. Negativè, *cap. Si quisquam, de cohabitat. Cleric. & Mulier.* ibi, *Fœminæ verò canonicè judicentur*. Causa enim, concubinatus ratione criminis est individua inter concubinam, & Clericum. Quapropter contra ipsam non potest processus instrui, quin tangatur persona Clerici, qui à potestate laica est exemptus. Atque ita ratione individuitatis, & connexionis causæ, concubina forum Clerici sortitur, censeturque de foro Ecclesiastico; quia cum persona Ecclesiastica deliquit. Etenim non privilegiatus in materia individua concurrit cum privilegiato, Gloss. *ad cap. unic. de jurepatr. in 6. verb. Ecclesiasticus*. Unde si judex laicus processum fabricaret contra mulierem in causa copulæ cum Clerico, individuando, & tangendo personam Clerici, ligaretur ipso jure excommunicatione, *Can. 19. Bull. Cœnæ*, quæ fertur in Judices in causis criminalibus processando personas Ecclesiasticas, Fagnan. *in 2. ad cap. nullus, de for. compet. num. 32.*

Pro delictis verò carnis ab eadem concubina cum laicis commissis, & in causis civilibus prophanis, cum sint mixti fori, potest fœmina conveniri etiam coram iudice laico; nam non debet ex delicto commodum reportare; sed attenditur præventio *ibid.* Fagnan. *num. 27.*

21 Quæritur. An Clerici portantes arma contra bannimenta laicorum possint eis ab executoribus curiæ laicæ spoliari?

Negativè adverùs Bobadillam, Covaruv. Gomez. aliosque apud Diana *coord. tom. 9. tract. 2. resol. 116. 117. & 118.* Sperellus *decis. 12. num. 60. & decis. 124. num. 8.* Nam Clerici sunt extra iurisdictionem iudicis laici. Quatenùs verò spolierentur, Birruarii censuram Canonis, *Si quis suadente*, 18. *q. 4.* incurrerent, quia spoliatio quamdam violentiam importat, Sperellus allegatis Genuense, & aliis *cit. decis.* 124. Et licèt sit iure Canonico Clericis prohibitum arma portare, tamen non spectat ad iudicem laicum eos punire, sed competenti ipsorum Superiori relinquendum est iudicium, & animadversio, *ibid.*

Quod in terminis videtur resolutum à Sac. Congr. Conc. 3. Februarii 1635. *in Turritana* ut sequitur: *In locis, ubi adeest abusus inter Clericos deferendi arma, & Episcopus non habet familiam armatam, debet publicare edictum, ne Clerici sæculares, vel Regulares arma fernat, & si parere detrectent, & ubi necessitas exposcit, Ministris Curiæ sæculares facultatem tribuere Clericos contra prohibitionem arma deferentes capiendi, etiam quoad Regulares, sibi ita notoriè deferant, & delinquant extra claustra, ut populo scandalo sint, ac in aliis casibus in jure, & Constitutionibus Apostolicis expressis; ita tamen ut ea, quæ docet, decentia capiantur, & recto tramite ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ ducantur*, Monacell. *cit. for. 8. num. 4.*

22 Cùm à Sac. Congreg. Immunit. nonnullæ resolutiones per modum legis generalis emanaverint, quarum vigore plures alii casus in materia privilegii fori decidi possunt, eas hìc subnectimus, ut infrà.

Eugubina. *Sac. Congr. super Immunitate Ecclesiastica, & controversiis jurisdictionalibus, ad consulendum controversiis, quæ sæpè sæpiùs oriuntur in admissione Clericorum, & etiam laicorum privilegiatorum ad consilia Communitatum, necnon ad exercitium munerum publicorum, decrevit.*

I. Quòd privilegiati gaudentes privilegio fori Ecclesiastici, & petentes admitti inter Consiliarios, admittantur, ita tamen, ut quoad pertinentia ad Consiliaratum tantùm non gaudeant privilegio fori Ecclesiastici?

II. Quòd privilegiati prædicti jam admissi inter Consiliarios renuentes intervenire Consiliis, quatenùs non fuerint legitimè impediti, subjiciantur mulctis eisdem pecuniariis, quibus subjacent alii laici non pri-

privilegiati ; & easdem mulctas exequi possit judex laicus, dummodo ipsi privilegiati actu non renuncient absque spe reintegrationis in perpetuum loco, quem habent in Consilio, ita ut ampliùs non possint admitti.

III. Quòd iidem privilegiati habentes locum in Consilio, possint etiam renuentes cogi à Superiore laico suscipere munera Camerarii, Depositarii, Grascerii, Abbundantiarii, & similia officia Communitativa, eadem forma, & pœna, quibus cogi possunt laici non privilegiati; dummodò ipsi privilegiati actu non renuncient in perpetuum absque spe reintegrationis loco, quem habent in Consilio, ita tamen, ut ampliùs non possunt admitti.

IV. Quòd iidem privilegiati suscipientes præfata munera, non gaudeant privilegio fori quoad pertinentia tantùm ad præfata munera ab ipsis suscepta ; & contra eosdem procedi possit in omnibus casibus, etiam expleto officio.

V. Quòd Clerici conjugati, qui sunt de numero consiliariorum, non incedentes notoriè in habitu, & tonsura, quatenùs renuant intervenire Consiliis, vel suscipere munera Camerarii, Depositarii, Grascerii, Abbundantiarii, & similia officia Communitativa possint mulctari per Superiorem laicum eisdem mulctis pecuniariis, quibus sunt subjecti alii laici; & in casu quo iidem Clerici conjugati, postquàm renuerint, reassumpserint habitum, talis reassumptio nihil eisdem suffragetur pro evitanda præfata mulcta.

VI. Quoad alios Clericos, tam cœlibes, quàm conjugatos, habentes requisita c. unic. de Cleric. conjug. in 6. etiam admissos inter Consiliarios, si legitimè non impediti renuerint interesse Consiliis, Episcopi, aliique Superiores Ecclesiastici procedant ad omnem requisitionem, etiam extrajudicialem Superioris laici, vel Magistratus contra eosdem ad mulctas pecuniarias ab ipsis arbitrandas; dummodò non sint minores illis, quibus subjecti sunt Consiliarii sæculares, & pœnæ applicentur locis piis.

Episcopi procedant similiter contra eosdem Clericos casu, quo deliquerint in materiis pertinentibus ad Consilium. Romæ hac die 27. Julii 1706. Monacell. *in addit. append. form. par. 2. in fin.*

Dubitari solet, an Ecclesiastici teneantur ad observantiam legum laicalium ?

23 Certum est eos talibus legibus quoad vim coercitivam, vel coactivam non ligari; nam quantum est ex vi ipsarum legum pœnis cogi ad observantiam non possunt ; tum quia coactio Clerici est jurisdictionis merè spiritualis, quæ non cadit in laicos.

At difficultas est, *an teneantur quoad vim directivam?* Affirmant aliqui, & ex eo probant, quòd cum Ecclesiastici sint pars Reipublicæ, tenentur se eidem conformare in legum observantia, ne pars aberret à toto, quod turpe est, ut ipsamet ratio naturalis dictat.

24 Verùm hoc non concludit ; nam etiam impotentes, amentes, & pueri sunt membra Communitatis, & tamen jure naturali, & positivo eximuntur à legum civilium observantia, adeòque, & Ecclesiastici; potiorique jure, cum isti sint extra jurisdictionem legislatoris. Quinimò quantum ad observantiam legum laicalium (à quibus jure divino eximuntur) non considerantur uti pars Reipublicæ ut, optimè Petra *com. tom. 2. ad Const. 1. Honorii III. sect. 1. num. 32.*

Ideò ea sententia relicta, dicimus cum eodem, & Sperello *decis.* 13. apud quos plures, Leges laicales nec quoad vim directivam comprehendere Ecclesiasticos. Quoniam deficiente potestate, & jurisdictione, effectus legis claudicat. Jurisdictio autem non est in laicis quoad Ecclesiasticos, ut sæpè diximus. Tum quia directio Ecclesiasticorum ad suos Prælatos pertinet, *c. Si Imperator, 46. dist.*

25 Verùm; ut singulis aptentur responsa, præmittendum est, quòd laici aliquando edicta, & bannimenta promulgant, per quæ prohibent, vel præscribunt nonnulla quæ nec jure divino, vel naturali, aut Ecclesiastico prohibentur, sed de se sunt indifferentia, quamvis ipsi aliquam rationem boni communis in eis considerent; ut est prohibitio nocturnæ vagationis absque lumine; præscriptio pragmaticæ moderando sumptus, victus, ac vestitus. & similia.

26 Sæpè verò per edicta prohibent, vel præcipiunt, quæ publicam utilitatem respiciunt, ut est prohibitio asportationis frumenti, monetarum, equorum, &c. extra Regnum, aut mandatum de exponendo in platea frumentum venale, aut præscriptio modi observandi in contractibus venditionis, translationis dominii, & similium.

27 Ali-

27 Aliquando verò prohibent, vel mandant, quæ sunt ab jure naturali, Divino, vel Ecclesiastico prohibita, & præscripta, vel eis conformia; prout est, statuere debitorum solutionem, imponere abstinentiam à fraudibus, & cætera huiusmodi.

Cum edicta versantur circa actiones primi generis, extra controversiam est, non posse Ecclesiasticos directivè obligare. Etenim obligatio directiva in casu oriri non potest, nec à lege naturali, Divina, vel Canonica; nam ut dictum est, actiones sunt de se indifferentes, nec ab illis prohibentur; neque esse potest à lege positiva civili, utpotè lata à non habente iurisdictionem in Ecclesiasticos.

Pariter si sermo sit de edictis secundi generis, sunt item Ecclesiastici extra spheram jurisdictionis etiam directivę potestatis laicę, quod opus non est repetere.

Idem dicitur quoad ordinationes, & edicta tertii generis, quia ex defectu iurisdictionis nequeunt Ecclesiasticos dirigere. Cęterùm, quia enunciatę ordinationes sunt conformes iuri naturali, & Divino, ab istis diriguntur; adeò ut peccent mortaliter contraveniendo, sed non ex vi edicti Principis, sed quatenùs materia, de qua disponunt, continetur sub obligatione, vel iuris naturalis vel Divini, aut Ecclesiastici.

28 Et hinc patet sæpè Ecclesiasticos teneri ad observantiam eorum, quæ leges civiles præfiniunt, sed non ex vi legum civilium, sed aliundè. Explico: Princeps suo statuto taxat iustum pretium pro frumento, vino, oleo, &c. valorem monetæ præfigit, &c. utique ex defectu iurisdictionis statutum Ecclesiasticos non comprehendit, ut apud cit. Sperellum *n.* 10. Surdus, Vivianus, & Oldradus; atque ita ex vi dictæ legis pręcisè non tenentur ad taxam statutam frumentum vendere, sed ex vi rationis naturalis, dictantis res nostras vendendas iusto esse pretio, & in commerciis esse æqualitatem servandam, ideò pretium taxatum nequeunt alterare; quod quidem supponitur esse iustum; cuius iustitia dignoscitur, vel ex communi omnium consensu, vel ex legis, aut statuti declaratione, & per accidens est, quòd in casu notitia ex statuto Principis habeatur. Quare vendentes ultrà iustum pretium à statuto taxatum, mortaliter peccant, quia faciunt contra rationem naturalem; tenenturque ad restitutionem, quia operantur contra iustitiam *ibid.* doctissimus Sperellus.

29 Pariter tempore caritatis, & penurię tenentur Ecclesiastici abstinere ab extractione frumenti (quæ propter necessitatem evadit actio tertii generis) non quidem vi edicti Magistratus laici, sed vi rationis naturalis, & debito charitatis, qua ut pars Reipublicæ tenentur ad ea observanda, quæ ad conservandam Rempublicam sunt necessaria.

30 Cæterùm ad evitanda peccata, & consulendum bono communi, ex testimonio Sperelli *cit. num.* 14. solent Episcopi tempore caritatis, vel alterius necessitatis coadjuvare suis edictis Principum sæcularium proclamata, non ipsa confirmando, sed consimile edictum quoad suos subditos publicando Quod ait esse de mente S. Congreg. Episc. quæ pluribus Ordinariis rescripsit, ut quoad annonam, extractionem frumenti, ordinationes servandas tempore pestis, & similes respicientes bonum publicum, debent Episcopi se conformare provisionibus laicalibus, faciendo similes ordinationes, quas posteà à Clericis servari curent. Prout Nuncio Neapolitano fuit responsum 3. Septembris 1592. 23. Augusti 1593. ac Episcopo Parmen. 14. Octobris 1599. & aliàs declaravit Sac. Congr. Immunit. *in Tarentina* 12. Decembris 1651. *in Forolivien.* 14. Decembris 1655. apud Monacell. *cit. par.* 2. *for.* 4. *tit.* 15. *n.* 14.

31 Unde non tenentur contribuere pro taxa imposita ad manutentionem Medici & Chirurgi, quamvis utantur illorum opera, Sac. Congreg. Immunit. in Ariminen. 4. Maii 1700. nec pro refectione Pontium. Fontium, & Murorum. In casu verò aliquo extraordinario, & subsidiario, hoc est, quando bursa laicorum non sufficit, & opera communia etiam Clericis, aliter manuteneri, & refici non possunt, nisi per contributionem Clericorum, tunc tenentur Clerici contribuere; sed recurrentibus requisitis *in cap. Non minùs, & cap. Adversùs, de immunit.* ut dixi *cap.* 33. Nec sufficit solus consensus Clericorum, & quòd vellent spontè onus subire, & immunitati renunciare.

Se est necessarius assensus Apostolicus; nam Clerici non possunt renunciare privilegio exemptionis ab oneribus laicalibus, toto Ordini Clericali iure Divino, Cano-

nonico, & Cæsareo concesso, ut DD. concordant apud Monacell. *form. par. 2. form.* 4. *num.* 13. *tit.* 15. & Sac. Congr. Immunit. in *Ianuen.* 10. Februarii 1627. & dixi *c.* 8. *n.* 16.

32 Quòd si dicatur, Ecclesiasticos participare de utilitatibus publicis, quæ ex contributionibus, & vectigalibus super inductis eveniunt; atque ita & ad onera teneri.

Respond. Onera, & commoditates inter Ecclesiasticos, & laicos compensari; nam laici participant de ministeriis spiritualibus per Ecclesiasticos exhibitis, quorum onera ipsi non sentiunt. Ergo ne Ecclesiastici duplici onere graventur, & non sint deterioris conditionis, non debent onera laicorum subire ac ministerio, & onere spirituali, & corporali gravari, Gonzalez *in* 3. *tit.* 49. *c.* 4. *num.* 12. vide *d. cap.* 8. *num.* 7.

33 At petitur. An teneantur ad pœnam à Principe, vel Communitate iis taxatam, quorum animalia pascua aliorum damnificant, si à custodibus suorum animalium damna fuerint illata?

Resp. negativè; sed tenentur dumtaxat ad existimationem damni. Sac. Congr. Immunit. in *Firmana* 9. Octobris, *in Assisien.* 13. Novembris, *in Anagnina* 4. Decembris 1629. Monacell. *form.* 4. *num.* 10. Quatenùs verò in lege nominatæ fuissent etiam personæ Ecclesiasticæ, lex esset contra Ecclesiasticam immunitatem.

Cæterùm si adesset edictum Episcopi, quo etiam Ecclesiastici pro damnis datis, quamvis non studiosis, sed casualibus, mulctandi essent ad formam litterarum eiusdem Ordinarii, vide *sup. cap.* 8. *n.* 7.

34 Privilegio fori præter Clericos, etiam primæ tonsuræ, & Regulares utriusque sexus, proteguntur equites, vulgò detti, *di Malta*, Tertiarii, & Oblati viventes cum Claustralibus. Mulieres de Tertio Ordine habentes qualitates, prout infrà *cap.* 52. Eremitæ, qui receperunt habitum à legitimo Superiore, & sub obedientia Episcopi inserviunt alicui Ecclesiæ. Famuli, & familiares DD. Cardinalium, Episcoporum, & Inquisitorum; Coloni Mensæ Episcopalis. Officiales Curiæ Episcopalis, Notarius. Cancellarius, Executores, Custodes carcerum eiusdem Curiæ, aliique, quos plenè recenset Fagnan. *in* 2. *cap. Nullus hoc tit.* Antonell. *de reg. Eccl. lib.* 4. *cap.* 1. *&* 2.

35 Videri potest etiam Sperellus *decis.* 2. *n.* 119. *& seqq.* ubi plenissimè probat, Equites Calatravæ, Alcantaræ, S. Stephani, S. Lazari, & Militiæ Christi gaudere privilegio fori, tum in civilibus, tum in criminalibus, nec posse conveniri coram iudice laico. Et favore Equitum Militiæ Christi à *num.* 120. refert resolutionem Sac. Congr. Immunit. *in una Mantuana* 25. Septembris 1627.

CAPUT XXIII.

Officialis quoad habitum Regularem.

SUMMARIUM.

1 *Non habitus, sed professio facit Monachum.*

2 *Inhibetur laicis deferre habitum Ord. S. Francisci.*

3 *Possunt deferentes illum Ord. Prædicator. per censuras compelli ad deponendum.*

4 *Pueri habitum Religiosum debent, expleto sexto ætatis anno deponere.*

5 *Volentibus sepeliri cum habitu Ord. Prædicat. vel Minor. non conceditur is, nisi per Superiores.*

6 *Eligentes cum eo sepeliri possunt liberè sibi eligere sepulturam, etiam in aliis Ecclesiis.*

7 *Prohibentur disputationes super vera forma habitus S. Francisci.*

8 *Interdicuntur libri omnes tractantes de vera successione filiorum S. Francisci, & vera forma caputii.*

9 *Et inscriptiones omnes Imaginum Sanctorum Francisci, & Antonii, in quibus dicitur, forma, habitus, &c.*

10 *Et Imagines S. Augustini, & Nicolai de Tolentino depictæ à Discalceatis in eorum habitu.*

11 *Præfinitur tempus pro illis, qui habitu Tertiariorum recepto, cum Claustralibus habitant, & pœna in Superiores transgressores, usque ad num.* 13.

1 Licèt non habitus, sed professio Regularis Monachum faciat, *c. Ex parte, de Regularibus*; & proindè, tametsi Regulares non sint laici, qui non emissa professione, deferunt habitum proprium Religionis à Sancta Sede approbatæ,

tæ; nihilominus, quia ex eiusmodi delatione sæpè oriri possunt in populo scandala, & in dedecus Religionis id cedere solet, id à Sancta Sede legitur prohibitum. Innocentius IV. apud Sorbo *ver. Habitus Fratrum*, inhibuit, ut nullus sine speciali licentia Sedis Apostolicæ præsumeret deferre habitum Fratrum Minorum, aut ita consimilem, quòd propterea Frater eiusdem Ordinis credi posset; idem mandavit Clemens IV. *Const* 3. *Bullar. tom*.1. & locorum diœcesanis commisit, posse censura Ecclesiastica contrafacientes ad deponendum compellere.

2 Hinc sub an.1686. præces exhibuere Innoc. XI. Procuratores Generales Ordinis Min. de Observ. Reform. & Capuccin. ut disposita per Greg. IX. *Const. Regularem vitam*, & Urban. VIII. *Const. cum sicut* 5. Octobris 1638. ea de re editis, realiter obtinerent effectum; & quatenùs opus esset, præfatorum litteras renovaret cum expressa declaratione, quòd nulli, etiam Eremitis, extra Ord. sine Superiorum consensu, habitus Franciscanus, etiam sine caputio, & cum isto, nec de eorundem licentia, concedi posset; quas cum Innocentius Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium remisisset, ipsa huius tenoris decretum edidit.

Sac. Congreg. &c. *Stante remissione libelli per SS. D. N. facta, & attentis narratis, censuit injungendum, prout præsentis Decreti tenore injungit Ordinariis locorum, ut supradictas Constitutiones Apostolicas, juxtà earum tenorem, executioni demandent. Romæ* 21. *Martii* 1686. *regest.* 26. Cismont. *nu.* 384. *Directorium trium Ord. art.*6. *nu.*1.

3 Habitum quoque Ord. Prædicatorum deferre est distinctè prohibitum à Gregorio XI. *Constit. Virtute* 7. *ibid.* prout infrà: *Inhibemus etiam, ut nulli, sive sit in Religionis Ordine, sive extra Ordinem constitutus, habitum vestrum, nec ita consimilem, quòd propter eum Frater Prædicator credi possit, deferre liceat. absque mandato Sedis Apostolicæ speciali; & ut dicta inhibitio majorem consequatur effectum, statuimus, ut hi, qui habitum vestrum, aut sibi similem prædicto modo deferre præsumpserint, ad deponendum ipsum per diœcesanos locorum (cum à vobis requisiti fuerint) monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compellantur.*

Official.Cur. Eccl.

4 Pueris quoque, sexto suæ ætatis anno expleto, non licet, neve possunt ex devotione habitum Religiosum deferre, prout sub die 10. Januarii 1627. fuit rescriptum Neapoli Card. Boncompagni, apud Lant. *theatr. ver. Habitus nu.*1.

Quemadmodum verò non Regularibus habitu regulari vestiri sub enunciatis pœnis prohibetur, sic Regularibus personis est districtè vetitum habitum propriæ Religionis dimittere, *c. Ut periculosa, ne Cler. vel Mon. in* 6. ibi: *Ut Relig. vagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcumque Relig. tacitè, vel expresse professus, in scholis vel alibi temerè habitum Relig. suæ dimittat*, & infra: *Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto*, vide *cap.*1. *n.* 22.

5 Volentibus sepeliri in habitu Fratr. Ord. Prædicatorum; vel Minorum, nonnisi per Superiorem Prælatum domorum ipsorum Ordinum, vel Priorem, aut Guardianum respectivè, vel cui illi duxerint committendum dumtaxat, & non per alium quavis auctoritate, vel prælatione fulgentem, statuit Sixtus IV. *Const. Sacri* 19. *ibid.* exibendum esse. Per quæ concluditur exclusiva quorumcumque Prælatorum extra Ordinem; qui prohibere non possunt, quin cadavera sic induta, liberè, & nullo superimposito pallio ad sepulturam deferantur; & in contrarium, etiam sub censuris, editas prohibitiones ipse Sixtus modificat.

6 Eligentes autem sic sepeliri, non debent in Ecclesiis præfatorum Ordinum de necessitate tumulari, sed ubi sepulturam elegerint; prout id eorum relinquitur arbitrio, juxta disposita à Leone X. *Constit. Dum intra* 22. *ibid. Volentes quoque sepeliri in habitu eorumdem Fratrum in claustro non degentes, sed in propriis domibus cohabitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi liberè eligere possint.*

7 Quia cum fidelium scandalo, & contra fraternæ charitatis mandatum, qua decet ejusdem Patris Filios se mutuò diligere, instituebantur quæstiones à PP. Conventualibus, & Capuccinis, ac disputationi comittebatur examen de vera forma habitus Ordinis Seraphici; ideò

L Ur-

Urbanus VIII. die 14. Decembris 1630. *mandavit eisdem sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, nec non privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque etiam corporalibus arbitrio Sanctitatis Suæ pœnis ne audeant de cætero voce, vel scripto, de hujusmodi materia tractare, donec ab eadem Sanctitate Sua aliter fuerit ordinatum. Jo. Ant. Thomasius S. Roman. & Univer. Inquisit. Notarius*. Lant. *ver. Habitus num.* 11.

Super quo deindè ad verè, & cum effectu eradicanda controversiarum semina hæc Alexander VII. mandavit edi decreta, & in Indice librorum prohibitorum apponi.

8 Primò. *Libris omnes impressi, & qui, inconsulta* Sacra Congregatione, *imprimentur, tractantes controversiam de vera & non interrupta successione filiorum Sancti Francisci, & de vera forma caputii ejusdem, prohibentur sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis*. Die 20. Junii 1658.

9 Secundò. *Inscriptiones omnes Imaginum SS. Francisci, & Antonii de Padua, in quibus dicitur, formam habitus, qua depicti sunt, esse eandem, qua ipsi usi fuerunt; vel in quibus asseritur, in hoc, vel illo Ordine S. Francisci esse veram, legitimam, & non interruptam ejusdem Sancti Patris in Filios successionem inherentes decreto aliàs edito* die 20. Junii 1658. *prohibentur*. Romæ 10. Novembris 1663.

10 Suspenduntur quoque, & prohibentur Imagines Sancti Augustini, Sancti Nicolai de Tolentino, & aliorum Sanctorum eiusdem Ordinis impressæ, & depictæ à Fratribus Discalceatis Augustinianis in eorum habitu, prout in decreto Sac. Rit. Congreg. edito die 19. Decembris 1637. quod ab Urbano VIII. approbatur, & confirmatur *Const. Exponi nobis*, la 240. *Bull. tom.* 5.

11 Super admissione ad habitum, eiusdemque concessione Tertiariis cum Claustralibus habitantibus, servari debet Decretum Congregationis super statu Regularium, quam licèt Innocentius XII. sub die 4. Augusti 1698. *Const. Debitum*, extinxerit, & suppresserit; singulas tamen facultates, eidem quomodcumque à Prædecessoribus concessas, illis exceptis, quas Congregationi super disciplina Regulari, præfatis litteris institutæ, impertitus est, in Congregationem Episcoporum, & Regularium transtulit, ex speciali mandato sanct. mem. Clementis X. sub die 16. Maii 1675. ea de re editum, tenoris, qui sequitur.

Et si decretis Sacræ Congregationis super statu Regularium de mandato Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. jampridem editis pro Novitiis recipiendis, statutum sit, ut omnes, qui ad habitum probationis se recipi postulaverint, diligenter examinentur, ac per vota secreta approbentur, quotquot idonei reperti fuerint, ætate, aliisque requisitis ad præscriptum Apostolicarum Constitutionum, ac Statutorum Ordinis; nec quispiam censeatur habilis ad huiusmodi habitum suscipiendum, ut Clericus, nisi annum ætatis suæ decimum quintum, neque ut Conversus, nisi annum vigesimum expleverit; nihilominus in pluribus Religionibus Italiæ, & Insularum adjacentium, aliquibus ab hinc annis introductum est, ut recipiantur adolescentes laici, non quidem pro Conversis, ut annum probationis incipiant, & finito tempore Novitiatus admittantur ad Professionem, sed pro Tertiariis, vel Oblatis seu Donatis, eisque tradatur habitus, ut vocant sine caputio; illis dari consueto, ut sic inserviant alicui Religioso particulatim, aut pluribus, vel omnibus communiter; & multoties pueri, & adolescentuli recipiantur in Monasteriis, non ut Novitii, sed ut hospites, seu postulantes se recipi pro Clericis ad habitum probationis, & parva veste induti, plures menses, quinimò & annos, sic detineantur intra Claustra, donec compleverint annum ætatis decimum quintum, Clericis ut supra præscriptum ad annum Novitiatus inchoandum; idque prætextu, ut interea fiat experimentum de ipsorum indole, & aptitudine ad Religionem, & aliquando etiam in eadem veste iidem pueri, & adolescentuli admittantur in Novitiatibus, & cum Novitiis degant, ad hoc ut eorum voces puerìles in Choro cum vocibus Professorum misceantur, dum divina peraguntur officia.

12 *Quoniam verò secundùm Canonicas sanctiones, & juris regulas, cùm quod una via prohibetur alicui, & ad id alia non debeat admitti, & memorati abusus irrepserint in fraudem legis, & elusionem* De-

Decretorum ut ſupra editorum, in Religonum diſpendium, ac non ſine multorum admiratione, & ſcandalo; idcircò eadem Sac. Congr. ut in dies creſcat in Eccleſia Dei Sacrarum Religionum ſplendor, & veneratio, ex ſpeciali mandato Sanctiſſ. D.N.D. Clementis Divina Providentia Papa X. hoc præſenti Decreto, in virtute S. Obedientiæ præcipit omnibus, & ſingulis Superioribus Generalibus, Provincialibus, & Localibus, quocumque nomine, ac titulo appellatis, quorumcumque Ord. & Congr. tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, ut de cætero neminem pro Tertiariis, vel Oblatis, ſeu donatis, aut commiſſis, vel ſervientibus, nec pro hoſpitibus, ſeu poſtulantibus, vel cantoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis, aut quovis prætextu, vel cauſa, aut quæſito colore, recipiant, ſeu admittant ad habitum intra Clauſtra, niſi vigeſimum ætatis ſuæ annum expleverint; omneſque ſit receptos, ſeu admiſſos (iis tantùm exceptis, qui completa ætate annorum quindecim pro Clericis, ſeu Choriſtis in habitu Novitiorum annum probationis agunt) à Monaſteriis, ſeu Domibus Regularibus omninò amoveant, & ejiciant infra terminum duorum menſium, inchoandum à die intimationis præſentis Decreti, faciendæ Procuratoribus eorumdem Ordinum, & Congregationum in Romana Curia exiſtentibus.

13 *Quod ſi prædicti Superiores præſenti Decreto per omnia non paruerint, aut in aliqua ejus parte contravenerint, pœnam privationis dignitatum, & officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia imposterum obtinenda, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto, abſque alia declaratione incurrant, non obſtantibus quoad omnia ſupraſcripta, privilegiis, indultis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ die 16. Maji 1675.*

CAPUT XXIV.

Officialis quoad Immunitatem Eccleſiarum, & Monaſteriorum.

SUMMARIUM.

1 *Immunitas Eccleſiaſtica quid ſit?*
2 *Ex Gregoriana nonnullis immunitas non ſuffragatur.*
3 *Judicium, an crimen ſit de exceptis, ſpectat ad Epiſcopum.*
4 *Publici latrones immunitate non gaudent.*
5 *Nec depopulatores agrorum.*
6 *Nec occidentes; vel mutilantes in Eccleſiis, vel Cœmeteriis.*
7 *An gaudeat occidens, vel mutilans in Sacriſtia?*
8 *Occidens, vel mutilans in Monaſterio, gaudet immunitate in Eccleſia.*
9 *Mandans committi homicidium in Eccleſia, non privatur immunitate.*
10 *Ex Eccleſia occidens exiſtentem extra ipſam, non privatur immunitate.*
11 *Committens homicidium ſpe immunitatis, hac non privatur.*
12 *Proditoriè occidens, immunitate ſpoliatur.*
13 *Immunitate non gaudent aſſaſſini; & qui iſti ſint?*
14 *Neque hæretici.*
15 *Immunitas defendit Judæos, Gentiles, & cenſura ligatos, & alia plura.*
16 *Rei læſæ majeſtatis ab immunitate non proteguntur.*
17 *Gregoriana ligat etiam Judices Eccleſiaſticos quoad Clericos.*
18 *Religioſi in propriis Monaſteriis delinquentes ad correctionem in eis puniri poſſunt.*
19 *Religioſus ad correctionem poteſt extrahi ex Eccleſia ſui Conventus.*
20 *Extractus à loco immuni eidem reſtituendus eſt.*
21 *Non poteſt Epiſcopus licentiam dare, ut quis examinetur in loco immuni; ubi de recognitione corporum vulneratorum.*
22 *Violans immunitatem, incurrit ipſo facto excommunicationem reſervatam Sedi Apoſtolicæ.*
23 *Formula citandi violatores immunitatis Eccleſiaſticæ.*
24 *Appellatio non ſuſpendit effectum excommunicationis jam incurſæ; nec impedit illius declaratoriam.*
25 *Non gaudet immunitate platea Cathedralis, & alia.*
26 *Quid de Grangiis Regularium? ad 27.*

1 IMmunitas hìc idem ſonat, ac privilegium, quod habent fidelium Eccleſiæ, & loca pia, ut ſint loca refugii, ad

ea confugietubus, ita quòd, tamentsi reus malefactor, *Quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam, sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membrum, & vitam*, ut textualiter habetur, *cap. Inter alia, de immunit. Eccles.*

2 Ubi quædam crimina excipiuntur pro quibus, etiam si ad ea malefactores confugiant, immunitas non suffragatur; protu in terminis decrevit Gregor. XIV. Const. *Cum alias*, *la* 7. *Bullar. tom.*2. videlicet. I. *Si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur*. II. *Ac depopulatores agrorum*. III. *Quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cœmeteriis committere non verentur*. IV. *Aut qui proditoriè proximum suum occiderint*. V. *Assassini*. VI. *Aut hæresis rei*. VII. *Aut rei læsæ majestatis in personam ipsius Principis*.

3 Cæterùm judicium, an quis verè crimina hìc adnotata commiserit, spectat ad Episcopum, ut ibi textus; nec potest Curia sæcularis delinquentes ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris, in ullo ex casibus supradictis, sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & interventu personæ Ecclesiasticæ, ab eo authoritatem habentis, *extrahere*, *incarcerare*, *vel capturare*. In casu verò, quòd concurrente Episcopi licentia, ut supra, deliquens extraheretur, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ esset reponendus; nec consignandus Curiæ sæculari, nisi postquàm Episcopus pronunciaverit constare de crimine in Gregoriana excepto. Neque sufficiunt indicia, & præsumptiones; sed veris, & concludentibus probationibus agendum est. Nam ubi agitur de præjudicio tertii, ut in præsenti materia, in qua contingeret lædi jus Ecclesiasticæ immunitatis, privilegium nec tolli, nec infringi potest ex præsumptivis probationibus, sed dumtaxat ex veris, & legitimis, ut dixit Sperellus *decis.* 101. *num.* 34.

4 Itaque Ecclesiastica immunitate indigni sunt. I. *Publici latrones, & viarum grassatores*. Verùm, ut excludantur, satis non est, eos semel, vel bis crimen commisisse; sed oportat, sæpiùs tanti sceleris reatum patrasse, ut per Sperellum *decis.*103. *num.*27. Et ita decrevit Sac. Congreg. *in una Januensi* 16. Junii 1625. *& in una Beneventana* 8. Junii 1633. apud eundem. Atque *in Beneventana* 20. Novembris 1640. ex Panimolla *decis.*95. eadem Sacra Congreg. respondit Vicario Apostolico, ibi: *Oretenùs insinuetur agenti ipsius Vicarii, Grassatores non privari immunitate Ecclesiastica, nisi iteratis vicibus delictum grassationis commiserint*.

Discrimen inter latrones publicos, & viarum grassatores, ponitur ab Ameno *de pœn. titul.* 9. §. 6. *ver. Latrocinium num.* 3. & 4. ut publici latrones dicantur ii, *Qui violenter cum armis homines aggrediuntur, spoliant, & occidunt*; grassatores verò vocentur, *Qui homines in via violenter spoliant, & stratas publicas obsident*, ut ex Const. *Sed eos non occidunt*. Atq; ita ratione homicidii discriminantur, licèt in violenta spoliatione conveniant.

5 II. *Depopulatores agrorum*, ab immunitate excluduntur; qui nimirùm alienos agros diripiunt, segetes rapiunt, fructus, & vineas devastant. Cæterùm non quicumque depopulator privatur sed dumtaxat nocturnus. Nam de nocturno loquitur alleg. *c. Cum inter alia*. Et Gregoriana, quando agitur de favore immunitatis, jus commune non corrumpit, sed præservat.

6 III. A privilegio immunitatis non proteguntur, *Occidentes, & mutilantes*, in Ecclesiis, vel cæmeteriis, aliisq; locis, quibus est concessum reos ad ipsa confugientes tueri; nec sufficit membrum debilitare, quia Constitutio mutilationē apposuit. Nec est facienda extensio ad casus in Bulla non expressos, sub quibus debilitatio non comprehenditur, quam esse à mutilatione distinctam, nullus dubitat. Siquidem in mutilatione sequitur omnimoda membri præcisio, humanique corporis fædatio; in debilitatione verò officium dumtaxat membri tollitur. Quare mutilatus is dicitur, cui manus, aliudve membrum fuit præcisum: debilitatus autem is, qui membri officio impeditur, per Sperell. *decis.* 59. *num.* 92. Et cum digitus per Abbat. *in cap. Cum illorum, de sent. excomm.* membrum stricto modo non sit (quia non habet officium separatum, & distinctum ab officio alterius membri;) ut habet manus, pes oculus,

&c.

&c. ſed eſt tantum officium membri) ideò abſcindens alteri digitum in Eccleſia, immunitate non privatur.

Si dixeris, Eccleſiam non minus ex debilitatione, quàm mutilatione, remanere læſam. Utique, ſed non æquè, quantum ad excludendum debilitantem à protectione immunitatis. In utroque caſu reus committit ſacrilegium propter injuriam, quam irrogat loco ſacro; ſed quia debilitans offendit Eccleſiam in caſu non excepto, & ab immunitatis favore non excluſo, ſequitur, ut immunitate non privetur.

Gaudet immunitate, qui mutilat, vel occidit in porticu, ſchalis, & atrio Eccleſiæ, ſi ad Eccleſiam confugiat. Quoniam Gregorius excludit ab immunitate mutilantes, & occidentes in ipſis Eccleſiis, vel cœmeteriis. Dictio autem, *in*, intrinſecitatem importat. Atrium verò, ſchalæ, &c. non ſunt intra Eccleſiam, ſed extra, Sperell. *dec.60.n.14.*

Item non privatur immunitate in Eccleſia, qui occidit in limine portæ Eccleſiæ, ut cenſuit S.C. Immunit. 16. Decembris 1642. Paſcucc. *de immunit. Eccleſ. pag.* 354. Sed diſtinguitur, modò non intra limen, & clauſuram, quia tunc diceretur occidere in Eccleſiam, Sperell. *dec.cit.n.*52.

7 Item non excluditur ab immunitate in Eccleſia, qui mutilat in Sacriſtia; modò in ea non ſit Altare ad celebrandum. Quia in caſu, quòd habeat Altare, reputatur Capella Eccleſiæ, unumque corpus cum ipſa conſtituit, Et de commiſſis in Sacriſtia ita qualificata verificatur eſſe commiſſa in Eccleſia. Secùs ſi Altari careat, quia tunc eſt officina, & camera, & non pars Eccleſiæ. Atque ita mutilans, vel occidens in hujus generis Sacriſtia, non dicitur mutilaſſe in Eccleſia. Videatur Sperellus *deciſ.61. num.3. & deciſ. 62.num.* 18. *& ſup.cap.7.n.*12.

8 Item occidens, vel mutilans in monaſterio, gaudet immunitate in Eccleſia. Siquidem de Monaſteriis non verificatur, quòd ſint Eccleſia, licèt ſint Eccleſiæ acceſſoria, & ſint loca immunia. Quemadmodum diſcurritur de cæteris acceſſoriis Eccleſiæ, ut ſunt, porticus, atrium, ſchalæ, Sacriſtia; turris, campanile, criptæ ſubterraneæ, & cameræ Eccleſiæ. Quibus omnibus conceſſum eſt immunitatis privilegium, ut communiter DD. Sperellus *deciſ.60.num.* 14. & ibi concordantes Antonell. *de Reg. Eccleſ. lib.* 10. *cap.* 9. §. 1. *num.*17. Ad quæ proindè delinquentes confugientes immunitate gaudent. Sed dum in illis occidunt, vel mutilant; quamvis in eis immunitate priventur, non privantur, ſi ad Eccleſiam confugiant.

Conſiderari hìc debet, quòd dum agitur de conſervando privilegio immunitatis conceſſo Eccleſiæ ad defendendos reos à fortiis Curiæ, confugentes ad ipſam (cùm ſit favor, & gratia) eſt extenſio facienda ad ipſam, ejuſque acceſſoria, ſecundùm regul. 15. *jur. in* 6. *Odia*. Ubi verò tractatur de præjudicio immunitatis, extenſio non permittitur, juxta alleg. Regulam; in pœnalibus enim, & odioſis extenſio non fit, ut communiter DD. Atque ita non regit inſtantia; non gaudet quis ob mutilationem in atrio, ergò non gaudet in Eccleſia, Sperell. *cit.n.*17.

9 Quæritur. *An immunitatis beneficium ſuffragetur mandanti homicidium, vel mutilationem in Eccleſia.*

R. Affirmativè cum Diana *coord. tom.9. tract.* 1. *reſolut.*73. Nam de mandante verè, & propriè non dicitur occidere; ſed alteri committere; propterea non comprehenditur ſub diſpoſitione Bullæ, quæ occidentem, & mutilantem ab immunitatis protectione excludit. Nec dubitandum de hoc eſt: nam S.C. Immunit. *in una Ravennaten.* 28. Septembris 1666. *cenſuit mandantem homicidium proditorium gaudere immunitate*: illud verò, *Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur*, intelligitur quoad culpam, non quoad pœnam; niſi quoad hanc etiam lex expreſsè loquatur, ut ibi Dian.

10 An verò *beneficio immunitatis privetur, qui de Eccleſia ſaxo, ſagitta, vel pila tormentaria exiſtentem extra Eccleſiam occidit*; Negativè cum Dian. *cit reſolut.* 74. ad text. ipſius Conſtitutionis, quæ procul ab immunitate tenet occidentes, vel mutilantes in Eccleſia. In caſu autem occiſio non in Eccleſia, ſed extra fit. Ictus oritur ex Eccleſia, ſed occiſio extra Eccleſiam ſequitur. Inchoatur occiſio in Eccleſia, ſed extra perficitur. In cauſa autem privationis immunitatis non occiſionis initium, ſed ejuſdem conſummatio attenditur; ſiquidem in pœnalibus ex dictis extenſio non fit.

Aliter discurrit Dian. *dict. resol.* 74. de eo, qui existens extra Ecclesiam, existentem in Ecclesia occidit. Sed in oppositum contra ipsum, & alios est decretum S.C. Immun. *in Puteolana* 24. Junii 1661. apud Pascuccium *pag.* 371.

Petitur. *An beneficio immunitatis privetur, tam qui animo deliberato, & ex proposito quàm qui ex pura rixa ex improviso suborta in Ecclesia occidit, vel mutilat?*

Resp. negativè. S.Congr. Immunit. *in Algaren.* 24. Martii 1637. Monacell. *par.* 2. *form. for.* 14. *n.* 2. *tit.* 15.

11 *An etiam mutilans, vel occidens propè Ecclesiam, adeòque sub spe immunitatis (quia statim commisso homicidio in ea se recipit) immunitate gaudeat?*

Resp. Affirmativè, neque hic est casus exceptus in Gregoriana. Tum quia committens reservatum tempore Jubilæi, sub spe consequendæ absolutionis, huius beneficio non privatur, Sperellus *d. dec.* 60. *n.* 15. Diana *resol.* 70.

Nec obstat commune axioma, quòd *frustrà legis auxilium invocat, qui committit in legem*, per text. *in cap. fin. de immunit.* Quia, ut *loc. cit.* dixit Sperellus *sub num.* 33. delinquens extra corpus Ecclesiæ, non peccat contra legem immunitatis Ecclesiis datæ.

12 IV. A beneficio immunitatis excluditur *Qui proditoriè proximum suum occiderit*. Quare non quodcumque homicidium, etiam ex industria factum, vim habet juxtà Gregorianam excludendi à beneficio immunitatis, sed debet esse proditorium, hoc est, factum sub specie amicitiæ. Formalitas enim prodictionis non in eo stat, quòd quis occidat inimicum etiam impotentem hic, & nunc ad præcavendum; sed ut quis eum interficiat, cui nulla ab interfectore erat timendi occasio, cum nec inter eos ullus intercesserit rancor, vel rixa præcesserit, & quatenus fuerit, pax, vel reconciliatio subsecuta est, ex defectu enim occasionis, & causæ præcavendi, nedum occisus non potuit, sed nec debuit præcavere, aut divinare sui occisionem; sed potiùs debuit nullum malum expectare ob amicitiam ab occisore ostensam, aut præsumptam cum eo, vel speratam; & ita non sua culpa, aut negligentia, & oscitantia, sed malitia, & perfidia aggressoris ei eripitur naturalis defensio; ut in terminis Sperellus *dec.* 185. *num.* 18. Atque ita; ut homicidium dicatur proditorium, ad effectum amittendi beneficium immunitatis ad formam Gregorianæ exigitur, ut committatur non calore iracundiæ sed colore amicitiæ simulatæ ex parte occissoris, & creditæ realis ex parte occisi. Inde S. C. Episcop. *in Melevitana* die 2. Augusti 1619. respondit, *Quòd occidens inimicum à tergo cum sclopo gaudet immunitate.* Quia in eo casu non occidit incautum, cum quis semper habeat causam præcavendi à suo inimico, & suspicandi sibi malum parare.

Etiam veneno sic occidens proximum suum committit homicidium proditorium, propter quod immunitate spoliatur, ut declaravit S.C. Immunit. 24 Novembris 1651. contra Religiosum Conversum, de quo Pascuc. *pag.* 359.

13 V. Sub protectione immunitatis non sunt *Assassini*. Assassinus verò dicitur, *Qui pecunia recepta, vel pretio convento, Christianum non præcaventem de mandato alterius occidit*, per Sperellum *decis.* 102. *nu.* 8. Diana *resol.* 87. *num.* 7. Qualitas diversificans assassinium à cæteris homicidii speciebus aliud non est, quàm mandatum ad occidendum, mediante pecunia, vel alia re prætio æstimabili acceptum. Unde assassinium tria petit. I. Mandatum ad occidendum datum, & acceptatum. II. Pretium realiter exhibitum vel ad eum finem promissum ab eo, in cuius potestate sit ipsum dare. III. Occisionem agressi.

Cæterum, ut sicarius, vel assassinus sit immunitate privandus, oportet, ut occisio sequatur, actumque consummatum occisionis admiserit; non enim sufficit, ut id attentaverit, vel vulneraverit, & per eum non steterit, quominus mors contingerit, ut ex contextu Bullæ: *Aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassini.* Hæc namque verba, *aut Assassini*, intelligenda sunt, retento eodem sensu cum prioribus, & cum eadem qualitate homicidii. Sed per Gregorianam fuit declaratum, proditores nonnisi morte secuta privari immunitate: ergo idem dicendum de assassinis.

Nota, non deesse, qui assassinum appellant eum quoque, qui pretio mediante aliquem occidi mandat; sed contra text. *in c.* 1. *de homicid. in* 6. ubi littera tanquam de distinctis loquitur de assassinis, & mandantibus homicidia. Quapropter, licèt immunitas assassino,

no morte secuta, non suffragetur, protegit tamen mandantem.

14 VI. Ab immunitate excluduntur, *Hæresis rei*. Verùm si hæreticus ad Ecclesiam confugeret propter alia delicta, quàm hæresim, immunitate quoad illa gauderet. Reputaretur enim eis hæresis per accidens adnexa, ut dixit Engel. *jur. Canon. tit.* 47. *lib.*3. *num.* 19.

15 Judæos pariter, & Gentiles immunitas defendit. Nam Gregoriana loquitur absolutè, non distinguens, an fideles, vel infideles fuerint. Et excipiens tantùm certos casus ab immunitatis beneficio, reliquos omnes sub eo comprehendit, etiam si in illis identitas, vel majoritas rationis concurreret, ut per Fagnan. *in* 3. *ad cap. Inter alia, de immunit. Eccl. num.*64.

Super quo observandum, quòd privilegium immunitatis est locale, concessum ad conservandum Ecclesiis, locisque piis, & ad divina dicatis honorem, & reverentiam debitam. Ex loco verò in personas fluit, quæ ad illa causa confugii liberè se recipiunt; nisi sint de numero eorum, quos Gregorius ab immunitate exclusos esse decrevit.

Atque ita excommunicati denunciati, suspensi, aut interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ab immunitate non sunt exclusi. Quia censuræ non inducunt privationem hujus privilegii, nec privant hominem ab ingressu Ecclesiæ materialis, sed formalis, hoc est, ab ingressu ad Ordines, & audienda Divina officia respectivè, Diana *coord. tom.*1. *resol.*27. *num.*3. & ex eo Monacell. *for. par.*2. *for.*13. *num.*5. *tit.*15. Tum quia in Bulla Gregorii dicta crimina non excipiuntur ab immunitatis privilegio; tum quia privilegium non est datum favore personarum, sed ob reverentiam loci sacri.

16 VII. Tandem *rei criminis læsæ Majestatis in personam ipsius Principis*, immunitate privantur, ut expresse text. Hujusmodi autem crimen ab iis committitur, qui offendunt non habentes in terris, quantum ad temporalia, Superiorem, ut sunt Papa (qui & in spiritualibus Superiorem non agnoscit) Imperator, Rex, Princeps, Respublica Veneta, Januensis, Lucensis, &c. Habent enim supremam jurisdictionem, & publicam potestatem in subditos, quæ per Ameno *cit.* venit nomine Principis. Apud quem, & Calvinum, Lexicon *ver. Majestas*, plura quoad hoc possunt videri.

In reliquis itaque casibus præter septem allegatos, nullus immunitate privatur, etiamsi sint consimiles; nam Bulla loquitur expressè; sed omnes ad Ecclesias authoritate Episcopi erectas, licèt non benedictas, ipsarum atria, porticum, scholas, tectum, cœmeterium, Monasteria, aliave loca pia de licentia Ordinarii constructa, ut Hospitale, & Seminarium, aut ad Palatium Episcopi confugientes immunitas tuetur, Sperell. *decis.* 62. *num.* 20.

Quare notandum, gaudere immunitate Ecclesiastica, qui violenter extractus fuit è manibus satellitum, si ad locum aliquem confugii se conferat, etiam si violenter secum satellites duceret, ut ponderavit Dian. *d. tom.*9. *resol.*106. *num.*3. Nam Canones sine ulla distinctione concedunt privilegium liberè confugientibus ad Ecclesiam, nec distinguunt, an sint sub dominio Curiæ, an non? sibique Curia sæcularis imputet, quòd non tutò, & securè reum ad carcerem duxerit, vel in carcere non benè custodivit. Quamvis nonnulli putent non gaudere, si captus ipse non se liberaverit è manibus, quia aliàs non dicitur liberè confugere.

17 An Clerici delinquentes possint à suis Prælatis ab Ecclesia extrahi? & sic, an immunitas liget dumtaxat manus judicum sæcularium, an etiam Ecclesiasticorum quoad suos subditos?

Dubium habetur in terminis apud Sperellum *decis.*59. *num.*36. considerantem Gregorianam ligare Judices, etiam Ecclesiasticos, ut nec per ipsos possint Clerici in Ecclesiis delinquentes, in casibus in ea non exceptis, ex illis extrahi; & à *n.*35. in fine notat esse à Sac. Congreg. immunit. decisum.

18 Quæritur. An Religiosi delinquentes in proprio, vel extra Monasterium, in eo gaudeant immunitate Ecclesiastica?

R. Regulares intra septa Monasterii delinquentes, ne disciplina Regularis corruat, & delicta maneant impunita, possunt à Superioribus constringi, & licitè pœnitentiis salutaribus corripi. S. Cong. Episc. *in Bergomen.*5. Decembris 1698. Monacell. *form. par.*1. *form.*8. *num.*12. *tit.*5.

Quare punire ad correctionem in loco immuni non est prohibitum, ut ex Sac.

Congr. Immunit. 31. Augusti 1649. Quæ consulta ab Episcopo Aretino: *Se un Canonico ritrovato nella sua casa canonicale contigua alla Chiesa, in fragranti con una donna maritata, se sia potuto con la medesima donna carcerare nelle carceri Vescovali senza pregiudizio dell'immunità?* Respondit, *posse ad correctionem*, Pignatell. *tom.* I. *consult.* 35. & ex Panimoll. *cit. num.* 44. *in una Interamnen.* 27. *Martii* ..... *censuit Episcopum potuisse extrahere Archipresbyterum de Piedeluco à propria domo Parochiali, & carcerare ad effectum correctionis.*

Aliter dicendum, quando non agitur ad correctionem, sed ad pœnas secundùm Canones imponendas, ex eadem Sac. Congreg. *in Mutinen.* 18. Februarii 1531. *& in Ariminen.* 2. Maji 1661.

19 Sed quid dicendum, si Religiosus delinquens in Monasterio ad ejusdem Ecclesiam confugiat, & protestetur: *Voglio quì godere l'immunità concessa*; & nihilominùs ab ea jussu Superiorum extrahatur?

Resp. Nec Superiores mandantes extractionem, nec extrahentes censura ligantur, tanquam violatores immunitatis, ut articulo discusso, censuit Sac. Congr. Immunit. *in una Æsina*, ut infrà.

Exposuit Sac. Congregationi super immunitate Ecclesiastica, & controversiis jurisdictionalibus Fr. N. de Montecchio Ord. Minorum Observantiæ Reformatorum Sancti Francisci, se extractum fuisse de mandato Patris Provincialis, ab Ecclesia Conventus Æsini, in quo morabatur, instando propterea declarari incidisse in excommunicationem, tam ipsum Provincialem, quàm Fratres executores; & eadem Sac. Congr. auditis rationibus à P. Procuratore Generali Ordinis allatis, inter quas adductum fuit prædictum Fratrem N. extractum fuisse ad correctionem, & ob id ad domum disciplinæ translatum, censuit, Provincialem, aliosque Fratres professos non incurrisse. Romæ hac die 10. *Aprilis* 1701.

20 A loco immuni extractus eidem restitui debet, ut declaravit Sac. Congr. Immunit. apud Pignatell. *cit. consult.* 170. *à num.* 8. *in una Cajacen.* die 20. Novembris 1640. Quæ respondit, rescribendum esse *Vicario, ut faciat restituere Oratorem eidem Ecclesiæ, à qua fuit extractus, cum non potuerit per renunciationem ipsius prajudicare Ecclesiæ; sequuta autem restitutione, erit in sui arbitrium se constituere in carceribus; & in una Mediolanen. die* 23. *Februarii* 1638. *ibid. num.* 10.

Et ita necessariò debet restitui, ut alteri non possit, nisi de licentia Summi Pontificis; prout ab eadem, ex Panimolla *decis.* 85. *adnot.* 1. *num.* 3. *in una Mediolanen.* die 28. Novembris 1634. hujusmodi emanavit rescriptum, *D. Secret. juxta mentem, scilicet ut, mediante autroritate Sanctissimi, faciat convalidare restitutionem factam alteri Ecclesiæ, cum non dependeat à consensu partium, sed ab authoritate Sanctissimi.* Et in alia S. C. &c. *censuit restitutionem oratoris extracti, de jure faciendam esse eidem Ecclesiæ Civit. Lauden. à qua fuit extractus, etiamsi hodie moram trahat in Civitate Romana, distante à loco factæ extractionis; posse tamen hoc casu S. D. N. dispensare, ut restitutio fiat Ecclesiæ Lateranensi, attento consensu oratoris, qui restitui debet.*

„ 21 Fuit Sac. Congreg. consulta „ An „ Episcopus, tamquam Ordinarius, pos„ sit concedere licentiam judici laico, ut „ examinet, præsertim cum juramento, & „ formaliter, aliquem reum, vel testem in „ Ecclesia, vel alio loco immuni? & an „ Episcopus teneatur etiam invitus, licen„ tiam concedere Curiæ exhumandi ca„ daver occisi ad recognitionem facien„ dam, Die 2. Maji 1629. Sac. Congr. super „ controversiis jurisdictionalibus, censuit „ Episcopum non posse hujusmodi licen„ tiam concedere, etiam vigore litterarum „ Sac Congr. super ejectione, sed peten„ dam à Sede Apostolica; nec quòd cada„ vera exhumentur, ut fiat recognitio in „ Ecclesia, sed extra, & arbitrio ipsius Epi„ scopi. Quę declaratio fuit ab eadem con„ firmata die 8. Augusti 1645. ut sequitur; „ S. Congr. prævia matura discussione, & „ communi omnium Patrum consensu cen„ suit stãdum in decisis sub die 2. Maji 1629. „ scilicet, Episcopos posse corpora exhu„ manda, vulneratos, & testes extrahere „ extra Ecclesias, & loca immunia ad effe„ ctum recognitionis, & probationis cor„ poris delicti per judices, & ministros lai„ cos faciendæ, eorundem ipsorum Episco„ porum arbitrio, rectè tamen regulato; „ non autem posse facultatem concedere „ eisdem judicibus, & ministris laicis fa-

„ cien

„ ciendi in dictis Ecclesiis, & locis immu-
„ nibus actum aliquem recognitionis cada-
„ verum, seu examinis vulneratorum, &
„ testium, nisi in casu urgentis necessita-
„ tis, quando Summus Pontifex commodè
„ adiri non potest; idque pro eorumdem
„ Episcoporum arbitrio, rectè tamen regu-
„ lato; Superioribus verò Regularibus mi-
„ nimè licere, etiam in Ecclesiis, & locis
„ immunibus ipsorum Regularium, sed id
„ ad Episcopos solùm spectare.

22 Violans Immunitatem Ecclesiasticam incurrit ipso facto excommunicationem; prout expresse ex verbis Gregorianæ, ibi: *Declaramus eum ipso facto censuras, & pœnas easdem incurrere, quæ contra &c. libertatis, juris, Immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per Sacros Canones, Conciliorum Generalium, Nostrorumque Prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ.*

Absolutio est reservata Sedi Apostolicæ, ut dixi *c.2. num.* 12.

23 Formula citandi violatores Immunitatis Ecclesiasticę, apud Panimolla *decis.96. adnot. prima à num.* 6. & Sperellum *dec.* 48. *num.* 1.

Citetur N. „ ad comparendum coram
„ Domino Ordinario V. G. intra triduum,
„ quorum primus pro prima, reliqui duo
„ pro secunda, & tertia, ac ultima, & per-
„ emptoria dilatione, & termino sibi as-
„ signato, ad allegandum, & dicendum
„ causam, quare non debeat declarari inci-
„ disse in excommunicationem latam in
„ Const. Gregorii XIV. super Immunitate
„ Ecclesiæ, aliisque Summorum Pontifi-
„ cum, ac Sac. Conciliorum Constitutioni-
„ bus contra violatores Ecclesiasticæ Im-
„ munitatis: & ad deducendum, quidquid
„ vult, & potest, infra dictum terminum,
„ quare declarari non debeat, quo termino
„ elapso, si nihil legitimè deduxerit, die im-
„ mediatè sequenti compareat ad viden-
„ dum se declarari excommunicatum, &
„ pro excommunicato publicè denunciari,
„ cedulonesque decerni, & affigi per loca
„ solita, & consueta Civitatis, ipso ulte-
„ riùs non monito, nec citato, nisi si, &
„ quatenùs opus fuerit, & expediat, ubi
„ &c. datum &c.

Citatio, seu monitio est facienda personaliter, & non ad domum, dimissa copia, per DD. apud Panimolla *n.8.* quos sequitur Pignatellus *tom.*1. *cons.29. num.*2. Limitatur: si excommunicandus, vel declarandus excommunicatus domi lateat, vel personalem citationem subterfugiat, vel simili modo absentia sit malitiosa: tunc sufficit citatio ad domum, vel ad alium publicum locum, si domo careat: aut per edictum, si ad domum tutus accessus non datur. Facit Clement. *Causam propè finem de elect.* propter rationem datam à Sperel. *dec.84.cit.n.* 34. nimirùm quòd dolosus non permittens se citari, non debet ex dolo commodum reportare, sed habendus est perinde, ac si personaliter citatus fuisset; præsertim, quia notitia citationis ad domum æquiparatur citationi personali. Etiam per edictum in loco publico affixum sufficit citare, si excommunicatio proferenda sit generaliter contra personas, quæ commiserunt aliquod delictum, quarum nomina ignorantur, per Panimolla *num.* 11.

24 Una ut minimum monitio est necessaria ad declarandum excommunicationem esse incursam, aliàs declaratoria nulla dicitur, ut observat Sperellus *decis.48. num.* 56. *& num.59.* refert à Sacr. Congreg Immunit. fuisse declaratum, non dari appellationem à declaratoria excommunicationis jam incursæ, quoad effectum suspensivum. Appellatio enim non potest impedire declarationem, nec suspendere effectum excommunicationis ab jure, vel per viam Statuti inflictæ, ut ibid. *num.*41.

25 Nota. Hodie Immunitate non gaudere plateam Cathedralis, ex Sac. Cong. Immunit. in Narnien. 27. Januar. 1665. Sanctissimo approbante 21. Febr. ejusdem anni. Pignatell. cit. *consult.*436. *&* 463. refert sub die 10. Decemb. 1658. in una Forlimpopuli resolutum, *gaudere domum Parochi, licèt non adhæreat Ecclesiæ.*

Non gaudent apothecæ laicis locatæ habentes ingressum ex platea, vel via publica. Sacr. Congregat. Immunit. in Narnien. 28. Februarii 1662. Pignatell. *consultat.* 458.

Gaudet porticus Ecclesiæ, Sac. Congregat. Immunit. in Spoletana 7. Febr. 1630. & in Camerinen. 3. Aprilis 1635. Pignatell. *consult.*169.

26 Sed quid dicendum de Grangiis Regularium?

Respond. Non gaudere, si appellatione Grangiæ veniat domus ruralis, sub dominio alicujus Conventus, in qua Conver-

versus habitat pro agris colendis, nec habet Ecclesiam, aut publicum Oratorium aucto ritate Episcopi erectum. Nam hujusmodi non est locus pius, sacer, & Religiosus. Gaudent verò, si per Granciam veniat Conventus parvus alteri unitus, de qua Innoc. X. in Decreto: *Ut in parvis il* 32. *Bullar. tom.* 5. vide *d.c.*10. §. 2. *num.* 48.

27 Fratres Min. de Observ. non extendant Decretum S. C. Episc. relatum *cap.*16. *num.* 21. ad confugientes ad Conventus ad effectum gaudendi immunitate. Nam de istis dictum Decretum non intelligitur. Considerent, quinam per Gregorianam censeantur exclusi ab immunitatis beneficio, & qua ratione sit procedendum, ut ipso priventur. Si confugientes in Conventibus abutantur privilegio confugii, & protectione asyli: vel quia pacem religiosam perturbant, aut impediunt Divina Officia, vel contra justitiam viatores aggrediuntur: recurrant ad Sac. C. Immunitatis exponendo casum, & expectando provisionem. Excludere eos propria authoritate non possunt; & quatenùs excludant, incurrunt censuram reservatam, juxta dicta, & ex Extravaganti, *Et si Dominici*, Sixti IV. *de pœnit. & remiss. inter commun.*

CAPUT XXV.

Officialis quoad incorrigibiles expellendos.

SUMMARIUM.

1 *Incorrigibilis potest expelli ab Ordine.*

2 *Decreta de Apostatis sub Urbano VIII. usque ad n.*8.

9 *Decreta edita sub Innocentio XII. usque ad num.*14.

15 *De Jure Communi quis sit verè incorrigibilis.*

16 *Ad incorrigibilitatem trina requiritur monitio.*

17 *Carcer formalis describitur, usque ad num.* 21.

22 *Non adest obligatio expellendi incorrigibiles.*

23 *Potestas expellendi extenditur ad Provinciales.*

24 *Patres, de quorum consilio, & assensu proceditur ad sententiam, debent esse graves; sed non eligitur dignitas, & gradus.*

25 *Non est necesse, ut sex Patres conveniant.*

26 *In casu paritatis Votorum Provincialis non habet decisivum.*

27 *Ante sententiam instruitur processus.*

28 *Defensiones dantur expellendo.*

29 *Exponitur clausula*, accedente approbatione Generalis, *adjecta in Decreto sub Innocentio.*

30 *Formula notificandi sententiam Ordinario.*

31 *Litteræ testimoniales expulsionis.*

32 *Ab Ordinario non examinatur sententia.*

33 *Pœna non recipientium emendatos.*

34 *Per expulsionem expulsi non desunt esse Religiosi.*

35 *Reverentes, non statim restituendi ad gradus, & præcedentias.*

36 *Damnati ad triremes iterùm ad Religionem recipiuntur.*

1 Religiosum professum incorrigibilem posse ab Ordine expelli habetur *cap. Cum Monasterium de statu Monach.* ubi de Monacho proprietario contumaci sic decernitur: *De Monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundùm Monasticam Disciplinam.* Et *cap. ea quæ, eodem tit. Ovem morbidam ejiciant ab ovili, nè inficiat sanas Oves: cap. Relatum, ne Clerici, vel Monachi, & cap. Cum in Ecclesiis de majorit. & Obedient.* & aliis omissis, firmant decreta S. C. C. de Regularibus Apostatis, & Ejectis, ex facultate speciali Urb. VIII. sub ejus Const. *Sacra* la 28. *Bull. to.* 4. ubi ad hunc effectum in terminis §. 6. *statuitur.*

2 §. I. *Ad hæc, ut imposterùm è Religionibus nullus legitimè professus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus cujuscùmque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis; verùm etiam unius Anni spatio in jejunio, & Pœnitentia probetur in carceribus; proinde unaquaque Religio privatos habeat carceres in qualibet saltem Provincia.*

3 §. II.

3 §. II. *Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseveraverit, nè contagione pestifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantùm de consilio, & assensu sex Patrum, ex gravioribus Religionis, eligend. in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus* (vide inferiùs Moderatoriam sub Innocentio XII.) *tumque non nisi instructo secundùm eorum stylum, & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum.*

4 §. III. *Sic verò ejecti, quamdiù non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, & obedientiæ subsint: proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur.*

5 §. IV. *Cæterùm S. Congreg. Religionum Superiores seriò admonet ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut minores paternæ Charitatis, & Mansuetudinis, quam profitentur nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum suorum, ferè in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eò magis, quòd subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & officii immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus Noster Jesus Christus in supremo Dei Judicio de eorum Prælatorum manibus sit requisiturus.*

6 §. V. *Præterea statuit; ut idem Superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.*

7 §. VI. *Item, ut ejecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.*

8 §. VII. *Ac postremò censuit esse innovandam, & Suæ Beatitudinis auctoritate innovat Constit. fel. record. Gregor. IX. relatam in capit. final. de regul. ac prætereà declarat eam Constitut. in iis quoque vendicare sibi locum, servandamque esse, qui justè, definitèque, ac juris Ordine servato expulsi fuerint: dummodò tamen in expulsis huiusmodi subsit spes evidens emendationis, ex litteris, saltem testimonialibus, Ordinarii, cujus conscientiam in suis litteris concedendis S.C. seriò oneravit.*

9 Quibus sub die 24. Junii 1694. accessit Decretum moderatorium, & præfatorum respectivè innovatorium, editum sub Innocent. XII. il 101. *in Bullar. Firmani.*

Instantibus Procuratoribus Generalibus Religiosorum Ordinum pro moderatione Decretorum de apostatis, & ejectis, editorum à Sacra Congregatione Concilii, & à san. memor. Urbano VIII. Anno 1624. confirmatorum ut facilior modus incorrigibiles eiiciendi præscribatur, Sac. Congregatio à Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa XII. super præmissis particulariter deputata, Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Carpinei, Casanate, Mariscotti, de Norfolica, de Laurea, de Aguirre, & Colloredi, perpensis eorumdem Procuratorum Generalium votis, nè consortio morbidarum pecudum cætera corrumpantur, & remedia hucusque ad sanitatem oblata, malè affectis officiant magis, quàm prosint, maturo examine, zelo Regularis Disciplinæ conservandæ censuit statuit, & auctoritate ejusdem Sanctissimi Domini Nostri sibi specialiter attributa, hæc imposterum servanda decrevit.

10 I. *Quòd firmis ac in suo robore semper manentibus prædictis Decretis de Apostatis, etiam secundùm eam partem ubi agitur de ejectis, & ejiciendis, tanquam Sacris Canonibus, & communiori Sanctorum Patrum menti conformibus, quoad ejectos, eadem serventur, quæ in alio simili Decreto hac præsenti die emanato de Apostatis, & fugitivis statuta sunt, & indulta quoque ad præscriptam legem san. memor. Gregor. IX. in cap. final. de Regul. annuatim fugitivi requirantur, & respective cogantur ad Claustra reverti.*

11 II. *Quòd annus integer, qui in prædictis Decretis anni 1624. præscribitur in Penitentia, & Jeiunio ad ejiciendos incorrigibiles, ad sex tantùm Menses continuos imposterum coarctetur, & restringatur.*

12 III. *Quòd facultas Generalibus Ordinum de consilio, & assensu sex ex gravioribus Religiosis in singulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus ad causas ejiciendorum eligendis attributa, extendatur, etiam ad quoscumque Provinciales: qui electis pariter in Congregationibus Provincialibus sex gravibus è propria Provincia Religiosis, à*

Ge-

Generali confirmandis, de illorum consilio, & assensu causas hujusmodi cognoscant, & ad effectum ejiciendi incorrigibiles suæ Provinciæ, & ejectionem pronunciandi, accedente approbatione Generalis, definiant, salva semper Sanctæ Sedis, & Sac. Congregationis Concilii in casu recursus, & appellationis auctoritate.

13 IV. *Quòd imposterùm Processus conficiantur juxta Regulas, Constitutiones, Ordinationes, & stylum cujusque Ordinis, & Religionis, donec aliter fuerit à Sac. Congregat. provisum.*

14 V. *At quia nimia sine delectu facilitas recipiendi quoscumque Religionis ingressum petentes, & à Religione forsan alienos, duram satis tractu temporis necessitatem parit eosdem è Claustris ejiciendi, nè hujusmodi semina; quæ à principio ad fructum faciendum cadunt in terram bonam, paulatim contaminata inordinatis moribus usque ad incorrigibilitatem succrescant in paleas, eadem Sac. Congreg. annuente Sanctissimo Domino Nostro sub interminatione Divini Judicii, necnon privationis vocis activæ, & passivæ, ac dignitatum, & Officiorum obtentorum, cùm inhabilitate ad eadem imposterùm obtinenda; quibuscumque prædictorum Ordinum Superioribus districtè præcipit, & mandat omnia, & singula Decreta san. mem. Clementis VIII. registrata post Decretum san. memor. Urbani VIII. de Apostatis, & ejectis incip.* Regulares, Sanctissimus, & Nullus, *unà cum aliis subsequentibus Decretis, provisionibus, Ordinationibus, & respectivè moderationibus, bis in Anno legi, eadem ad unguem servari, pœnas in eisdem contentas innovari, & Capitibus Ordinum intimari, ne hujusmodi Decretorum trasgressores, qui in lege gloriantur, per prævaricationem legis Deum inhonorent, & nè militiæ Christi abscripti, tam de facili fiant desertores, ac profugi. Datum Romæ die 24. Julii 1694.*

15 Itaque, nonnisi verè incorrigibilis debet, & potest expelli; ille autem dicitur verè incorrigibilis, per Pasqualigo ad Lauret. de Franchis *par.* 1. *num.* 1058. in quo concurrunt requisita de jure communi ad incorrigibilitatem & insuper de jure novo per sex Menses, juxta modificationem sub Innoc. factam, probatur in Carceribus in jejuniis, & pœnitentiis, quibus elapsis, adhuc perseverat in sua contumacia, nec corrigitur.

De jure autem communi, ut quis sit vere incorrigibilis ad effectum expulsionis, plura exiguntur.

Primò ut commiserit aliquod grave delictum: proprietatis, scilicet, furti, homicidii aut similis, ut colligitur ex alleg. *c. Cum ad Monast. & cap. Cum non ab homine de judic.*

Secundò, ut de delicto legitimè constet, vel per ipsius confessionem aut per testium probationes sit convictus, ut ex dicto *cap. Cùm non ab homine, &c. Ut famæ de sent. excomm.*

Tertiò ut condemnatus sit, & de delicto punitus, ut ex iisdem textibus, & adducto *cap. fin. de statu Monach.* desumitur Ameno *de pœn. tit.* 3. §. 6. *n.* 67.

Quartò, ut pluries graviter deliquerit, convictus, & condemnatus fuerit pro singulis excessibus ut allegati Tex. exprimunt. Etenim, ut tradit Pasqual. qui semel deliquit non potest dici contumax, nec in delictis perseverans.

Quintò ut delicta sint sic qualificata gravitate, ut in Religionis dedecus, in scandalum Populi, & Fratrum ignominiam cedant; ac in aliis petversionis ex eis timeatur periculum ad quo facit D. Bonavent. doctrina q. 14 *super Regul. S. Franc.* apud Mirandam, & est tex. *in c. Resecandæ* 24. *qu.* 1. *Man. tom.* 1. *q.* 52. *art.* 2.

Ideò, ut quis incorrigibilis ad effectum expulsionis dicatur, debet ea commisisse delicta, quæ possunt in Cæteris Religiosis perversionem causare: aut solent, infamia, vel alio notabili damno Religioni nocere.

Ad quem effectum sciant Superiores, alia esse delicta, quæ soli delinquenti nocent, nec tam facilè possunt alios eorrumpere: cuius generis censentur ebrietas, blasphemia, notabili ad Chorum negligentia, proprietas, & similia: & per accidens est, quòd aliis sint nociva, cum sint vitia non tam facilè propagabilia; & alia, quæ directè non uni tantùm nocent, sed pluribus etiam aliis: inter quæ numerantur, hæresis, falsa doctrina, homicidium, furtum, ludus, fornicatio, adulterium, stuprum, incestus, raptus, sodomia, apostasia, & cætera. Quæ, vel comitem volunt, vel nisi cum liquido pacis, proximi, & Religionis damno, vix perfici solent ideò Superiores delictorum circumstantias temporis, loci, personarum, delicto-

ctorum circumstantias modi, publicitatis, & deliquentis in re tanti ponderis inspicere debent; & ubi viderint esse modis prællegatis qualificata, incorrigibilitatis judicium formare poterunt.

16 Ad incorrigibilitatem trina exigitur monitio, ut colligitur *c. Ea quæ de stat. Monach.* Nam ibi Honorius III. vult, eos, *quos contumaces, & rebelles invenerint, debere per Prælatos expelli.*

Præter adductum monitionum numerum, debet præcedere incorrigibilitatem trina delictorum, vel ejusdem, vel diversi generis, justa, & juridica punitio; etenim debet Superior omnia adhibere media, ut ad bonam frugem subditum reducat, & à malo ipsum retrahat. Sic autem non procedit, si debitis pœnis, & justa severitate ipsum punire, & coercere omittat: nam sæpè cum obfirmatis in malum experimur ad id inefficaces exhortationes, preces verbales, ac paternales correctiones, ideò ad validiora media recurrendum est. Quod sanè est ad sensum Decreti enunciati, cùm velit, ut Superiores *nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum suorum in profundum ferè malorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur.* Unde si admonitionibus resistant, & repetitis charitatis officiis non respondeant, trina sequatur judicialis punitio; quòd si item istis in meliùs non mutentur, sed obstinata cervice in sua perseverent malitia, poterunt rigorosè dici contumaces, & rebelles, & sic incorrigibiles; cum Superior omnem moverit manum ad eos emendandos. Et ex hoc concluditur, trinam monitionem, & punitionem de jure novo esse de incorrigibilitatis substantia, Ameno *pract. tit. 5. §. 6. num. 26.*

Verùm, illis etiam omnibus præmissis, non habetur incorrigibilitas completè, sed solùm initiativè probata, cum perfectè ex allegat. Decreto Innocentii non concludatur, nisi per semestrem carcerationem in jujunio, & pœnitentia.

17 Carcer debet esse formalis; locus nimirùm, seris, & vectibus munitus, ex quo liberum egredi carcerato non sit; & ad formam secundi Decreti decerni debet à Provinciali de consilio, & assensu sex Patrum ad causas ejectionis electorum: nam ibi Sac. Congreg. concedit Provincialibus, ut de consilio, & ipsorum assensu causas ejiciendorum cognoscant; & ad carceres post trinam delictorum patrationem, & per sententiam, punitionem, detrusionem, ad hujusmodi causas spectare non est dubium.

18 Jejunium debet esse coram Fratribus, quia cum simus in casu de adhibendo extremo remedio ad procurandam delinquentis conversionem, omni rigore Juris est procedendum; & nihil intentatum, juxta Decretum, debet omitti ad ipsum lucrandum.

19 Ut autem quis possit carcerari ad incorrigibilitatem probandam, oportet, ut delicta continuentur moraliter, & eumdem in malo obfirmatum ostendant. Quæ continuatio colligitur ex brevitate temporis, intra quod commissa sunt. Unde de eo, qui committit delictum, de quo punitur, si post paucos menses in gravem alium excessum sua malitia ruat, dicitur continuare delicta, per continuationem pravæ voluntatis ipsius, quæ ex sequentibus malis actibus manifestatur. Aliter discurritur de eo, qui post singula delicta commissa, laudabiliter, saltem per tres annos, vivit, & pravam voluntatem per actus pœnitentiæ, & emendationis tempus discontinuat, & interrumpit; tunc enim, ut dixit Ameno alios DD. cumulans, de eo emendatio vera præsumitur. Et facit Glos. ad regulam 8. juris in 6. *Semel &c.* per ea: *Quòd, qui fuit malus in aliquo actu, & tandem se maximè correxit, & fuit bonus, in fine illius actus, præsumitur bonus.* Et confirmat exemplum, quòd insanabilis non dicitur infirmus, qui sanatus ab una infirmitate, postquam sanus vixit per tres, vel quatuor annos, in aliam, & similiter post novam sanitatem, in aliam infirmitatem decidit: aliàs ferè quilibet insanabilis diceretur; sed ille, ex cujus temperamento sic infirmitates procedunt, ut in singulis inutilia experiantur remedia.

20 Ad dubium, an postquam pœnitentiam compleverit de tertio delicto, possit de facto, nullo novo patrato, incarcerari ad probandam incorrigibilitatem? an verò ad eum effectum sit expectandum quartum? Respondit Ameno contra Sanctoro, novum non esse expectandum, sed tribus delictis commissis, & punitis, posse semestrem carcerationem ad completam probationem decerni, qua punitur delinquendi impunita consuetudo,

& le-

& legitimum ponitur incorrigibilitatis experimentum.

21 Tempus carcerationis à Sacra Cong. taxatum debet esse continuum, & completum, ut die 21. Junii 1653. declaravit Sac. Congreg. Conc. ad dubia proposita à Procuratore Ord. Sanctæ Mariæ de Mercede, apud Ameno sub *num.* 40. Pasqualigo *num.* 1083. Et ad I. respondit, *Regulares delinquentes uti incorrigibiles ejici non posse à Religione, anno carcerationis nondum completo*. Ad II. *non sufficere annum carcerationis interpollatè expletum, sed requiri spatium unius anni continuum, & integrum*: & idem censendum de carceratione ad sex menses sub Innocentio reducta.

Ideò, si è carceribus intra tempus præfixum aufugiat, nequit incorrigibilis declarari, & expelli, quia continua carceratio ad sex menses est, ex allegato Decreto, de substantia probationis incorrigibilitatis, qua non servata, corruit actus; sicut non subsistit professio, si non præmittatur integer probationis annus: & in similibus casibus recurrendum ad S. Congr.

22 An verò completo tempore carcerationis sit statim de carcere educendus? Cum distinctione respondetur. Vel in carcere vera emendationis signa exhibuit, vel dura cervice se ostendit. In primo casu liberandus est statim; nec est liberum Superiori excedere tempus à S. Congr. taxatum. In secundo ad id Superior non tenetur, sed est in ipsius potestate, vel in carcere eum detinere, vel ad expulsionem procedere; & ratio habetur ex tenore Decreti disponentis, quòd possint *ejici*, quibus significatur facultas, & non obligatio expellendi.

23 Facultas expellendi incorrigibiles in priori Decreto solis Generalibus data, consulentibus, & assentientibus sex ex gravioribus Patribus, eligendis in Capitulis, vel Congregationibus Generalibus; in altero extenditur ad Provinciales, accedente approbatione Generalis.

Et licèt in Decreto exprimatur Generalis, & apud Min. de Observ. id videatur debere intelligi de Ministro, privativè quò ad alios; nihilominùs approbatio potest dari, etiam à Vicario Generali, electo in Vacantia Generalatus, qui in Ordine est supremus, habens ordinariam potestatem, quam obtinet Generalis; & à Commissario, ad formam *Const. Iste, & vos*, Leonis X. *la* 23. *Bull. tom.* 1. pro sua respectivè Familia, cujus auctoritas, & jurisdictio est in ea ordinaria, & plenissima, ad sensum alleg. Constitutionis, & ea potest in sua Familia, quæ Generalis in toto Ordine, ut notat Miranda *tom.* 2. *q.* 11. *art.* 2. & Ameno *cit. tit. pœnarum quæst.* 26. *num.* 125.

Verùm expellendi potestas non potest alteri à Superiore delegari, juxta responsum specificè ab allegat. S. Congr. datum ad tertium dubium, dum censuit; *Generalem Ordinis non posse delegare facultatem ejiciendi à Religione Provincialibus pro eorum Provinciis* (hodie ex altero Decreto Provincialibus convenit) *seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus*. Et ideò in Ord. Min. de Obs. non est in potestate Ministris Generalis eam delegare Commissariis Generalibus, qui alicujus Nationis Provinciæ regendæ conceduntur: nec Vicario Generali ab eodem Ministro relicto ad gubernium Familiæ, cum ipse ad aliam transit: quidquid scripserit Ameno *non alleg.*

24 Patres, ex Decretorum vi eligendi, debent esse ex gravioribus Provinciæ: & in casu, graves non sunt Definitores, Custodes, ex Ministri, & cæteri graduati, ex præcisè titulo graduationis, quia his pluribus sæpè requisita desunt, ut sint Assessores, & Consiliarii, in re magni ponderis, & momenti, ut est ejectio: sed doctiores in Sacris Canonibus, Statutis, & re Criminali; ideò non est eligenda Dignitas, Officium, vel Gradus, sed nominatim determinata Persona, doctrina, & prudentia singularis.

Primum Decretum disposuit debere eligi in singuli Capitulis Generalibus, vel Congregationibus: quibus significatur, quod in unoquoque Capitulo facienda sit nova electio. Verùm electi in uno; possunt in subsequenti reeligi; quod ex identitate rationis servari debet in electionibus juxta extensionem alterius Decreti faciendis in Congregationibus (Capitulis nimirùm Provincialibus, quæ sub eo *Congregationis* vocabulo comprehenduntur.)

Non est necessè, quòd eligantur per vota totius Capituli, sed sat est per vota totius Definitorii, tempore Capituli Provincialis; & de sic electis salvatur, quòd eligantur, & non assumantur ad arbitrium Superioris, & eligantur in Capitulis Provincialibus.

25 Ut Provincialis possit sententiam diffi-

diffinitivam super expulsione pronunciare, non est necessè, quòd singula sex Patrum vota conveniant, & concordent; sed sufficit, ut maior pars consentiat: ut in terminis ad septimum S. Congreg. cit. respondit, ut infra: *Sententiam ejectionis à Religione fieri debere, saltem de voto majoris partis sex Patrum electorum.* Hinc in casu, quòd vota sint paria, & tres pro expulsione judicent, & aliis tres dissentiant, nequit definitivè procedi.

26 In casu paritatis Votorum non poterit Provincialis in Ordine Minorum de Observantia votum decisivum prætendere vigore Constitut. Urban. VIII. *Religiosos viros* 312. *Bullar. tom.* 5. Etenim in ea Pontifex restringit ut Præsides votum decisivum obtineant in electionibus Pro-Ministrorum Provinciarum, Custodum, & Guardianorum; quæ ad expulsionem extendi nequeunt cùm hæc ab electione maximè distet. Neque ex vi Decreti S. Congregat. Episcoporum, & Regularium sub die 13. Mart. 1653. *viden. c.* 18. *n.* 43. Nam Sac. Congregat. loquitur de electionibus faciendis, & negotiis decidendis per definitoria Provincialia; cuius generis non est illud expulsionis super quo Definitores, qua tales, votum non habent.

27 Numquam potest Superior super expulsione definitivè pronunciare, nisi priùs instructo processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum; hoc est, nisi Judici sic appareant, ut nullus relinquatur locus opinioni, suspicioni, aut dubietati; sed certò cognoscat eas subsistere: quod est eas plenè probare, ex Ameno *titul.* 8. §. 4. *nu.* 31. Nec sufficit ipsarum semiplena probatio, per quam aliqua fides Judici fit, quòd crimen sit commissum, sed non tanta, ut ipse teneatur, vel possit eam sequi in sententia ferenda.

Processus expulsionis non debet absolvi, nisi completo tempore carcerationis: & tunc adnotandum est, quatenùs constat Religiosum esse in sua pertinacia obfirmatum. Nam expelli non potest, nisi plenè probentur causæ expulsionis, adeòque incorrigibilitas: quæ non probatur concludenter, & adæquatè; nisi experimento semestris carcerationis in jejunio, & pœnitentia, adhibitis etiam gravibus Patribus à Provinciali sub finem sex mensium, missis ad carcerem ad explorandum sensum, & mentem Religiosi, ipsumque admonendum, ut ad cor redeat, & suæ vocationi respondeat. Quòd si hæc charitatis officia contempserit, & nihil correptus appareat, ac verbis iracundis, & blasphemis, de Deo, Religione, & Superioribus obloquatur, obduratus, & incorreptus est judicandus. De quibus ut juridicè constet, præfatis Patribus debent duo superaddi testes, qui omnes fideliter, & juridicè referant Provinciali, quidquid dixerit, quidvè responderit; & in processu adnotetur.

Quòd si emendatum se ostendat, expleto tempore, est è carcere educendus, & processus in Archivio Provinciæ conservandus ad hoc, ut, si denuò, triennio non exacto, in proposito benè vivendi, & exhibitione promissæ correctionis deliquerit, possit in expulsionis causa ad ulteriora procedi; quòd si integro triennio emendationis promissæ veris religiosis operibus corresponderit, processus comburatur.

28 Si ex novo decreto post excarcerationem, vel propter expressa coram illis Patribus cum testibus ad carceres missis, se incorrigibilem prodiderit, est ei à Provinciali exhibenda Actorum copia, ut in cæteris causis practicatur; Advocatus assignandus, cum congruis terminis ad defensiones: fabricato deinde defensivo processu, & defensionibus præsentatis debent Patres electi eas, & causas expulsionis diligentissimè considerare, merita causæ discutere defensiones liberare, & in dubiis, si opus sit, doctiores, & juris peritos consulere, & tandem votum suum scripto mandare. Tunc Provincialis, visis & examinatis processu contra reum fabricato, defensionibus, & sex Patrum votis, si expellendum judicaverit, poterit ad sententiam procedere.

Et hæc lata debet Reo in carceribus intimari; vel si fortè aufugerit, ad valvas Refectorii affigi (ut fit cum aliquis citatur per modum absentis.) Si Reus intra debitum tempus ad S. Sedem, & Sac. Congregat. appellet (ad quam ex secundo Decreto recurrere potest) ad eam devolvitur causa; Reo interim in carceribus persistente. Si verò non appellet, debet transacto tempore appellationis ab intimata sententia (decem nimirum diebus) è carcere educi, & coram tota communitate corona

Cle-

Clericali (si fuerit Clericus, vel Sacerdos) privari, & per Superiorem forma habitus exui, & confusibiliter à Refectorio in alium locum ejici, ubi sint parata vestimenta Clericalia, eius statui convenientia. Formula concipiendæ sententiæ, & modus fabricandi processum, traditur ab Ameno *in formul. crim. 2. par. practica sect. 10.*

29 At dubitatur, quid importet clausula secundi Decreti, *accedente approbatione Generali, definiant*: an nimirum approbari à Generali debeat sententia; an approbare debeat, Provincialem posse sententiare?

Crederem sensum esse, quòd Provincialis ad definiendum procedere non possit, nisi Generalis priùs declaret super eo posse definitivè procedere, approbare enim in casu restringi videtur ad declarandum, & testificandum, Reum esse expulsione dignum. Nam, cum præmittatur verbo *definiant*, colligitur eam declarationem debere sententiam præcedere, non sequi: alioquin non Provincialis, sed Generalis super eo definiret, contra textum Decreti. Ut autem id testificari, & declarare possit debēt ad eum vota sex Patrum cum summario processus, & defensionū notitia transmitti.

30 Expulsionis sententia, ut ex primo Decreto patet, à superiore est noti canda Ordinario. Formula, secundùm quam est significanda, datur per extensum à Peyrino *formul. Prælat. lit. E. c. 39.* & nos hìc ferè similem adnotamus.

Frater N. Provincialis Provinciæ N. Ordinis S. N. Illustriss. & Reverendiss. Domino Episcopo N. salutem in Domino. Illustrissimæ Dominationi vestræ notum sit, quatenùs nos ad Canonum, & Apostolicarum Constitutionum formam, ac Decretorum SS. CC. de Apostatis, & Ejectis sub die 21. Septembris 1624. & die 24. Julii 1694. respectivè emanatorum, procedentes, per nostram definitivam sententiam, quam inscriptis tulimus, hoc anno 1709. sub die 18. Martii à Nostra Religione tamquam incorrigibilem, P. F. N. de N. Religionis præfatæ expressè professum, & ad Sacrum Præsbyteratus Ordinem promotum (si fuerit Sacerdos: & si fuerit Clericus exprimatur Ordo: si verò Laicus, id notetur) *dimissimus, & ejecimus, habitu Religionis nudatum, quod Illustrissimæ Vestræ Dominationi significandum esse censuimus, ut & nos Apostolicis obtemperimus mandatis, & pecoris sui vultum possit Dominatio Vestra cognoscere, eaque etiam circa præfatum N. exequi valeat, quæ in Decreto allegato anni 1624. peragenda jussit S. Congr. Concilii. Et Dominus sit Dominationi Vestræ propitius. In quorum fidem &c.*

31 Si à Superiore litteras testimoniales expulsionis ejecti requirant, poterunt eis dari sub his terminis.

Frater N. &c. omnibus præsentes litteras inspecturis, pariter, ac lecturis, pacem veram, & salutem in Domino. Noverint, qualiter justis de causis animum nostrum moventibus, considerantes causam, & causas, de quibus in processu: per nos anno Domini 1708. à die 21. Octobris contra P. F. N. (exprimatur qualitas vel Sacerdotii, Clericatus, vel Laicatus) *Nostræ Provinciæ N. Ordinis S. N. expræssè professum, in sæculo nominatum N. de N. de consilio, & assensu eorum, ad quos spectat, ad præscriptum Decretorum de Apostatis & Ejectis de Anno 1624. sub die 21. Septembris, & 1694. fabricato, maximo animi nostri mœrore, ac necessitate ferè compulsi, omnibus de jure requisitis tentatis, & juris Ordine servato peractis, prædictum N. à Nostra Religione expulimus, ac habitu Religioso nudatum dimisimus, expulsumque, & dimissum, his litteris declaramus. In quorum fidem præsentes litteras jussu nostro conscriptas, sigilloque Provinciæ munitas, prætacto N. pro sua conscientiæ securitate tradidimus, & concessimus. Datum Romæ, die ... Anno &c.*

Fr. N. Minister Provincialis.

Quarum exhibitione possunt se tueri à molestia Judicis Laicis, ostendendo se subditos Episcopo.

32 An autem possit Ordinarius sententiam expulsionis examinare, & inquirere, an Regularis sit justè, vel injustè eiectus? Negativè respondetur cum Donato *prax. Regul. tom. 2. tract. 8. de eject. quæst. 55. num. 3.* Pasqualigo ad Lauretum de Franchis *par. 1. num. 974.* Amen. *cit. qu. 2. tit. pœnarum gen. num. 166.*

Ratio est evidens; siquidem recognoscere causam ab alio Judice actitatam est actus Iurisdictionis, & superioritatis: & potens eam recognoscere, potest etiam corrigere, retractare, aut confirmare: arg. *ex cap. sent. 35. qu. 9.* Gloss. *ad cap. memini 17. q. 4.* Ordinarius autem jurisdictionem non habet

habet supra Regulares, cum sint ab ipso exempti, *cap. nimis prava de excessibus Prælat. & cap. ne aliquis de privil. in 6.* vide *cap. 19. & ult.*

33 Superior, cum ei vel per Ordinarii litteras, vel aliundè constat ejectum esse emendatum, debet ad Religionem recipere sub pœna etiam peccati mortalis, ex Peyrin. *in formul. cit. quæst. 39. num. 7.* & in Decreto sub Urbano VIII. additur illa, *ipso facto incurrenda, privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, pœnaque hujusmodi sit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apostolicæ reservata.* Singulisque annis Superiores debent ejectos solicitè requirere, *cap. ne Religiosi de regul.*

34 Dum ad Religionem redeunt, non tenentur de novo professionem emittere: siquidem per expulsionem non liberantur ab obligatione, quam professione legitima contraxerunt; hæc enim est personalissima, & sequitur, ex Tamburin. *tom. 3. de jure Abb. disp. 8. quæst. 8.* personam, ubicumque ex istat; sed ea privantur solummodò communione vitæ Religiosæ, & bonis omnibus spiritualibus Religionis, quorum Religiosi sunt participes, & cohabitatione cum cæteris intra claustra; nec deobligantur ab observantia substantiali votorum essentialium, ex observatis à Doctoribus, Miranda *art. 5.* Tamburin. *quæst. 8. num. 5.* Roderic. *res. 57. v. dejectis num. 6.* & Engel. *cit. num. 56.* Etenim Prælati Regulares nequeunt suos subditos liberare à vinculo votorum solemnium, quæ sunt de essentia status Religiosi, & Regulæ Monachali annexa, ut dicitur *cap. cum ad Monasterium de statu Monach.* in fine, & tradunt Pasqualigo *num. 971.* & Peyrin. *tom. 1. de subdito quæst. 1. cap 25. §. 1.*

35 An autem redeuntes sint restituendi ad eosdem gradus, honores, prærogativas, & præcedentias? standum est Statutis, & Constitutionibus uniuscujusque Religionis, & juxta præscripta procedendum. Et quatenùs nil super hoc disponerent, rationabilius videtur, ut in pœnam ejectionis, & ad aliorum exemplum statim non restituantur; sed expectetur, ut eis dignos observantia se probent, & conversionem ex animo obsequendi Deo fuisse assumptam demonstrent. Stat. Min. *cap. 7. §. 6. num. 72.*

Official. Cur. Eccl.

firmant: nec statim *esse eis tribuendum caputium, sed recipiendos in Tertiariorum habitu: quod, si integro triennii cursu, patrum definitorum judicio, laudabiliter vixerint, poterit iterùm reddi.* Nunquam tamen volunt esse admittendos ad Sacrorum Ordinum exercitium. Idem in terminis præscribunt pro damnatis ad triremes. Pro quorum nova ad Ordinem admissione Sac. Congr. Episcop. & Regul. sæpè in facti contingentia resolvit recipi debere. Fagnan. *in 3. ad d. cap. ne Religiosi num. 68. de Regul.* refert debere transmissos ad triremes ad tempus, eo elapso, ad Religionem redire. Sed ob infamiam facti remanent irregulares. S. C. Episc. *in Mantuana 20. Decembr. 1619.* Monacell. *form. part. 2. form. 3. num. 39. tit. 15.*

CAPUT XXVI.

Officialis quoad Indulgentias.

SUMMARIUM.

1 *Paulus V. revocavit Indulgentias pro personis Regularibus, & alias dedit.*
2 *Damnatur propositio super revalidatione Indulgentiarum.*
3 *Non sunt revocatæ indulgentiæ concessæ visitantibus Ecclesias Regularium.*
4 *Non revocantur Indulgentiæ concessæ cum clausula* Universis Christifidelibus &c.
5 *S. Franciscus obtinet à Christo Indulgentiam Portiunculæ. Sed, an toties, quoties eam quis lucretur? vide responsum Sac. Congr. Conc.*
6 *Quæ non revocatur anno Jubilei.*
7 *Indulgentia Portiunculæ applicabilis per modum suffragii.*
8 *Indulgentia Portiunculæ conceditur quotidiana.*
9 *Indulgentia visitantibus Ecclesiam S. Francisci Civitatis Assisii.*
10 *Ad lucrandam Indulgentiam Portiunculæ die 2. Augusti est visitanda S. Capella usque ad n. 12.*
13 *Indulgentia Portiunculæ non potest obtineri per viam communicationis, usque ad num. 20.*
21 *Dividitur Indulgentia realem, personalem, & localem.*
22 *An Indulgentia cesset, Templo diruto?*

23 *Agitur de Indulgentiis concessis meda liis.*
24 *Episcopi possunt nonnullas Indulgentias concedre.*
25 *An, translato Festo, transferatur Indulgentia.*
26 *Visitantes Ecclesias Monialium existentium sub regimine Ordinariorum lucrari possunt Indulgentias concessas Ecclesiis Fratrum, & Monialium &c.*
27 *Decretum de apochryphis Indulgentiis usque ad num. 29.*
30 *Decretum Congreg. S. Officii quoad Indulgentias Coronis S. Birgittæ, & Crucibus S. Turribii, cum prohibitione libri cum titulo* Lotto spirituale.

EST Indulgentia, *relaxatio, remissio, seu condonatio pœnæ temporalis debita pro peccatis actualibus jam dimissis, a Prælato Ecclesiæ, existentibus in gratia, extra Sacramentum concessa per dispensationem, seu applicationem thesauri Ecclesiæ*; Gobat *tom.* 2. *oper. moral. tr.* 4. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 13. *Indulgentiarum usum Christiano populo maxime Sacrorum Conciliorum authoritate probatum retinendum esse*, Tridentinum docet, & præcipit, eosque anathemate damnat, *qui, aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant, sess.* 25. *in decreto de Indulgentiis.*

1 Paulus V. Const. *Romanus Pontifex la* 21. *Bullar. tom.* 3. omnes Indulgentias Ordinibus, & personis Regularibus concessas revocavit, novasque est elargitus, ut infrà.

„ § 1. Nos matura super hoc consulta„tione præhabita, cupientes personis Re„gularibus quibuscumque quorumvis Or„dinum, tam Monachorum, quàm Mendi„cantium, spirituale solatium, & juvamen „afferre, infrascriptas Indulgentias, & gra„tias, quas personis Regularibus, intra „claustra, aut extra, cum licentia tamen „suorum Superiorum, legitima de causa il„lis concessa, degentibus, tantummodò „suffragari debere declaramus, conceden„das duximus.

„ §. 2. Omnibus igitur Christi fidelibus, „qui canonicè, juxta Ordinis cujuslibet „Religionis, & Constitutiones Apostoli„cas habitum Regularem à legitimis Supe„rioribus causa profitendi in illo suscepe„rint, die primo eorum ingressus in ipsam „Religionem, si verè pœnitentes, & con„fessi Sanctissimum Eucharistię Sacramen„tum sumpserint, Plenariam.

„ §. 6. Ac cuilibet Novitio, qui pœni„tens, & confessus, ac sacra Communio„ne refectus, post completum probationis „annum, professionem emiserit, etiam „Plenariam.

„ §. 7. Nec non cuilibet Religioso intra „claustra sui Monasterii viventi, qui in Fe„sto principali sui Ordinis confessus, & Sa„cra Communione refectus fuerit, aut „Missam recitans pro Christianorum Prin„cipum concordia, hæresum extirpatione, „Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Ma„tris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum „preces effuderit, etiam Plenariam.

„ §. 8. In cujuslibet verò mortis articu„lo, si pariter verè pœnitens, & confes„sus, ac Sacra Communione refectus, vel „quatenùs id facere nequierit, saltem con„tritus, nomen Jesu ore, si potuerit, sin „autem corde, devotè invocaverit, etiam „Plenariam.

„ §. 9. Qui verò ad Presbyteratus ordi„nem canonicè promotus, & confessus, „primam Missam celebrabit, nec non etiam „iis Religiosis, qui pariter confessi, ac Sa„cra Communione refecti eidem Missæ in„terfuerint, aut ipso die Missam similiter „celebrabunt, etiam Plenariam.

„ §. 10. Iis verò, qui de suorum Superio„rum licentia, à negotiis per decem dies „alieni in cella commorabuntur, aut ab „aliorum conversatione separati, in pio„rum librorum, & aliarum rerum spiritua„lium animos ad devotionem, & spiritum „inducentium lectionibus operam suam „dederint, addendo sæpè considerationes, „& meditationes mysteriorum fidei Ca„tholicæ, divinorum beneficiorum, qua„tuor Novissimorum, Passionis Domini „Nostri Jesu Christi, & aliorum exercitio„rum, Orationum jaculatoriarum, aut vo„calium, saltem per duas horas in diem, „& noctem Orationibus mentalibus se se „exercendo, faciendo eodem tempore „confessionem generalem, aut annualem, „vel ordinariam, Sanctissimum Euchari„stiæ Sacramentum sumpserint, aut Mis„sam celebraverint, quoties pro quolibet „prædictorum exercitiorum, Plenariam si-

„mili-

„ militer omnium peccatorum suorum In-„ dulgentiam, & remissionem misericor-„ diter in Domino concedimus.

„ §. 11. Præterea iidem Religiosi intra „ claustra viventes qui suam Ecclesiam de-„ votè visitaverint, & ut præfertur, orave-„ rint, consequantur easdem Indulgentias, „ quas visitantes Ecclesias Urbis & extra „ eam diebus Stationum consequuntur, in „ omnibus diebus perindè, ac si ipsas Urbis „ Ecclesias personaliter visitarent.

„ §. 12. Omnibus item Religiosis intra „ claustra ut suprà viventibus, qui quin-„ quies Orationem Dominicam, & toties „ Salutationem Angelicam ante Altare eo-„ rum Ecclesiæ in quolibet die, quinque an-„ nos, & totidem quadragenas.

„ §. 13. Iis verò, qui de suorum Superio-„ rum licentia in itinere existentes, aut ex-„ tra claustra degentes, tamquam Prædica-„ tores, & Lectores, quinquies eandem „ Orationem Dominicam, & toties Saluta-„ tionem Angelicam ante, quodlibet Altare „ similiter dixerint, etiam quinque annos, „ & totidem quadragenas.

„ §. 14. Nec non etiam eisdem Religiosis, „ qui per mensem integrum singulis diebus, „ spatio mediæ horæ orationem mentalem „ fecerint, ac confessi, & sacra Commu-„ nione, ultima Dominica mensis huius-„ modi, refecti fuerint, sexaginta annos, „ & totidem quadragenas.

„ §. 15. Qui vero contrito corde, & pœ-„ nitentes eorum culpas, & peccata, ac im-„ perfectiones in Capitulis culparum accu-„ sabunt, & spiritualiter communicabunt, „ & exercitium virtutum facient, tres an-„ nos, & totidem quadragenas.

„ §. 16. Quotiescumque autem de licen-„ tia Summi Pontificis, aut suorum Supe-„ riorum in ditiones, & terras Infidelium, „ aut Hæreticorum ad concionandum, „ aut Catholicos docendum, vel infideles, „ & Hæreticos ipsos ad fidem Catholicam „ convertendum, & Ecclesiæ gremio re-„ ducendum, missi fuerint, si pœniten-„ tes, & confessi, ac Sanctissima Com-„ munione refecti fuerint, vel Missam cele-„ braverint, ut meliùs ad huiusmodi opus „ sese parare valeant, pro duabus vicibus „ videlicet, quando itineri se accingent, & „ quando in Provinciam, ubi prædicta ope-„ ra eis exercenda erunt, ingressi fuerint, „ Plenariam omnium peccatorum suorum „ Indulgentiam, & remissionem miseri-„ corditer in Domino pariter concedimus, „ & elargimur.

„ §. 17. Et insuper, cùm Superior in visi-„ tationibus generalibus Orationes quadra-„ ginta horarum pro bono visitationis pro-„ gressu collocare voluerit, iis Religiosis, „ qui dictis Orationibus, saltem spatio dua-„ rum horarum in diverso tempore inter-„ fuerunt, & ibi pro Christianorum Prin-„ cipum concordia, hæresum extirpatione „ Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Ma-„ tris Ecclesiæ exaltatione, nec non disci-„ plinæ, & observantiæ Regularis augmen-„ to, pias ad deum præces, ut suprà dictum „ est effuderint, si confessi, & sacra Com-„ munione refecti fuerint, aut Missam cele-„ braverint, Plenariam similiter omnium „ peccatorum Indulgentiam, & remissio-„ nem, ut præfertur, concedimus.

„ §. 18. Volumus autem, ut omnes supra-„ dictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis „ Regularibus cuiusvis Ordinis, tam Mo-„ nastici, quàm Mendicantis dumtaxat, ut „ præfertur, concessæ etiam omnibus Mo-„ nialibus, cuiusvis Regulæ approbatæ, & „ intra claustra cum tribus votis solemnibus „ viventibus, & perpetuam clausuram ser-„ vantibus, tam Ordinariis locorum, quam „ etiam Regularibus; cuiuscumque Ordi-„ nis, Regulæ, & instituti, subjectis suffra-„ gentur. Præsentibus perpetuis futuris „ temporibus duraturis.

„ §. 19. Cæterum omnes, & singulas In-„ dulgentias quibuscumque Ordinibus, & „ institutis Regularibus huiusmodi, etiam „ Mendicantium, & quibuslibet personis „ Regularibus, tam vigore privilegiorum „ & litterarum Apostolicarum, quàm vi-„ væ vocis oraculo, aut aliàs quovis modo, „ per quoscumque Romanos Pontifices „ prædecessores nostros, ac nos, & Apo-„ stolicam sedem, hactenùs concessas, con-„ firmatas, approbatas, & innovatas, au-„ ctoritate, & tenore prædictis perpetuò „ revocamus, cassamus, annullamus, & „ abrogamus, & ad præsentium nostrarum „ litterarum præscriptum reducimus, & „ moderamur. Non obstantibus &c. Romæ „ 23. Maii 1606.

2 Quoniam verò plures asserebant, per confirmationes privilegiorum, ea revocatione posteriores, dictas Indulgentias fuisse pristino valori restitutas, Alex. VII. die 18.

Martii 1666. illis super hoc silentium indixit, huiusmodi propositionem damnans.

Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

Nec datur locus distinctioni scribentium ab Alex. damnari hanc dumtaxat propositionem: *Indulgentiæ revocatæ à Paulo V. directè, & expressè sunt revalidatæ; minimè autem affirmantium esse revalidatas cum modificatione, itaut propter privilegiorum communicationem redierint ad suos pristinos possessores, si Religio aliqua post revocationem Pauli obtinuerit, ut ab eo revocatæ, per posteriores Pontifices innoventur, & iterum concedantur.* Id enim cum Decreto Alex. non cohæret, cum ipse absolutè velit non esse revalidatas: & adversatur alteri edito à S. Congr. Indulgentiarum, *ut infr. num. 27. in fin.* Quare numquam revalidari dicendum est, nisi expressè per Sedem Apostolicam successivè innoventur, vel nominatim confirmentur.

3 Cum Paulus in sua Constitutione dicat à se revocari Indulgentias quibuscumque *Ordinibus, & institutis Regularibus, etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus*: & Decretum citatum, *num. 27. declaret nullius roboris concessas personis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium*; sequitur eas dumtaxat revocatas, & abrogatas esse quæ directè, & principaliter concessæ erant ipsis Regularibus, non verò eas Ecclæsiis Regularium visitantibus datas, ut notavit Lezana *tom. 3. verb. Indulg. num.* 8. & declaravit Sac. Congreg. Indulgentiarum ab eodem Paulo deputata: ipseque approbavit apud Lant. *verb. Confrat. num.* 11. Cuius resolutio transmissa fuit Archiepiscopo Bononiensi, ut sequitur: *E perche molti dubitano se per la Constitutione di Sua Beatitudine sopra l'Indulgenze concesse ultimamente alle persone Religiose con revocazione delle antiche, venghino revocate anco l' Indulgenze concesse alle Chiese Regolari, & à quei, che le visitano, ancorche la Constitutione comprehendi chiaramente solo le persone Regolari, senza estendersi alle Chiese loro, tuttavia la Sac. Congregatione per levar ogni dubio, dichiara, che l' Indulgenze concesse à quelli, che visitano le Chiese de' Regolari, stanno nella loro forza, e vigore, Sinche la Santità Sua farà altra deliberatione, e però si possono lasciar publicare, quando non osti altra cosa.* Alia videas apud Nicol. *Flosc. verb. Indulg. num.* 6. Nec revocantur illæ concessæ Personis de Tertio Ordine; nam proposito dubio Sac. Congreg. Indulgentiarum, & in ea examinato: *An in generali revocatione Indulgentiarum, quæ in Brevi, Romanus Pontifex, Pauli V. habetur, comprehendantur personæ quæ substantialia Religionis vota non emittunt intra vel extra claustra degentes?* Ipsa respondit, *eas minimè comprehendi.* Et responsum confirmatur ab Innocentio XI. Constit. aliàs 10. *Octob.* 1686. *direct. Trium Ordin. art. 6. constit.* 1.

4 Nec revocantur per Gobat. *cit. part. 1. cap. 27. sub num.* 546. & Hasbensem *Summa Select. qq. v. Indulgentia sub num.* 222. Indulgentiæ promiscuè datæ Regularibus & Sæcularibus: ut, cum in litteris concessionis à Pontifice apponitur clausula illimitata. *Universis Christifidelibus, qui devotè visitaverint Ecclesiam v. g. S. Mariæ de Aracæli in Festo S. Francisci, Indulgentiam concedimus.* Quia huiusmodi generis Indulgentiæ non sunt datæ primò, & directè personis Regularibus, sed omnibus Christifidelibus; ideò & Regulares in eiusdem S. Francisci Festo, devotè, & ut oportet, præfatam visitantes Ecclesiam, eas possunt lucrari; cùm ipsi, sicut cæteri, sint fideles, & non deterioris conditionis.

5 Plenariam à Christo Domino, ad preces Deiparæ, pro omnibus fidelibus, qui Ecclesiam S. Mariæ Angelorum, seu Portiunculæ nuncupatam, in agro sitam Assisien. piè, & devotè visitassent, obtinuit S. Franciscus; quam ad unicam diem restrinxit Honorius III. ad secundam scilicet Augusti, in qua eiusdem Ecclesiæ anniversaria dedicationis memoria recurrit.

Et quia in Decreto sub Innocentio XI. de Apocryphis Indulgentiis S. C. Indulgentiarum declaraverat: *semel autem dumtaxat in die, Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri &c.* dubitabatur, an Indulgentiam præfatam lucrarentur fideles toties, quoties Ecclesiam visitarent? pro declaratione dubii fuerunt preces S. R. C. exhibitæ, ut infrà.

Episcopus Labacensis à parte Imperii Orator Devotus, EE. VV. humiliter exponit, quod

quòd non obstante Decreto Innocentii XI. de Apocryphis Indulgentiis sub die 7. Martii 1678. quo declaravit, semel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam lucrifieri, pergunt Fratres Ordinis S. Francisci Reformatorum Provinciæ Carnioliæ Populo persuadere, Indulgentiam pro die secunda Augusti, de Portiuncula nuncupatam, eorum Ecclesiam visitantibus concessam, toties quoties eadem die lucrifieri posse.

Cum autem hujusmodi abusus ad Summum Pontificem ab Ordinariis deferri jubeat S. Congr. Concilii Trid. sess. 25. de reform. c. 21. in decreto de Indulgentiis.

Idcircò Orator quærit, & declarari petit: an præfata Indulgentia, de Portiuncula nuncupata, etiam comprehendatur sub Decreto, & Declaratione san. mem. Innocentii XI. supradictæ? Pro qua gratia &c.

Die 17. Julii 1700. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, audita relatione Procuratoris Generalis, & Ministri Provincialis, censuit servandum esse solitum. (apud Impressorem Cameralem.)

6 Sub revocatoria Indulgentiarum, quæ Anno Sancto suspenduntur, memorata Indulgentia non comprehenditur, prout respectivè declaravit, & expressit Innoc. XII. ut infra.

Cum ob Sacri Jubilei celebrationem, à Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proximè venturi anni inchoandam, & usque ad finem ejusdem anni duraturam, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis locis piis sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium Regularibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, quomodolibet concessas, de Apostolicæ potestatis plenitudine suspenderimus, ac suspensas esse declaraverimus, easque eodem anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere decreverimus, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur: Nos cupientes, ut Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum Domus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, propè, & extra muros Civitatis Assisien. congruis frequentetur honoribus, ad eamque Cristi fideles lubentiùs accedant, quo exindè spiritualibus gratiis se uberiùs refectos conspexerint, tenore præsentium declaramus, mentis, & intentionis nostræ minimè fuisse, nec esse, sub præfata Indulgentiarum suspensione, Indulgentiam utriusque sexus Christifidelibus, prædictam Ecclesiam die secunda Mensis Augusti, à primis vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi visitantibus, & requisita, pro eadem Indulgentia consequenda, peragentibus, concessam, comprehendere, prout minimè comprehendimus, nec comprehensam esse, in verbo Romani Pontificis attestamur: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 21. Augusti 1699.

7 Indulgentiam Portiunculæ applicari posse per modum suffragii animabus defunctorum indulsit Innocentius XI. & extenditur ad visitantes Ecclesias Fratrum de Observantia, vel Reformatorum.

Aliàs fel. record. Greg. Papa XV. Prædecessor Noster *omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac Sac. Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, etiam Reformatorum, nuncupatorum, ubicumque existentium, die secunda Mensis Augusti à primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, annis singulis, devotè visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, misericorditer in Domino concessit, & aliàs: prout in ipsius Gregori prædecessoris litteris, desuper in simili forma Brevis die 4. Julii 1622. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberiùs continetur. Cum autem dilectus Filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis, ut nobis nuper exponi fecit, Indulgentiam Plenariam, & peccatorum remissionem, per dictum Gregorium prædecessorem, ut præfertur, concessam, etiam animabus Christifidelium defunctorum, per modum suffragii applicari posse, summoperè desideret: nos piis ejusdem Procuratoris Generalis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favo-*

rabiliter annuere volentes, auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remissionem Christi Fidelibus præfatis, supradictas Ecclesias Fratrum Ordinis S. Francisci de Observantia, & Reformatorum, dicta die secunda Mensis Augusti, ut supra visitantibus, & præmissa peragentibus, concessam, etiam Christi Fidelium Animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum Suffragii, applicari posse etiam, perpetuò concedimus, & indulgemus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 22. Januarii 1687.

8 Subindè Innocentius XII. Indulgentiam perpetuam, in quocumque die præfatam Ecclesiam visitantibus, concedit, *Bullar. Firmiani Const.* 46. incip.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi vices, licèt immeriti, gerentes in terris, Cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostræ commisit Deus, fideli, prudentique liberalitate libenter erogamus, sicut pia sublimium Principum, præclari in Ecclesiam Dei meritis fulgentium, ac Religiosorum virorum, propriæ, alienaque saluti laudabiliter incumbentium, vota postulant, & Nos, ad augendam, fovendamque Fidelium pietatem, profuturum in Domino arbitramur. Itaque spirituali Christi Fidelium ab Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupat. Domus Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci, de Observantia nuncupatorum, propè, & extra muros Civitatis assisien. assiduè (ut accepimus) ex universis Christiani Orbis partibus, devotionis causa, confluentium, consolationi, atque Animarum saluti, quantùm cum Domino possumus, benignè consulere, nec non dilecti Filii Bonaventuræ Poerii, Ministri Generalis dicti Ordinis, supplicationibus, etiam totius Ordinis prædicti nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis, quibus piè, atque enixè plurium Orthodoxorum Principum preces in idipsum tendentes accessere, favorabilem assensum præbere cupientes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus ad Ecclesiam supradictam, sic, ut præmittitur, confluentibus, qui illam verè pœnitentes, & confessi, ac Sac. Communione refecti, in quocumque Anni die devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione; ad Deum preces effuderint, plenariam omium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Augusti 1695.

9 Idem Innocentius plenariam Indulgentiam *sub die* 17. *Augusti* 1695. ut in *d. Bullar.* Const. *Commissa nobis la* 50. pleniùs continetur, dedit visitantibus in quocumque anni die Ecclesiam S. Francisci domus Frat. Ord. Min. Conventualium Civitatis Assisien.

10 Opus hìc est observare, quòd ad lucrandam Indulgentiam pro die 2. *Augusti*, incipiendo à primis Vesperis primæ diei ad sequentis Vesperas, visitanda est ipsa S. Capella, vulgò *di Portiuncula*. Nam S. Franciscus pro ea ipsam obtinuit. Tum quia pro tempore concessionis ipsa veniebat appellatione Ecclesiæ, tum Sanctæ Mariæ Angelorum, tum de Portiuncula, ut ex Lectionibus 2. *noctur. pro die Portiunculæ in Breviar. Min. de Observ.* Nec grandior tunc erat Ecclasia, ut de præsenti constructa, cujus ipsa diceretur Sancta Capella. Ad lucrandum verò concessam ab Innocent. XII. pro quovis anni die sufficit visitare Ecclesiam illam prægrandem, quæ communiter dicitur Ecclesia S. Mariæ Angelorum, cui est Indulgentia concessa, ut declaravit Clemens XI. de anno 1706.

11 An verò *visitatio debeat fieri per ingressum corporalem in ipsam respectivè Capellam, vel Ecclesiam?* Non desunt, qui asserant, dum quis ob concursum Ecclesiam visitandam impeditur ingredi, satisfacere visitationi extra portam, ibique orando, ut per Lugo, Bonacinam, & Dianam apud Gobat. *tom.* 2. *oper. moral. tract.* 3. *cap.* 20. *num.* 129. ex eo, quòd tunc censetur moraliter visitare Verùm illud est faciendum, quòd certius, & securius est. Tutiora enim in hac materia sunt sequenda. Ponderando non

non secundùm opiniones scribentium Indulgentias lucrari, sed realiter implendo, quæ in Formulis à Pontifice præscribuntur.

12 *An autem visitatio possit alteri committi?* Hoc pendet à quæstione: An opera injuncta, per alios impleri possint? Negatur de operibus exigentibus actionem propriæ personæ, ut sunt orare, jejunare, visitare; hæc per alium à lucraturo fieri nequeunt. Siquidem sunt ita actiones personales, ut eam solam personam denominent orantem, jejunantem, & visitantem, quæ illas immediatè, & proximè exercet. Concedunt verò de eleemosyna, quam quis per alium potest facere; quia secundum prudens judicium hominum, non famulus dicitur facere eleemosynam, qui de bonis, & domini concessione pecuniam erogat. Macedo *de Clavib. Petri lib.*4. *cap.*5. *in append. de Indulg.*

13 Quæritur. *An Indulgentia Portiunculæ obtineri possit per viam communicationis?*

Affirmat Roderico *tom.*1. *qq. regul. qu.*55. *à numer.* 106. eo quòd per communicationem omnia Indulta concessa uni Monasterio Ordin. Min. omnibus aliis ejusdem Ordinis Monasteriis, tam Virorum, quàm Mulierum, fiunt communia: hæc ille: concludens posse eam Sæculares lucrari, visitando Ecclesias Monialium Ordinis prædicti.

14 Verùm esse à Roderico recedendum probatur, tum ex praxi ordinis, tum ex Pontificum intentione: etenim, si, vel Ordo, vel Pontifices censuisset Indulgentiam Portiunculæ posse virtute communicationis suffragari Fidelibus, nec ille directe pro aliis Ordinis Ecclesiis postulasset, nec Summi Pontifices Indulta expressa concessissent & tamen Greg. XIII. *ubi supra* expresse concessit visitantibus Ecclesias Frat. Min. de Observ. & Reformat. Ab eodem sub eodemmet anno pro suis obtinuerunt Capuccini. Et ab Urbano VIII. Const. *Exponi la* 316. *Bullar. tom.*5. pro suis pariter Ecclesiis receperunt Claustrales de Tertio Ordine S. Francisci. Nec Conventualibus proprium deerit Indultum. Ideò si expresse Sede Apostolica non concesserit, quòd Sæculares visitantes Ecclesias Monialium Indulgentiam lucrari possint, eam visitando non acquirunt.

15 Dum enim mens Pontificum fuit, quòd Sæculares visitando Ecclesias Monialium lucrari possent Indulgentias concessas Fratrum Ecclesiis, nominatim declararunt, ut Clemens X. *in Bulla Canonizationis S. Petri de Alcantara in ejus Const. Romanorum la* 1. *Bullar. to.*5. concedens Indulgentiam plenariam perpetuam visitantibus in eius die Festo Ecclesias Fratrum, & Monialium Ord. Min. Quod factum est ab Alex. VIII. in Brevi *Redemptoris sub die* 7. *Decembr.* 1690. pro Indulgentia item perpetua, & plenaria in Festis SS. Joannis à Capistrano, & Paschalis Baylon, & alibi sæpè.

16 Agunt de communicatione Indulgentiarum inter Ordines Regulares, Gobat. *cit tract.*4. *quæst.*2. *cap.* 27. *n.* 550. Hasbensis *sum. qq. selectar. ver. privilegium*, *num.* 412. Peyrin. *de privileg. regul. ad Constit.* 2. *Leonis X.* §. 1. *num.* 3. aliique plures sustinentes id privilegii Mendicantes habere, ut Indulgentiæ Templis unius Ordinis concessæ censeantur ad aliorum Ordinum Templa, etiam per Sæculares lucrandæ, communicatæ, & extensæ.

17 Sed ampla hæc adeò Indulgentiarum extensio non regit, ut praxis ipsa docet, & communis sensus ostendit in illa Portiunculæ, pro qua acquirenda Sæculares non aliorum Ordinum Ecclesias, sed eas Franciscanorum visitant. Sicut ad lucrãdas Indulgentias in aliorum Ecclesiis respective concessas, non eas Franciscanorum, sed proprias ipsorum adeunt. Aliàs Ecclesiis, quibus expresse Indulgentiæ conceduntur, minueretur devotio, ut loquitur *loc. cit.* Peyrin. & ipsę vilesceret Indulgentię, per Lezanam.

18 Quinimmò, cum Leo X. Con. *Dudum per nos la* 32. *Bullar. tom.*1. inter Mendicantes, etiam Indulgentias communicasset, & Religiosi evulgassent in vim dictæ communicationis posse Sæculares visitando Ecclesias aliorum Ordinum lucrari Indulgentias elargitas Ecclesiæ S. Mariæ de Populo PP. Augustinianorum, declaravit, Sæculares eas lucrari non posse, nisi visitando d. Eclasiam de Populo; quia gratia facta intuitu Religionis, seu favore speciali erga Religiosos, ad Sæculares non extenditur. Quantum verò ad extensionem pro Religiosis, occurrit ponderandum, quòd Paulus V. in Const. *alleg.* aliis substitutis, revocat omnes alias Indulgentias, *quovis modo concessas*, adeoque, & concessas per modum communicationis.

19 Nec obstat, si posterioribus Constitutionibus communicationes privilegiorum confirmentur; ut Innocent. XI. Const. *Exponi nobis sub 5. Septemb. 1686.* plures quantum ad hoc Constitutiones confirmat pro Frat. Minor. de Observ. *in direct. trium Ordinum Const.* 5. Quia Innocentius utitur clausula: *Dummodo sint in usu, nec revocatæ, aut sub aliqua revocatione comprehensæ*, Tum quia confirmatio solùm operatur, ut robur accipit privilegium, si adsit, non illud de novo concedit, per *cap. ex parte de privil.*

20 Undè Scribentes excommunicationem quoad ipsos Religiosos sustineri, limitant, ut non censeantur communicari Indulgentiæ. I. Quæ exorbitant, & rarò, ac cum difficultate conceduntur, juxta regul. in *cap. si Episcopus de pœnit. & remiss.* quod *in generali concessione non veniant, quæ non esset quis verisimiliter concessurus.* II. Altaria privilegiata. III. Quæ speciali favore Sedis Apostolicæ erga aliquem Ordinem, Ecclesiam vel Sanctum concessæ sunt. Ad quod facit text. *in cap. sanè de privil.* ut apud *cit.* Hasbensem, & Gobat. Unusquisque videat, quid in specie à Sede Apostolica obtinuerit.

Est satis communis divisio Indulgentiæ in plenariam, & non plenariam; perpetuam, & apud tempus; de quibus apud Authores satis dictum.

21 Alia pariter est Indulgentia *localis*, *realis alia*, *& alia personalis*. *Localis* est illa, quæ est ita affixa loco, ut nemo eam lucrari possit, nisi, vel locum visitet, vel in eo oret, juxta expressa in formula Indulgentiæ: ut sunt Indulgentiæ, quæ Templis, Sacellis, & Oratoriis nominatim conceduntur; seu, quæ dantur visitantibus talem Ecclesiam, vel Capellam.

22 An autem, templo diruto, hæc cesset; Resp. Certum est Indulgentiam perire, si Ecclesia non reædificetur, quia fuit concessa Ecclesiæ, non loco. Sed dubium est *de illa totaliter diruta, si de* novo *extruitur*? Videtur perire, quia de Ecclesia non verificatur, quòd eadem moraliter maneat: secus dicendum de Ecclesia, quæ successivè reaptatur, in qua priores Indulgentiæ manent, quia in communi existimatione eadem reputatur, Gobat. *cit. tract. 4. p. 2. cap. 6. num.* 320. Macedo *cit. cap.* 5. *num.* 3.

23 Indulgentia *realis* illa est, quæ rebus mobilibus, ut Coronis, Imaginis, Crucibus, & Medaliis conceditur, & ita eis adhæret, ut nullus possit eam lucrari, nisi apud se rem illam hebeat; prout ex Indulgentiarum Formulis, in quibus clausula esse solet: *Omnibus, qui habebunt apud se Coronam, Medalliam, aut Crucem.* Dubia incidentia sunt decidenda juxta articulos in formula expressos. Quare Indulgentiam non lucratur, qui ab alio, dono, vel commodato aut precariò recipit Coronam, aut Crucem, quibus est applicata Indulgentia, ex Decreto Alexand. VII. sub *die 6. Februarii 1657.* relato à Gobat. *cit. c. 37. num. 678.* Qua propter nullus eam obtinet alieno Rosario, vel Cruce utens; prout quibusdam in locis ex ignorantia novi esse in practica.

At petitur; Habet *qui duo numismata Sacra, quorum singulis unius anni Indulgentia, dicto uno Pater noster, & Ave Maria, est concessa*; petitur, an *qui semel ita recitat*, possit *utramque Indulgentiam lucrari*?

Resp. Negativè. Id enim non præsumitur esse de mente Papæ concedentis Indulgentiam, & exigentis opus: & dat occasionem negligentiæ. Tum quia una Indulgentia lucranda unum opus requiritur: ergo aliud repetitum alia exigit. & hic unum tantum exhiberetur, Layman. *Thol. moral. tom. 2. lib. 5. tract. 7. cap. 6. n. 6.*

Indulgentia verò *personalis* illa est, quæ conceditur non ratione loci, qui visitatur; neque ratione rei, qua quis utitur, sed, vel quia recitatur Rosarium, legitur B.M. Virginis Officium &c. Potest directè concedi, vel integræ Communitati (quam potest quisque ut ejusdem Communitatis pars locari) vel alicui singulari personæ: istoque casu verificatur notissima illa regula juris in 6. *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.*

24 Quæritur. *An Episcopi possint Indulgentiarum Beneficia concedere?*

Resp. Affirmativè, sed non nisi ad Juris præscriptum. Undè, ut ex *cap. Ex eo de Pœnit. & remiss.* in die Dedicationis Ecclesiæ Indulgentiam unius anni, & ultrà Quadraginta dies in ejusdem anniversario, vel ob alias causas non possunt excedere, Indè constat in eos potestatem ad Indulgentias conferendas à Pontifice dimanare, qui plenitudinem potestatis obtinet, ut *ibi. text.*

25 Translato Festo, pro quo concessa est

est Indulgentia, non transfertur ipsa Indulgentia, prout ex Decreto Sac. Rit. Congr. 10. *Junii* 1690. relato *in rubr. Breviar. Min. de Observ.tit.*10.*n.*109.

At Felix *tom.* 1. *exam. Eccles. num.* 37. *quæst.* 5. dixit, tunc Indulgentiam etiam transferri, tum Festum transfertur non solùm quoad Officium, sed etiam quoad Forum, abstinentiam nimirùm ab operibus servilibus. Sed absque fundamento hoc asserit. Siquidem Indulgentiæ pro certo, & determinato die concessæ, tamquam eidem affixæ non transferuntur, nisi à Pontifice hoc expresśe concedatur. Quarè petentibus PP. Minimis: An, translato Festo S. Francisci de Paula post Octavam Paschatis, censeretur quoque translata Indulgentia, Sac. Congreg. *die* 20. *Novembr.* 1694. respondit *negativè*, *& serventur Rubricæ* Monacel. *form.par.*2.*for.*6.*tit.*16.*n.*9.

26 Indulgentiæ generatim concessæ Ecclesiis Fratrum pariter,, & Monialium, tum in diebus Festis SS. Ordinis, tum in aliis huiusmodi Solemnitatibus, cunctæ æquè obtineri possunt à Christifidelibus, visitantibus Ecclesias Monialium, quæ subsunt gubernio Ordinariorum; prout declaravit Sac.Con. Reliquiis, & Indulgentiis præposita 27.*Februarii* 1673. *d. Rubr. Breviarii Franciscani tit.* 12 *n.*160.

DECRETUM

De Apocryphis Indulgentiis ab Innoc. XI. approbatum.

27 „ DElatę sæpiùs fuere ad Sacram Congregationem Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositam, Indulgentiæ quædam confictæ, & omninò falsæ, „quæ per diversas Orbis Christiani partes „circumferuntur aliæ verò examinandæ: „quæ adhibito studio inventæ sunt, vel „Apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus „revocatæ, vel nullæ, quòd datum eis „tempus prętieriisset; quarum quidem plu„rimæ, cum non facilem cognitionem „habeant, Christifideles harum reum mi„nus peritos fallunt, qui spe Indulgentiæ, „remissionisque peccatorum suorum con„sequendæ frustrantur. Quamobrem ea„dem Sac. Congreg. vehementer cupiens „huic malo in dies serpenti occurrere, ani„marum profectui, & Indulgentiarum „dignitati consulere, plures illarum singu„lari diligentia colligi, & in Indicem re„ferri curravit.

„ Tales in primis sunt illæ, uti asserunt, „concessæ à Joanne II., & à Sixto IV. re„citantibus Orationem charitatis Jesu „Christi Domini Nostri, *Præcor te piissime* „*Domine &c.* ab Urbano II. Ecclesiæ San„ctæ Mariæ, ut vulgò dici solet, Campa„gnolæ, & Sanctæ Victoriæ, ab Eugenio „III. revelationi de Plaga in humero Jesu „Christi factæ Sancto Bernardo, ab Inno„centio III. Archiconfraternitati, & Or„dini Redemptionis, à Bonifacio IX. vi„sitantibus Capellam S. Nicolai de Tolen„tino in ejus die Festo; à Joanne XXII. „osculantibus mensuram plantæ pedis B. „Mariæ Virginis, ab Alexandro VI. Ima„gini Beatæ Mariæ, vulgò dictæ, Laghet„ti, à Leone X. gestantibus funiculum S. „Francisci, primùm in Urbe impressæ, „deindè Mediolani anno 1665. (suas ta„men habent, & veras Confratres Archi„confraternitatis Cordigerorum Sancti „Fracisci) recitantibus Salvationem An„gelicam ad pulsum Horologii, & Imagi„ni Conceptionis Mariæ Virginis Imma„culatæ in circulo depictæ, cujus pedibus „Luna subjecta est, à Pio IV. vel Pio V. „Principi Senarum, à Clemente VIII. „dicentibus Orationem: *O Magnum My„sterium &c.* & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, „quam vocant Montis Serrati, Avenione „impressæ, tum aliæ pro animabus Chri„sti fidelium Defunctorum, impressæ Ma„triti 20. Julii 1606. à Paulo V. cantanti„bus Hymnum: *Te Matrem Dei landa„mus, tè Mariam Virginem confitemur &c.* „vel, si die Sabbati interint; dum idem „canitur, & Coronis, Rosariis, Imagini„bus, & Numismatibus, quæ medalias „appellant, ab eo benedictis Federico Car„dinali Borromæo supplicante anno 1611. „dum Ecclesia Romæ in honorem Sancti „Caroli ædificaretur, & ab eodem Paulo, „& Gregorio XV. dicentibus: *Sia lodato il* „*Santissimo Sacramento*, ab Urbano VIII. „in honorem ejusdem Sacramenti preci„bus Cardinalis Magalotti, & Sacerdoti„bus, celebrata Missa, dicentibus: *Ave fi„lia Dei Patri: Ave Mater Dei filii &c.* à „Clemente X. recitantibus manè, meridie „ac vespere consuetam Antiphonam *An„gelus Domini &c.* & in fine *Deogratias, &*

„*Ma-*

„ *Maria*. Ac demùm aliæ à nonnullis, Ro„ manis Pontificibus tributæ, ut aiunt, „ Coronis Mysteriorum Passionis Domini „ Nostri Jesu Christi, prece magni Ducis „ etruriæ.

„ Talis Indulgentia Sodalitatis Sancti „ Nicolai, qua, repetita quinquies Ora„ tione Dominica, & salutatione Angeli„ ca, unam liberari animam quolibet die à „ Purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ „ Perusii Confraternitatis Sanctorum Se„ bastiani, & Rocchi, & Romæ Societa„ tis Sancti Bernardi ad Columnam Traja„ nam. Tales demùm aliæ Crucesignato„ rum Sancti Eustorgii Mediolani, Arimi„ ni, & Bononiæ.

„ Eius generis sunt & illæ concessæ, ut „ ajunt, Cappellæ Rosarii in Ecclesia San„ cti Antonii de Rovigo, seu Rodigii, vel „ Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis Bergomi, „ aut Sancti Petri Montis Todoni in die „ Festo Inventionis Sanctissimæ Crucis, „ vel gestantibus funiculum S. Francisci de „ Paula, vel celebrantibus Missas Sancti „ Augustini, aut alias quinque in honorem „ quinque Festivitatum Beatæ Virginis, vel „ recitantibus Officium S. Franciscæ Ro„ manæ, aut Antiphonam: *O Passio magna* „ *&c.* in memoriam Passionis Jesu, aut Ro„ sàrium S. Annæ (quod Congregatio Sa„ crorum Rituum non probat,) aut ora„ tionem, quæ impressa cum Imagine San„ ctæ Annæ circumferri solet: *Ave gratia* „ *plena &c.* (quæ oratio prohibetur) aut „ Officium Conceptionis Beatæ Virginis „ Immaculatæ, quod asserunt à Paulo V. „ probatum fuisse, aut oratione: *Deus*, „ *qui nobis in Sancta Syndone &c.* excipitur „ Indulgentia centum dierum anno 1671. „ concessa precibus Ducissæ. Sabaudiæ ad „ anno 25. cunctis in illius ditione degenti„ bus; aut aliam: *Ave filia Dei &c.* post „ Communionem recitandam, vel aliquo „ conspicuo signo venerantibus Sanctissimi „ Eucharistiæ Sacramenti Nomen: Indul„ gentiæ rursus octoginta millium anno„ rum veteri de Tabula exscriptæ, quam „ in Basilica Lateranensi asservari affirmant „ pro dicentibus Orationem illam verè „ piam: *Deus*, *qui pro redemptione Mundi* „ *&c.* tum, quæ impressæ fuerunt Papiæ an„ no 1670. sub hoc titulo *Somm. dell' Indul*„ *genze concesse dalla Santità di Nostro Si*„ *gnore Papa Leone X. all' Imagine della* „ *Concezione della Gloriosa Vergine Ma*„ *ria*; vel Pisauri sub nomine B. Joannæ an„ no 1608. evulgatæ, vel Barlettæ, seu Ba„ ruli à recitantibus quasdam non sanè ma„ las Orationes lucrandæ: vel Parmæ à visi„ tantibus per Quadragesimæ dies Ecclesias „ Tertii Ordinis Sancti Francisci; vel Pisto„ rii, & Vastallæ à recitantibus Orationem „ *Ave Sanctissima Maria Mater Dei Re*„ *gina Cœli &c.* & aliæ in peculiari impresso „ libro descriptæ, quibus frui dicunt Devo„ tos Seraphicos, & Benefactores.

„ His annumerandæ sunt, quæ Cruci„ bus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel „ Coronæ; sive Stellario Conceptionis Vir„ ginis Immaculatæ, quod ex duodecim „ globulis præcariis constat; vel Granis, „ Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascen„ sione Hispaniæ Moniales Ordinis Sanctæ „ Claræ: vel mensuræ altitudinis Jesu Chri„ sti Domini Nostri: vel Imagini, aut „ mensuræ vulneris lateri ejus inflicti; vel „ Orationi, ut ajunt, in Sepulchro Domi„ ni Nostri repertæ: & Indulgentiæ ut „ ajunt, innixe relevationi factæ Sanctis „ Birgittæ, Mectildi, & Elisabeth, vel B. „ Joannæ de Cruce, & concessæ, ut asse„ runt, granis, quæ aliquod ex tribus, gra„ nis tetigerint extantibus penes Roma„ num Pontificem, Hispaniarum Regem, „ & Ministrum Generalem Fratr. Minorum „ Observantiæ Sancti Francisci.

„ Omnes verò, & singulas jam dictas In„ dulgentias Sacra Congregatio partim es„ se confictas, & plenè falsas declarat: par„ tim Apocryphas, vel ex alio capite nul„ las, quæ nemini suffragari possunt, eas„ que in futurum ullo in loco, ut veras pu„ blicari, & lucrandas Christi fidelibus pro„ poni vetat; foliaque, & libros, ubi sic „ proponuntur, seu asseruntur, omninò „ præcipit aboleri, nisi prædictæ Indulgen„ tiæ fuerint diligenter expunctæ: nec ideò „ tamen vult alias, quas hoc decretum non „ continet, pro veris, & legitimis, taci„ tèque probatis haberi.

„ 28 Ac demùm omnes Indulgentias „ concessas ante decretum Clementis VIII. „ latum 9. *Januarii* 1597. Coronis, Rosa„ riis, granis, seu calculis, Crucibus, & „ Imaginibus Sacris, vel ante breve Pauli „ V. quod incip. *Romanus Pontifex &c.* edi„ tum 23. *Maii* 1606. personis Regularibus, „ quarumque Religionum, & Ordinum,

„ etiam

„ etiam Mendicantium, vel antè Constitu-„ tionem 115. Clementis VIII. cujus ini-„ tium *Quacumque &c.* & 68. Pauli V. inci-„ pien. *Quæ salubriter &c.* habitas per ag-„ gregationem, vel aliam communicatio-„ nem ab Archiconfraternitate ulla, Ordi-„ ne, Congregatione, Societate, etiam Je-„ su, Capitulo, vel ab eorum Officialibus, „ Superioribus, aliisque personis, vel perso-„ na, etiamsi earum, vel ejus mentio specia-„ lis, & individua facienda esset, nisi fuerint „ deinde Romani Pontificis authoritate in-„ novatæ, aut confirmatæ, nullius esse ro-„ boris, & momenti pariter declarat.

„ Porrò Summaria Indulgentiarum pro „ Congregationibus Doctrinæ Christianæ, „ Confraternitatibus Sanctissimæ Trinita-„ tis, & Redemptionis captivorum, No-„ minis Dei, Rosarii, Beatæ Mariæ de Mer-„ cede, & Redemptionis Captivorum, Bea-„ tæ Mariæ de Monte Carmelo, Centuræ „ Sancti Augustini, & S. Monicæ, nisi ab „ eadem Congregatione recognita, non „ permittuntur.

„ 29 Indulgentias verò Stationum Ur-„ bis, quæ à Romanis Pontificibus singulari „ quodam beneficio vel communicatæ sunt, „ vel communicabuntur interdum aliqui-„ bus locis, Ordinibus, aut personis, die-„ bus tantùm Stationum in Missali Roma-„ no descriptis, suffragari posse declarat: se-„ mel autem dumtaxat in die plenariam In-„ dulgentiam in certos dies Ecclesiam visi-„ tantibus concessam, vel aliud pium opus „ peragentibus, lucrifieri.

„ De quibus relatione facta per Secreta-„ rium ad Sanctissimum, cuncta Sanctitas „ Sua probavit, & inviolatè servari jussit. „ Datum Romæ die 7. *Martii* 1678.

30 Subindè Sac. Congr. S. Officii *sub die* 18. *Julii* 1703. quoad Indulgentias conces-sas Coronis B. Birgittæ, & Crucibus Sancti Turribii, disposuit, ut infrà.

Examinatis *documentis exhibitis ad probandam validitatem Indulgentiarum, quæ, ut asseritur, concessæ fuerunt ab Alexandro VI. Coronis S. Birgittæ, & ab Urbano VIII. Crucibus, quas vocant Sancti Turribii; examinatis etiam quibusdam foliis, impressis Romæ, Venetiis, & forsan alibi cum titulo*: Lotto spirituale per le povere Anime del Purgatorio molto bisognose di Christiano soccorso &c. *in quibus præscribitur modus suffragandi per quamdam speciem sortis animabus, quæ in Purgatorio cruciantur; maturèque omnibus perpensis*: Eminentissimi decreverunt.

Quoad *Indulgentias concessas, ut prætenditur, Coronis Sanctæ Birgittæ, declarandas esse apocryphas, & nullius roboris, ac momenti; sine præjudicio tamen Indulgentiarum à Leone X. dictis Coronis concessarum.* 6. Idus *Julii* 1515.

Quoad *Indulgentias, ut prætenditur, concessas Crucibus Sancti Turribii, circa quas fuerunt relata decreta, aliàs edita ab hac* Sacra Congregatione, *tamquam falsas esse prohibendas.*

Quò verò *ad prædicta folia, impressa cum titulo*; Lotto spirituale &c. *esse ubique supprimenda, non propter suffragia pro iisdem animabus, quæ sancta sunt, sed propter dictum titulum, & modum, qui est prophanus, & Christiana pietate planè indignus.*

Nemo igitur *cujuscumque Ordinis, gradus, & conditionis existat, Indulgentias, Summaria ipsarum, si quæ sunt, & respectivè præfata folia promulgare, & apud se retinere, imprimere, vel imprimi curare audeat; sed statim à præsentis Decreti notitia, quicumque eadem summaria, & folia habuerit, locorum Ordinariis, aut hæreticæ pravitatis inquisitoribus tradere teneatur, sub pœnis in brevibus, seu Constitutionibus Apostolicis contentis.*

In dicta autem Const. Leonis X. à PP. Sanctæ Birgittæ existentibus hìc Romæ in platea Farnesia, in causa Sac. Congr. Sancti Officii exhibita, hæc sunt: *Ex Clementi, & infrà.*

Et *Nihilominus, cum, sicut accepimus, dilecti filii Populus, seu incolæ, & habitatores loci dicti Monasterii ab antiquissimis temporibus præfato Monasterio preculas, seu patriloquia benedicenda afferre soleant, ut Christifidelium devotio ad Monasterium ipsum ferventiùs invalescat, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui per, & super hujusmodi preculas, seu patriloquia, priùs per Confessorem generalem benedicta, & recepta, devotè oraverint, pro qualibet Oratione Dominica centum dies, & totidem pro Salutatione Angelica, & pro quolibet Symbolo, si dixerint, vel recitaverint, etiam centum dies Indulgentiarum: nec non pro*

quo

quolibet psalterio Beatæ Mariæ Virginis super illis integrè per eosdem Christi fideles, per se ipsos, aut cum uno socio, vel familiari (qui eandem Indulgentiam consequatur) dicto, vel recitato, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis Pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, non obstantibus quibusvis &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Domini 1515. *6. Idus Julii.*

CAPUT XXVII.

Officialis quoad interdictum Ecclesiasticum.

SUMMARIUM.

1 *Natura interdicti.*
2 *Ejus divisio in locale, personale, & mixtum.*
3 *Interdicta Ecclesia, est interdictum Cœmeterium: distingue: & interdicta Civitate sunt interdicta Suburbia.*
4 *Interdicto populo, non intelligitur interdictus Clerus; & interdicto Clero absolutè, & Regulares interdicuntur.*
5 *Quæ Sacramenta tempore interdicti possint administrari?*
6 *Sepultura negatur morientibus in interdicto; sed quid de Clericis?* ibi lege.
7 *Regulares excommunicantur, si tempore interdicti, vel nominatim interdictum scienter in loco Sacro sepeliant.*
8 *Matrimonium tempore interdicti non suspenditur, benè verè solemnis benedictio danda Sponsis.*
9 *Episcopus conferens Ordines tempore interdicti est irregularis.*
10 *Interdicti possunt Ecclesias adire ad audiendas conciones; & possunt eo tempore pulsari Campanæ pro* Ave Maria.
11 *Tempore interdicti ex* cap. Alma Mater, *possunt quotidiè januis clausis &c. celebrari Missæ, & alia Divina Officia.*
12 *Etiam Regulares tenentur servare interdictum.*
13 *Privilegium à Clemente VIII. datum Minoribus tempore interdicti.*
14 *An aliis Regularibus suffragetur?*
15 *Tempore interdicti possunt Regulares in Ecclesiis admittere eos, qui sunt de Tertio Ordine.*
16 *Interdictum differt à cessatione à Divinis, excommunicatione, & suspensione.*

1 INterdictum Ecclesiasticum (ab interdicendo, seu prohibendo dictum) *Est censura Ecclesiastica in locum, vel personas lata, prohibens quorumdam Sacramentorum usum, Divina Officia activè, & passivè, & sepulturam interdictis ministrari.*

2 Ejus devotio est in locale, personale, & mixtum. Locali interdicitur locus, nè in eo prædicta exerceantur. Personali persona, nè in eo ad præfata admittatur. Mixto personæ simul, & locus interdicuntur.

3 Locale aliquando est generale, totam Provinciam, vel Civitatem afficiens; aliquando particulare, quo interdicitur una, vel altera Ecclesia, sed non omnes. Et sciendum *ex cap. Si Civitas* §. *Rationem, de sent. excommunic. in 6.* quòd, interdicta Ecclesia, censentur etiam interdicto submissa cœmeterium, & capellæ, præsertim eidem contigua: & interdicta Civitate, sunt interdicta Suburbia, *ibidem.*

Personale item aliquando est generale, quod directè fertur in omnes Castri, vel Civitatis personas; & sic suppositi interdicto, nec in loco proprio, nec in distincto Territorio audire, & admitti possunt ad Divina; quia, ut scripsit Piasec. *prax part.* 2. *c.* 4. *art.* 11. *n.* 2. cum illis deambulat interdictum: ad quod facit *tex. in c. Si sententia de sent. excommunic. in 6.*

Cum interdictum est dumtaxat personale, possunt in Ecclesiis Populi interdicti ad Divina admitti Peregrini, & cęteri, qui non sunt membra interdicti Collegii; quemadmodùm, cum est solùm locale, posse personas illius loci, nisi causam dederint interdicto, in alio Territorio, interdicto non supposito, participare divina, notavit Piasec. ibidem ex *alleg. c. Si sententia.*

4 Interdicto populo, non intelligitur interdictus Clerus, *ex cap. Si sententia tit. cit.* ibi expresè: *Si sententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur* (nisi aliud sit expressum in ea) *interdictus populus: nec etiam è converso;* quia populus abso-

absolutè prolatus pro Laicis supponit. Ipso autem Clero absolutè, & impliciter interdicto,& Regulares exempti interdicuntur, ut advertit Miranda Man. *Prælat. tom.* 2. q.37. *art.*3. & Lezz. *Summ. q. Regul. tom.*3. *verb. interdictum num.*5. Qui non comprehendi testatur, si non Clerus, sed Clerici interdicantur.

5 Tempore interdicti localis generalis vel specialis, pueris, & adultis propter moræ periculum possunt licitè exhiberi Baptismus, & Confirmatio, prout *c. Quoniam eodem tit.* Morientibus quoque adultis non denegatur Sacramentum Pœnitentiæ, ex *cap. reponso, de sent. excommunic.* quod conceditur, etiam posse sanis ministrari, observantis restrictivis adjectis *cap. Alma Mater eodem tit. in* 6. ut infrà:*Concedimus quod* tempore *interdicti* (loquitur Bonifacius VIII.) *ab homine, vel à jure prolati, non tantummodo morientes, sed etiam viventes, tam sani etiam, quàm infirmi ad pœnitentiam (quæ propter pronitatem, & facilitatem hominum ad peccandum, summè necessaria est) licitè admittantur; dum tamen excommunicati non fuerint: quos admitti (præterquàm in mortis articulo) nolumus ad eadem, illis etiam, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata est sententia interdicti; vel, qui ad perpetrandum delictum, cuius occasione ipsum interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium, vel favorem; nisi de ipso delicto (si sint tales, quod id facere, valeant) priùs satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem: aut, si satisfacere nequeunt, vel huiusmodi cautionem præstare, juraverint, quòd cùm poterunt, satisfacient, & ad satisfactionem huiusmodi per eum, vel per eos, qui facere ipsam debent, & possunt, præstandam dabunt consilium, & auxilium, ac juxta posse suum fideliter laborabunt: non est Pœnitentiæ beneficium aliquatenùs concedendum.* Quæ ministrari possunt in Ecclesia interdicta, si interdictum sit generale: & cum locus sit quoad unam tantùm Ecclesiam interdictus, ad Ecclesiam non interdictam pro istis Sacramentis recurritur Piasec. ibidem *num.*3. Covar. *in cap. Alma Mater de sent. excommunic. par.* 2. *cap.* 2. *à n.*7. *vers. Hæc vero.*

6 Eucharistia tempore interdicti non negatur decedentibus contritis,& pœnitentibus,textus expressus in *c. permittimus eodem tit. &c. quod in se de pœnit. & remiss.* ubi Extrema-Unctio, & sepultura negatur morientibus in interdicto. Clericis verò, qui servaverint interdictum, ibid. Clemens III. concedit posse in loco Sacro sine Campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulari. Et Clericorum appellatione ex Suarex ipse Piasec. *num.* 4. deducit, quoad hunc effectum intelligi debere omnes personas Ecclesiasticas, ad aliquod servitium Ecclesiæ applicatas.

7 Regulares privilegio exemptionis non possunt se tueri, quin excommunicationem incurrant, si tempore interdicti, vel nominatim interdictos scienter in loco Sacro præsumpserint sepelire; ut *in terminis Clement. Eos, qui ad sepulturas*, in casibus ab jure non concessis, quos ibidem explicat Glos. *in ver. à jure*. A qua non possunt absolvi, nisi priùs ad arbitrium Diœcesani Episcopi, eis quibus fuerit per præmissa injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem; super quo Gloss. *in verb. ex quibus*, notat, quòd relaxato interdicto, illius corpus, quod propter interdictum non fuit in loco Sacro sepultum, poterit ad illum, servatis solemnitatibus, transferri, modò signa contritionis ante obitum exhibuerit.

8 Contractus quoque matrimonii tempore interdicti non suspenditur, ex adnotatis à Gloss. ad *d. cap. Alma Mater in ver. Sacramentis*. Solemnis tamen benedictio tunc sponsis dari nequit, Piasec. *num.*10. Et Engel. *Colleg. Jur. Can. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 94. scripsit eos, qui sua culpa specialiter personaliter interdicti sunt, non posse durante hoc interdicto, licitè (tametsi validè) matrimonium contrahere.

6 An autem tempore interdicti possit Sacramentum Ordinis conferri? Negat Covar. *cit.* §.3. *num.*4. Volpi *resol. moral. resolut.* 82. *v. interdictum num.* 19. Sylvest. *ver. interdictum* 5. *quæst. num.* 6. *ad finem*. Et irregularitatem non evitat Episcopus Ordines, aut primam tonsuram conferens ut optimè ipse probat Covar. *alleg.* Qua innodatur per Piasec. *n.* 11. quilibet in loco interdicto, vel pro personis interdictis, celebrans, vel scienter cùm solemnitate exercens actum, Ordini alicui Sacro deputatum (præterquàm in casibus concessis) nonisi per Papam dispensanda: efficiturq; ineligibilis,

lis, ac inhabilis ad concurrendum cum aliis ad electionem activam, *cap. expressus, cap. is, qui, cap. is, cui de sent. excomm. in 6.*

10 Interdicti licitè ingrediuntur Ecclesiam causa Orationis, dum in ea Divina Officia non peraguntur: possuntque ad eam per Campanæ pulsum convocari ad effectum, ut ad Concionem conveniant, & ad correctionem induci valeant, *alleg. cap. responso*. Et ut moris est, Interdicti tempore possunt pulsari Campanæ ad effectum excitandi Populum ad salutandam B. V. M. Piasec. *num.* 8.

11 Conceditur, *d. cap. permittimus*, ut tempore interdicti semel in hebdomada, non pulsatis Campanis, voce submissa, januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, Missa celebretur causa conficiendi Corpus Christi, ut ibi pleniùs continetur *In d. c. Alma Mater*, concessio extenditur, ut infra: *Quòd singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur Divina Officia, sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis*, & inferius: *In Festivitatibus verò Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ, Campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce Divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis: quibus ob reverentiam dictarum Solemnitatum (ut & ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis effectum, faciliùs inclinentur) præfatis diebus participationem permittimus divinorum; sic tamen, quòd illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, Altari nullatenus appropinquent*: ad oblationes nimirum, & communionem non admittantur, Volpi *resolut.* 93. *num.* 6. Concessionem Martinus V. Const. *Ineffabile* ampliavit ad Festum, & Octavam Corporis Christi, *ut in Bullar. tom.* 1. *Constit.* 12. §. 4.

12 Etiam Regulares cum moderatione *in d. cap. Alma*, tenentur servare Indirecta, sive à Sede Apostolica, sive ab Ordinariis promulgata, per definita à Trid. *sess.* 25. *cap.* 12. *de regul.* ibi: *Censuræ, & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo à Regularibus in Ecclesiis publicentur, & serventur.*

Quo decreto revocantur privilegia Regularibus ante Tridentinum concessa, ut possent ad Tempus in Festis sanctorum suorum Ordinum suspendere interdictum; habetur ex *d. sess.* 25. *cap.* 22. *de Regul.* ob amplissimas clausulas, quarum vigore omnes Regulares, etiam Religionis Hierosolymitanæ obligantur ad observanda disposita, & contenta in superioribus Decretis, ejusdem Sessionis, ibi: *Non obstantibus eorum omnium, & singulorum privilegiis &c.*

Sublatis autem quoad hoc eorum privilegiis absolutè, non est dubium verificari in eo pariter, in quo concernunt moderationem esse sublata prout declaravit S. C. C. apud Pignatell. *tom.* 10. *consul.* 1. *num.* 35. & apud Peyrin. *de privil. regul. ad const.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *num.* 50. ibi: Octavum dubium: *An privilegia Regularium, quòd non teneantur servare interdicta in aliquibus diebus tantum, velut in Festis suorum Ordinum, sint contraria Concilio, & sublata.* Respondit ad octavam: *privilegia, si ante Concilium concessa fuerint, utique revocata existunt*. Quare Greg. XIII. Const. *In tanta la* 9. *Bullar. tom.* 2. reduxit ad terminos juris communis, & Concilii Trid. Constit. B. Pii V. *Et si Mendicantium la* 41. *ibid.* in iis quæ sunt Trid. contraria. In qua ibi *n.* 4. B. Pontifex declaraverat, privilegia *Regularium non comprehendi sub d. cap.* 12. *Trid. de Interdicto*: *& ad tenorem ipsorum ea suspendit in Festivitatibus, & octavis Sanctorum Ordinum ipsorum*. Super quo Donatus *prax. reg. tom.* 3. *tract.* 12. *quæst.* 36. Navar. apud Mirandam *tom.* 2. *in manual. quæst.* 37. *art.* 12. Quidquid nonnulli propria dicta instrumentis non justificantes scripserint apud d. Peyrinum.

Idcircò, ut possint tempore Interdicti solemni ritu, januis apertis, Campanarum pulsatione, & cum Laicorum admissione proprias Sanctorum festivitates celebrare, debent post Trid. privilegium specificum obtinuisse, vel obtinere; prout obtinuit Ordo Minorum, ut ex Litteris Clement. VIII. *in Bullar. Roderic. Bull.* 4. ubi indultum extenditur ad Festa Portiunculæ, & S. Didaci, ut sequitur.

13 *Sacra Seraphici B. Francisci Religionis in Sanctam Romanam Ecclesiam merita poscunt, ut Privilegia, & indulta, illi per Sedem Apostolicam concessa, non modo conserventur, sed etiam amplientur Cùm itaque sicut*

sicut accepimus, diversorum Romanorum Pontificum concessionibus Religioni præfatæ indultum sit, ut temporibus Interdicti, quacumque, etiam Apostolica authoritate appositi, Festa Sanctorum ejusdem Ordinis, Francisci, nimirum, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, ac Martyrum, solemni ritu celebrare, perinde, ac si interdictum hujusmodi minimè appositum esset, liberè possint; Festa verò Sanctorum Didaci, & Portiunculæ in prædicto Indulto minimè comprehendantur; Nos Religionem prædictam amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac Indultorum hujusmodi, & Litterarum Apostolicarum desuper expeditarum tenores, præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictæ Religionis per Dilectum Filium Nostrum Hieronymum Presbyterum Cardinalem Matthæjum, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Religioni prædictæ universæ, ac cuicumque ipsius Ordinis, sive Familiæ Conventui, ut in eorum Ecclesiis Festa etiam prædicti S. Didaci, & Portiunculæ, temporibus Interdicti solemniter, prout alia Festa prædicta, ac juxtà Indultorum illi concessorum seriem, & tenorem celebrare liberè, & licitè possint, authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac Indulta prædicta ad prædictas S. Didaci, & Portiunculæ Festivitates extendimus, & ampliamus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, universalibus, Provincialibus, & Synodalibus, Conciliis editis, generalibus, vel specialibus, necnon omnibus illis, quæ in præfatis Indultis, & Litteris Apostolicis concessum est non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Tusculi sub annulo Piscatoris 17. Octobris 1595. Pontif. nostri anno 4.

14 *An autem hoc privilegium suffragetur aliis Regularibus propter communicationem privilegiorum?*

Affirmant Suarez, Portel. & Roderic. apud d. Pignatellum *num. 24.* putantes, communicationem privilegiorum verificabilem etiam esse in Festorum celebratione, præsertim quoad eos Regulares, qui habent prægnantissimam communicationem privilegiorum ab Apostolica Sede, tam concessorum, quàm concedendorum, prout reperitur inter Ord. Mendicantes, Pred. Minor. Heremitar. S. Augustini, Carmelitar. Servorum B. M. Virginis, & Minimorum, ac Moniales, & Tertiarios dd. Ordinum, *ad text. in const. Dudum la 22. Leonis X. Bull. tom. 1.* in qua privilegia uni eorum Ordinum data cæteris communicantur.

At in puncto juris est certum, d. privilegium cæteris Regularibus virtute communicationis privilegiorum non suffragari. Nam hujusmodi privilegium est de numero eorum, quæ raro, & cum difficultate conceduntur, & speciali nota dignum, quod nullus inficiet; ergo non cadit sub generali privilegiorum communicatione, ut tradunt communiter DD. apud d. Pignatellum. Hinc, si cæteris in specie non concedatur, vel nominatim communicetur, non suffragatur.

Nec obstat ratio in contrarium, quia communicatio privilegiorum procedit tantùm quoad privilegia, quæ non sunt à S. Sede revocata; cum autem privilegium de non servando interdictum in certis casibus, sit à Trid. revocatum; dum Papa alicui Ordini communicat privilegia alterius, non censetur communicare illud, quod aliàs sublatum fuerat, nisi expressè exprimat. Aliàs censeretur priorem revocationem revocare, quod absque fundamento sustinetur; atque ita rueret privilegiorum revocatio, quod non est dicendum.

Maximè verò facit, quòd Trid. *d. sess. cap. 22.* mandans observari decreta ejusdem *sess.* revocat etiam communicationis privilegium, quatenus istud impediret ipsorum observantiam. Siquidem derogat omnibus privilegiis, quæ observantiæ obstarent. Ideò, ut cæteri Regulares possint in suis Festis Interdictum suspendere, debent in specie obtinuisse, vel obtinere Indultum, aut expressè alteri concessum est eis communicandum.

De pœnis, quibus ligantur Regulares non servantes Interdictum, vel à Sede Apostolica, vel locorum Ordinariis impositum, agitur in Clement. *Ex frequentibus de sent. excomm.* ubi excommunicantur inobservantes, dum noverint id servari à Cathedrali, Matrice, vel Parochiali.

Quod procedit, etiamsi prætendatur e T: nulliter latum. Et non modò de Interdict 9 generali, quod fertur in Regnum, vel Provinciam; sed etiam de eo, cui submittitur Villa, vel Castrum, *per text. in cap. cum in partibus de verb. signific.* sed Trid. *d. cap.* 12. re-

12. requirit, ut Episcopus observantiam mandet: quod intelligendum de illo à se imposito; quia quoad impositum à Pontifice sufficit notitia.

15 An autem Regulares possint in suis Ecclesiis admittere ad Divina, januis clausis celebrata, Fratres, & Sorores de Tertio Ordine? Resp. Affirmativè, per expressè disposita à Leone X. *d. Constitut. Dum intra;* modò causam non dederint interdicto, nec causam ipsam nutriant, aut foveant, nec auxilium, consilium, aut favorem quoquo modo præstiterint. Quo quidem privilegio revocatur prohibitio de eo absolutè facta Minoribus in Clement. *Cum ex eo d. tit.*

16 Sub eadem excommunicationis pœna ex d. Clement. tenentur Regulares servare Cessationem generalem à divinis. Quæ ab Interdicto differt. I. Quòd ipsa non est censura, *sed simplex prohibitio divinorum in signum gravissimi mæroris ab Ecclesia concepti propter gravissimam injuriam sibi, vel divino honori illatam.* II. Quòd nec in casibus exceptis, & cum limitationibus *in cit. cap. Alma Mater*, licèt tempore Cessationis divina officia celebrare. III. Quia tempore Cessationis à divinis administrari tantùm possunt Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia per modum Viatici: ac semel in hebdomada causa conficiendi Corpus Christi pro infirmis licet celebrare, juxta *d. cap. permittimus.* Tenet Gonzalez *in 1. tit. 31. cap. 13. num. 4.*

17 Differt quoque Interdictum ab Excommunicatione, tum majori, tum minori, & à Suspensione. Ab Excommunicatione majori, quia hæc vi sua privat absolutè activè, & passivè perceptione omnium Sacramentorum, suffragiorum publicorum participatione, & Fidelium societate, tum in spiritualibus, tum in politicis: sed non adest debitum vitandi excommunicatum, nisi sit notorius, aut denunciatus expresè ex Const. Leoni X. *Primitiva* sub 20. §. 24. *ibid.* Quod de interdicto cum tanta generalitate non verificatur ex dictis. Item Excommunicatio non fertur, nisi in determinatas personas, *cap. Romana de sent. excom. in 6.* Interdictum verò potest in integram Communitatem, & locum pronunciari, *cap. Non est de sponsalib.* Ab Excommunicatione verò minori differt, quia hæc privat solùm participatione passiva Sacramentorum, non sepultura, nec divinorum auditione. A Suspensione tandem, quia hæc privat tantùm exercitio officii, vel Beneficii Ecclesiastici, & solùm afficit Clericos: quando Interdictum, etiam Laicos percutit.

CAPUT XXVIII.

Officialis quoad Juspatronatus.

SUMMARIUM.

1 *Juspatronatus Laicis competit ex privilegio Ecclesiæ.*
2 *Juspatronatus quid sit?*
3 *Laici non possunt habere sedes in Presbyterio; ubi de thurificatione, & osculo.*
4 *De erectione Baldachini in Ecclesiis per Principes.*
5 *Arma, & Insignia à Patronis in Ecclesiis, vel Capellis apposita, ab aliis amoveri non possunt.*
6 *Ad acquisitionem jurispatronatus concurrunt* fundatio, constructio, & donatio *Ecclesiæ, vel Capellæ.*
7 *Ecclesiæ sine dotis assignatione construi non debent, nec consecrari.*
8 *Ex sola assignatione dotis acquiritur juspatronatus in Beneficio.*
9 *Capellæ, & Altaria erecta absque Ordinarii consensu, non dicuntur de jurepatronatus.*
10 *Quando ex reædificatione Ecclesiæ acquiratur juspatronatus?*
11 *Ex augumento dotis non acquiritur juspatronatus &c.*
12 *Differentiæ inter Patronum laicum, & Ecclesiasticum, usque ad num. 14.*
15 *Tempus Patrono ad præsentandum Clericum ad Beneficium vacans currit à die notitiæ vacationis, usque ad numerum 19.*
20 *In Ecclesiis Parochialibus de jurepatronatus Laicorum non fit examen per concursum.*
21 *Cum plures ad eamdem Ecclesiam præsentantur, ipsi præsentati per concursum experimentum faciunt propriæ habilitatis, usque ad num. 25.*
26 *Forma probandi juspatronatus datur à Trid.* sess. 25. cap. 9. de ref. *ubi duo genera Personarum distinguit,* Potentium, & Privatarum.

27 *Pri-*

27 *Privatæ personæ probant ex authentico instrumento fundationis, aut dotationis, usque ad num. 31.*
32 *Quot anni requirantur ad tempus immemorabile?*
33 *Aliis modis possunt privatæ Personæ juspatronatus probare, usque ad numer. 36.*
37 *Ad præsentandum non sufficit esse in quasi possessione præsentandi, sed debet de titulo jurispatronatus doceri.*
38 *Appellatione Potentium qui veniant? & de probationis forma per eos facienda super jurepatronatus, usque ad num. 44.*
45 *Juspatronatus ad alios transferri potest.*
46 *In creditorem juspatronatus non transfertur, usque ad n. 49.*
50 *Juspatronatus aliud est* hereditarium, *aliud* gentilitium, *usque ad num. 53.*
54 *Usufructuario competit jus præsentandi.*
55 *Juspatronatus gentilitium competens illis de Familia, istis extinctis transit ad hæredes, usque ad n. 59.*
60 *Ubi Patroni in discordia plures præsentant, ille instituitur, qui habuit plures voces.*
61 *Diversa Sacr. Congregat. Decreta super materia jurispatronatus, usque ad num. 66.*
67 *Patrono quando conveniat jus sepulturæ?*

1 JUspatronatus acquiritur Laicis fundatoribus Ecclesiarum, & gratia, & permissione quadam, ac privilegio Ecclesiæ, ex *cap. Quoniam de jurepatron.* Laici enim de jure antiquo in Ecclesiis, etiam per eos ædificiatis, vel dotatis, nullum jus habebant, sed statim Ecclesiæ ipsæ cum dotibus suis ad ordinationem pertinebant Episcoporum, *cap. Decretum*, *cap. Noverint* 10. *quæst.* 1. & notatur in *cap. Piæ mentis* 16. *quæst.* 7. Sed successivè ad ea tempora, Ecclesia constituit, ut ipsi Patroni haberent in Ecclesiis, vel Capellis certa jura, prout expresse *cap. Nobis dict. tit.* ut hac ratione Laici inducerentur ad fundandas, & dotandas Ecclesias, vel Capellas, & Beneficia Ecclesiastica. Quod non obscurè significat Tridetin. *sess.* 25. *cap.* 9. *de reformat.* ubi decernit, æquum non esse veris Patronis suum juspatronatus non servare, ne tali via Fideles ab operibus piis retrahantur. Hinc patet, quòd quidquid juris habet Patronus in Ecclesia, totum ex gratia, & privilegio Apostolico procedit. Quo præciso, juspetronatus non acquireret. Quoniam, cùm juspatronatus sit saltem spirituali annexum, per *cap. de jure dict. tit.* & *cap. Quanto, de judiciis*, cum sua Gloss. *in verb. connexa* (notante juspatronatus censeri spirituale propter connexitatem, ordinem nimirùm ad collationem Beneficii Ecclesiastici) requiritur dispensatio, & privilegium Ecclesiæ, aliàs à Laicis possideri non potest, quia absque tali indulto similis juris capaces non sunt, *cap. Decernimus, de jurepatron.* Et propterea constat juspatronatus, quod Laici in Ecclesiis habent, gratiosum esse, eosque Ecclesia in tali potestate ex gratia sustinere.

2 Quæritur, *quid sit juspatronatus?*

Respond. *Est jus præsentandi Clericum ad Beneficium Ecclesiasticum.* Quod aliàs definiri solet, ut: est *jus honorificium, onerosum, & utile competens alicui in Ecclesia, pro eo quòd de Diœcesani consensu ipsam construxit, dotavit, vel fundavit ipse, vel is, à quo causam habet.* Ex qua descriptione habetur triplex jus competere Patrono in Ecclesia patronata, *utile, onerosum, & honorificum.*

Jus utile significat, ut si Patronus perveniat ad inopiam, modestè alatur de bonis Ecclesiæ, *dict. cap. Nobis citat. tit.* maximè, si Ecclesia fructibus abundet, & possit superesse aliquid ultrà necessarias expensas pro Ecclesia, Piasec. *prax. p.* 2. *c.* 5. *art.* 1. *n.* 19.

Jus onerosum importat, quòd Patronus teneatur Ecclesiam ab impugnationibus defendere, & de rebus Ecclesiæ solicitudinem gerere, ne fraudentur, *c. Constitutum* 16. *qu.* 1. *c. Filiis qu.* 7.

Jus honorificum designat plures honorantias competere Patrono in Ecclesia patronata. Competit honor processionis, hoc est, honor præsentandi: quem habet Patronus in præsentando Clericum, quia sine præsentatione non potest Episcopus regulariter institutionem facere, ut probat Fagnan. *in* 3. *ad cap. Nobis num.* 28. *de jurepatronat.* In quo Patronus est aliis præferendus.

Observat Piasec. citat. posse Patronos in fundatione Beneficiorum sibi aliquas honorantias reservare; sed turpes non debent esse. Ita nequeunt sibi reservare, quòd, Ecclesia diruta, dos ad se ipsos revertatur: quia semel Deo dicatum, ad usus humanos non est ampliùs revocandum juxta *regul. 51. jur. in 6.* Nec potest reservari conditio, quod Rector Ecclesiæ Parochialis sit ad nutum amovibilis, quia iste debet esse perpetuus. Secùs dicendum de Capellano, qui potest esse amovibilis, ita tamen, ut alius non nisi per Episcopum instituatur, ut idem Piasec. ex Genuensi *prax. cap.* 102. *num.* 6.

An autem quis possit promoveri ad Ordines Sacros ad titulum Capellaniæ amovibilis à Patrono fundatæ?

Resp. Negativè, nisi ex dispensatione Sedis Apostolicæ prout apud Monacell. *form. p. 2. form. 3. num. 17. tit. 13.* ubi recenset, quòd Sacra Congr. Conc. aliquando ob penuriam Sacerdotum, vel paupertatem locorum dispensat, ut quis possit promoveri ad titulum Capellaniæ amovibilis; dummodò sit redditus sufficientis pro victu: accedente obligatione valida Patroni debentis nominare de non removendo ordinando, durante istius vita, prout indulsit in Eugubina 17. Aprilis 1706. & aliàs. Unde Episcopus dispensare non potest.

3 Cæterùm non potest Patronus habere locum in Choro, & Presbyterio, juxta Decretum Concilii Moguntini, relatum in *cap. Ut Laici de vit. & honestat. Cleric.* in quo expresse, & generaliter prohibetur Laicis stare, & sedere in Presbyterio, quando celebrantur Divina Officia, ex Sacr. Rit. Congreg. in Melphitana 15. Junii 1665. & in Baren. 22. Febr. 1687. & decreta renovavit in Neapolitana 13. Martii 1688. apud d. Monacell. *ibid. form. 1. numer. 4. & 5. ad fin. form.*

Quare nec Patronus est admittendus ad sedendum, vel standum in eodem Presbyterio cum ipsis Ministris, ut ex mente Sacr. Congr. Conc. respondit Rota in Valentina Capellæ 5. Martii 1599. coram Justo. Et quòd sedes Patronorum non intra, sed extra Chorum, in digniori tamē loco sint collocandæ, resolvit eadem Sac. Congr. Conc. 21. Augusti 1587. apud Pignatell. *tom. 4. consult. 16. num. 3.* & iterùm 25. Augusti ejusdem anni in Seguntina apud eumdem *to. 1. consult. 7. num. 37.* Idem procedit in genuflexorio honorifico, quod extrà Presbyterium est collocandum.

Quo verò ad thurificationem triplici ductu, licèt per regulas cæremonialis Episcoporum debeatur soli Episcopo, vel Celebranti; nihilominùs; ubi adest immemorabilis consuetudo, quòd alii pariter triplici ductu thurificentur, ea est prorsus servanda, prout declaravit Sac. Rit. Congreg. in una Casertana 18. Septembris 1632. Ita pariter circa thurificationem ante, vel post Dignitates, & Canonicos, esse recurrendum ad consuetudinem, resolvit eadem Sac. Congr. apud Barbos. *summ. dec. Apost. ver. Thurificatio.*

Quantùm autem ad pacem, eadem S.C. censuit in una Granaten. 9. Maii 1606. & alibi, pacis osculum nulli, nec etiam Præsidenti, vel Consiliariis Regis, dandum esse ante Episcopum; sed dandam Domino loci, & aliis Laicis post datam pacem omnibus de Choro: & tunc deberi non à Beneficiato, sed ab aliquo Ministro Cotta induto, non cum osculo, sed cum Instrumento, ut eadem Sac. Congreg. resolvit in una Calaguritana 5. Julii 1614. & in una Pacen. 21. Martii 1609. & alibi sæpè apud Pignatell. *cit. consult. 7. num.* 30. Nec ulli Sæculari, etiam Præsidi, dandum est Euangelium deosculandum in celebratione missæ, eadem Sac. Congr. in Lucerina 21. Novemb. 1664. & 13. Martii 1687. apud d. Monacel. *loco cit.*

4 Circa erectionem Baldachini in Ecclesia per Dominos temporales, emanavit Decretum Sac. Congreg. Episcop. in una Bojanen. 12. Iannuarii 1618. ut infrà: *In Ecclesiis nullus, neque Dominus loci, præterquam Episcopus, Baldachinum potest erigere? & Episcopus omnibus Sacrorum Canonum remediis hujusmodi Baldachinum omninò removeri facere debet*, ex eodem Pignatell. *ibid. num.* 17. & alibi sæpè, & præsertim in dicta Neapolitana, in qua mandavit, ut Decreta prohibentia personis sæcularibus osculum Evangelli, usum Baldachini, & assistentium in Præsbyterio renoventur. Et iterum 22. Aprilis 1690. approbante Pontifice, declaravit in Decreto de anno 1688. comprehendi non tantùm usum, sed etiam retentionem Baldachini, tam in Presbyterio, quàm extra; & injunxit Ordinariis Regni Neapolitani, ut facerent ea remove-

movere ab Ecclefiiis fuarum Diœcefum, tam Sæcularium; quàm Regularium: & quoad Ecclefias Regularium procederent ad interdicta, & contra inobedientes ad cenfuras, authoritate S. Congreg. Monacell. *ibid.*

5 Competit Patronis jus ponendi in Ecclefia, vel Capella patronata infcriptiones, arma, & infigna fuæ familiæ, vel fepulchra, & fimilia: non quidem ad pompam, & inanem gloriam, fed ad excitandos fe ipfos, & alios, tum pofteros ad virtutem, divinumque cultum, ut afpectu talium admoniti, & vocati moveantur, & ad fimilia opera pietatis, & ad orandum pro anima Fundatorum.

Nec poffunt fimilia inde amoveri, aut aliis monumentis; infcriptionibus, aut armis præpediri: neque circa Capellam aliqua conftitui, per quæ profpectus Capellæ impediatur, fed relinquendus eft profpectus undequaque liber. Confiderando, quòd, conceffo profpectu, intelliguntur prohibita omnia, quæ ipfum impedire poffunt, *l. inter fervitutes, ff. de fervit. urban. prædior.* Quare, conceffa Capella cum Sepulcro, nihil eft ædificandum ex omni parte, per quod Capellæ, & Sepulchro, aut eorùm profpectui noceatur. Nam prædicta reputantur conceffa ad finem, ut devotio, & memoria defuncti ex prædictorum afpectu excitetur. Et hìc nota nomine Sepulchri venire non modò locum, qui recipit humationem, fed etiam id omne, quod fupra reperitur, ut dixit Genuen. *prax. c.* 109. *n.* 2.

6 Quæritur. An ex fola fundatione Ecclefiæ, vel Capellæ, acquiratur jufpatronatus, feu jus præfentandi Rectorem? an verò requiratur etiam conftructio, & dotatio?

Refp. Tridentinum *feff.* 14. *cap.* 12. *de reform.* loquitur alternativè, ibi: *Nifi Ecclefiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & conftruxerit, feu jam erectam, quæ tamen fine fufficienti dote fuerit, de fuis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jufpatronatus impetrare, aut obtinere poffit, aut debeat.* Et *feff.* 25. *cap.* 9. *de reform.* ibi: *Titulus jurifpatronatus fit ex fundatione, vel dotatione.* Cæterum, ut quis acquirat jufpatronatus, non fufficit, ut fundum affignet pro ædificanda Ecclefia, fi nec ipfe, vel alius Ecclefiam ædificet. Quoniam tunc non poteft dici Ecclefia de non effe ad effe producta, adeòque neque de ipfa prædicari patronatus, quia de non ente ens prædicari eft impoffibile: affignato autem præcisè fundo, & non ædificata, Ecclefia eft non ens, cum adhuc in rerum natura non exiftat. Et inde nequit verificari, quòd in ea Petronus habeat jus honorificum, onerofum, & utile; quod juxta defcriptionem jurifpatronatus fuperiùs datam debet Patrono competere. Nec fatis eft conftruere, vel expenfas facere in ædificatione Ecclefiæ, eidem non affignata competenti dote. Neque ex pura hujus affignatione acquiritur, nifi aliàs Ecclefia, vel ab ipfo dotante, aut alio fundetur, & conftruatur. Nam, ubi Ecclefia non exiftit, nullum jus poteft Patrono acquiri.

Et hinc fequitur, ex fola fundi collatione non acquiri jufpatronatus in Ecclefia, fi nemo alius Ecclefiam conftruat, & dotet, neque ex fola conftructione, fi nemo alius dotem affignet; neque ex fola collatione dotis, fi nullus Ecclefiam fundet, & conftruat; fed hæc omnia tria debent copulativè ab initio concurrere, juxta illud.

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Sed petitur. An necefsè fit, quòd omnia illa ab uno fimul præftentur, & eadem perfona debeat Ecclefiam fundare, conftruere, & dotare?

Refpond. Negativè, fed fatis eft, quòd unus det fundum, alius ædificet, & alius affignet dotem: tunc enim omnes in folidum efficiuntur Paroni, per *cap. Piæ mentis, cap. Fringentius, capit. Quicumque* 16. *quæft.* 7. Concordant DD. Archidiaconus, Cardinalis, Abbas, & Lambertinus, & poft eos Fagnan. in 3. *ad cap. Quoniam de jurepatronat. numer.* 49. & Pignatell. *tom.* 9. *confultat.* 82. *num.* 86. Et ita acipienda funt jura, quæ difponunt, jufpatronatus poffe acquiri ex pluribus caufis alternativè, hoc eft, cùm unus dat fundum, alter conftruit, & aliùs dotem affignat: unufquifque enim alternativè ex una caufa efficitur Patronus ejufdem Ecclefiæ. Quibus omnibus in dicta Ecclefia competunt dicta jura, honorificum, onerofum, & utile. Quæ verificari non poffent, ubi unus pro una Ecclefia fundum daret, & alius aliam conftrueret, ac tertius dotem affignaret alteri Ecclefiæ non ædificatæ, nec ædificandæ.

7 Nec dicas, Ecclefiam ex fola fundatio-

datione, & constructione de non esse, esse ad esse deductam, adeòque fundantem, & construentem esse Patronum: Nam utique Ecclesia fundatione, & constructione deducitur de non esse ad esse; sed dote nondum assignata, deducitur solùm incomplete, quoad effectum acquirendi juspatronatus, & contra juris prohibitionem. Quare notabis, quòd licèt Ecclesia sine dote construi possit, nunquam tamen debet consecrari, nisi competenter dotata fuerit, per *cap. Cùm sicut de consecrat. Eccles. vel Alt.* Monacell. *for. p.* 1. *for.* 10. *num.* 4. *tit.* 6. & tenuit Sac. Congr. Conc. Nullius Galeatæ 27. Novembris 1694.

8 Sed quid, si à multis annis Ecclesia sit fundata, & constructa, & postea tempore succedente ab alio dotetur?

Resp. Tunc juspatronatus acquiritur ei, qui de consensu Ordinarii eam competenter dotat, juxta Trid. *d. sess.* 14. *c.* 12. *de refor.* Quo casu constructio retrotrahitur, & Ecclesia videtur dotata ante Consecrationem; sicut subsequens Matrimonium retrotrahitur ad effectum legitimandi Filios illegitimos, ex *c. Tanta qui fil. sint legit.* De competentia dotis judicat Ordinarius.

Advertendum, quòd ad acquirendum juspatronatus non sufficit fundatio, & dotatio Ecclesiæ, aut Beneficii; sed de necessitate requiritur consensus Episcopi cum conditione acquirendi juspatronatus, ut per Piasec. *cit. num.* 37. Quoties itaque iste desideratur, non dicitur Beneficium, sed pium opus, aut pia donatio, ut advertit Monacell. *for. p.* 2. *for.* 1. *num.* 2. *tit.* 15. A cujus authoritate, & consensu juspatronatus sufficienter spiritualizatur, Pignatel. citat. *num.* 17. ut vendi non possit.

9 Hinc sequitur, quòd Capellæ, & Altaria in Ecclesiis absque Ordinarii consensu erecta, etiam cum congrua, & stipendiis pro Ministris, & celebrantibus assignatis, non dicuntur de jurepatronatus; nec Fundatores, nisi abusivè, dicuntur Patroni, sed propriè Benefactores nuncupantur, & relicta, pia legata. Quibus tamen competit jus honorificum ornandi, fabricandi, conservandi, ac affigendi sua arma, & inscriptiones.

Considerandum etiam, quòd juspatronatus, seu jus præsentandi, seu nominandi Prælatum in Ecclesia Conventuali, vel Collegiata, Sæculari, vel Regulari, juxta text. in Clement. *Ut ii de ætat. & qualitat.* non acquiritur ex fundatione, constructione, vel dotatione Ecclesiæ, etiam de consensu Ordinarii; sed est necessarium privilegium Apostolicum in limine fundationis obtentum, per *c. Nobis, & cap. Hinc est* 16. *q.* 1. & sæpiùs dixit Rot. apud Genuen. *prax. cap.* 100. *num.* 19.

10 Quæritur. An ex reædificatione, seu refectione Ecclesiæ acquiratur juspatronatus?

Resp. Distinguendum est. Aut Ecclesia non est funditùs destructa, aut est prorsùs diruta, ut egeat nova Consecratione, juxta text. *in c. De fabrica, de consecr. dist.* 1. In primo casu ex reparatione juspatronatus non acquiritur reparanti, sed conservatur primo construenti; cùm Ecclesia reparata sit eadem numero, quæ à principio fuit constructa, cui juspatronatus adhæret.

In secundo verò casu adhuc distinguitur. Vel quis Ecclesiam reædificat absque Diœcesani consensu, vel de ejusdem licentia cum conditione acquirendi iuspatronatus. Si primum, nullum ius acquirit; quoniam sicut à principio ædificans Ecclesiam absque Ordinarii consensu, iuspatronatus non consequitur, ita nec posteà illam reædificans. Si secundum, acquirit iuspatronatus; quia perinde est, ac si ab initio ædificasset Ecclesiam cum reservatione iurispatronatus. Quo casu prior Patronus illud amittit, nisi patronatum habuerit, etiam ex dotatione; nam tunc, si dos esset salva, non amitteret iuspatronatus in totum; cùm ædificans de novo acquireret tantùm communicationem in jurepatronatus, Piasec. *loc. cit. num.* 37.

An autem primus Patronus retineat iuspatronatus saltem secundum partem, si reædificatio fiat ex eadem materia, & cœmentis?

Respond. Affirmat Vivianus *de jurepatr. lib.* 15. *cap.* 3. negat verò Piringh. *in jus Can. lib.* 3. *titul.* 38. *num.* 8. *notandum tertiò*; concordat Gonzalez *in* 2. *titul.* 1. *cap.* 3. *numer.* 7. Quam opinionem veriorem dicit Glossa *ad cap. Quoniam verb. Fundatores de jurepatronat.*

11 An etiam ex augmento dotis patronatus acquiratur?

Respond. Dicendum cum Piasec. *sæpè cit. numer.* 36. quòd non ex qualibet dotatione quæritur iuspatronatus, ut si quis modicum daret, ut notat Glossa *in cap. Quicunque*

que 16. *quæst.* 7. Vel si aliquid in quantitate notabili conferatur, sed non in dotem, sed in vim donationis; nam tunc præsumitur quis dare non pro dote, sed ut benefator, & ut ditator, non dotator, Abbas *in d. cap. Quoniam num.* 10. *de iurepatr.* Propterea ut ex augmento, dotis acquiratur jus-patronatus, debet conferri expresse de scientia Ordinarii in dotis augmentum, & in summa excedente medietatem dotis, juxtà sensum Rotæ coram Ninot. *decis.* 73. *n.* 5. & coram Cerro *decis.* 526. *num.* 3. *&* 4.

Iuspatronatus dividitur *in Laicale*, quod fundatur ex bonis patrimonialibus; *in Ecclesiasticum*, quod erigitur ex bonis Ecclesiasticis; *& Mixtum*, quod ex patrimonialibus, & partim ex Ecclesiasticis bonis constituitur.

12 Quæritur. Quænam sit differentia inter patronum laicum, & Ecclesiasticum?

Plures apud Canonistas leguntur. Prima est, quia patronus laicus habet quatuor menses ad præsentandum; Ecclesiasticus verò sex, *cap. Si laicus verum*, §. *hoc tit. in* 6.

Secunda, quia laicus patronus, uno præsentato, potest alium successivè præsentare (antequam præsentatus fuerit ab Episcopo institutus) non recedendo à primo, sed accumulando. Et ita non potest variare privativè, quasi possit à priori præsentatione resilire, sed solùm cumulativè, hoc est, comulando secundum cum primo, per text. in *cap. Cùm autem*, *hoc tit.* Sed non potest etiam accumulando variare, toties quoties voluerit, sed semel tantùm; nam jura loquuntur de duobus, & non de pluribus successivè præsentatis, ut notatur *in d. cap. Cùm autem*.

Patrono autem Ecclesiastico non est licitum variare, alium præsentando, etiam accumulativè, ut expresse text. *in d. cap. Cùm autem*, *in verb. Verùm Collegium*; & ubi secundùm præsentat, præsentatio non tenet; sed prior sustinetur, ubi præsentatus fuerit idoneus, quia *qui prior est tempore, jure prior esse videtur*, ut textus concludit.

13 Discrimen autem, cur liceat patrono laico, & non Ecclesiastico variare, est, quia Ecclesiasticus plus temporis habet ad inquirendum de Clerico aliquo digno, & habili, Gloss. *in d. cap. Si laicus in notab.*

Official. Cur. Eccl.

14 Tertia habetur ex Trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de refor.* ubi quantum ad provisionem Ecclesiæ Parochialis, §. *Si vero*, statuit, quòd si Ecclesia fuerit jurispatronatus Ecclesiastici, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, patronus eligit digniorem inter probatos ab examinatoribus, eumque præsentat Episcopo, ut ab ipso instituatur. Cùm verò institutio facienda esset ab alio, quàm ab Episcopo, tunc Episcopus solus ex dignis eligit digniorem; quem patronus ei præsentat, ad quem spectat institutio. Cæterùm si Ecclesia sit jurispatronatus laicorum, patronus præsentat, quem maluerit; & sic præsentatus debet ab examinatoribus deputatis examinari, & ab Episcopo admitti, si idoneus repertus fuerit. Lege textum.

15 At quæritur, an patrono currat tempus ad præsentandum à die vacationis beneficii? an verò à die habitæ notitiæ vacationis?

Resp. Tempus currere à die scientiæ, ut dixit Rota in una Signina jurispatronatus 12. Junii 1596. & Gloss. *ad cap. Nulla*, *de concess. præben. ver. intra sex.*

Tempora enim ab jure præfixa patronis ad præsentandum, non currunt, nisi negligentibus, ut dicitur *in cap. Ne pro defectu*, *de elect. & d. cap. Nulla*. Negligens autem dici non potest, qui propter ignorantiam non operatur; & ignorantia præsumitur propter absentiam beneficiati à loco beneficii; & nisi scientia probetur, per regul. 47. *jur. in* 6. Cùm non sit verisimile, patronos neglexisse ius suum, si de obitu beneficiati certi fuissent, Genuens. *cit. cap.* 100. *num.* 7. Sed in casu ad removendam omnem quæstionem optimum erit, ut patroni de obitu beneficiati ab Episcopo certiorentur, & ad præsentandum moneantur.

16 Sed quid, si super patronatu moveatur quæstio, & infra tempus debitum non terminetur?

Resp. Collatio beneficii devolvitur ad Episcopum, si quæstio super patronatu infrà quadrimestre non fuerit terminata, & iuspatronatus sit laicorum, ut *in cap. Quoniam*, *& cap. Cùm propter*, *hoc tit.* Et si fuerit Ecclesiasticum, nisi infrà semestre terminetur, ut *in cap. Eam te d. tit.* Elapsis illis respectivè mensibus, & causa non terminata, potest Episcopus liberè sine præsentatione beneficium conferre, absque tamen præ-

N 3 iudi-

judicio illius, qui juspatronatus evicerit, ut *d. c. Cum propter*. Ita ut lite finita, repræsentet eum ab Episcopo provisum, Piasec. cit. *c.5.art.2.num* 27.

17 Cæterùm hoc procedit, si quæstio super patronatu sit inter Compatronos, & propter illorum discordiam non fuerit decisa infra tempus à jure præfixum. Et in his specificis terminis loquitur text. *in dict. cap. Quoniam versic. Et id ipsum, & in dict. capit. Cum propter*: ibi -- *Propter discordiam Laicorum*. Non verò, si contentio sit inter Episcopum, & Patronum; quia nimirùm Episcopus prætendit Beneficum esse liberæ collationis, & Patronus sustinet esse de jurepatronatus ad se spectante: Tunc enim tempus ad præsentandum non currit Patrono, ut supponitur, impedito; nec Episcopus confert Beneficium, aut Ecclesiam, sed ponit ibi Oeconomum, quousque quæstio fuerit terminata, ut expressè notatur in *c. Cum vos de offic. Ordin.*

18 Item, devolutio non habet locum, si quæstio excitata sit inter Præsentatos, ut resolvit Rota *dec.*586. *num.*7. apud Farinac. *in collect.*1. *novissimar*. Et idem dicendum, si vertatur inter Patronos, & Præsentatos secundùm ipsam Rotam *dec.*81. *in fin. part.* 1. *recentior.* apud d. Farinc. Pariterque hìc devolutio non intrat, si lis sit super idoneitate personæ: aut Patroni non possent inter se concordare de persona præsentanda. Sed tunc habet locum dispositio dict. *cap. Nulla*, ut scilicet sex mensibus expectari debeat, & interim ponendus est Oeconomus, ex *d.c.Cum vos*.

19 Sed Episcopus etiam post tempus lapsum potest ex gratia admittere præsentationem Patroni, arg. *ex d. cap. Sicut de supplen. negl. Prælat. in vers. liceat*; quod importat arbitrium. Nisi propter præsentationem indigni inciderit pro ea vice in pœnam privationis præsentationis, & fuerit Patronus Ecclesiasticus; quia, si fuerit Laicus, per præsentationem indigni non videtur pro illa vice privatus jure præsentandi; quia ex dictis potest variare, adeòque facere secundam præsentationem. Sed hoc intelligo verificari, cum pręsentavit etiam indignum tempore habili, non verò cum tempus præfixum est elapsum, à quo jus ad Episcopum pro ea vice transfertur, ut possit conferre sine præsentatione.

20 Quæritur. An in Ecclesiis Parochialibus de jure patronatus Laicorum requiratur forma examinis per concursum, & oppositionem præscriptam à Trid. *sess.* 24. *de reform.*

Resp. Negativè ex sententia Sac. Congr. Conc. apud Fagnan. *in* 3. *ad cap. Cum autem de jurepatron. num.* 21. qua declaratum fuit in Parochialibus de Jurepatronatus Laicorum non requiri formam examinis per concursum à Conc. Trid. præscriptam *c.*18. *sess.*24. Nec item requiritur d. forma examinis per concursum in collatione Parochialium jurispatronatus mixti, hoc est, partim Ecclesiastici, partimque Laicalis, prout resolutum ab eadem S. Congr. traditur ab ipso Fagnan. *in primum ad cap. Quoniam de Const. num.* 58.

Et procedit, etiam si Patronus Laicus esset unus, & Ecclesiastici plures, ex ipsa Sacr. Congreg. Conc. Quæ, re diligenter examinata: *Censuit juspatronatus mixtum, Laicorum pro una parte, Ecclesiasticorum pro duabus, censeri Laicale, quoad hoc, ut non requiratur forma examinis per concursum*, ibidem Fagnan. *num.* 80. & Barb. *ad d. cap.* Triden. *num.*144. Consideratur enim, quòd per concursum restringitur libertas Patroni Laici ad præsentandum. Quinimò compelleretur plures præsentare: & sæpè extranei vocati ad examen ad formam Concil. & concurrentes, possent magis digni judicari, & ita deberent præferri præsentatis: qua ratione Laici retraherentur à fundatione, & dotatione Ecclesiarum, & præjudicium inferretur patronatibus, quod evitiandum est, ne contingat.

21 Sed quid, si plures ab uno Patrono Laico, vel unà cum Compatronis fuerint præsentati?

Respon. In hoc casu est necessaria forma examinis per concursum inter ipsos pręsentatos tantùm; prout decisum ab eadem Sac. Congreg. scripsit Pax Jordan. *elucubrat. lib.* 10. *tit.* 8. *de collat. Parochial. num.* 56. ut sequitur: *Veniente vacatione Parochialium de jurepatronatus Laicorum, quando plures sunt præsentati, requiritur examen per concursum inter ipsos præsentatos tantùm; ex his, qui facto examine, idonei ab Examinatoribus renunciati fuerint, Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit atque illum, & non alium instituet.* Et hìc intrat inspectio, quòd quoties Patroni

ni plures præsentant, censentur ea mente id facere, ut dignior ex approbatis, ad mentem Concilii *dict. cap. & Const. in conferendis* 33. *B. Pio V. Bulla tom.* 2. ab Episcopo eligatur.

22 Hìc nota, quòd licèt præsentatus ad Parochialem à patrono laico, non debeat examen per concursum ad formam Trid. *d.cap.* subire; adhuc tamen examinari debet ab examinatoribus synodalibus, prout *d.c. Conc. vers. Quòd si jus*, & ab Ordinario approbari, *cap.*13.*sess.*7. *de refor.*

23 Item, observa, quòd à patrono laico præsentatus, etiam ad beneficium non curatum, sed ad Canonicatum, vel aliud beneficium simplex, est ab Ordinario examinandus de moribus, ætate, & similibus necessariis, ac super litteratura, & peritia, ut dicto *cap.* 13. *& d. cap.* 9. *sess.* 25. & examen est de forma, debetque præcedere collationem; nec est instituendus, nisi idoneus. Sed ubi priùs fuerit examinatus pro Ordinibus sacris requisitis in instituendo, non est necessarium aliud examen, per Barb. *ad d.cap.num.*11.

24 Denique pondera, quòd examen per concursum requiritur in Parochiali de iurepatronatus Ecclesiastico, ex *dict.cap.* 18.*Conc. vers. Si verò juris*; & tunc debet Episcopus instituere, vel ei beneficium conferre, quem patronus digniorem inter probatos iudicabit, & Episcopo præsentabit, ex text. *in d.cap.*18.

25 Sed ubi beneficium curatum iurispatronatus Ecclesiastici vacaverit in mensibus Apostolicæ Sedi reservatis, Episcopus ipse, nulla habita ratione patronorum, debet edicta concursus proponere, magis idoneum eligere, & cum habilitatis testimonialibus præsentare instituendum Papæ, Legato, seu eius Nuncio, Barb. *ad d. cap.* 18. *numer.* 139. & Piasec. *prax. par.* 2. *c.*5. *art.*2. *num.* 2.

26 Quæritur. Quomodo probandus sit titulus iurispatronatus?

Resp. In hac re servanda est probationis forma à Trid. præscripta *d.sess.* 25. *cap.* 9. ubi duo genera personarum distinguit, unum potentium, & aliud privatorum, ibi: *Decernit S. Synodus, ut titulus jurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundùm juris dispositionem. In iis verò personis, seu communitatibus, vel universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potiùs quæsitum præsumi solet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si præter reliqua ad eadem necessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur.* Quare ex mente Tridentini plenior probatio est à potentibus præstanda, quàm à privatis; ex eo, quia in illis cadere potest potiùs usurpationis præsumptio, quàm legitimus titulus iurispatronatus.

27 Quamobrem privatæ possunt ex authentico instrumento, & scripturis in forma probante exhibitis fundationis, constructionis, vel dotationis probare.

28 Scriptura authentica dicitur, quæ habet requisita, de quibus DD. cum Gloss. *in c. Si scripturam, de fid.instrum.in ver. Authenticam*; nimirùm, quæ facta est per manum publici Notarii, vel Actuarii, aut per Iudicem cum præsentia, subscriptione, & testimonio trium, vel ad minùs duorum testium, vel quæ habet sigillum authenticum, *cap. Scripta, eod.tit.* Communiter autem sigilla Episcopi, capituli, personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, Principis, & Magistratus, authentica dicuntur, per Gloss. ad *d.cap.Scripta, in ver.sigillum*. Sed non sufficit, ut nudum sigillum alicui scripturæ apponatur, ut sit authentica; sed apponens debet se subscribere, vel in litteris exprimere se apposuisse; nam sigillum sine subscriptione, saltem Notarii publici (ut est stylus Curiæ) est testis mutus, qui in iudicio productus nihil loquitur; si enim solo sigillo plena fides haberetur, facilè dolus committi posset, si sigillum ex certis litteris malitiosè detractum aliis affigeretur.

29 Quinimò, ut sigillum aliquid probet, debet esse integrum, & notum, non corruptum, aut incognitum, *cap. Inter dilectos, eod.tit.*§. *Sed contra*.

30 Pariter scripturæ à quibuscumque confectæ, in forma probante censentur, quæ ex archivio publico desumuntur, auth. *Ad hac, C.de fid. instrument.*

Appellatur autem archivium, locus au-

ctoritate legitima deputatus, in quo reponuntur scripturæ, instrumenta, & acta, quæ, si postea producantur, fidem faciunt; non tam ratione loci, quàm respectu illius, cujus authoritate in Archivio sunt reposita. (Jus Archivii enim tantummodò per Doctores modò competit Prælatis Ecclesiasticis majoribus, hoc est, Episcopis, & eorum Superioribus, atque Dominis temporalibus, illis, qui in suis territoriis exercent jura Imperii, & regalium.) Sed ut scripturæ faciant fidem, etiam requiritur, ut Archivium sit sub custodia certi Officialis [quem appellamus Cancellarium, vel Archivistam) qui debet testari, quòd scriptura producta, fuit in Archivio reperta, & asservata, aut ex sua originali fideliter exemplata; & transumptum propria subscriptione, & sigillo authentica re. Videndus Piasec. *d.par.2. cap.5. art.1. num.25. & seqq.*

Verùm in præsenti materia, scriptura authentica reputatur, etiam decretum, sive Litteræ patentes continentes Ordinarii consensum in scriptis præstitum ad fundandam, vel construendam, aut dotandam Ecclesiam, Capellam, vel Beneficium. Nam litteris Episcopi, ejus Sigillo munitis creditur, tanquam publico instrumento, per Glos. *ad c. post cessione de probat. in ver. litteras, & cit.* Piasec. *num.27.*

31 Item, ex eodem textu *Personæ privatæ* probant ex multiplicatis præsentationibus effectum sortitis per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat. Ex illis enim præsumitur titulus fundationis, vel dotationis, ut tenuit Rota in Romana Capellaniæ 14. Jun. 1680. coram Vicecomite *num.* 8. colligiturque ex immemorabili titulus verus, vel præsumptus, quod ex *d. cap. 9.* sufficit ad probationem.

32 Sed petitur, quot anni exigantur ad tempus immemorabile, & ad docendum de præscriptione jurispatronatus contra Ecclesiam.

Respon. Communior sententia est, antiquissimum, & immemorabile tempus centum annos importare, per DD. concordantes centenariam haberi pro immemorabili, etiam in personis suspectis; & docto de centenaria, esse probatam immemorabilem, qua probata, allegatur optimus titulus, saltem præsumptus; nam ut observavit Gloss. *ad cap. Episcopum de præscription. in 6. in notabilibus*, possessio centum annorum habetur loco tituli, qui præsumitur ex possessione tanti temporis.

Immemorabilis autem est articulanda, & probanda, juxta praxim traditam à Glos. *in dict. cap. in verb. memoria*; & testes debent deponere de visu per 40. annos ante motam litem; de auditu à suis Maioribus, qui etiam ab aliis audiverint; & quòd nec ipsi, neque eorum Maiores viderint, aut audiverint contrarium; de publica voce, & fama per verbum *fuit*; & quòd non adsit initii memoria; adeòut si vel unum ex dictis requisitis deficiat, numquam immemorabilis probata censeatur. Rota in Legionen. Parochialis 27. Aprilis 1703. coram Pio *num.* 3. apud Monacell. *in append. dec.* 47.

33 Alii legitimi modi, quibus secundùm ius vetus probari potest iuspatronatus, admittuntur in illis verbis Concilii, *vel alias secundùm juris dispositionem.* Quare ab illis potest probari. Primò ex litteris institutionum factarum ab Episcopis de Beneficio, tanquam de iurepatronatus; quia, cùm agatur de præiudicio eorumdem Ordinariorum, non solent, aut certè non debent esse faciles ad instituendos præsentatos, nisi constito sibi priùs de iurepatronatus. Et propterea in probatione iurispatronatus multum defertur attestationibus Ordinariorum, tanquam attestantium de re ipsis præiudiciali. Dum enim canonizant iuspatronatus, privant se spe ulteriùs liberè conferendi; ita plures apud d. Bar. *ad d. cap.* Trid. *n.*30. & Pax Jordan. *d. lib.* 10. *tit.* 8. *n.* 100.

34 Secundò. Ex sententia Episcopi, qua pronunciavit Beneficium esse de iurepatronatus alicuius, ut cum Rota in Florentina Canonicatus 11. Decembr. 1615. cor. Burat. tradunt plures apud allegat. Sed sententia debet esse antiqua; & antiqua censetur, quoties quadraginta annis retrò completis fuit promulgata, ut ex Gratiano dixit Barb. *ibi. nu.* 29.

35 Tertiò. Per insignia Familiæ sculpta in Ecclesia, vel Capella, ac per inscriptiones mentionem facientes de tali Familia; sed debent concurrere alia adminicula, & indicia, alias per se minimè sufficerent, ut observavit Barb. *de offic. Episcop. part.3. allegat.72. num.50.* & Pax Jordan. *num.*102. Admincula autem reputantur, quando apparent illa esse ita antiqua, prout est

est Ecclesia, vel Capella, in qua sunt; adeò ut non possit assignari alia causa, ob quam fuerint apposita, nisi ipsarum fundatio, vel dotatio. Præsumendum enim est, à patronis fuisse apposita ad conservationem sui juris, & quòd Episcopus non permisisset, ut apponerentur, nisi vel fundassent, aut dotassent; vel quando reperitur adnotatum in libris Communitatis, vel Ecclesiæ, ut tenuit Rota in Romana Capellaniæ 14. Junii 1680. coram Vicecomite, aut in eis visitationum Episcoporum dicitur, quòd tale beneficium fuit tanquam tale collatum, & visitatum, ac cum armis familiæ patronæ repertum. Libri enim visitationum, & Episcoporum enunciationes, quantum ad hoc, saltem magnum prestant adminiculum; maximè si plures sint, vel antiqui, & ab Ordinariis per suos Secretarios, vel Notarios confecti. Concordant DD. quos dat Romaguer. ad Synod. Gerund. *lib. 1. tit. 1. cap. 6. num. 6.*

36 Quartò. Admittitur probatio ex Chronicis veris, ab immemorabili tempore scriptis; nam his nostri majores adhibuere fidem, & nos idem facere possumus, ac debemus, per Gloss. *in cap. Inter dilectos, de fid. instrum. in ver. Magis.*

Notandum, quòd dum agitur de probatione jurispatronatus adversùs Ecclesiam, non sufficiunt præsentationes per 40. annos multiplicatæ, cum pulica voce, & fama; quoniam tunc Concilium requirit multiplicatas præsentationes per tempus, quod hominum memoriam excedat. Ideò, ubi per tempus immemorabile non apparet de jurepatronatus, censendum est, Ecclesiam præscripsisse libertatem, prout resolutum videtur à Sac. Congreg. Conc. à qua cum esset quæsitum: *An si quis probaverit se per quadraginta annos præsentasse, & in possessione, vel quasi præsentandi fuisse, admitti debeat ad præsentandum, non obstante decreto* Conc. Trident. *cap. 9. sess. 25. de refor.* ibi: *Aliasve secundùm juris dispositionem.* Sac. Congr. censuit, *Non debere admitti, atque illa verba,* Aliasve secundùm juris, &c. *ita inteligenda esse, ut non respiciant tempus, de quo jam supar expressè Concilium disposuit, & voluit esse immemorabile; sed respiciant alias causas, & alios modos, quibus secundum jus vetus probari potest juspatronatus,* Fagnan. *in 3. ad c. Consultationibus hoc tit. n. 12.* Ideò non est attendendum quidquid alii scripserint.

37 Sed quæritur. An existens bona fide in sua quasi possessione jurispatronatus, vel præsentandi, si sibi moveatur quæstio super proprietate, teneatur de novo docere de titulo, vel manuteneri debeat in sua quasi possessione præsentandi, etiam post litem motam, & contestatam?

Resp. Est certum, à Trid. *d. cap. 9.* irritari jurepatronatus cum quasi possessione. Quapropter ad validitatem præsentationis, vel institutionis non sufficit, quòd præsentans communiter reputetur patronus, & sit in quasi possessione juris præsentandi, nisi doceat de titulo, & proprietate jurispatronatus ad formam Concilii. Unde Sac. Congr. aliàs censuit, decretum *d. cap. 9. sess. 25. circa probationem jurispatronatus habere locum, etiam in petitorio, & possessorio.* Ideòque admittendam non esse præsentationem, nec præsentati institutionem faciendam esse, nisi probato priùs jurepatronatus ad præscriptum ejusdem Concilii. Nec deferendum est Authoribus, qui in oppositum allegantur, quia fortè scripserunt ante Concilium, ut *ibid.* Fagnan. *num. 14.*

38 Modò descendendo *ad genus personarum potentium*, in quibus præsupponitur potiùs usurpatio, quàm legitimus titulus jurispatronatus; supponendum est de ipsarum numero esse omnes dominos temporales, quocumque nomine nuncupatos, etiam si recognoscant Superiorem in suis dominiis: Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, & Potentes de Familia, prout notavit Barb. *ad d. cap. 9. à numer. 32. usque* 44. Genuen. *cap. 63. numer. 6.* & Fagn. *in 1. ad cap. Querelam, de elect. n. 13.*

Prædicti itaque, dum authentico documento non probant juspatronatus ex dotatione, constructione, vel fundatione, obligantur secundùm expressa in d. Decreto Concilii ad probandam immemorabilem; at hæc eis non sufficit, ut ibi textus; sed prætereà authenticis scripturis probari debent præsentationes continuatæ, & effectum sortitæ; non minori spatio, quàm quinquaginta annorum. Quod est de forma, & substantia probationis, super qua non recipiuntur testes, nec de illis Concilium confidit, cùm propter potentiam partis in eis de facili possit cadere præsumptio subornationis, & falsitatis.

39 Ideò probatio per testes personis suspectis

pectis non suffragatur, nisi authenticis scripturis de dd. præsentationibus, forma, & modo præscripto doceant. Cùm enim in illis plenior, & exactior probatio, juxtà textum Concilii requiratur, non censetur sufficiens, & concludens probatio, si soli testes de immemorabili testentur; sed ulteriùs necesse est, ut præsentationes pro eo tempore scripturis canonizentur.

40 Nec sufficit una præsentatio, licèt habuerit effectum 50. annorum spatio, & ultrà; nam Concilium non contentatur unica præsentatione, sed plures requirit, easque effectuatas, & continuatas, & non interruptas spatio 50. annorum, & id est de forma, ad text. *d. cap. 9.*

41 Sed quid, si instrumentum authenticum, quo juspatronatus legitimè probetur, vel authenticæ scripturæ, per quas docebatur de dd. præsentationibus, sint deperdita? an per testium depositiones super immemorabili, & instrumentis deperditis, constet sufficienter de jurepatronatus?

Resp. Videtur non constare sufficienter; nam juxtà dicta Trid. *ibid.* in personis, in quibus juspatronatus plerumque ex usurpatione quæsitum præsumi solet, ultrà probationem temporis immemorabilis pro forma requirit, ut præsentationes spatio 50. annorum continuatæ, authenticis scripturis probentur; & ideò non satisfit probando per testes, de quibus Concilium non confidit, ut ex mente Sac. Congreg. decidit Rota in Sabinen. Beneficii 1582. coram Clemen. VIII. apud Fagnan. *in 5. ad cap. Cùm olim, il 1. de privil. num. 6.*

42 Genuensis verò affirmativam defendit *d.c.63. num.* 11. concludens, quòd etiam quando probatio per scripturas est de substantia, si sunt deperditæ, admittuntur testes *d. cap. Cùm olim.* In quo expressè deciditur contententa in instrumento perdito probari posse per testes, qui illud perlegerunt; si deponunt de tenore, & quòd erat sine vitio, ut per Gloss. *in verb. Sine reprehensione.* Et in casu, si deponant etiam, quòd beneficium fuit semper collatum ab Episcopo ad præsentationem patroni. Idque est probandum per testes peritos, legitimos, & juratos; nec censetur Concilium in sua dispositione voluisse comprehendere casum ita extraordinarium: lex enim non considerat, nec aptatur iis, quæ raro accidunt; nam de iis, quæ raro contingunt, non debent jura fieri, *l. Nam ad ea, ff. de legib.* Cæterùm præcisis dd. circumstantiis, probationes jurispatronatus à potentibus debent fieri ad præscriptum Concilii, nec est eis aptabilis dispositio *d. cap. cùm olim.* Quin potiùs, quantum ad illas, reputari debat à Concilio correctum.

43 Sed quid dicendum de jurepatronatus mixto universitatis, vel potentium, & privatorum hominum?

Resp. Non requiruntur ampliores illæ probationes, quas exigit Concilium in iis personis, vel universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione quæsitum præsumi solet; sed satis est ordinarias adhibere. Nam si universitas, vel potentes acquisivissent juspatronatus usurpatione, non permisissent, ut alii compatroni unà id jus acquirerent, nec eos admisissent, sed ipsi totum usurpassent. Et hinc sequitur, vel quòd juspatronatus non usurpaverint, sed justo titulo acquisiverint, unà cum privatis personis; vel saltem, quòd illud non usurpaverint Ecclesiæ, sed potiùs præscripserint contra privatos. Quæ sententia videtur approbata à S. Congr. Conc. in Fesulana jurispatronatus. Quæ censuit, *In jurepatronatus hoc mixto universitatis, & privatorum, non requiri probationes, quas requirit Concilium, ubi viget præsumptio usurpationis.* Quod priùs decisum fuerat in causa Amien. apud Fagnan. *in d. 3. ad cap. Cùm propter num.* 87. & videndus etiam in 1. *ad d. cap. Qerelam num.* 10. *&* 11.

44 At petitur. An simplices litteræ patentes baronum, seu universitatum ad juspatronatus præsentantium veniant nomine scripturæ authenticæ ad effectum probandi juspatronatus, ad formam Trid. *d. cap. 9.*

Resp. Affirmativè ex S. Cong. Conc. 4. Februarii 1651. apud Pignatell. *tom.* 1. *consul.* 137. dummodò fuerint exhibitæ in actis & effectuatæ.

45 Quæritur. An juspatronatus legitimè acquisitum ad alios transferri possit?

Resp. Affirmativè ex generali regula, quòd cum universitate bonorum, quibus adhæret, etiam juspatronatus transit in eum, in quem bonorurm universitas transfertur, per *cap. Cùm Bertholdus, de sentent. & re judic. cap. Ex litteris, & cap. Cùm sæculum, de jurepatr.* Quod supponitur à Trident. *d. cap. 9.* ibi: *Nec dictum juspatronatus venditionis, aut alio quocumque titulo in alios*

alios contra canonicas sanctiones transferre præsumant.

46 Devolvitur juspatronatus vendita hæreditate, *d. cap. Cum sæculum, de jurepatr.* Si tamen non sit personale, sed reale, connexum, & bonis adhærens; ac vendatur universitas bonorum, aut saltem vendatur universaliter locus, ut Castrum, Feudum, vel Villa, in qua sita est Ecclesia patronata. Alioquin, etiamsi vendantur aliquæ partes, vel aliqua jura tantùm, non censetur juspatronatus transire, ut alegatis Abb. & Dec. tradit Piasec. *p. 2. cit. c. 5. art. 1. n.* 47.

47 Dices. Juspatronatus vendi non potest, & Trid. *d. cap. 9. cap. de jure hoc tit.* & dum venditur, committitur simonia, quia spirituali annexum, *d. cap. & cap. Quanto, de jud.*

Resp. Utique, quia juspatronatus est antecedenter spiritualibus adnexum; eo enim tendit, & id respicit, ut eligantur, præsententurque Ministri Ecclesiastici, qui spirituales actiones peragant, & Divina Officia celebrent; vel quia ad actiones spirituales præparat, & ratione hujus præparationis spirituale nominatur, Gonzalez *in 2. tit. 1. cap. 3. num.* 8. Imò in contractu non est nominandum, nec propter illud augendum est pretium, aliàs vendens illo eo ipso privatur, ut in *d. cap. 9. Conc.* Et Ecclesia acquirit libertatem, Piasec. *cit. n.* 48.

Propterea cum universitate rerum, sive venditis, & donatis, vel fisco addictis, juspatronatus non ministerio hominis, sed ministerio juris in alium transit accessoriè propter connexionem, & in quandam necessariam consequentiam rei venditæ, cui adhæret.

48 Neque in translatione jurispatronatus per universitatem bonorum requiritur assensus Episcopi, Piasec. *cit. num.* 44. Nisi ipsum nominatim donetur laico; nam isto casu absque assensu illius donatio non tenet *cap. Illud hoc tit.* Tunc enim non accessoriè, sed per se transit. Limitatur, nisi donatio fiat Ecclesiæ, vel loco Religioso, *c. Si laicus hoc tit. in 6.*

49 Quid dicendum de creditore, qui tenet pignori obligata bona, super quibus reperitur juspatronatus?

Dicendum, in creditorem non transire juspatronatus, seu jus præsentandi, ut legitur *in d. cap. Cum Bertholdus*; quoniam in eum nec directum, nec utile dominium rei pignoratæ transfertur. Creditor enim tenetur restituere omnes fructus, quos percipit ex re pignorata, vel computare in solutionem sortis principalis, ut dicitur *in c. Cum contra, de pignor. & cap. Plures, de usur.* Sed si creditor præsentaret, & ad præsentationem sequeretur collatio beneficii (quæ est fructus jurispatronatus, per DD. apud Fagnan. *in 3. ad d. cap. Ex litteris n. 16.*) creditor illum fructum lucraretur contra naturam pignoris, mutuum enim debet esse gratuitum, *c. Consuluit, de usur.*

50 Hic pro pleniori notitia dictæ translationis notari debet, juspatronatus aliud esse *hæreditarium*, & aliud *gentilitium*, seu *familiare*. *Hæreditarium* dicitur, quod transit ad quoscumque patroni hæredes, tam sanguinis, quàm extraneos. *Gentilium* verò nuncupatur, in quo tantùm succedunt illi, qui sunt de sanguine, & familia fundatoris, ut sunt filii, & ipsius consanguinei.

51 In hæreditario hæredes succedunt, & præsentant per stirpes, non per capita, Clement. *Plures hoc tit.* Præsentatio autem, & successio per stirpes dicitur, cum plures succedentes uni, habent unicam vocem in præsentatione. Et propterea, quia hæredes uni succedunt, unumque repræsentant (qui si viveret, unicam vocem haberet) & ipsi unum votum habent. Quare si unus patronus relinquat tres, aut plures hæredes, isti succedunt patrono defuncto; non ut tres patroni, sed ut unus patronus in jure stirpis. Et ubi discordes fuerint in præsentando, possunt inter se convenire, ut in unum Clericum præsentandum consentiant, vel ut alternis vicibus singuli eorum præsentent; hoc est, quòd unus prima vice, quam occurrit vacatio, alter secunda, & alter tertia, ut post Gloss. *ibid. in verb. Alternis vicibus*. Videatur Fagnan. *ad d. cap. Perlatum n. 15. usque in fin.*

52 Quando hæreditarium spectat ad Collegium, præsentatio pertinet ad omnes de Collegio, non ut singulos, sed ut universos collectivè, adeòut tota Communitas constituat unum actum præsentationis, Piasec. *cit. n.* 43.

53 In gentilitio verò præsentatio fit per capita, quia omnes de familia in capita æquè succedunt, ad quos ut ad singulos præsentatio spectat, *ibid.*

54 Quæritur. Petrus institutis N. N. hæredi-

redibus suorum bonorum, inter quæ habet juspatronatus beneficii, relinquit eorumdem bonorum usufructuarium uxorem, petitur, an jus præsentandi competat hæredibus, vel uxori?

Resp. Jus præsentandi pertinet ad uxorem usufructuariam omnium bonorum. Ponderando, quod præsentatio, & cætera spectantia ad juspatronatus computantur inter fructus hæreditatis; quos certum est spectare ad usufructuarium, Fagnan. *ad cap. Ex litteris num. 57. hoc tit.* Apud quem plures, concordantes juspatronatus transire etiam ad usufructuarium universalem, & non remanere apud hæredem proprietatis; ad quem tamen revertitur, finito usufructu, ut latè Lambertin. *de jurepatr. par. 2. lib. 1. quæst. 10. princip. art. 3.* ubi etiam *nu. 22. vers. Posset etiam dici.*

An autem juspatronatus transeat in fideicommissarium? Resolvitur affirmativè, si juspatronatus sit reale, bonis annexum, & hæc universaliter in ipsum transeant. Transit etiam cum dote uxoris; sed maritus præsentat, quia maritus habet jus percipiendi fructus ex dote.

55 Quæritur. An juspatronatus gentilitium competens illis de familia, & agnatione, seu cognatione fundatoris, istis extinctis, transeat ad hæredes ultimi de illa familia, vel extinguatur, & Ecclesia libertatem recuperet?

Præmittitur, cognationem, seu consanguinitatem definiri: *Est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagine contractum, cap. Series, 35. quæst. 5.* & dicitur consanguinitas, quasi sanguinis unitas, & cognati ab eo dici putantur, quòd quasi unà, communiterve nati, vel ab eodem orti, progenitivè sint.

56 Modo, ad partem negativam est Lambertin. *cit. 2. par. art. 5. 2. quæst. principal.* & tradit extingui; adduciturque authoritas Baldi *cons. 400. circa primo num. 1. & 2. vol. 2.* In quo consultus, an juspatronatus concessum filiis post eorum obitus transiret ad extraneos hæredes? Stetit pro negativa. Considerans, quòd juspatronatus concessum filiis, videtur denegatum extraneis, ea qualitate carentibus. Siquidem expressio, *illorum de familia*, hoc casu censetur taxativè facta ad exclusionem aliorum hanc qualitatem non habentium. Quemadmodum juspatronatus relictum filiis masculis, in eorum defectum non transire ad fœminas, sed extingui, & Ecclesiam remanere liberam, dixit Genuen. apud Fagnan. *cit. ad d. c. Perlatum hoc tit. num. 17.* Quoniam expressio masculorum censetur facta ad exclusionem fœminarum.

57 Pro solutione distinguendum est, vel fundator voluit juspatronatus esse illorum de familia taxativè, itaut ad eos tantùm pertineat, & non ad eorum hæredes, & tunc certè ad hæredes extraneos non transit, sed extinguitur, extincta agnatione, & Ecclesia fit libera. Potest enim fundator in fundatione juspatronatus inducere in præjudicium descendentium, vel extraneorum hæredum, prout ei libuerit, arg. ex *cap. Si laicus, hoc tit. in 6.*

58 Vel juspatronatus fuit concessum illis de familia simpliciter, & sine ulla taxatione: & hoc casu simpliciter transit, etiam ad extraneos hæredes, non ex provisione hominis, sed ex provisione legis. Etenim provisio hominis regulariter non tollit provisionem juris communis in eodem casu; & casus omissus relinquitur dispositioni juris communis, *l. Si cum dotem, in princ. ff. solut. matrim.* Sed juspatronatus ex provisione legis est transitorium, etiam ad extraneos hæredes, ex *d. cap. Perlatum,* ubi littera de hæredibus indistinctè loquitur, & tenet Gloss. *in cap. Considerandum, 16. quæst. 7.* ergo provisio hominis in reservando juspatronatus illis de familia non facit, quin illis deficientibus, ex provisione legis ad extraneos hæredes transeat. Sic enim provisio hominis convenit cum provisione legis, & utraque in suo casu servatur; hoc est, illa hominis, quando superstes erit aliquis de familia; Illa verò legis, ubi familia defecerit, maximè si homo non loquitur exclusivè ad alios, nam tunc, quia expressè loquitur homo, lex silet.

59 In casu autem fundator non loquitur cum exclusione ad extraneos. Nec obstat, quòd juspatronatus fuerit reservatum illis de familia, & in instrumento isti nominentur, & non alii. Nam verba illa, *de familia*, non importent taxativam aliquam, nisi addantur alia verba taxationem denotantia, sed stant solum demonstrativè. Et quando aliquam taxationem importarent, intelligenda essent durante familia, non autem ea deficiente. Et ideò familia extinctas, casus à fundatore omissus regulari debet ad

juris

juris dispositionem; ita Genuen. c. 101. n. 1. Fagnan. *cit. nu.* 27. Et resolvit Rota in una Cremonen. jurispatronat. 6. Junii 1578. coram Card. Seraphino.

Per quæ patet, rationem ex adverso productam nihil concludere.

60 Quæritur. Decem sunt patroni ejusdem beneficii, & in discordia repræsentant, quinque Cajum, tres Titium, & duo Lælium; quis eorum est præferendus, & ab Ordinario instituendus?

Resp. Cajus præsentatus à quinque, *cap. Quoniam hoc tit.* ibi: *Qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & approbatur assensu*. Quare ille præsentatus in discordia patronorum præfertur, qui idoneus est, & habet plures voces. Et ita illa præsentatio valida est, quæ facta est à majori parte patronorum respectu minoris, licèt non sit facta à majori omnium; in quo præsentatio differt ab electione. Etenim in hac non sufficit, ut quis eligatur à pluribus partibus comparatione minorum, sed requiritur major pars Collegii, per text. *in cap. Ecclesia, il primo de elect.* & Clemen. *Exivi de verb. signif.* & diximus sup. *c. 16. n.* 18.

Non nego me potuisse dictis alia plura addere, sed ne nimis displiceam, remitto Lectores ad citatos Authores. Verùm hoc unum, vel alterum adjiciam.

61 Primò, quod juspatronatus aliud est *activum*, aliud *passivum*. Activum est, ex quo patronus potest præsentare ad beneficium. Passivum verò, per quod certi de aliqua familia (si idonei adsint) exclusis extraneis, debent ad beneficium præsentari, & admitti.

62 Secundò. Quòd Episcopi non possunt visitare Capellas, sive Altaria de jurepatronatus laicorum in Ecclesiis Regularium erecta, quibus cura animarum non imminet, ex Sac. Congreg. apud Fagnan *in primum ad cap. Grave, de offic. Ordinar. num.* 48. & Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 39. *num.* 9.

63 Tertio. Quòd negligentia patronorum in præsentando non punitur in pecunia, sed juris sui amissione pro illa vice, Sac. Congr. Episc. in Piscien. 30. Januarii 1582.

64 Quartò. Quòd patroni laici non possint tenere claves suarum Capellarum, ead. Sac. Congr. in Januen. 18. Martii 1587.

65 Quintò. Quòd Fundatori Conventus concedendum est juspatronatus honorificum, & quod in collectis exprimantur nomina defunctorum, non autem vivorum, 14. Januarii 1606. & 3. Aprilis 1620. Pascucc. *v. Juspatronat. in fin.*

66 Sextò. Quod patronis Capellarum, sive Altarium, quæ sunt inornata, & indotata, præfigitur terminus ad ea resarcienda. Unde possunt concedi aliis patronis, qui eis provideant, si proprii post tertiam monitionem cum aliquo intervallo, vel termino non adeò coarctato, ab Ordinario faciendam, id præstare negligant, vel recusent; daturque Regularibus, & aliis Superioribus Ecclesiarum facultas disponendi de eis ad libitum. scilicet diruendi, vel aliis concedendi, eadem Sac. Congreg. in Mutinen. 2. Maii 1601. & 2. Januarii, & 3. Julii 1602. & 16. Februarii 1603. & 9. Januarii 1604. & 9. Octobris 1618. prout legitur in Pignatello *tom. 9. consult.* 82. *num.* 142. *& seqq.* vide, quæ dixi supra *cap. 9.*

67 Septimò. quòd patroni inter propria jura non habent jus sepulturæ, nisi in fundatione illud sibi reservaverint. Quare sunt sepeliendi in Parochia, nisi alibi elegerint, vel habeant sepulturam, Petra *com. tom. 2. ad Constit. 7. Greg. IX. n.* 14.

CAPUT XXIX.

Officialis quoad jus Regaliæ.

SUMMARIUM.

1 *Agitur de significato Regaliæ.*
2 *Ejus legitima descriptio.*
3 *Fructus Ecclesiæ vacantis restituuntur successori Prælato.*
4 *Taxantur pœnæ adversus usurpantes bona Ecclesiarum.*
5 *Tempore Sedis vacantis fructus conservantur apud Oeconomum.*
6 *Opinio modernorum Regalistarum.*
7 *Impugnatur.*
8 *Jura patronis ab jure Canonico concessa.*
9 *Agitur de origine juris Regaliæ.*
10 *Feuda Ecclesiis à Principibus collata.*
11 *Investitura describitur.*
12 *Duo in investituris reprehenduntur.*
13 *Pontifices investituras reprobarunt.*
14 *Henricus V. investituras cedit Ecclesiæ.*

15 Quid

15 *Quid in Conc. Lugdunensi II. dispositum sit de jure Regaliæ.*
16 *Extensio Regaliæ prohibita in eodem Concilio.*
17 *Quædam propositiones adversus Primatum Romani Pontificis.*

§. I.

Suprema Pontificis Romani potestas in temporalia Principum.

1 *Romanus Pontifex habet indirectam potestatem in temporalia Principum, usque ad 6.*

§. II.

Primatus Romani Pontificis supra Concilium Generale.

1 *Pontifex Romanus est supra Concilium Generale.*
2 *Papa est supra omnes Episcopos, etiam in Concilio congregatos.*
3 *Concilia à Papa robur accipiunt, & ab eo confirmantur.*
4 *Concilia confirmationem petunt à Summo Pontifice, usque ad 6.*
7 *A Pontifice ad Concilium appellatio prohibita.*
8 *Qua ratione Papa sit filius Ecclesiæ.*
9 *Concilium absque Papa congregatum est acephalum.*
10 *Referuntur fragmenta historiæ Concilii tum Pisani, tum Constantiensis, & Basiliecensis, usque ad 21.*

§. III.

Primatus Romani Pontificis supra jus positivum Ecclesiasticum.

1 *Romani Pontificis præeminentia supra jus positivum, usque ad 4.*

§. IV.

Romani Pontificis infallibilitas etiam extra Concilium.

1 *Romani Pontificis infallibilitas in definiendis quæstionibus fidei, & morum, usque ad 3.*
4 *Epitome nonnullarum propositionum, quæ à Romanis Pontificibus extra Concilia fuerunt proscriptæ.*
5 *Romani Pontificis infallibilitas in definiendis etiam quæstionibus tum facti connexi cum fide, tum facti dogmatici.*
6 *Errores Quietistarum proscripti ab Innocentio XI. usque ad 9.*
10 *Forma regendi Ecclesiam non est Democratica, nec Aristocratica, sed Monarchica, usque ad 15.*

JUs Regaliæ scriptoribus Italis vix notum, ab exteris in sua natura alteratum, non semel gravissimis contentionibus causam dedit. Cum enim plures pro Curiis Principum scripserint, ipsum plus æquo extenderunt, & importabili servitute Ecclesias gravarunt; contra quos exscribenda nonnulla ex probatis Authoribus suscepimus.

1 Regalia itaque varia significat. In plurali, denotat.

I. Collectam, quæ fit mandato Regis, vel Imperatoris, aut tributum, quod Regi debetur, *cap. Si tributum 11. quæst.* 1. & juxtà expositionem Gloss. *in cap. Præterea, il 2. de jurepatron. verb. Regium*; aut jura quæ Imperatori solvi consueverunt, ut portus, vectigalium, & similium, quæ dominii independentiam præseferunt, & ad jura Principatus censentur spectare, Gloss. *in cap. Generali, de elect. in 6. in verb. Regalia*, allegans *lib. Feud. cap. Quæ sint Regalia.*

II. Significat feuda, quæ Imperator, vel Reges iis concedunt, quos muneribus augere intendunt, sed ea lege, ut ipsi teneantur fidelitatem exibere, & aliqua honesta servitia præstare, prout DD. concordent *in tit. de feud.* & proindè non ineptè consueverunt vocari, *Beneficia regalia.*

III. Significat Castra, Civitates, & bona, quæ Ecclesia Romana à Christianorum Principum pietate recepit; & dicuntur non modò patrimonium, verùm *& Regalia B. Petri*, prout expresse in restitutione investiturarum ab Henrico V. Imperat. facta, ut in calce *ad constit. unic. Calisti II. Bullar. tom. 1.*

2 Tandem, jus Regaliæ in singulari usurpatæ, nihil aliud est: *Quàm jus quoddam custodiæ, & depositi*; ut cum aliqua Ecclesia Cathedrali vacante, fructus interim,

-tim, qui proveniunt, à Principibus loci custodiuntur, aut eis in depositum committuntur, ut eos novo Ecclesiæ Pastori integros restituant.

3 Siquidem Sacris Canonibus cavetur, quòd fructus Ecclesiæ vacantis Successori Prælato, non alteri cedant, nisi Sedes Apostolica aliud disponat, nec possunt alienari. Ita Alexan. III. in *cap. Cùm vos, de offic. Ord.* loquitur Episcopo Cantuarien. eiusque suffraganeis, ibi: *Fraternitati vestræ mandamus, quatenùs si quando in vacantibus Ecclesiis, in quibus Ecclesiastica persona præsentationem non habet, vel quia personæ minùs idoneæ præsentantur, vel alia de causa, de jure personas non poteritis in eis instituere, appellatione remota, ponatis Oeconomos, qui debeant fructus percipere, & eos, aut in Ecclesiarum utilitatem expendere, aut futuris personis fideliter reservare*, *cap. Quia sæpè, de elect. in 6.* ab officio, & beneficiis suspenduntur singulares personæ Conventus, Capituli, & Collegii, occupantes bona Ecclesiarum, Cathedralium, Regularium, & Collegiorum tempore vacationis obvenientia, *cap. In quibusdam, de pœn.* Patroni, Advocati, &c. vendicantes sibi in Ecclesiis etiam vacantibus, plusquam jura permittant, per censuram compescuntur, & *cap. Præterea, il 2. de jurepatr.* legitur: *Præsenti Decreto statuimus eos, sive Advocati, sive Patroni, vel Vice-Domini, sive Custodes, vel Guardias habentes, seu quocumque nomine censeantur, à gravaminibus Ecclesiarum cessare.*

4 Tridentinum pariter *sess. 22. cap. 11. de refor.* submittit excommunicationi Papæ reservatæ (& patronatu, si patroni fuerint, ipso facto privantur) occupatores, & sibi præsumentes usurpare alicuius Ecclesiæ bona, fructus, & iurisdictiones, *cap. 3. sess. 24. de reform.* prohibet, ne patroni se immisceant in proventibus bonorum Ecclesiæ, *Nisi quatenùs id eis ex institutione, aut fundatione competat*, & *sess. 25. cap 9. de reform.* repetit dispositionem, & patronis vetat, ne ulla causa, vel occasione se ingerant in perceptione fructuum, & proventuum beneficiorum, qui fuerint etiam de iurepatronatus ipsorum: *Sed illos liberè Rectori, seu Beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine distribuendos dimittant.*

5 Provisio autem Oeconomi, Sede Episcopali vacante, iam fuerat sub dispositione Conc. Gen. Chalcedonen. *can. 25.* statuentis proventus Ecclesiæ viduatæ pœnes Oeconomum eiusdem Ecclesiæ intactos, & integros reservandos esse. Quod decrevit etiam Synodus Quinisexta *can. 25.* relato *in cap. Non licet 12. quæst. 2.* Subindeque Trid. *d. sess. 24. cap. 6. de refor.* repetit faciendam esse à Capitulo electionem Oeconomi, qui de Ecclesiæ vacantis fructibus, & proventibus curam gerat, redditurus posteà Episcopo electo rationem; & proindè, ut de eius fidelitate constet, debet inventarium de fructibus conficere, & nil alienare, nisi fructus, qui servando servari non possunt; isti enim ut vendantur, expedit Ecclesiæ; sed pretium non debet sibi imbursare, sed reservare novo Prælato.

Nec ab alio est Oeconomus constituendus, quàm à persona Ecclesiastica, per alleg. iura, & per *cap. etiam 18. sess. 24. de reform.* Neque alius deputandus est, quàm Clericus. Quoniam res Ecclesiasticæ à Clericis tractari debent, & potest persona Ecclesiastica faciliùs ab Episcopo cogi ad rationem reddendam, per *l. Omnes, §. Nihilominus, C. de Episc. & Cleric.*

Sed inter tot Sacrorum Canonum præsidia impediri non potuit, quin plurimorum cupiditas, & auri fames adversùs Ecclesiasticas leges olim prævaluerit; adeò ut, quæ dicebatur custodia, cœperit esse occupatio, & ipsorum patrimonium, Tutela verò protectionis, qua defendere debebant temporalia Cathedralium, maximè vacationis tempore, formam gravaminis accepit. Et sic, quod ad defensionis subsidium fuit inventum, ad depressionis dispendium accessit, prout alias conquestus est Innoc. III. *d. cap. In quibusdam*. Plures enim iure custodiæ non contenti; ad occupandos Ecclesiarum vacantium fructus processerunt, eos in usus proprios convertendo. Quinimò ulteriùs progredientes, ordine rerum mutato, in alienam messem falcem ponere non horruerunt, conferentes pleno iure beneficia Ecclesiastica, Episcopali Sede vacante; ab aulicis ratione seducti, non esse tunc temporis opus institutione Episcopi, sed solum placitum Principis sufficere; id concludentes ex eo, quòd beneficiorum collationes partes sint fructuum Ecclesiæ vacantis.

6 Pro-

6 Propterea moderni Regalistæ dixerunt, jus regaliæ duo ad minùs jura comprehendere. Alterum percipiendi, ac sibi vendicandi fructus Ecclesiæ vacantis; quod temporalem regaliam vocant. Et alterum conferendi tempore vacationis beneficia; quod per eos ad spiritualem regaliam pertinet, ut notavit Author *Regal. Sacerdot.* §. 1. *num.* 13.

7 At non videtur difficile, falsitatis opinionem arguere, cùm ex directo id affirmet, quod leges Canonicæ proscripserunt. Occupationem fructuum utriusque juris dispositione interdictam vidimus. Restrictamque ad Prælatos Ecclesiasticos esse beneficiorum Ecclesiasticorum collationem, ostenditur *cap. Relatum de jurepatron.* & à Trid. *sess.* 14. *cap.* 13. *dd. sess.* 24. *cap.* 18. & *sess.* 25. *cap.* 9. Omniumque sensus esse debet ea ad laicos non pertinere, cùm extra potentiam sæcularem sint, nullamque proportionem ad eam retineant. Nisi regalistæ, & quotquot partes Principum agunt, affingant jurisdictionem spiritualem posse à laicis derivare. Nam hæc sæpè beneficiatis in capitulis compètit; vel ea, quæ sunt Ordinis, debent exequi; omnesque ministeriis spiritualibus deputantur: ad quę à laicis sanè potestas dari non potest, legatur *cap. Qui res, de reb. Eccl. alien. &c.*

Vident regalistæ falsa omninò evulgasse, sed adhuc, ne rationi, & veritati cedant, distinguunt in beneficiis hæc duo: *Functiones spirituales, & redditus temporales*; & iuxtà distinctionem docent, Principem in vim iuris regaliæ conferre, non potestatem exercendi functiones spirituales, sed ius dumtaxat percipiendi redditus temporales illis annexum.

Sed ex vero ad falsum descendunt; nam licèt inter se illa duo apertissimè differant, tamen negari non potest, quin unum ab alio dependeat. Siquidem ius percipiendi redditus, radicatum, & annexum est facultati exercendi Ecclesiastica Ministeria, & ad hunc effectum datur, iuxtà illud: *Beneficium datur propter officium*, & *cap. Quia per ambitionem, de rescript. in 6.* & *cap. Eos* 8. *dist.* dicitur, *sequela officii*. Et propter talem connexionem sequitur, ut ab eodem conferente dictum ius, & facultas procedat; siquidem in connexis non datur divisio. Et ita conferens debet in se habere potestatem Ecclesiasticam, & spiritualem; aliàs quomodo dat, quod non habet? Vel si Princeps potestatem exercendi spirituales functiones non confert, nec tale jus tribuit.

8 Unde patronis beneficiorum iura, & Ecclesiasticæ leges ius tribuunt præsentandi Prælato Ecclesiastico, nominandique ad beneficia vacantia Clericos, secundùm ea, quæ notantur a Gloss. *ad d. c. In quibusdam, ver. Jure permissum*. In quo DD. concordant. Neque aliud significatur, cùm dicitur a patronis beneficia conferri; cùm verissimè iuxta qualitatem beneficii conferantur, vel a Pontifice, vel Episcopis, aut aliis Prælatis ad ipsorum præsentationem, ex *cap.* 18. *sess.* 24. *vers. Si verò de ref.*

9 Quæritur. *Quid de juris regaliæ origine sit dicendum, & unde initium cœperit?*

Propositum dubium est valdè implexum, & difficile. Verùm originem duxisse, & sequelam ad investituras feudorum esse videtur, prout non obscurè concludunt Auctores de hac materia scribentes.

10 Proindè sciendum. I. Quòd postquàm Regum Christianorum indulgentia factum est, ut Ecclesiæ multis feudis, & dominiis fuerint auctæ, hæc ipsa amplitudo, & opus servitutem ipsis Ecclesiis pararunt, ut dixit D. Bernard. *serm. ad Pastores*, ibi: *Duplex dominium Prælatorum; habent enim claves Ecclesiæ, quibus claudunt, & nemo aperit; habent & regalia, quia domini sunt urbium, & oppidorum; nec solùm Episcopatus; sed etiam consulatus habent, ut meritò eis dicatur, Quid ultrà debui facere, & non feci? sed, quod datum est illis in adjutorium, factum est illis in scandalum*. Eaque forma illis auctis, cùm Principes viderent se posse ab Episcopis metuere, ut eos sibi devincirent, cum ipsis quantum ad feuda, & regalia Episcopatibus annexa, & unita, in usum deduxerunt investituras.

II. Quòd Episcopo defuncto, annulus, & baculus Pastoralis Principi mittebantur; apud quem erant, donec Successor eligeretur, & ea de manu Principis iterùm reciperet, ut per Gonzalez *in* 1. *cap.* 43. *tit.* 6. *num.* 6. Ad quem etiam ex Auctore *tract. regal. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. Feuda revertebantur, & tamdiù illa occupabat, quamdiù novus Episcopus per investituram acciperet. Verùm eo Principes, Sede Episcopali

pali vacante, devenerant, ut non modò feuda repeterent, sed redditus etiam, & beneficiorum collationes pro eo tempore occuparent, ut *ibid. num.* 4.

11 III. Quòd investitura idem erat, ac *immissio in possessionem feudorum.*

12 Quæ quoad Episcopatus hoc ritu fiebat: dato nimirùm per Principem annulo, & baculo Pastorali (quæ cum essent insignia dignitatis, cui feuda erant unita, vulgò credebatur, Principes dignitatem Ecclesiasticam conferre) & præstito Principi per Episcopum fidelitatis juramento, quo ad certam eidem exhibenda officia se obstringebat, ut apud *cit.* Gonzalez *à num.* 5. Quæ duo in investituris reprehendebantur.

13 Investituras jam prohibitas in Concilio Nicæno II. *act.* 8. *&* 10. demùm; ut de Ecclesia hujusmodi abusum tolleret, improbavit, damnavitque Gregor. VII. in Synodo Romana V. pronunciato anathemate in Imperatores, & Reges, qui illas darent, & in Episcopos recipientes, Bail. *summ. Concil. tom.* 2. *sæcul.* 11. *pag. mihi* 377. Coriolan. *Breviar. Cronolog.* Cabasut. *notit. Eccles. ad an.* 1133. Spondanus *tom.* 2. *epitom. ad ann.* 1077. *num.* 9. *&* 1078. *num.* 3. Idem statuit Urbanus II. in Synodo Claramontana apud dict. Bail. & subindè Paschalis II. & Callistus II. in Concil. Lateranen. I. de ann. 1122. apud Annat. *apparat. ad theolog. posit. lib.* 5. *art.* 10.

14 Unde Henricus V. Imperator investituras, & regalia reddidit Catholicæ Ecclesiæ; ut ex formula restitutionis ad calcem Const. un. Callisti II. *tom.* 1. *Bull.* & ibi ejusdem Pontificis rescriptum ad eundem Henricum. Propter quod diù agitata de investituris controversia finem obtinuit.

Ex quibus ad quæsitum discurri, aptarique potest responsio.

15 Quæritur. *Quid sit in Concilio Lugdunen. II. sub Greg. X. dispositum circa jus Regaliæ?*

Resp. Id totum, quod legitur *in c. Generali, de elect. in* 6. ibi: *Generali constitutione sancimus, universos, & singulos, qui regalia, custodiam, sive guardiam, advocationi, seu defensionis titulum in Ecclesiis, Monasteriis, seu quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant: Clericos etiam Ecclesiarum, Monachos Monasteriorum, & personas cæteras locorum eorumdem, qui hoc fieri procurant, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.*

§. *II. Nos verò Clericos, qui se (ut deberent) talia facientibus non opponunt, de proventibus Ecclesiarum, seu locorum ipsorum pro tempore, quo præmissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtiùs inhibemus.*

§. *III. Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine jura sibi hujusmodi vendicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos Ministros in eis sollicitè faciant abstinere; quod ea, quæ pertinent ad fructus, sive redditus provenientes vacationis tempore non usurpent. Nec bona cætera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.*

Quare Gregorius, qui Concilio præsedit permisit, ut Principes in locis, in quibus, vel titulo fundationis; aut antiqua consuetudine jus regaliæ reperiretur inductum, eo gauderent; cum prohibitione, quòd ipsum non extenderent ad loca, in quibus prætactæ qualitates non concurrerent, nec ad ea quæ ad fructus non pertinerent; adeòque neque ad beneficiorum collationes, quæ ex terminis à fructibus, & redditibus discriminantur.

Plures causæ fuerunt hoc ius regaliæ Principibus permittendi; ut quòd iam longa consuetudine, & pluribus exemplis invaluisset, nec posset propter acerbitatem temporis facilè corrigi, compescique peiorum malorum metu, nisi Principibus gravissimè offensis; quorum ingentia fuisse in Ecclesiam merita, negari non poterat, quibus aliqua merces debebatur; & tunc præsertim, quando consilio, & precibus Gregorii X. in sacrum bellum accingebantur, non tantùm immensos sumptus, sed etiam sanguinem profusuri; & inde necessitas privilegium fecit. Nec sola consuetudo Principes absolveret, nisi eis assisteret Apostolicum privilegium, ut Author *reg. Sacerd.*

Cæterùm non videtur in Concilio permissum, ut Principes fructus vacantis Ecclesiæ in suos usus consumerent; sed pro-

pter verba, per text. *Nec bona cætera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent*, contrarium deciditur.

16 Quinimò mens Pontificis in Concilio fuit impedire extensionem regaliæ, ut non ampliaretur ad Ecclesias, quæ à servitute regaliæ immunes, & liberæ fuerunt. Quod evidens est, nedum ex verbis Concilii; *De novo usurpare conantes*; sed etiam ex illis Gloss. *ibid. in ver. Custodiam, quocumque ergo nomine censeatur, usurpantes* de novo *tale jus in Ecclesiis, aut aliis locis piis, & bona ipsorum locorum vacantium occupantes, excommunicati sunt ipso jure*; & in verb. *de novo, scilicet à quadraginta annis citrà*, prout advertit etiam Author *d. tr. regal. tit. præcip. docum. ad caus. regal. spect. docum.* 19.

Quare contra Constitutionem in Concilio editam jus regaliæ ad Ecclesias liberas extendit, qui non exhibet, vel privilegia Apostolica ipso Concilio antiquiora, vel possessionem supra hominis memoriam non justificat, juxta verba textus; *Ex antiqua consuetudine jura sibi hujusmodi vendicant*. Quoniam secundum juris Consultorum opinionem: *Omnia libera præsumuntur, nisi contraria servitus probetur*. Quæ regula maximè in Ecclesiis procedit, quod sint ab ea servitute immunes, eoque onere non gravatæ.

Hujusmodi extensionem non semel improbavit Innocentius XI. ut in ejus litteris in forma Brevis sub 12. Martii 1678. & aliàs, prout *loc. cit. docum.* 38. 39. *&* 40. Eamque, ac quatuor propositiones adversus Primatum, & authoritatem Romani Pontificis olim editas, cæteraque immunitati, & libertati Ecclesiasticæ præjudicialia, nulla, irrita, invalida, & nullius roboris decrevit, & declaravit Alexander VIII. const. *Inter multiplices*, 4. Augusti 1690. Quæ per extensum datur à Sporer *tom. 2. theolog. moralis in principio*.

Subindè verò ad dictam Constitutionem Alexandri, quidquid de anno 1682. fuit per auctores declaratum, & resolutum in præjudicium Pontificiæ authoritatis, & jurium Ecclesiasticorum, per eosdem sincerè fuit rectratum, prout ex ipsorum testimonio; ut in epistola ad Innoc. XII. directa, relata *in Regul. Sacerdot. lib.* 4. §. 5. *& ult. num.* 44. *nov. edit.* ad quem Lectorem delego, ut *ibid. & in prælud.* §. 4. propositiones etiam legat, in quibus ipsarum auctores declararunt.

17 Primò. *B. Petro, ejusque Successoribus Christi Vicariis, ipsi Ecclesiæ rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium à Deo traditam potestatem, dicente Domino*, Regum meum non est de hoc mundo, *& iterùm*, Reddite ergo Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo; *ac proindè stare Apostolicum illud*; Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sint; non est enim potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: *Regentes ergo, & Principes nulli Ecclesiæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide, atque obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse; eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam; nec minus Ecclesiæ, quàm Imperio utilem, ut Verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam, omninò retinendam*.

Secundò. *Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus, Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua Religione custodita, Decreta de auctoritate Conciliorum Generalium, quæ sess. 4. & 5. continentur; nec probari, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis, ac minùs approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant*.

Tertiò. *Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos. Valere etiam regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad Apostolicæ Sedis amplitudine, ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ, propriam stabilitatem obtineant*.

Quartò. *In fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque De-*

Decreta ad omnes, & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.

Circa quæ, jam Apoſtolico judicio infirmata, nonnulla ad Lectoris inſtructionem diſtinctis §§. ſubnectimus, eum ad pleniorem acquirendam remittendo ad Theologos, Dogmatiſtas, & Canoniſtas; apud quos in locis aptis, in quibus reſpectivè agunt de Pontifice, & Conciliis, ponderare etiam poterunt reſoluta objecta, ab hoſtibus veritatis adversùs Romani Pontificis authoritatem, & Primatum congeſta.

§. I.

Romani Pontificis ſuprema poteſtas indirecta in temporalia Principum.

1 PRima propoſitio eſt injurioſa ſupremæ poteſtati Romani Pontificis; ſiquidem licèt in Romano Pontifice recognoſcat erga ſupremos etiam Principes ſupremam poteſtatem activam ſpiritualem, eoſque poſſe, cùm opus ſit, excommunicare; negat tamen in eos ullo modo pollere poteſtate temporali, etiam indirecta, & in ordine ad finem ſupernaturalem; adeòque poſſe eos deponere, & ſubditos à juramento fidelitatis abſolvere, aut contra ipſos pœnis temporalibus procedere, quando in id urgenti neceſſitate traheretur. Quod eſt ſanè contra rationem Paſtoralis officii, Romano Pontifici à Chriſto commiſſi, illis verbis, *Paſce Oves meas, Joan.* 21. Nec excipiuntur Principes, cum & ipſi ſint Oves Chriſti, & ad ejus ovile pertineant, ad textum *in cap. Solitæ, de majorit. & obedient.* ibi: *Nobis autem in B. Petro ſunt Oves Chriſti commiſſæ, dicente Domino,* Paſce Oves meas, *non diſtinguens inter has Oves, & alias, ut alienum à ſuo demonſtraret Ovili, qui Petrum, & Succeſſores, ipſius Magiſtros non recognoſceret, & Paſtores: ut illud tanquam notiſſimum omittamus, quod Dominus dixit ad Petrum, & in Petro dixit ad Succeſſores ipſius,* Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis: *nihil excipiens, qui dixit,* Quodcumque.

2 Oves autem paſcuntur non tantùm, vel utilia paſcua parando, regendo, & fovendo; verùm & virga Paſtorali arcendo lupos, & arietes furioſos recludendo, eoſque ab aliis ſeparando. Et inde Petro, ejuſque Succeſſoribus eſt data poteſtas, ut poſſint Principes (quando ex Ovibus fierent Lupi, hoc eſt, ex Catholicis hæretici, aut ſi fidem retinerent, ita tamen temporali poteſtate abuterentur, ut vel jura Eccleſiarum occuparent, vel in diſcrimen Religionem adducerent) pœnis temporalibus coercere, eoſque potentia, & Principatu deponere; ut expreſsè text. *in cap. Unam Sanctam, de majorit. & obed. inter com.* ibi: *Spiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, & judicare, ſi bona non fuerit.* Maximè, ubi monitis non acquieſcunt, & cenſuras contemnunt. Neceſſe enim fuit aliquem terminum immenſæ Principum potentiæ præfigere, extra quem non excurreret, nec jura Religionis offenderet.

Quapropter DD. concordant, Romanum Pontificem ex jure Divino habere poteſtatem juriſdictionis in temporalibus Principum indirectè, & conſequenter, prout neceſſarium eſt ad conſervationem rerum ſpiritualium, & fidei; propter quod poteſt de rebus ipſorum diſponere. Uterque enim glaudius ex d. *cap. Unam, ſpiritualis* (qui animas ferit) *& materialis* (qui ferit corpora, & facit læſionem viſibilem, ut legit Gloſſ. *ibid. verb. Certè qui*) *eſt in poteſtate Eccleſiæ.*

3 Nec obſtat, quòd Chriſtus dixerit Petro, *Converte gladium tuum in vaginam.* Nam non dixit, projice glaudium à te, ſed *converte*, hoc eſt, adversùs Principe utere, non ſemper, ſed opportunè, bono ſpirituali exigente.

Neque item officit, quòd text. ibid. dixerit, gladium temporalem eſſe exercendum de manu Regum, & militum *ad nutum Sacerdotis.* Quoniam Pontifici in Principes indirectum exercitium, juxta dicta non negatur: nec Chriſtus Apoſtolis dicentibus: *Ecce gladii duo hic; in Eccleſia ſcilicet, reſpondit, nimis eſſe, ſed ſatis,* ut ibi text. Nec per *nutum*, ſolùm exhortatio ſignificatur; nam etiam præceptum importat: Papa enim poteſt Principibus præcipere, ut arma ſumant adversùs hoſtes Fidei, & eos, quos ſua ſententia dominatu privaſſet, ad text. *in cap. Igitur 23. quæſt. 8.*

Id totum expreſſum videtur *cap. Per vene-*

nerabilem, *qui fil. sint legit.* §. *rationibus*, ibi: *Non solùm in Ecclesiæ patrimonio* (*super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem*) *verùm etiam in aliis regionibus*, *certis causis inspectis*, *temporalem jurisdictionem causaliter exercemus*. Quæ autem major causa exercendi, nisi cum bonum spirituale, & ingens Ecclesiæ necessitas exigit? Diana *coord. tom.* 9. *tract. de potest. exauctoran. reg. resol.* 7. Petra *tom.* 1. *ad const. Apost. ad const. unic. Greg. VII. num.* 26. Gonzalez. *in* 4. *ad cap. Per venerabilem tit.* 17. *cap.* 13. *qui fil. sint legitimi num.* 8. apud quos plures.

4 Ibique Diana *resol.* 8. refert in Congregatione Theologorum de mandato Innocent. X. fuisse resolutum, hanc propositionem: *Papa nullam habet potestatem in temporalibus, etiam indirectè*, esse hæreticam, saltem reductivè.

5 Nec obstat illud Jo. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*. Quia ut notavit Augustinus *tract.* 15. *in Joan.* Christus non dixit: *Regnum meum non est in hoc mundo*, *sed non est de hoc mundo*. De regia enim potestate in Christo, ut homine, in hoc mundo dubitari non potest, juxtà illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*. Tanta enim ratione hypostaticæ unionis fuit excellentia Christi, ut nullus esse potuerit titulus honoris, prærogativæ, & potestatis, qui ei non competeret. Habuit itaque Christus regiam potestatem in hoc mundo, sed non de hoc mundo, hoc est, non acceptam ab hominibus, nec humana auctoritate, aut humano jure devolutam.

6 Quibus subnecto, quæ habet Sperellus *decis.* 182. *num.* 66. ubi dixit, Summum Pontificem non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus supremam habere potestatem directè, & per se in suis terris, ubi est Rex, & supremus Dominus temporalis; in aliis verò indirectè, & per aliud, in ordine scilicet ad spirituale bonum alicujus Regni, vel totius Ecclesiæ. Concordat Gonzalez *in* 4. *tit.* 17. *cap.* 13. *num.* 8. ubi scripsit, quòd Rex non agnoscit supra se Principem temporalem, sed agnoscit Romanum Pontificem Principem spiritualem, qui de temporalibus quoque in ordine ad spiritualia judicare potest. Quod repetit *num.* 11. hæc addens: quòd licet Pontifex non possit uti jurisdictione temporali extra loca proprii patrimonii, *cap. Cùm ad verum* 96. *dist. cap. Novit*, *de jud.* eam tamen exercere valet in ordine ad supernaturalia, quando expedit Ecclesiæ, ad ipsius defensionem, seu ad bonum spirituale, seu ad finem Ecclesiasticæ potestatis assequendum, prout *in dict. extravag. Unam Sanctam*, *de majorit. & obedien. int. com.* Videri etiam potest de Magistris *Syl. Ecclesiast. par.* 1. *tit.* 4. *cap.* 3. *num.* 6.

Super quo legatur etiam D. Thomas 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 2. & quod scripsit D. Bonaventura *tom.* 7. *par.* 2. *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 1. ibi: *Temporale Regnum velut quoddam adjectum subjacet Sacerdotio in novo testamento, &c. Et sic possunt Pontifices ex causa amovere Reges, & Imperatores, sicut sæpiùs accidit, & visum est; quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipublica necessitas sic requirit: Summus enim Pontifex, pœnes quem prima in terris residet auctoritas, non à Rege, nec à Principe sæculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei judicio reservatur*.

Ita Zaccharias Papa deposuit Hildericum Regem Francorum, ejusque auctoritate Pipinus Rex Franciæ creatur. *c. Alius* 15. *q.* 6. & apud Coriolanum *in Brev. Cronologic. ad an.* 752. Gregorius VII. Imperio, & Regno privavit Henricum IV. prout *in Bullar. tom.* 1. *in const. ejusdem Gregor. B. Petre*: Innocentius III. deposuit Othonem IV. Imperatorem: Innocentius IV. Fridericum II. Clemens VI. Ludovicum Bavarum. Idem Coriolanus *ad an.* 1703. Alia exempla recenset Diana *cit. resol.* 6. ubi dat concordantes.

§. II.

Primatus Romani Pontificis supra Concilium Generale.

1 Secunda propositio cum summa injuria adimit Romano Pontifici prærogativam, & primatum supra Concilium Generale, eum infrà Concilium constituens. Verùm Pontificem Romanum esse supra Concilium Generale, est veritas Catholica, & articulus plenè resolutus apud Theologos, & Canonistas, quos allegat, & sequitur Gonzalez *in* 1. *ad cap. Significasti cap.* 6. *tit.* 6. *num.* 17. Fagnan. *in* 1. *ad dict.*

cap.

cap. de elect. & infrà *ad cap. Antigonus, de pactis num.* 50. Petra *tom.* 2. *ad Const. Apost. ad Const.* 11. *Innoc. III. sect. unic. num.* 21. Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 147. *num.* 49.

Primatus itaque Papæ supra Concilium Generale habetur Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quod non Concilio, sed Petro, ejusque Successoribus dicitur. Sicut non Concilio, sed Petro, & Pontificibus Successoribus dictum est, Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, Joan. ult. *Pasce Agnos meos, pasce Oves meas;* ergo Petro, & Romanis Pontificibus est commissa cura pascendi Oves, adeòque & pascendi Episcopos in Concilio congregatos. Nam nullum Christus excipit ut est text. *in d. cap. Unam Sanctam.*

2 Dicunt: Papa est supra omnes Episcopos divisim, non verò in Concillo congregatos. At non obstat; nam & in Concilio sunt Oves Christi: atque ita unum Pastorem visibilem habent, cui subsint, cui obediant, quem sequantur, à quo dirigantur; & quem alium, quàm Romanos Pontifices Petri Successores?

Valet illatio à divisis ad collecta, quando ratio, quæ militat in divisis, currit etiam in collectis. Ita Deo non minùs quælibet creatura divisim subjicitur, sed etiam tota creaturarum collectio; quia tam quælibet creatura divisim, quàm ipsarum collectio à Deo dependet. Hinc cum Episcopi, tam divisim, quàm omnes collectiva sint Oves Christi, commissæ regimini Petri, & Romani Pontificis, in utroque sensu à Pontifice dependent, & Superiorum agnoscunt, juxtà text. *in cap. Ubi periculum, de elect. in 6. §. Cæterum*, ibi: *Romanus Pontifex dicitur Doctor universalis Ecclesiæ, & Gregis Dominici Director*. Ideòque & Concilii Generalis.

3 Idem Primatus Pontificis probatur, per hoc, quòd Concilia valent, & robur accipiunt, quatenùs congregantur, & confirmantur à Pontifice, *c. Multis, & c. Concilia* 15. *dist. cap. Significasti, de elect.* ibi: *Quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint.* Confirmatio verò ad Superiorem spectat, ut per Official. Cur. Eccl.

Turrecremata *in cap. Sancta Romana* 15. *dist. num.* 2. & Gelasius I. in *Const. Valdè*, la 1. *Bullar. tom.* 1. §. 6. dixit, ibi: *Confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam: quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.* Et §. 15. ibi: *Quoniam sicut id, quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit; sic, quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit*, & Pelagius II. *Const. Manifesto unic. ibid.* §. 1. tradit, potestatem convocandi Synodum generalem esse apud Sedem Apostolicam. *Sine cujus auctoritate nulla Synodus rata legitur.*

4 Unde commune est apud Lauræam *de fide disp.* 5. *art.* 2. §. *unic.* quòd Decreta Concilii Generalis non sunt infallibilia, nec habent vim obligandi fideles ad credendum ea fide divina, antequam à Papa confirmentur. Quoniam Petro, & in Petro, ejus etiam Successoribus promissa est assistentia circa docendam doctrinam fidei, dicente Christo Lucæ 22. *Rogaui pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Neque enim judicium Episcoporum in Conciliis est ultimò decisivum, ut per Div. Thomam 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *in corp.* ubi dixit, ad authoritatem Romani Pontificis pertinere finaliter determinare ea, quæ sunt fidei. Sed semper propriam sententiam dicunt, cum dependentia, & subordinatione ad ultimum complementum, & ad Caput Ecclesiæ, cujus influxus est necessarius, & judicium irreformabile, Guarnieri *de Eccles. milit. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 6.

Hinc Bail. *tom.* 1. *summ. Conc. appar. de triplici verbo Dei, tit. de verbo Dei definito, §. quomodo probares*, ad rem eleganter scripsit: *Summi Pontificis est dirigere Concilium, ea proponere, quæ in eo tractanda, judicanda, & definienda sunt, eadem definita confirmare; cùm robur, & potestas Concilii ab eo dependeat, quem Christus Vicarium suum Generalem super universam Ecclesiam constituit; ac proindè omnes Ecclesiæ Prælati, etiam in Conciliis, Romanum Pontificem maximè debent*

bent revereri, colere, ac venerari, ne si deprimatur, aut contemnatur, inanes sint eorum definitiones ejus authoritate destitutæ, & illegitima habeantur Concilia, ut sæpè factum est. Hæc ille.

5 De qua re Fagnan. *in* 3. *ad c. Majores num.* 36. *de baptism.* notavit, infallibilitatem Decretorum Concilii non esse immediatè à Concilio, sed à Papa; vel per se ipsum personaliter in Concilio præsente, quia tunc ipse in eo ultimò definit, ut *ibid. num.* 17. *&* 26. vel si in eo per suos Legatos præsideat, per ejus confirmationem. Qua posita, Decreta Concilii dicuntur Acta Papæ, ut ibid. Guarnieri *cap.* 10. *num.* 2. & idem Fagnan. *in* 1. *ad cap. Antigonus num.* 48. *de pact.* Et facit illud *l.* 1. *C. de veter. jur. enucl. Omnia nostra facimus, quibus nostram auctoritatem impartimur*.

Dices. Episcopis in Conciliis legitimis promissa est assistentia Spiritus Sancti, Matth. 18. *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, &c.* & ita Decreta per eos formata, vera, & infallibilia sunt.

Ad hoc respondens Lauræa *cit. num.* 82. adnotavit, Patres Concilii legitimi, qui ex zelo Dei veritatem simplicitate quærunt, Spiritus Sancti assistentiam habere, & illuminari, ut verum judicent. At quoniam non semper ex zelo sic inquirunt, inde non semper sic illuminantur. Ut accidit in Ephesino II. Latrocinali, Ariminensi, & Constantinopolitano sub Nicolao I. in quo ipsimet Legati prævaricari sunt. Ideò eorum judicium apud Ecclesiam non est certò, & necessariò infallibile, cum errare possint, & ita habere, & non habere illuminationem Spiritus Sancti. Atque ita necesse est, ut Romanus Pontifex, qui errare non potest, sua authoritate Concilium confirmet; & tunc Ecclesia testem infallibilem de illius veritate habet. Possunt utique Decreta à Patribus efformata, esse in se, & apud Deum vera, à Spiritu Sancto directa; tamen non obligant Ecclesiam ad credendum Fide Divina, donec Romanus Pontifex illa approbet; nec ante apud eam sunt infallibilia, propter contingentiam veri judicii, ita Laur. *cit. n.* 83. *&* 108. Videri potest etiam Pallavicinus *tom.* 1. *Difesa del Pontificato Romano lib.* 4. *cap.* 14.

6 Quare PP. in Conciliis agnoscentes necessitatem confirmationis Pontificiæ, à Romanis Pontificibus petere consueverunt, ut Decreta Concilii confirmarent; prout ex epistola Concilii Nicæni I. ad Silvestrum Papam apud Bail. *sum. Conc. ad d. Conc. Nicæn.* ibi: *Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur, vestri oris consortio confirmetur*. Et in relatione Concilii Calcedonen. ad Leonem Magnum apud *cit. tit. ad dict. Conc.* Et Cabasut. *in Notit. Eccles. pag. mihi* 16. ibi *Ut nutu Divino gubernati, omnem vobis gestorum vim insinuavimus, ad nostræ sinceritatis comprobationem, atque ad eorum, quæ gesta sunt, confirmationem, & consonantiam*. Confirmationis Littere sunt in Const. *Omnem, la* 2. *Leonis I. Bullar. ibid.* cum clausula, *In iis, quæ ad fidei causam spectant*. Id etiam factum est in Conc. Constan. quoad decreta conciliariter in materia Fidei. Et novissimè PP. Conc. Triden. confirmationem petierunt à Pio IV. *ut in fin. sess.* 25. *de reform.* Ipse autem Pius Concilium confirmavit Const. *Benedictus Deus, la* 73. *Bullar. tom* 2. §. 2. & omnibus fidelibus præcepit observantiam.

7 Patet deindè superioritas Papæ ad Concilia ex hoc, quòd à sententia Concilii Generalis ad Romanum Pontificem detur appellatio, à Romano verò Pontifice ad Concilium etiam Generale sit interdicta in dict. Const. *Gelasii* §. 1. & in Const. *Execrabilis Pii II. la* 5. *ibid.* in qua appellantes ipso facto ligantur excommunicatione Papæ reservata; quæ quovis anno innovatur in publicatione Bullæ Cœnæ, prout *in can.* 17. Ratio est, quia appellare à Summo Pontifice ad Concilium esset appellare à superiore ad inferiorem, contra naturam appellationis, de cujus conceptu est, ut sit provocatio de minori ad judicem superiorem, *cap. Non putamus, de consuetud. in* 6.

Dicunt: Papa est filius Ecclesiæ: Ecclesia autem, utpotè Mater, esse debet supra Papam; cùm Mater sit supra Filium, non Filius supra Matrem: Atque ita, cùm Concilium Generale sit Ecclesia universalis repræsentativè, sequitur, Concilium esse supra Papam, & non Papam supra Concilium.

8 At objectum fuit præoccupatum à Pio II. in Const. *In minoribus, la* 10. *d. Bull.* §. 10. ibi: *Hæc nos de Romani Pontificis auctori-*

ritate, & potestate sentimus, cui & congregare Concilia, & dissolvere datum est. Quis etsi Filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen Pater habetur; & sicut filiationis causa venerare debet Ecclesiam, tamquam Matrem, at prælationis causa præfertur ei, ut Pastor Gregi, Princeps Populo, Rector Familiæ. Quare Pontifex alia ratione dicitur Filius, alia Pater Ecclesiæ: Filius, quia regeneratus in Baptismate; Ecclesia enim per Baptismum dicitur continuò parere Filios, iuxtà Augustinum *in Psalm.* 127. Pater verò ratione *Majoritatis, Potestatis, & Jurisdictionis* in Ecclesia.

Nec tenet illatio: *Ecclesia est Mater; ergò est superior Papa.* Nam Christus Dominus est Filius B. V. Mariæ, & nullus nisi hæreticus dixerit, Matrem esse superiorem Filio.

Urgent pariter: Romanus Pontifex est Membrum Ecclesiæ; atque ita Primatum non habet supra Concilium. Verùm neque id contra nos vim habet. Nam Papa est membrum principale, caput nimirùm visibile corporis Ecclesiæ; nec quoad potestatem iurisdictionis est membrum Ecclesiæ, prout hoc importat partialitatem, quia in eo potestas iurisdictionis non est limitata, sed integra, & plena; dicitur itaque membrum, prout importat distinctionem à cæteris. Tribus autem distinguitur ab aliis membris Ecclesiæ, per Gonzalez *in 1. tit. 6. cap. 6. num.* 18.

Primò. *Perfectione & plenitudine potestatis.* Nam Romanus Pontifex per Orbem terrarum plenam habet sine loci, ac jurisdictionis exceptione integram potestatem regendi, & dirigendi Ecclesiam, ut benè Petavius *theolog. dogmat. lib. 2. cap. 2. num. 11. de Ecclesiast. Hierarch.*

Quapropter est Caput non tantùm dignitate, sed gubernandi, præsidendi, & regendi functione; sicut D. Petrus fuit Caput Ecclesiæ, & Princeps Collegii Apostolici, ut *ibid. lib. 3. cap. 7. num.* 10.

Secundò, *Officio*, quatenùs ipse influit potestatem jurisdictionis in alios, ut in *cap. Ita Dominus* 19. *dist. & in Const. Non mediocri, la* 15. *Eugen. IV. Bullar. tom.* 1. ibi: *Omnes Archiepiscopales, Episcopales, Cathedrales, aliasque Dignitates Romana fundavit Ecclesia; sicutque licuit, uni Ecclesiæ amplam, alii ampliorem, & alii amplissimam, prout expedire judicavit, tradidit potestatem. Omnes enim, tanquam unius arboris rami ab una, eademque radice, & ut diversi aquarum rivuli ab eodem fonte prodierunt, licèt unus alio copiosior, atque uberior.* Et Pius II. *dict. Const. In minoribus*, dixit §. 10. *Habent illi* (Episcopi) *assignatos sibi Greges, singuli singulos: Tibi universi crediti uni sumus. Nec modò ovium, sed & Pastorum. Tu unus omnium Pastor*; & infrà: *Non est corpus Ecclesiæ sine capite; & omnis à Capite defluit in membra potestas.*

Tertiò. *Dignitate*. Nam Pontificia Dignitas est suprema in Ecclesia, qua in Orbe nulla est major; sed Papæ omnes subsunt, eique obedire tenentur, ut expresſè in *d. cap. Solitæ, cap. Unam Sanctam, & cap. Novit, de judic.*

9 Ad id verò, quòd Concilium Generale repræsentat Ecclesiam universalem, dicitur: vel sumitur Concilium sine Papa, & tunc est corpus truncum; quia non est *corpus sine capite*, juxtà phrasim Pii *in cit. Const.* & ita non est Concilium universale, sed conciliabulum. Vel sumitur Concilium cum Papa; & tunc, tam est certum Concilium non esse supra Papam, quam quòd corpus cum capite non est supra caput; nec domus cum turri est supra turrim.

Quinimò, cùm Ecclesia sit cœtus fidelium sub uno capite visibili Romano Pontifice, cui subest; ut hunc Concilium repræsentet, debet Papæ, tamquam Capiti subesse, & obedire.

Res etiam ex hoc fit certa. Nam Pius II. *dict. Const. In minoribus*, Primatum Romani Pontificis supra Concilium Generale reddit manifestum, ibi: *Pontifici datum est congregare, & dissolvere Concilia. Inter quæ nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Præsule, absque ipsius auctoritate convenerit.*

Et Alexander VIII. sub 7. Decembris 1690. hanc in ordine 29. propositionem damnavit: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decidendis infallibilitate.* Inflicta excommunicatione Papæ reservata ipsam defendentibus.

10 Tandem objiciunt auctoritatem

Concilii supra Papam esse rem definitam in Conciliis Generalibus, Pisano, Constantiensi, & Basileensi, sed non observarunt, quòd Pisanum, & Constantiense se restringunt ad casum Pontificis dubii, & ad schismatis tempus. Propterea in eisdem disposita, non sunt aptabilia ad casum certi Pontificis, prout prætendit asserta propositio.

11 Cæterùm, ubi etiam plures certant de Pontificatu, cùm non appareat, quis verè Pontifex sit, non Pontifex Maximus, sed factum potiùs eligentium judicatur, qui duos ad Pontificatum assumpserunt, ut declarat Cardinalis Albanus *de potest. Papæ, & Concilii par. 1. n. 12.* Quare, ubi tunc electio Pontificis tanquam irrita reprobatur, Concilium non judicat Pontificem, quia non est canonicè electus, ut per Bald. *in l. fin. C. sentent. rescin. non poss.* apud Fagnan. *in cap. Significasti num. 65. de elect.* Atque ita nec in casu Pontifex subjicitur Concilio.

12 Modò, quantum ad Pisanum. Hujusmodi Concilium indictum fuit de anno 1409. occasione schismatis, quo Ecclesia premebatur, toto Orbe Christiano in factiones diviso, cujus pars una adhærebat Gregor. XII. Romæ electo, & alia Benedicto XIII. Avenione creato. Cardinales utriusque videntes schisma augeri, non minui, à suo respectivè recedentes Pontifice, ad effectum tollendi schisma ab Ecclesia, Pisis convocarunt Concilium Generale. In quo interfuerunt 23. Cardinales, tres Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi 300. aliique inferiores Prælati, ex Coriolano *in Breviar. ad dict. an. in 1. 2. & 3. sess.* Fuerunt per citati, & vocati duo de Papatu contendentes, sed neque per se, neque per alium comparentes, contumaces communi Patrum suffragio fuerunt declarati, ac damnati ut schismatici, suoque è prætenso Pontificatu deiecti. Et per Cardinales fuit electus Petrus Philaretus de Ordin. Min. dictusque Alexander V. qui post promulgatum electionis decretum, deinceps præfuit Concilio, prout *in Const. unic. Jo. XXIII. Ad pacem Bull. tom. 1.*

Controvertitur inter DD. de legitimitate huius Concilii. Utrinque sunt DD. Pro legitimitate est Coriolanus *in Breviar. ad an. 1409.* & Bail. *summ. Conc. tom. 2. ad Conc. 14. sæcul.* apud quem plures alii.

13 Quantum ad Constantiense. Hoc Concilium ad pacem universalem Ecclesiæ fuit de anno 1414. indictum ab Io. XXIII. *in dict. Const. Ad pacem*, actis etiam dicti Concilii præmissa, prout *in tom. 2. Conc. Gener. edit. Galioti.* Diciturque Concilii Pisani continuativum, ibi: *In principio, & sess. 12.*

In 2. *sess.* Joannes propter quietem totius populi Christiani iuramento promisit se spontè, & liberè cessurum Papatui; si & quando Petrus de Luna (Benedictus XIII.) & Angelus Coriario (Gregorius XII.) ab illis de eorum obedientia nuncupati, prætensum Papatum per se, suosve Procuratores dimitterent, sicut in suis electionibus iurarunt, dum id ad pacem Ecclesiæ conducere novissent. Joannes ante 3. *sess.* secretò Constantia discessit. In 4. & 5. PP. definierunt: *Sanctam Synodum congregatam pro extirpatione schismatis, & unione Ecclesiæ, potestatem à Christo immediatè habere, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris.* Circa quod notabiles sunt clausulæ, *pro extirpatione schismatis, ad extirpationem dicti schismatis.* Quibus constat, decretum non loqui universaliter, sed ad casum schismatis restringi, ut notavit Turrecremata (qui Concilio interfuit) *summ. de Eccles. lib. 2. cap. 99.* Clausula autem, *ad fidem*, non est in Decreto *sess.* 4. ut ex text. *in d. tom. 2. Conc.*

14 Tria verò sunt tempora, in quibus potest considerari Concilium. Primum fuit, in quo Constantiæ ii soli convenerant, qui erant de obedientia Joannis, qui *sess.* 12. Papatui cessit.

Secundum, quando Gregorius XII. *in sess.* 14. nova facta convocatione Concilii, ob bonum Ecclesiæ liberè, & spontè per procuratorem Papatum dimisit, & Concilio se conjunxit; ut in litteris in ead. *sess.* lectis. Recipiunturque à Concilio in Cardinales, electi Cardinales à Gregorio.

Tertium, in quo, qui erant de obedientia Benedicti, iterùm de novo à Benedicto convocato Concilio, se Concilio unierunt. Recipiunturque capitula Narbonæ pro sancta unione per Sigismundum

Romanorum Regem, Legatos Concilii, & eos Benedicti concordata, prout latiùs reſpectivè in *ſeſſ.*20. 22. 26. 30. *&* 35.

Quo quidem tempore convenientibus ſimul omnibus de tribus obedientiis fuit certum dicere, quòd Conſtantiæ in Concilio fuit congregata Eccleſia univerſalis repræſentativè, ſed pro tunc Capite viduata.

15 Modò, decreta illa 4. *&* 5. *ſeſſ.* de authoritate Concilli ſupra Papam edita fuerunt à Patribus, qui erant de ſola obedientia Joannis. Quinimò, eodem Turrecremata teſte, nec omnes illius obedientiæ decretis conſenſerunt, ſed aliqui reclamarunt. Neque ea videntur feciſſe de mente Concilii, ex tribus obedientiis congregati. Etenim *ſeſſ.*41. creato Martino V. cæteris quatuor ſeſſionibus, quibus Concilium fuit abſolutum, Martinus Concilio præſedit, & Decreta ſuis Litteris edidit, quæ ſunt ſuperioritatis ſigna. Tum quia Martinus ratificavit decreta conciliariter (hoc eſt cum examine, & deliberatione, & auditis audiendis) in materia fidei facta in Concilio, nec Concilium reclamavit, ſed ratificationem recepit; ratificare autem eſt ſuperioris auctoritatis. Et facit, quòd per Martinum videntur ea decreta *ſeſſ.* 4. *&* 5. cancellata, caſſata, & reprobata. Siquidem in Conſt. *Inter cunctas la* 1. *Bull. to.* 1. plenario approbante Concilio, edita, committit Prælatis, ut ſuſpectos de erroribus VVicleff & Jo Huſs interrogent, *Utrum credant, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expreſſo, ſit ſucceſſor B. Petri, habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei*. Et inde patet, nunquam mentem Concilii fuiſſe, ſtatuere Papam Concilio ſubeſſe; nam iſtud non cohæret cum hoc, quòd habeat *ſupremam auctoritatem in Dei Eccleſia*.

16 Quantum ad Baſileenſe. Hoc Concilium fuit de anno 1431. indictum à Martino V. demandata præſidentia tamquam Sedi Apoſtolicæ Legato, D. Card. Juliano Cæſarino, ut in ejus *Conſt. Dum onus la* 14. *Bull. cit.* In quo munere eodem anno ob obitum Martini confirmatur ab Eugenio IV. *Conſt. Certificati in d. tom.* 2. *Conc. gener. ad Conc. Baſileæ in* 1. *ſeſſ.*

Verùm Eugenius eodem anno poſt primam ſeſſionem Concilium Baſileæ diſſolvit, & Bononiam tranſtulit, prout habetur ex eiuſdem Litteris ſub ann. 1433. incipien. *Deus novit*, lectis in *ſeſſ.*16. ibi: *Veridica relatione percepimus, quòd Baſileæ pro tunc ſine magno temporis intervallo ipſius Sanctæ Synodi celebratio non eſſet poſſibilis, Concilium ipſum penitùs non diſſolvimus &c. ſed ad noſtram Civitatem Bononien. commutavimus ſic, quòd ipſum in ſua eſſentia conſiſtere voluimus, atque à Baſileen. Civitate ſolùm exolvimus*; & infra: *Cùm ipſum à Baſilea commutare, neceſſitatibus urgentibus coacti fuerimus*. Motiva commutationis fuerunt prout in Conſtitutione expreſsè. Primò, quia jam tranſactis octo menſibus, poſtquam Synodus debuit exordium ſummere, Epiſcopi non plures tribus, aliique Prælati non plures, quàm decem, Baſileam convenerant; & ita nulla ratione Congregatio illa ſe *Sacroſancti Concilii* nuncupatione intitulabat. Secundò, quia Baſilea locus tutus non videbatur propter ſuborta bella inter Burgundiæ, & Auſtriæ Duces: Aliaque juſta non deſiderabantur, ut in d. *Conſt. Deus*.

17 Audita à Cardinali Cæſarino Eugenii revocatione, præſidentiam dimiſit, ut ex narrativa hiſtoriæ facta à Pio II. in *d. Conſt. In minoribus*, §. 4. Quam ſubindè videns Concilium per Epiſcoporum, & Prælatorum acceſſum augeri, reſumpſit; *ſed authoritatem Concilii mirum in modum extolens, eminentiam primæ Sedis ſupprimere cœpit*: ut Pius loquitur; atque ita non Sedis Miniſter ſed hoſtis dicendus fuiſſet.

18 Ægrè Patres Baſileæ congregati diſſolutionem audierant, nec Eugenio parebant; quin potiùs, aſſerentes incœptum Concilium non ſine Patrum conſenſu diſſolvi, in *ſeſſ.* 13. innovarunt, & confirmarunt Decreta *ſeſſ.*4. *&* 5. Concilii Conſtantien. de Concilii Oecumenici ſupra Papam auctoritate, & in ſubſecutis Seſſionibus alia non diſſimilia contra Apoſtolicæ Sedis Primatum intentarunt. Sub quo tempore ſanè Concilium canonicum nullus dixerit: ex eo præſertim, quòd poſt canonicam diſſolutionem, abſque ulla auctoritate Apoſtolica Patres Baſileæ conveniebant, ſine qua nullum Concilium eſt ratum, ut in d. Conſt. Pii, ibi: *Veneramur cuncta Concilia, quæ præceſſerunt, à noſtris prædeceſſoribus approbata, inter quæ nullum invenimus nunquam fuiſſe ratum, quod, ſtante Romano indubitato Pontif. abſque ipſius auctori-*

ctoritate convenerit: quia non est Corpus Ecclesiæ sine Capite, & omnis ex Capite defluit in membra potestas.

19 Quòd si ex eodem Pio dicas, Eugenium dissolutionem Concilii revocasse, ejusdemque progressum approbare, ut in d. *sess.* 16. Non negatur ab Eugenio facta dissolutionis revocatio, & continuatio Concilii: sed nec est pariter prætereundum, quòd Eugenius cassavit, annullavit, & irritavit omnia, & singula statuta, per Concilium decreta contra jura, & Sedis Apostolicæ libertatem, ac dignitatem Romani Pontificis, ut ex ejusdem litteris, *incipien. Inscrutabilis de ann.* 1433. & aliàs *incipien. In arcano, sub data ejusdem anni*, ut in d. *sess.* 16. Quinimò continuatio Concilii non fuit ab Eugenio probata, nisi sub conditione, quòd Patres revocarent omnia adversùs Sedem Apostolicam attentata, ut expressè in d. *constit. Deus novit*, ibi erga finem: *Ad ostendendam nostram sinceram, & purissimam intentionem, quam habemus, ut Concilium fiat, & quòd omnia ad finem debitum perducantur? contenti sumus, & volumus purè, & simpliciter continuè fuisse Concilium. Ita tamen, quòd omnia gesta, & attentata contra Nos, sive Sedis Apostolicæ libertatem, vel privilegia, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac Nobis adhærentes, prout de facto fecerunt, sic defacto ante omnia revocent, nostrosque Legatos juxta juris regulas, præsidentes admittant.* Basileenses verò conditionem non purificarunt. Imò potiùs *sess.* 18. decisum iterùm dederunt, *Papam subesse Concilio.* Nec *sess* 17. Legatos Eugenii cum jurisdictione coactiva admiserunt, eisdem data à Martino dict. *Constit. Dum onus*, & ab Eugenio confirmata in alleg. *Const. Certificati*. Quare conditionibus à Concilio non impletis, nec valuit dissolutionis revocatio, & progressus. Quæ, ubi Annatus *apparat. ad Theolog. lib.* 5. *artic.* 19. *ad sess.* 16. *d. Concil.* notasset, non scripsisset, Concilium ad 16. usque sessionem fuisse Oecumenicum, & à Papa approbatum.

20 Interea novæ inter Eugenium, & Basileenses intercessere discordiæ super translatione Concilii in alium locum pro ineunda Græcorum cum Latinis unione. Illi Basileam, Avinionem, vel Sabaudiam in *sess.* 25. delegerant. Eugenius verò transtulit Ferrariam, ut in *Constit. Magnas la* 11. *Bullar. cit.* à Græcis præelectam, tamquam sibi commodiorem. Quod subinde ob pestem Ferrariæ subortam fuit absolutum Florentiæ, ut in alia ipsius *const. Lætentur la* 17. *ibidem.*

Non omnes Basileæ congregati Eugenio paruerunt, sed, qui remanserant (quamvis ex testimonio Pii paucissimi) ad extrema rebellionis scelera in Sedem Apostolicam, & legitimum Petri Successorem refractarii devenerant, Eugenium *sess.* 31. ab administratione Papatus suspendendo, & subinde, quantum in ipsis fuit, eum *sess.* 34. deponendo: subrogato Antipapa Amadeo Sabaudiæ Duce Felice V. nuncupato, ut *sess.* 39.

Videatur Constit. Leonis X. *incip. Pastor. la* 20. *d. Bullar.* in qua §. 6. Basileense, & præsertim post translationem, conciliabulum, & conventicula nominatur. Et Constitutio *inter cætera Eugenii IV. la* 29. quæ refert absolutionem eorum, qui post translationem Concilii Congregationi Basileensium adhæserunt, & tandem ad obedientiam Eugenii Romani Pontificis redierunt. Confirmanturque collationes Beneficiorum per Basileenses factæ post dissolutionem Concilii.

21 Post tempora verò Eugenii Nicolaus V. *Const. Ut pacis apud d. Bail. cit. ad Concil. Basileen.* (prævia cessione Antipapatus à Felice V. facta, ac per eum soluta Congregatione Lausanam è Basilea translata, præmissaque publicatione, & ordinatione esse Nicolao, tamquam unico, & indubitato Romano Pontifici, obediendum) approbat, quæ in negotiis Beneficiorum, & dispensationum gesta erant tempore Schismatis ab iis, qui Basileæ, postmodum Lausanæ sub nomine Concilii perseveraverant, ut expressè text. Const.

§. III.

Romani Pontificis præeminentia supra jus positivum Ecclesiasticum.

1 Tertia propositio, ut Pontificem Romanum subderet Conciliis, dixit eum Sacris Canonibus, & universalium Synodorum Legibus alligari, ut inde constaret Concilio subesse; siquidem superioritatis argumentum est, alicui leges, parendique necessitatem imponere. Sed Papam

pam Statutis Canonum, nec Lege poſitiva Eccleſiaſtica ligari, ipſi Canones conceſſerunt, tradiderunt Concilia, & Patres dixerunt.

2 Primò itaque Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 21. *de ref.* expreſſè declarat, Pontificem Legibus poſitivis Eccleſiaſticis non alligari, ibi -- *Sancta Synodus omnia, & ſingula, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina .... in hoc Sacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat, ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper authoritas Sedi Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur.*

Secundò. Idpſum legitur in *cap. Significaſti, de elect.* ibi: *Cum omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas.* Et *cap. Innotuit* §. *Quamvis eodem tit. & c. Propoſuit de conceſſ. præb. c. Peregrina* 3. q. 6. ibi: *Peregrina judicia (ſalva in omnibus Apoſtolica authoritate) generali ſanctione prohibemus.*

3 Quod totum probavit Gratianus *ad c. Ideò* 25. q. 1. *ſ. His ita*, ibi: *His*, ait, *ita reſpondetur: Sacroſancta Romana Eccleſia jus, & authoritatem Sacris Canonibus impertitur, ſed non eis alligatur. Habet enim jus condendi Canones: utpotè, quæ caput eſt, & cardo omnium Eccleſiarum, à cujus regula nemini diſſentire licet. Ita ergo omnibus authoritatem præſtat, ut ſe ipſam non ſubjiciat eis. Sed ſicut Chriſtus, qui legem dedit, ipſam legem carnaliter implevit*: octava die circumciſus: quadrageſimo die in templo cum hoſtiis præſentatus: *ut in ſe ipſo tam ſanctificaret: poſteà verò, ut ſe Dominum Legis oſtenderet, contra Legis litteram*, leproſum tangendo mundavit &c. *Sic & Summæ Sedis Pontifices Canonibus ſive à ſe, ſive ab aliis ſua authoritate conditis reverentiam exhibent, & eis ſe humiliando, ipſos cuſtodiunt, ut aliis obſervandos exhibeant. Nonnunquam verò, ſeu jubendo, ſeu definiendo ſeu aliter agendo, ſe Decretorum Dominos, & Conditores eſſe oſtendunt. In præmiſſis ergo Capitulis, aliis imponitur neceſſitas obſequendi, Summis verò Pontificibus oſtenditur ineſſe authoritas obſervandi, ut à ſe tradita obſervando, aliis non contemenenda demonſtrent: oportet ergo primam Sedem, ut diximus, obſervare ea, quæ decernendo mandavit, non neceſſitate obſequendi, ſed authoritate impertiendi.*

Licet itaque ſibi contra generalia Decreta ſpecialia privilegia indulgere, & ſpeciali Beneficio concedere, quod generali prohibetur Decreto. Quamquam, ſi Decretorum intentionem diligenter advertamus, nequaquam contra Sanctorum Canonum authoritatem aliquid concedere inveniatur. Sacri quidem Canones ita aliquid conſtituunt, ut interpretationis auctoritatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ reſervent. Ipſi namque ſoli Canones valent interpretari, qui jus condendi eos habent. Unde in nonnullis Capitulis Conciliorum, cum aliquod obſervandum decernitur, ſtatim ſubinfertur: niſi authoritas Romanæ Eccleſiæ aliter imperaverit; vel, ſalvo tamen in omnibus jure S. Romanæ Eccleſiæ.

Quòd ſi dicatur: Papa non poteſt aliquid ſtatuere contra Statuta Eccleſiæ, ut expreſsè in *cap. Contra, eadem cauſ. & quæſt.* ibi: *Contra Statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis poteſt authoritas.*

4 Diſtinguas: vel Statuta à Pontificibus, aut in Conciliis Generalibus legitimè convocatis, & confirmatis, ſunt definitiones Fidei, & Decreta morum: vel ſunt Statuta iuris poſitivi, & ſub appellatione Legis Canonicæ comprehenduntur. Priora Papa revocare, neque eis contraria poteſt ſtatuere. Quod provenit, quia Fides eſt una, & mutationes non patitur. Quod enim eſt verum, ei ſemper falſitas repugnat: & quod à Deo eſt revelatum, ſemper eſt firmum. Ideò quod eſt articulus Fidei, ſemper erit: & quod fuit à Papa, ut Magiſtro Eccleſiæ, definitum, ſemper ratum habebitur. Et inde fit, quòd licèt Statuta Papæ non ligent Succeſſores (quia par in parem imperium non habet, *dict. capit Innotuit*) tamen, quæ ſemel magiſtraliter, & ex Cathedra ab uno Pontifice ſunt definita, & delarata, à Deo eſſe revelata, à Succeſſoribus mutari non poſſunt: alioquin Fides una non eſſet; & Sedes Apoſtolica (quod impium eſt aſſerere) in Fide erraſſe convinceretur, ut dicitur text. *in capit. Sunt quidam ibid.* Fagnan. *in* 1. *ad cap. Significaſti de elect. num.* 13. *& in* 3. *ad c. Majores, de Baptiſmo num.* 7. apud quem alii communiter.

5 Poſteriora verò poteſt Pontifex revocare, eiſque contraria condere, & promulgare, per tex. *in cap. Non debet de conſan-*

sanguinit. & affinitat. ibi: *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur: humana præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit.* Ita plura, quæ olim opportuna fuerunt, temporis cursu, mutatisque circumstantiis, temperata, & moderata leguntur, ut refert Pignatellus *tom.* 10. *consult.* 155. *num.* 5.

6 Modò, statuta, de quibus loquitur textus *in dict. cap. Contra*, idem sunt, ac definitiones Fidei, & morum Decreta, prout ibi exponit Gloss. Et concordat text. *in d. cap. Sunt*, ibi: *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse novas condere Leges, quod Nos non solùm non negamus, sed & valdè affirmamus. Sciendum verò summopere est, quia inde novas leges condere potest, unde Euangelistæ aliquid, & Prophetæ nequaquam dixerunt.* Contra hujus generis statuta nil potest Pontifex concedere, vel negare; sed valet tantùm explicare, ut per Divum Thomam 2. 2. *q.* 1. *art.* 19. *ad* 2. & ex eo Fagnanus *in* 3. *ad d. cap. Majores num.* 8. Sæpè tamen in Lege Canonica dispensavit, ad tex. *in cap. Litteras de restitut. spoliat. cap. Proposuit de concess. præben.* & alibi sæpè. Videndum Tridentinum *sess.* 25. *de reform. cap.* 18. & Fagnan. *in primum ad cap. Permissionem, de offic. ordin.*

§. IV.

In Fidei, & morum dubiis recidendis Romani Pontificis, etiam extra Concilium infallibilitas.

1 QUarta propositio negat Summo Pontifici extra Concilium loquenti etiam ex Cathedra, indubiam, & infallibilem auctoritatem in Fidei, & morum dubiis decidendis: affirmatque, ideò definitiones Pontificum omnem errorem, & dubium excludere; quia illis Ecclesia credit, & eas acceptat.

2 Verùm Romani Pontificis sententia in materia Fidei, & morum, licèt extra Concilium, est omniò, & infallibilis, & certa, ut habetur ex verbis Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua &c.* Quæ verba specialiter ad Petrum, & in Petro ad Romanos Pontifices diriguntur ex d. *cap. Solitæ de majorit. & obed.* Ex quo sequitur, Christum Petro in utilitatem Ecclesiæ impetrasse donum perpetuæ, & indefectibilis Fidei, ut eam adversus Satanæ insultus confirmaret, ne portæ Inferi erroris, & hæresum adversus eam prævalerent. Verùm non pro Petro tantùm Christus oravit, sed etiam pro Petri Successoribus, ne illorum Fides deficeret; ut hinc Ecclesiam confirmarent, quando eam Satan impeteret, & opus esset.

In idem est text. *Joann. ult. Pasce Oves meas.* Per quæ verba Petrus, ejusque Successores constituti sunt Doctores, & Pastores totius Ecclesiæ. Modò, vel Ecclesia tenetur eos audire docentes, præsertim quæ sunt Fidei, & morum, aut non tenetur. Si tenetur. Ergo illi, cùm docent, errare non possunt: nam si possent, tota Ecclesia, quæ illorum sententiæ, & doctrinæ acquiescere debet, erraret; quod est impossibile. Si verò non tenetur credere, & recipere, quæ Summus Pontifex credenda, & recipienda esse definit; jam Papa non esset Pastor, & Magister Ecclesiæ; siquidem Oves tenentur Pastorem sequi, & Discipuli debent Magistrum audire, eique parere.

Legatur *cap. Memor sum.* 24. *qu.* 1. *c. Generali* 25. *q.* 1. Adducitur etiam *cap. Hæc est Fides* 24. *d. q.* 1. sed Canon est Apocryphus (liber Apocryphus dicitur, cujus Auctor ignoratur, & ab Ecclesia non recipitur, Gloss. *ad c. Sancta* 15. *dist.*) ut notavit Bellarm. *de Scriptorib. ad an.* 1145. de Gratiano. Nam tribuitur Hieronymo in Symbolo ad Damasum, sed desumptus est ex Libello Fidei Pelagii Hæresiarchæ, ad Innoc. I. Pontificem transmisso, ut ex D. August. *lib.* 1. *de gratia Christi c.* 31. 32. & 33.

3 Idem comprobatur Patrum testimoniis: illa Augustini sint satis; *Epist.* 190. *c.* 6. ibi: *In verbis Apostolicæ Sedis, tam antiqua, atque fundata, certa, & clara est Catholica Fides, ut nefas sit dubitare Christianis.* Si Decreta Apostolicæ Sedis sunt certa, adeò ut de illis dubitare non liceat, nec minùs de ejusdem infallibilitate dubium esse potest. *Lib.* 1. *contra Julianum cap.* 4. ibi: *Si Romanæ Ecclesiæ præsidentem Beatum Innocentiũ audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit ille vir Sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitùs Apo-*

ſtolica Sedes, & Romana cùm cæteris tenet perſeveranter Eccleſia? Duo hìc Auguſtinus oſtendit: primum, quòd Romanus Pontifex non poteſt à vera doctrina aberrare: ſecundum, quòd ſola auctoritas Romani Pontificis ſufficit ad Hæreticorum errores damnandos. Et *ſerm.131. de ſcripturis cap. 8. Jam enim de hac cauſa* (hæreſi Pelagiana) *duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt; cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error.* Duo hìc pariter Auguſtinus docuit: unum, quòd dubia Fidei ad Sedem Apoſtolicam ſunt referenda, per text. *in cap. Majores de Baptiſmo*: aliud, quòd poſito Sedis Apoſtolicæ judicio, cauſa finita eſt. Qua vero ratione poteſt Sanctus Doctor aſſerere cauſam eſſe finitam, ſi Romani Pontificis ſententia eſſet errori ſubiecta? ſi examinanda adhuc ſit? ſi Concilii Generalis aſſenſu ſit probanda, & Eccleſiæ conſenſu egeat?

4 Demùm, accedit Apoſtolicæ Sedis legitimas uſus, & Romanorum Pontificum praxis, qui extra Concilium plures errores proſcripſerunt. Nec meum eſt hìc omnium Catalogum texere, & iuxta ordinem Sæculorum ab initio naſcentis Eccleſiæ uſque ad hæc tempora recenſere; ſed ſolùm unam, vel alteram definitionem, Decretumvè innuere in Fidei, & morum doctrina à Romanis Pontificibus extra Concilium editæ. De qua re agit Portier. *ſiſtem. decretor. Dogmatic.* referens antiquiſſimam Eccleſiarum conſuetudinem recurrendi ad Romanam Apoſtolicam Sedem, pluresque errores ab eadem extra Concilium Generale eſſe proſcriptos; cùm primis trecentis annis nullum Oecumenicum fuerit congregatum. Quod ſanè nullus in Eccleſiaſtica hiſtoria vel leviter tinctus negabit: primum enim Concilium Oecumenicum fuit Nicænum I. de auctoritate Sylveſtri Papæ convocatum de an. 325. in quo interfuere Sylveſtri Legati, Anatus *apparat. ad Theol. lib. 5. p. 2. art. 2.* Legi poteſt etiam Lauræa citat. *art. 5.* ubi rem plenè probat, & plura à diverſis Pontificibus decreta extra Concilium refert, ad quos Lectorem remittimus, & ſolùm aliqua recenſemus.

4 Itaque Innocentius I. reprobat doctrinam Pelagii, ut in eius epiſtol. 183. inter eas Auguſtini. Item Zozimus damnat Pelagium, & Cœleſtium, in *Epiſt.190.* Auguſtini ad Optatum *cap. 6.* Sixtus IV. *Conſt. Licèt la 17. Bullar. tom. 1.* damnavit errores Petri de Oſma. A Leone V. proſcripti ſunt illi Lutheri, ut in ejus *Conſt. Exurge la 40. ibid.* A B. Pio V. fuerunt reprobatæ propoſitiones Michaelis Baji. Quod ſubinde egit Urban. VIII. *Conſt. In eminenti la 289. Bullar. tom. 5.* in qua Litteræ Pii inſeruntur, improbaturque liber Cornelii Janſenii Epiſ. Ipren. cui titulus, *Auguſtinus* Ex quo quinque propoſitiones fuerunt excerptæ, ab Innocen. X. damnatæ *Conſt. Cum occaſione*, quæ per extenſum refertur in *Conſt. Ad ſanctam la 28.* Alexan. VII. *Bullar. cit.* Et in hac, nonnullis aſſerentibus, dictas propoſitiones, vel in libro prædicto non reperiri, vel in ſenſu ab Auctore intento damnatas non fuiſſe: expreſsè ex Janſenii libro propoſitiones exerptas, atque in ſenſu ab Authore intento damnatas Alexander declaravit, ac uti tales iterùm damnavit; finemque quæſtionibus daturus formulam edidit, ſecundum quam eſſet præſtandum ab omnibus juramentum ſe ſincero animo rejicere, ac damnare propoſitiones ex libro Janſenii excerptas, & in ſenſu ab eodem Auctore intento, prout eas Sedes Apoſtolica damnavit, ut in alia ejuſdem Conſtit. *Regiminis de anno 1664.* apud Natal. Alex. *tom. 1. in fin. append. altera.* Et Innoc. XII. in Litteris in forma Brevis Epiſcopis in Belgio directis ſub anno 1694. apud cit. malitiæ hominum occurrens præcepit, ut ſubſcribentes formulæ, juramentum præſtarent ſincerè abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeu expoſitione: damnando illas propoſitiones ex libro Janſenii excerptas, in ſenſu obvio, quem ipſamet verba præſeferunt.

Tandem, Clemens XI. *Conſtitut. Vineam Domini ſub 17. Kal. Auguſti 1705.* errorem nonnullorum reprobavit, aſſerentium, quòd, dum Innocentius XII. in dd. ſuis Litteris pronunciavit *prædictas quinque propoſitiones ex memorato libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba exhibent, & præſeferunt, damnatas eſſe: intelligi non de ipſomet obvio ſenſu, quem in Janſenii libro habent, quivè ab eodem Janſenio intentus, ac à præfatis Innocentio X. & Alex. VII. damnatus fuit, ſed de alio quopiam diverſo ſenſu cogitaſſe.*

Ulteriùs eò impudentiæ quidam devenerunt, ut dixerint, *ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam non requi-*

requiri, ut quis prædicti Janseniani libri sensum in antedictis quinque propositionibus damnatum, interiùs ut hæreticum damnet: sed satis esse, si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur.

Prætereà alii non dnbitaverunt asserere: *præfatæ Formulæ ab Alexandro præscriptæ subscribi licitè posse, etiam ab iis, qui interiùs non judicant in prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri.*

Adversùs quos Clemens in præcitata Constitutione decernit, declarat, & statuit: *obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri: sed damnatum in quinque præfatis Propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, non ore solùm, sed & corde rejici, ac damnari debere; nec alia mente, animo, aut credulitate supradictæ Formulæ subscribi licitè posse; ita ut qui secùs, aut contra quoad hæc omnia, & singula senserint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel scripto docuerint, aut asseruerint, tamquam præfatarum Apostolicarum Constitutionem* (Innocentii, & Alexandri, quas innovat) *transgressores, omnibus, & singulis illarum censuris, & pœnis omninò subjaceant.*

5 Propterquod contra Modernos nonnullos est videns Romanorum Pontificum infallibilitas in decidendis etiam quæstionibus, tum facti connexi cum jure, aut fide, & morum doctrina, tum facti dogmatici.

Considera, factum dogmaticum hìc idem esse, ac dogma, & doctrina cujusvis privati Authoris in materia fidei, & morum; & per quæstionem facti dogmatici significari quæstionem illam, qua v.g. quæritur: *An propositio ex hoc, vel illo libro desumpta, sit Catholica, vel hæretica: vel, an doctrina hujus privati Authoris in sensu naturali ipsius Authoris Catholica sit, an hæretica.* In huiusmodi quæstionibus decidendis Pontificum judicium etiam est infallibile: adeòut verè catholicum sit quodcumque privati Authoris dogma, quod ut Catholicum ipsi approbant; & hæreticum, quodcumque, quod ut hæreticum ab iisdem damnatur. Siquidem Pontifices propter assistentiam Spiritus Sancti errare non possunt in vera Christi doctrina cognoscenda, & discernenda ab alia quacumque ipsi contraria, & difformi. Adeòque nec in cognoscenda hæc alia doctrina, & discernendo illius vero, obvio, & naturali sensu, judicando de conformitate, & difformitate ipsius cum vera doctrina Christi, scripta, vel tradita.

Nota, quòd sensus naturalis Authoris est sensus naturalis verborum Authoris: & sensus naturalis verborum Authoris est ille, quem verba Authoris exprimunt, seu, ad quem exprimendnm sunt instituta, ut per DD.

Factum verò connexum cum jure, seu fide, illud dicitur, quo negato, sequitur negatio juris, seu fidei: aut ex cujus decisione dependet decisio juris, seu fidei, & doctrinæ morum: ut v. g. esset presens: *An hæc Scriptura sit à Deo revelata.* Huiusmodi enim factum ita connectitur cum fide, & doctrina morum, ut ex eius decisione dependeat decisio fidei, & doctrinæ morum. Si enim negetur, quòd hæc Scriptura sit à Deo revelata, quam nobis Ecclesia verè à Deo revelatam proponit, sequitur, ut negetur doctrina, & fides ipsorum Mysteriorum, quæ in ea Scriptura continentur. Ideòque cùm Pontificum infallibilitas in decisionibus fidei, & morum sit omninò certa, innegabilis, & certa etiam est in huiusmodi factis decidendis, ut optimè Annat. *appar. ad Theol. posit. lib. 6. art. 2. & 3.* Quem consulas.

6 Alias propositiones damnarunt Alex. VII. sub ann. 1665. & 1666. & Innocentius XI. de ann. 1679. Qui subinde de ann. 1687. *Constitut. Ad abolendam.* Quietistarum errores reprobavit. Qnorum Auctor fuit Michael de Molinos, cuius vita adeò procax fuit, ut etiam recensere pudeat. Nonnullas etiam Alexan. VIII. de ann. 1690. & tandem Innocent. XII. *Constitut. Cùm aliàs sub ann.* 1699. eas Episcopi Cameracensis improbarunt.

Omnia, & singula prædicta fuerunt à Summis Pontificibus extra Concilia proscripta: vel, ut temeraria, scandalosa, perniciosa, hæretica &c. prout expressiùs in dd. Litteris respectivè continetur. Et Ecclesia pro damnatis habet; ac damnationi ita necessariò acquiescit, ut nefas sit dubitare eas non mereri censuras, sub quibus fuerunt ab Apostolica Sed coustitutæ.

7 Quare certus; & indubitatus articulus est, Legis, Decreta, & Præcepta à Pontifice edita, post publicationem statim à principio ligare, ante ullam populi acceptationem. Nam

Nam soli Romano Pontifici est à Christo in Ecclesia data suprema, efficax, & absoluta potestas regendi,& docendi Ecclesiam, juxta sæpè repetitum: *Pasce oves meas: pasce agnos meos*. Nec absoluta foret, si ejusdem Leges vim ex se non haberent ad obligandum independenter à consensu, & acceptatione: sed conditionata, hoc est, *si populus consentiret*. Nec tunc Lex esset à solo Papa: sed ab ipso simul cum Ecclesia. Et hinc posset verificari absurdum, de quo loquitur text. *in cap. Bonæ memoriæ il 2. de postulat. Prælator.* ibi: *Si possent ab ea recedere, nobis frequenter illuderent, & judicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur*. Indeque potestas esset inter Papam, & subditos divisa, & populus foret Conlegislator simul cum Papa; quod nullus non videt, quàm repugnet verbis Christi, qui Papæ absolutè dixit: *Quodcumque ligaveris &c.* & non sub conditione, si acceptaretur à populo fideli id, quod ipse doceret circa doctrinam fidei, & præciperet operandum circa mores, Laur. *cit. artic.* 8.

8 Maximè verò consideratur, quòd, ut subditi obligentur ad acceptandam Legem à Principe latam, duo ex parte Legislatoris sunt necessaria, *potestas, & voluntas, per cap. Cum super de offic. delegat.* De potestate autem Pontificis, soli Hæretici dubitant: est enim supremus Legislator cum potestate ferendi Leges independenter à consensu populi, & Concilii, secundùm ea, quæ notantur in *cap. Cuncta per mundum*, 9. *q.* 3. & obligandi subditos ad observantiam, *cap. Quoniam de constit.* consequenter ad illarum acceptationem, ed text. *in cap. De libellis* 20. *dist.* aliàs inutilis esset dicta potestas. *Voluntas* item ad obligandum patet: & præsertim ostenditur, si Lex sit simpliciter præceptiva, ut sunt definitiones in materia Fidei, & morum: cùm de ratione præcepti absolutè impositi sit obligare non sub conditione, *si subditus velit acceptare*; sed absolutè constringere: aliàs esset potius lex consilii, & exhortationis, quàm præcepti, ut est text. *in cap. Quisquis* 14. *qu.* 1. De quo Fagnan. *in* 1. *ad c. Treguas num.* 48. *de treg. & pac.*

9 Proinde non est Fidelibus liberum Papæ definienti,& præcipienti non acquiescere vel non acceptare: Oves enim vocem Pastoris audire debent. Et non acceptantes pœnas non evitant, per *c. Si quis* 25. *q.* 2. ibi: *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholicæ Fidei disciplina, pro correctione Fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.*

Hæc satis sint ad nostrum institutum. Cætera videri possunt apud allegatos,& Bellarminum de Pontifice, ac Bzovium *lib. Rom. Pontifex*.

Uberiorem notitiam circa Primatum Romani Pontificis ex subnexis percipere Lectorem non pigeat, considerando.

10 I. Quòd forma regendi Ecclesiam non est Aristocratica, ut contendunt Marcus Antonius de Dominis, Richerius, & Messalinus, ac Launojus in *suis Epistolis*, & quotquot intendunt Papam subesse Concilio. Nam Aristocratia petit, ut *suprema regendi potestas in Nobilibus, & Optimatibus resideat, qui cæteris imperent*. In Episcopis autem non est suprema authoritas regendi, pascendique Fideles; sed particulares Diœceses, & populos habent sibi à Romano Pontifice assignatos, quos regant, ut ex dictis supra §. 2. *num.* 8. & apud Petram *tom.* 2. *ad Constitut.* 3. *Innocent. III. num.* 36. *& inf. num.* 14.

Illud verò Matth. 18. ubi Christus præcipit, ut, si contra nos Frater deliquerit, nec à nobis correctus resipiscat, deferamus Ecclesię: *Dic Ecclesiæ*; perperàm ab illis exponitur. Nec per Ecclesiam hìc venit Concilium Generale; ridiculum enim esset ita pręceptum illud interpretari, ut quoties quis vellet denunciare Fratrem, privata correctione non emendatum, esset convocandum Generale Concilium. Sed sensus est; *Dic Ecclesiæ*, hoc est, Ecclesiæ Prælato; & si causa de majoribus fuerit, dic Romano Pontifici: quòd si Prælatum non audierit, per eum communione Fidelium privetur. Vide Becan. *tom.* 5. *opusc. lib.* 3. *c.* 4. 6. *privil.*

11 II. Quòd forma regendi Ecclesiam non est Democratica, nec Claves sunt immediatè tamquam subiecto datæ Ecclesiæ (prout hæc est Fidelium multitudo) à qua ipse Papa, & Episcopi eas quoad executionem, & ministerium recipiant, ut placuit eidem Richerio fingere apud d. Petavium *lib.* 3. *c.* 15. *num.* 4. Quoniam Democratiæ essentia exigit, *ut suprema potestas regendi sit penes*

penes totam multitudinem Communitatis; adeòut vel totus populus, vel saltem aliqui ex nobilibus, & plebeis ex electione populi Rempublicam gubernent: & inde dicitur regimen populare. Summa verò, supremaque cura regendi Ecclesiam non est data Communitati Fidelium, sed Petro, & in Petro Romanis Pontificibus, illis verbis? *Pasce Oves meas: Tibi dabo Claves &c.* Neque enim ab Ovibus potestas pascendi dimanat in Pastorem; sed ab Hero, & Domino Gregis communicatur, &, quem vult, ei præficit.

12 Ponderandum hìc est, quòd non aliter pronunciandum est de potestate, & jurisdictione pascendi Oves, & Fideles, quam ex Scripturis constet ab ipso Institutore Christo Domino institutum esse; certè autem summa Clavium potestas, quo loco Scripturæ commemoratur, & à Christo communicata legitur, non alteri data, quàm Petro, & in Petro ejus Successoribus reperitur. Nam Matth. 16. Christus dixit: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum.* Joann. 21. *Pasce Agnos meos: Pasce Oves meas.* Nunquam autem Communitati, ac multitudini Fidelium formaliter, & ut subjecto donata legitur. Unde S. Cyprianus *de unit. Eccles.* dixit: *Super unum Petrum Dominus ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat Oves suas.* Optatus *lib. 7. contr. Parm. Bono unitatis B. Petrus, & præferri omnibus Apostolis meruit, & Claves Regni Cœlorum communicandas solus accepit &c.* Quod frequenter repetunt cæteri Patres apud citat. Petavium, & Bocan. *cit. lib. 2.* & Spondan. *Epitome ad an. 34. num. 59.*

Cùm verò Patres videntur sentire, quòd Claves sint traditæ Ecclesiæ (inter quos Augustinus *lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 17.* ibi: *Has igitur Claves dedit Ecclesiæ suæ. Et tractat. 50. in Joan.* ibi: *Quando Petrus Claves accepit, Ecclesiam Sanctam significavit*) intelligendi sunt, ut sibi non contradicant; & ideò text. textibus sunt concordandi. Quia verò sæpè repetunt Claves esse Petro, ut Capiti, & in eo ejus Successoribus traditas, dum videntur asserere jurisdictionem Ecclesiasticam toti Ecclesiæ primò, ac per se convenire, accipiendi sunt, ut loquantur in sensu non subjectivo, sed finali; quatenùs Romanis Pontificibus fuit à Christo suprema potestas tradita, primariò in commodum ipsius Ecclesiæ, ut ipsam regerent, & gubernarent: atque ita, ut toti Corpori Ecclesiæ prodessent: in cujus commodum Christus retulit Sacramenta, aliaque gratiæ beneficia. Fundamentum enim primariò est propter domum, quam regit: Caput propter corpus, quod dirigit: Pastor propter Oves, quas regit: & Dux totus est, ut salvum, & victorem reducat exercitum, non ut privatim sibi consulat, nisi quatenùs pars illius est, & cum eo conjungitur. Ita Petavius ibidem *c. 14. num. 2. & seq.*

13 Et hinc patet de sensu Augustini, qui eisdem locis voluit tantùm, quòd Petrus non ut persona privata est, & mortalis homo, quo cum essent Claves perituræ, nec ut Procurator: sed ut Caput, Princeps, Supremusque Rector Ecclesiæ à Christo constitutus, Ecclesiæ unitatem repræsentans, pro se, & suis Successoribus Clavium potestatem acceperit; prout legendus *tract. 118. in Joan.* & patet ex *d. Extrav. Unam Sanctam,* ac probat Annat. *lib. 6. art. 7.*

14 III. Quod regimen Ecclesiæ est absolutè Monarchicum. Quoniam in omnium sententia inter Gubernationum genera cæteris, tum nobilitate, tum utilitate, præstat forma regendi Monarchia, ut de communi testatur Fagnan. in *2. ad cap. Significasti num. 35 de elect.* Probatur que ex Aristotele 12. *Metaph.* ibi: *Entia nolunt malè gubernari: non est bonum pluralitas Principatuum: unus ergo Princeps.* Consonat Augustinus *lib. 1. cap. 9. de nupt. & concupiscen. Principatus magis naturalis unius in plures, quàm in unum potest esse multorum.* Hinc indubia res est, Christum in Ecclesia, quam suo Sanguine fundavit, & voluit usque in finem manere, instituisse formam regendi Monarchicam, utpotè nobiliorum, utilioremque, ad tex. *in cap. In Apibus 1. quæst. 1.* Est enim Auctor pacis, qui dedit suæ Ecclesiæ *regimen pacis amicum, hoc est, Monarchicum, sub B. Petro & Successoribus ejus, administrari cuncta præcipiens, Clavibus illis commissis, & cura gregis demandata,* Pius II. in *d. Const. in minorib.*

Ex quo evidens est, supremam potestatem, jusque regendi, & gubernandi gregem esse in Romano Pontifice, tamquam in Monarcha, & Ecclesiæ Principe, à quo veluti fonte, & origine in inferiores jurisdictio dimanat; partem accipientes ab eo, qui plenitudinem habet; hoc ipsa exigente Monarchiæ natura, ad cujus quidditatem spectat (ut Monarchica regendi for-

ma

ma verificetur) quòd *suprema imperandi potestas in aliquo uno nobilissimo, ut in subjecto resideat, qui cæteris præsit, fons omnis inferioris auctoritatis existens?* ut per Petavium *cit. cap.* 16. *n.* 26.

15 Videatur Diana *coord. tom.* 9. *tract.* 13. ubi summa eruditione de primatu solius S.Petri supra S.Paulum tractatum instituit. In qua materia Innocentius X. edidit Decretum contra sententiam, quæ tribuebat D. Paulo Ecclesiæ Primatum, seu Principatum, sed non distinctum ab eo Divi Petri, adeòut ambo unum caput, unumque Ecclesiæ Pontificem efficerent. Tenor Decreti est.

S. D. N. Innocentius X. relata unanimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, & auditis votis Eminentissimorum Cardinalium Generalium Inquisitorum: propositionem hanc, S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt, Vel: duo Ecclesiæ Catholicæ Coriphæi, ac supremi Duces summa inter se unitate conjuncti. Vel: sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissimè coaluerunt. Vel: sunt duo Ecclesiæ Summi Pastores, & Præsides, qui unicum caput constituunt: ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum, sine subordinatione, & sine subjectione S. Pauli ad S. Petrum, in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit, & declaravit. Apud Petram *tom.* 2. *ad Constit.* 14. *Greg. IX. n.* 21. & Bail. *sum. tom.* 2. *in append. tit. Decreta Pontif.* §. *copia*.

CAPUT XXX.

Officialis quoad Legata facta Fratribus Minoribus de Observantia.

SUMMARIUM.

1 *Definitio, & divisio legati:*
2 *Legatum est implendum per totum tempus à testatore præscriptum.*
3 *Dubia de legatis bonorum mobilium factis Fratribus Minoribus.*
4 *De legatis factis Fabricæ.*
5 *De legatis annuis cum onere.*
6 *De legatis annuis sine onere.*
7 *Responsa S. Congr. ad dubia primi generis.*
8 *Et ad ea secundi generis.*
9 *Et ad ea tertii.*
10 *Et ad alia quarti generis.*
11 *Decretum S. Congr. Rev. Fabricæ, quo prohibetur extinctio legatorum, & compositio: ac ne sub excommunicationis pœna Fr. Min. judicialiter per se, vel per alios petant legata.*
12 *Constitutio Clementis X. confirmans Decretum S. Cong. Episc.* in Turritana Legatorum.
13 *Decretum ejusdem S. Cong. declarantis Frat. Min. posse per viam simplicis eleemosynæ præstationes legatorum recipere.*
14 *Decretum Sac. C. Fabricæ inhibentis compositionem cum hæredibus super annuatis non solutis.*
15 *Epistola d. S. Congr. concernens incapacitatem dd. Fratrum.*
16 *Decretum S. C. Concil. circa idem.*
17 *Fratres Min. non sunt capaces legati perpetui ad longum tempus pro celebratione Missarum.*
18 *Declarara.*
19 *Doctrina Sac. Congr. circa modum recipiendi eleemosynas.*
20 *Legatum factum Capellæ existenti in Ecclesia Fratr. Min. præsumitur factum ipsis Fratribus.*
21 *Legatum non fit caducum, ex quo à Fratribus impleri non possit.*
22 *Legatum factum Fratribus cum conditione, quòd* Papa In eo se non ingerat, *est factum Fratribus sub modo illicito.*
23 *An valeat legatum factum infirmariæ Fratr. Min.? sed declara: & nota quid servandum sit, usque ad n.* 25.
26 *An valeat legatum factum pro induendis Fratribus.*
27 *Valet legatum factum pro Divino cultu.*
28 *Corruptela Fratrum quantùm ad paramenta Ecclesiastica.*
29 *Fratres Min. non possunt hæredes institui.*
30 *Ad quid hæres teneatur recipiens hæreditatem.*
31 *Fratres sunt incapaces legati universalis.*
32 *Fratres sunt capaces legati particularis, adjecto modo, ut vendant, & pretium erogetur in Fratrum necessitates.*
33 *Syndicus Fratrum non potest pro ipsis hæres institui.*

34 *Fratres nequeunt mediis Syndicis se componere cum hæredibus, vel executoribus testamentorum.*

35 *Nec etiam per Syndicum retinere bona stabilia cum onere Missarum.*

36 *Possunt per modum simplicis eleemosynæ recipere de die in diem relictum à testatore.*

37 *Formula protestationis faciendæ à Fratribus occasione legatorum.*

38 *Quando legata Fratribus relicta, reputentur modo licito facta.*

1 NOn agitur hìc generaliter de legatis quia nimis volumen excresceret, sed solùm de relictis Fratribus Min. de Observ. Circa quæ plures solent difficultates excitari;& non semel in praxi ea admittuntur, quæ de jure non debent. Sed aliqua priùs necesse est advertere.

I. Quòd legatum est *donatio à testatore relicta, & ab hærede præstanda.* Differt à simplici donatione, quia legatum est donatio facta causa mortis.

II. Quòd legatum aliud est prophanum, quia ad prophanos usus relictum; & aliud pium, quia ordinatum ad pios usus, & animæ suffragium: ut ad maritandas puellas;ad eleemosynam erogandam, Missas legendas, Officia celebranda &c.

2 III. Quòd legatum à testatore pro anima relictum tenetur hæres sub mortali solvere, non solum per decem annos, sed per totum tempus à testatore præscriptum; cum nobis sit prorsùs occultum, & solùm Divinæ Justitiæ simul, & Clementiæ reservatum tempus, quo Animæ in Purgatorio detinentur (ideò non possumus nos absque temeritate illud præfigere.) Unde Alex. VII. *die* 18. *Martii* 1666. inter alias proscripsit hanc propositionem, quæ in ordine erat *la* 43. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.*

IV. Quòd in legatis sunt nonnullæ regulæ observandæ. Prima, quòd legata sint intelligenda juxta consuetudinem loci. Secunda, quòd in legato ad pias causas facilis est extensio, & larga interpretatio. Tertia, quod in dubio est favendum piæ causæ, *leg. sunt personæ ff. de relig. & sumpt.* Quarta, quod in obscuris inspiciendum est, quod est universalius,per regulam 45. *jur. in* 6. Quinta, quod pro expresso haberi debet, quod testator disposuisset, si interrogatus fuisset, *l. Titius*, §. *Lucius*, *ff. de liberis.*

Quæritur. *An à Sede Apostolica in materia legatorum Fratrib. Min. de Observ. relictorum, vel relinquendorum, declarationes emanaverint?*

Resp. Affirmativè. Quarum omnium Cathalogum non refero, sed nonnullas solùm, & fortè magis ad praxim utiles exscribo.

Itaque S. Congr. à fel. rec. Urbano VIII. *Fratr. Min. de Observ. consultationibus proposita*, apud Fagnan. *in* 5. *ad c. Nimis prava de excessib. Prælat.* pluribus dubiis propositis, disposuit, ut infra.

Distinctio prima de legatis bonorum mobilium.

3 Articulus Primus. An Fratres Minores, tam de familia, quàm Reformati, sint capaces legatorum bonorum mobilium, quæ unica solutione, seu præstatione adimplentur, tam in pecunia numerata, quàm in aliis speciebus?

Art. 2. An possint eadem legata in judicio, aut extra exigere per se ipsos, vel Syndicum Apostolicum?

Art. 3. An Fabricæ S. Petri liceat in hujusmodi legatis se ingerere infra annum, ex quo dies legati cessit?

Art. 4. Et quid elapso anno?

Distinctio secunda de legatis factis Fabricæ.

4 Art. Primus. An valeat legatum annui redditus factum fabricæ, Sacristiæ, vel Ecclesiæ Fratrum Minorum, tam de familia, quàm ex Reformatione?

Art. 2. An liceat Fratribus hujusmodi legata in judicio exigere per eorum Procuratores, vel Syndicos Apostolicos?

Art. 3. An liceat eisdem erogare prædicta legata in usus Fratrum? an verò illa omninò converti debeant in usus à testatoribus præscripto?

Art. 4. An Fabricæ Sancti Petri liceat infra annum se ingerere in proprietate horum legatorum pro fabrica, vel Sacristia, transigendo cum hæredibus, aut aliàs de eadem proprietate disponendo.

Art. 5. Et quid transacto anno?

Art. 6. An liceat eidem Fabricæ Sancti Pe-

Petri se immiscere præstationibus, seu fructibus eorundem legatorum ab anno decursis, & non solutis?

Art. 7. Et quid infrà annum, ex quo cessit dies præstationis?

Distinctio tertia de Legatis annuis cum onere

5 Articulus primus. An Fratres Minores, tam de familia, quam Reformati, sint capaces legatorum annuorum; quæ fiunt adiecto onere celebrationis Missarum?

Art. 2. An iidem possit pro his legatis in iudicio experiri agendo, aut Judicis officium implorando.

Art. 3. An possint Fratres illa accipere a sponte offerentibus, celebrando Missas ad rationem rei acceptæ?

Art. 4. An possint illa sponte oblata accipere per se ipsos; an verò per Syndicum Apostolicum?

Art. 5. An Fratres possint huiusmodi legata extinguere, aut illorum proprietatem vendere, & pretium erogare in usum Fabricæ, vel Sacristiæ?

Art. 6. An liceat Fabricæ Sancti Petri proprietatem eorumdem legatorum cum onere Missarum sibi vendicare, tam elapso anno, quàm antea?

Art. 7. An eidem Fabricæ liceat sibi vendicare annuas præstationes decursas, & non solutas, tam antea annum, quàm post?

Distinctio quarta de Legatis annuis sine onere.

6 Articulus primus. An Fratres Minores, tam Observantes, quàm Reformati, sint capaces legatorum annuorum sine aliquo onere, aut modo adiecto, saltem ad effectum illa extinguendi, & pretium erogandi in usus Fabricæ, vel Sacristiæ.

Art. 2. An ad hunc effectum possint eandem proprietatem in iudicio petere per Syndicum Apostolicum?

Art. 3. An possint illam convertere in usus Fratrum?

Art. 4. Et quid, si cœperint illorum annuas præstationes accipere?

Art. 5. An possint Fratres exigere iudicialiter annuas præstationes eorumdem legatorum in vim Martinianæ?

Art. 6. Et quid post ultimum Decretum Sac. Cong. hac de re editum?

Artic. 7. An Fratres teneantur protestari se esse incapaces eorumdem legatorum.

Art. 8. An possint illas a sponte dantibus accipere per se ipsos, vel per Syndicos Apostolicos?

Art. 9. An hæredes teneantur illorum præstationes Fratribus solvere in foro conscientiæ?

Art. 10. An Fabrica Sancti Petri ius habeat sibi vendicandi horum legatorum proprietatem, tam elapso anno, quàm antea?

Art. 11. Et quid de annuis præstationibus decursis, & non solutis?

Artic. ultim. An hæc omnia procedant etiam in legatis annuis ad modicum tempus?

Die 9. Septembris 1682. Sacra Congregatio negociis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, a Sanctiss. Domino Nostro præposita, ad singulos articulos superiùs propositos ad hunc modum respondit, videlicet.

Distinctione prima.

7 *Ad primum Articulum Fratres Minores, tam de Familia, quàm Reformatos, esse capaces legatorum bonorum mobilium, quæ unica solutione, seu præstatione adimplentur, tam in pecunia numerata, quàm in aliis speciebus: dummodò tamen hujusmodi legata sint in quantitate moderata, & non in fraudem paupertatis.*

Ad secundum. Fratres quidem, nec per se ipsos, nec per interpositam personam posse eadem legata in judicio exigere, sed Syndicum Sedis Apostolicæ tantùm judicis officium implorare: dummodò similiter illa in moderata sint quantitate, sine ulla fraude paupertatis, & re ipsa erogentur in Fratrum necessitates. Extra judicium verò ita demùm legata hujusmodi accipi posse à Fratribus per se ipsos, si in aliis speciebus consistant, & accipiantur in ea tantùm quantitate, quam vera, & imminens eorum necessitas postulet; sed superfluam, aut pecunias à Syndico tantùm posse accipi, dum tamen id omne in Fratrum necessitates convertatur.

Ad tertium. Non licere Fabricæ Sancti Petri hujusmodi legatis bonorum mobilium se ingerere infra annum, ex quo dies legati cessit.

Ad quartum. Elapso anno licere ad præscriptum suarum facultatum.

Distinctione secunda.

8 *Ad primum articulum. Valere legatum annui redditus factum Sacristiæ, vel fabricæ Ecclesiæ, vel Conventus Fratrum Minorum, tam de familia, quàm de Reformatione, nisi adsit excessus in quantitate.*

Ad secundum. Nec per se ipsos, nec per alios, licere Fratribus in judicio exigere hujusmodi legata, sed Syndico Apostolico dumtaxat.

Ad tertium, Non licere eisdem annui redditus legata erogare in usus Fratrum, sed illa omninò converti debere in usus à testatoribus præscriptos.

Ad quartum. Fabricæ Sancti Petri non licere infrà annum se ingerere in proprietate horum legatorum cum hæredibus, transigendo, aut aliàs disponendo de eadem proprietate.

Ad quintum. Itidem non licere.

Ad sextum, & septimum. Posse Fabricam Sancti Petri se immiscere in præstationibus, seu fructibus eorundem legatorum ab anno decursis, & non solutis; non autem infrà annum, ex quo dies præstationis cessit.

Distinctione tertia.

9 *Ad primum Art. Fratres Minores, tam de familia, quàm ex Reformatione, nullatenùs esse capaces legatorum annuorum, quæ fiunt adjecto onere celebrationis Missarum.*

Intellige de legatis annuis cum tali onere, quorum jus maneret apud Fratres, & essent ipsis Fratribus directè relicta; hæc enim momento retinere possunt, Vespign. *compend. privileg. R. Fab. pag. mihi 71. in margine.*

Ad secundum. Non posse pro his legatis in judicio experiri, aut judicis officium implorare.

Ad tertium. Posse Fratres illas accipere per modum eleemosynæ à spontè offerentibus, celebrando Missas ad rationem rei acceptæ citra tamen ullam obligationem ad onus perpetuum, & dummodo priùs protestentur se illorum capaces non esse.

Ad quartum. Syndicum Apostolicum, & pro Fratrum necessitatibus, non autem Fratres ipsos, etiam per alios, posse hujusmodi legata, utcumque spontè oblata, accipere, si in pecunia consistant.

Ad quintum. Non posse Fratres hujusmodi legata extinguere, aut illorum proprietatem vendere, & pretium erogare in usus Fabricæ, vel Sacristiæ.

Ad sextum. Licere Fabricæ Sancti Petri ad suarum facultatum præscriptum sibi vendicare eorumdem legatorum proprietatem cum onere Missarum celebrandarum, tam elapso anno, quàm anteà.

Ad septimum. Similiter licere.

Distinctione quarta.

10 *Ad primum Art. Fratres Minores, tam Observantes, quàm Reformatos, non esse capaces legatorum annuorum, quæ fiunt sine aliquo onere, aut modo adjecto, nisi ad effectum illa extinguendi, seu illorum proprietatem, & pretium convertendi in usus Fabricæ, vel Sacristiæ.*

Ad secundum. Non Fratres ipsos, sed Syndicum Apostolicum tantùm, posse eandem proprietatem in judicio petere.

Ad tertium. Posse convertere.

Ad quartum. Si Fratres cœperint illorum annuas præstationes accipere, nè hinc fiat fraus paupertati, expedire, ut de cætero decernatur, eo casu non licere ampliùs Fratribus eandem proprietatem vendere, ac pretium in usus Fabricæ, vel Sacristiæ erogare, ideoque agendum cum Sanctissimo Domino Nostro.

Ad quintum, & sextum, Fratres nullo modo posse in judicio exigere annuas eorumdem legatorum præstationes.

Ad septimum. Teneri.

Ad octavum. Posse illa per modum eleemosynæ, & à spontè dantibus accipere, etiam per se ipsos, si in aliis speciebus consistant, quod si in pecunia, non nisi per Syndicum Apostolicum.

Ad nonum. Non teneri.

Ad decimum. Fabricam Sancti Petri nullum jus habere vendicandi horum legatorum proprietatem, nisi elapso anno, juxta suas facultates.

Ad undecimum. Similiter non habere jus vendicandi hujusmodi annuas præstationes, nisi ab anno decursas.

Ad ultimum. Hæc omnia locum non habere in legatis infrà decennium; sed in his

his tantùm, quæ fiunt ad decem annos, & ultra.

Decretum S. Congregationis Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe super Legatis relictis PP. Minoribus de Observantia Sancti Francisci.

„ 11 CUm sæpiùs fuerit habitus recursus ad Sacram Congregationem „ Ven. Fabricæ Sancti Petri super Legatis „ factis, seu faciendis ad favorem Fratrum „ Sancti Francisci Minorum de Observantia, cum onere Missarum, seu Officiorum „ sive gratis, sive alio modo.

„ Prætendente Ven. Fabrica S. Petri ad „ illam spectare propter dd. Fratrum incapacitatem hujusmodi Legatorum.

„ Dictis autem fratribus allegantibus „ posse annua legata hujusmodi recipere tuta conscientia, quatenùs hæres ex sua libera voluntate illa dare voluerit in eleemosynam, & committere Fratribus dd. „ Missas, & Officia, juxta sententiam S. Bonaventuræ, & Decreta S. Congregationis à Sanctissimo D. N. Fratrum Minorum de Observantia San. Francisci „ Cismontanæ Familiæ Consultationibus „ propositæ, sub *die* 4. *Junii* 1628. publicata.

„ Eadem Sacra Congreg. pro opportuna „ præmissorum provisione, facta relatione „ S. D. N. Urbano Papa VIII. ac de illius „ expresso ordine, & mandato, decrevit „ in futurum super hujusmodi Legatis observari, ut infrà.

„ Quòd hujusmodi legata per debitores, „ vel hæredes non extinguantur, vel reducantur per compositionem cum Ministris „ Fabricæ faciendam, vel alio quovis modo; sed illorum capitale, sive sors principalis, vel proprietas absque aliqua diminutione conservetur semper, & perpetuò „ ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti benè visos possint applicari: ita tamen ut quamdiù applicationem specialem authoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel „ debitores possint libere, si velint, dictis „ Fratribus dare dicta annua legata, per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, „ non autem per eos exigenda. Et quòd „ quævis extinctio, reductio, seu diminutio capitalis, seu proprietatis, aliter absque speciali Romani Pontificis „ permissione facta, eo ipso nulla sit: nec „ debitoribus, aut aliis quibuscumque suffragetur.

„ Quòdque Commissarii, & alii Ministri „ Ven. Fabricæ super hujusmodi capitale, „ seu proprietate supradicta, se de cætero „ non intromittant, nec dictos hæredes, „ seu debitores aliquo modo molestent, nisi ad effectum reinvestiendi in casu reinvestimenti, seu providendi, ut conservetur, ut supra, aut alias in executionem „ applicationis authoritate Apostolica factæ, vel faciendæ.

„ Et quòd, nolentibus dd. hæredibus vel „ debitoribus dare supradictis Fratribus dd. „ eleemosynas, seu annuas præstationes, „ sive legata ut supra solvere, vel illas, „ seu illa non solventibus, tunc, & eo casu, lapsis duobus annis à die obitus testatorum, si fuerit maturatum legatum, „ vel à die maturatæ illius solutionis, eadem Fabrica, & illius Commissarii, & „ Ministri id totum, quod solutum non „ fuerit pro præterito, pro rata tamen in „ qua fuerit ut supra elapsum biennium, „ vel ultra, possit, & valeat hujusmodi „ præstationes annuas exigere, exigique „ facere ad sui beneficium, juxta suas facultates, & privilegia: salvo semper capitali, seu proprietate, ut supra, ad effectum quòd hæredes, vel debitores (dummodò de eis per Romanum Pontificem „ pro tempore existentem aliter non fuerit „ dispositum, nec prædicta legata in alios „ usus ejus authoritate applicata fuerint vel „ applicari contigerit) possint, si velint, „ quandocunque futuris temporibus, & „ sic deinceps in perpetuum dare dictis „ Fratribus dicta annua legata in eleemosynam, ut supra; nec Fabrica eosdem hædes, vel debitores molestare possit, & valeat toties, & quoties casus contigerit, „ nisi pro præterito: & tunc in illis terminis „ tantùm, post quorum maturationem fuerit elapsum biennium, vel ultra, ut supra: salva semper erectione beneficiorum, „ & applicatione Legatorum, seu quorumcumque bonorum, & reddituum, ac jurium ejsdem beneficiis seu aliis piis usibus „ authoritate Apostolica facta, vel impostearum quandocumque, & quomodocunque „ facienda, & executione Litterarum Apostolicarum desuper expeditarum, seu expedien-

,,pediendarum : ita ut præfata decreta ,, ad illas nequaquam se extendant, sed il- ,, læ semper firmæ, & illæsæ remaneant, ac ,, suos plenarios, & integros effectus sorti- ,, ri debeant, ita quod neque fabrica, ne- ,, que hæredes, vel debitores præfati ullo ,, modo illas impedire, retractare, vel con- ,, trovertere valeant: & salvis semper Sedis ,, Apostolicæ authoritate, ac facultatibus ,, competent, dictæ Sacræ Congregationi ,, Venerab. Fabricæ.

,, Prohibuit tamen eadem Sacra Congre- ,, gatio Fratribus supradictis sub pœna ex- ,, communicationis ipso facto incurrenda, ,, ne audeant, seu præsumant, nec quilibet ,, eorum audeat, seu præsumat per se, nec ,, per alios, Sindicos, Ministros, seu Pro- ,, curatores, tam Sæculares, quàm Regula- ,, res, dictas annuas præstationes, seu legata, ,, nec judicialiter, tam coram quocunque ,, Judice Ecclesiastico, quàm Sæculari, Or- ,, dinario, vel Delegato: nec alias, nisi jux- ,, ta formam dicti Decreti Congregationis ,, Fratrum Minorum de Observantia San- ,, cti Francisci Cismontanæ Familiæ à San- ,, ctissimo Domino Nostro deputatæ, ab ,, hæredibus, seu quibusvis aliis eorum de- ,, bitoribus petere, minusquè dd. hæredibus, ,, seu debitoribus facere aliquas receputas ,, pro dd. annuis præstationibus, nisi pro ra- ,, ta, & pecunia, seu eleemosynis supradi- ,, ctis cum effectu, ac verè, & realiter eis- ,, dem Fratribus data, vel soluta, seu datis, ,, vel solutis, nec sub alia data, nisi sub ea, ,, quæ verè fuerit iisdem Patribus, aut aliis ,, pro eis facta realis satisfactio; & insuper, ,, nè Provisos Apostolicos pro tempore de ,, beneficiis quibus legata supradicta fuerint ,, applicata, vel eorum Procuratores.& Mi- ,, nistros super erectione dictorum legato- ,, rum directè impedire, vel molestare quo- ,, vis quæsito colore, vel prætextu audeant, ,, vel præsumant. In quorum fidem &c. ,, Dat. Romæ ex Collegio ejusdem S. Con- ,, gregationis die 14. Februarii 1633.

Constitutio Clemen. X. confirmantis
Decretum Sacræ Congregationis
in causa Turritana Legatorum.

12 *Clemens Papa X. Ad futuram &c. Nuper pro parte dilecti Filii Syndici Apostolici Conventus Sancti Petri de Syrchis in Sardinia Ordinis Sancti Francisci de Observantia &c. Congregationi Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis &c. Episcoporum, & Regularium Præposita exposito, quòd quondam Petrus Moros de Molinos in suo ultimo Testamento, quod anno* 1645. *condiderat, diversa annua legata pro Missis, per Fratres dicti Ordinis celebrandis, fecerat modo sequenti.*

Primò, *mando, quòd meus hæres teneatur expendere pro confectione tumuli, & exequiarum quolibet anno* lib. 25. *pro una Missa cantata, & aliis sexdecim Missis pro Animabus meorum parentum celebran. à Fratribus Franciscanis Sancti Petri de Syrchis, & pro legato volo, quod sint perpetuò obligata bona mea.*

Item volo, quòd dictus meus hæres solvat ex dictis bonis meis quolibet anno lib. 40. *quæ inserviant pro oleo lampadis meæ Capellæ majoris in dicta Ecclesia Sancti Petri.*

Item relinquo in perpetuum Missas septem qualibet hebdomada pro Animabus Purgatorii &c. & eleemosyna sit septem solidorum pro qualibet Missa &c. & proprietas illarum est 1400. lib. *quæ sit super domo mea, in qua habito.*

Item relinquo pro eleemosyna dicto Conventui Sacti Petri de Syrchis lib. 300. *ut illæ applicari debeant per meos curatores in loco securo ad rationem* lib. 24. *annuarum, & inserviant pro emendis linteaminibus pro pauperibus Fratribus infirmis.*

Item, quia D. Mater mea reliquit, ut dicantur duæ Missæ perpetuæ pro qualibet hebdomada à dictis Fratribus, quod super bonis meis solvantur quolibet anno lib. 28.

Item; quia D. Pater meus reliquit unam Missam perpetuam in hebdomada celebrandam à dictis Fratribus, & reliquit pro eleemosyna censum lib. 150. *debitum à Gavino Paduano &c. quatenus perdiderint supradictum, mando, ut meus hæres solvat* lib. 11. *annuas &c.* Et *factis aliis pluribus legatis profanis &c. instituit sibi hæredem Deum, & animam suam, mandans suis executoribus, ut adimpletis, & satisfactis legatis instituerent unam tertiam Dignitatem Archidiaconalem in Cathedrali Turritana cum annuo reddıtu* lib. 1000., *& de residuo unum, vel plures Canonicatus secundum capacitatem bonorum suorum, & alias, prout in dicto testamento dicitur uberiùs contineri.*

Et subindè in executionem dicti Testamen-

menti unus Canonicatus, & unus Archidiaconatus in Ecclesia Turritana erecti fuerant, dictusque Archidiaconatus ex dispositione ejusdem Petri testatoris collatus fuerat quondam Didaco Moros ejus Fratri Germano executori testamentario, qui bona fide, dum in vivis erat, eadem legata pia adimpleri curaverat; verùm post ejus obitum de eodem Archidiaconatu provisus fuerat dilectus Carolus de Capudoro, ad cujus favorem dilectus Filius Pro-Vicarius Generalis Turritanus nesciebatur, quo jure, declaraverat Fratres Minores prædictos Legatorum capaces tantùm, factorum pro oleo lampadis, & linteaminibus infirmorum, & incapaces pro reliquis, quæ Archidiacono prædicto adjudicaverat, prout in ejus sententia dicitur contineri; unde dictus Syndicus tanquam unus de Populo, pro suffragiis Animarum, pro quibus instituta fuerunt dicta legata pia, & pro sua pietate erga dictos Fratres de Observantia, qui in magna necessitate propter eleemosynarum deficientiam in prædicta Insula Sardidiæ reperiebantur, prout ex attestatione juratorum, & Officialis Civitatis Turritanæ, constare dicebatur; nobis humiliter supplicaverat, ut omnimodum adimplementum legatorum prædictorum Ven. Fratri Archiepiscopo Turritano, non obstante prædicta Pro-Vicarii Generalis sententia, committere de benignitate Apostolica dignaremur.

Instantia verò hujusmodi ad prædictam Cardinalium Congregat. à nobis remissa, & de mandato ipsius Congregationis citato dilecto etiam Filio Alexandro Bulla supradicti Caroli de Capudoro Archidiaconi Procuratore, Syndicus prædictus plurimùm cupiebat declarari, prædictos Fratres Minores de Observantia posse recipere præinserta annua Legata Missarum, per modum puræ, & simplicis eleemosynæ, juxta doctrinam S. Bonaventuræ in quadam Constitutione fel. record. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri, cujus initium: *Sacrosanctum Apostolatus Ministerium &c.* proinde debere dictum Archiepiscopum Turritanum, tanquam executorem ultimarum voluntatum, & præcipuè piarum, curare omnimodum adimplementum eorum Legatorum, & voluntatis dicti Petri testatoris, compellendo hæredes, & detentores bonorum ad satisfactonem, ne Animæ ejus defraudatæ remanerent. Emanavit ab eadem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur.

Sacra Congreg. EE. S. R. E. Card. negnotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Procuratore Archidiaconi Turritani sæpiùs citato, referente Eminentissimo D. Cardinali Portocarero, decrevit esse dandas declarationes sæpè aliàs factas: videlicet Fratres Minores de Observantia non posse possidere census, & bona stabilia, posse tamen recipere per viam eleemosynæ quidquid eis traditur ab executoribus ultimarum voluntatum pro celebratione Missarum, & Anniversariorum; & proptereà censuit committendum, prout præsentis Decreti tenore committit Archiepiscopo Turitano; ut ad limites prædictæ declarationis in causa, de qua supra agitur, procedat, & ad illius observantiam, quantùm opus fuerit, juris remediis, & in subsidium, etiam censuris Ecclesiasticis compellat. Romæ 3. Augusti 1674.

Cùm autem, sicut dictus Sydicus Nobis subindè exponi fecit, ut Decretum hujusmodi firmiùs subsistat, & obesevetur exactiùs, Apostolicæ Nostræ Confirmationis patrocinio communiri summoperè desideret. Nos ipsum Syudicum &c. absolventes &c. supplicationibus ejus inclinati &c. Decretum præinsertum Authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus &c. sicque in præmissis per quoscunque Judices &c. irritum &c. Dat. Romæ apud Sanctam Mariem Majorem die 22. Augusti 1674. Pontificatus Nostri anno quarto.

Decretum Sac. Congreg. Episcop. & Reg. in una Lucana sub die 26. Martii 1677. ut in Regesto ejusdem: *Osservanti di Lucca.*

13 *SAc Congreg. &c. Sæpiùs declaravit Fratres Min. de Observ. S. Francisci, quamvis attenta dispositione*, Exivi de Paradiso Clement V. & Constitut. Nicolai III. Exiit, *sint incapaces obtinendi census perpetuos, & bona stabilia, posse tamen per viam puræ, & simplicis eleemosynæ recipere quidquid ab executoribus ultimarum volunta-*

luntatum eis traditur pro celebratione Missarum, pro ornamento Ecclesiæ, aliisque necessariis procurandis, juxta doctrinam D. Bonaventuræ relatam in Constit. sa. mem. Urbani VIII. incipiente, Sacrosanctum Apostolatus Ministerium: *atque in præfatis casibus dictos executores ultimarum voluntatum curare debere, ut hujusmodi piæ dispositiones adimpleantur, ne testatorum Animæ debitis suffragiis defraudatæ remaneant; quam quidem declarationem, illiusque tenorem in casu, de quo agitur, eadm S. Congreg. servari præcepit, committendo Ordinario Lucensi, pro tempore existenti, ut quatenus alius executor non existat, prænarratam pii testatoris dispositionem executioni demandet &c.*

Decretum Sacræ Congregationis Fabricæ editum 15. Decemb. 1646. ad providendum indemnitati Fratrum in annuis Legatis, & occurrendum hæredum, vel executorum malitiæ.

14 S*Acra Congr. Generalis Rev. Fabricæ S. Petri de Urbe ad consulendum non minùs indemnitati Fratrum Ordin. Min. de Observantia Sancti Francisci, quàm providendum malitiæ hæredum, & aliorum quomodolibet obligatorum, qui differunt ultrà bienium illis solvere annua legata pia cum oneribus Missarum, seu Officiorum, vel etiam gratis, dictis Fratribus, seu eorum Ecclesiis relicta, ac in futurum relinquenda, sub spe posteà super illis pro minori summa se componendi cum Commissariis, & aliis Rev. Fabricæ Ministris, & Officialibus: prohibuit, & expressè mandavit Commissariis: Æconomis, Secretariis, & aliis quibuscunque Officialibus, & Ministris Rev. Fabr. præsentibus, & futuris, tam Urbis, & Status Ecclesiastici, quàm Regni Neapolis, & aliorum quorumcunque locorum, sub pœnis arbitrio ejusdem Sac. Congreg. nè de cætero cum hæredibus, vel aliis quomodolibet obligatis ad solutionem dictorum legatorum ad aliquam compositionem, remissionem, vel transactionem deveniant, sed ab illis omnes annatas supra biennium decursas, & non solutas, integraliter exigant, & exigere faciant in beneficium d. Rev. Fabricæ sine relaxatione alicujus minimæ portionis, seu quantitatis servato in reliquis tenore decreti in hac materia ab eadem S. Congreg. editi sub die 14. Februarii 1633., & compositiones &c. eo ipso nullas, & irritas esse decrevit, mandans &c. ita componentes ad residui sibi sic remissi, seu condonati solutionem adstringi posse &c. Rom. 15. Decemb. 1646.*

Epistola Sac. Congregat. Rev. Fabricæ concernens incapacitatem Fratrum minorum de Observantia circa Legata.

15 M*Olto Reverendo Padre mio Amatissimo. Ha fatto rapresentare à questa Sacra Congregazione della Fabrica, il Padre Commissario di Corte della Religione de' Minori Osservanti di San Francesco, come la Q. Bartolomea Ginobelli da Ancona lasciò al Convento di detta Città annui scudi cinque, perche li celebrino un Officio con trenta Messe; e che li eredi ricusano pagarglieli, sotto pretesto della loro incapacità. Questa Sacra Congregatione altre volte dichiarò detti Frati capaci per* modum eleemosynæ; *però provederete, che il legato si eseguisca, ne sotto il detto pretesto li eredi tardino il pagamento. Governandovi conforme al decreto fatto in questa materia, e conservatevi. Roma 31. Decembre 1634. Tutto vostro Il Cardinal Lant. Andrea Ghetti Economo.*

Alia ejusdem Epistola.

M*Olto Reverendo Padre mio Amatissimo Per parte delli Frati Min. Osservanti di S. Francesco d'Offida è stato rappresentato à questa Sacra Congregazione, che il Capitano Alfonso Paolini per il bisogno, che tenevano d'augumentare il loro orto, gli lasciò certo sito à quello contiguo, con peso d'una Messa la settimana. E perche à detti Padri è permesso ritenere simili orti per gli herbaggi necessari, non solo non li prohibirete, ma operarete ancora con la vostra autorità, che detti Padri godino il beneficio di detto legato, facendogli dali eredi consegnare detto orto lasciatoli, e conservatevi. Roma li 2. Novembre 1641. Tutto vostro. Il Cardinal Lante. Andrea Ghetti Economo, apud Pitonium* discept. Ecclesiast. p. 1. discept. 2. n. 142.

De-

Decretum Sacræ Congregationis Concilii in Faventina Legatorum.

16 *IN assignatione bonorum facta per Constantiam Severolam anno 1657. ad effectum fundandi in Terra Mutiliana, vel beneficium Ecclesiasticum, vel Monasterium Monialium, tria onera fundatrix imposuit. Primum, annuæ præstationis* lib. 100. *olei pro manutentione lampadis antè Sacras Reliquias in Ecclesia PP. Capucinorum dictæ Terræ. Secundum*, lib. 25. *ceræ albæ pro usu ejusdem Ecclesiæ. Et tertium denique, unius ferculi valoris solidorum 20. ipsis PP. Capucinis per singulas hebdomadas subministrandi.*

„ Secuta de an. 1686. Monasterii fundatione, recusarunt Moniales subministrare dicta præstationes sub prætextu omnimodæ incapacitatis Fratrum Capucinorum. Quare ad instantiam Alexandri Ronconi, tamquam unius de populo, citatis, & informantibus quoque Monialibus, declarari humiliter supplicatur.

An Monasterium Monialium teneatur subministrare singulis annis dictas libras centum olei, & 25. ceræ albæ pro usu Ecclesiæ Fratrum Capucinorum?

An similiter teneantur præstare singulis hebdomadis supradictum ferculum bononenorum 20. ipsius Capucinis?

Die 2. Martii 1697. S. Congregatio Concilii: ad primum respondit affirmativè. Ad secundum, servanda esse decreta Congregat. Fabricæ die 14. Februarii 1633.

PRædicta S. Sedis Decreta sufficientissimè exprimunt, quid possint Fratres Minor. de Observant. quidque eis liceat circa legata, quæ eisdem cum onere, vel sine à Fidelibus relinquuntur vel relicta reperiuntur. Tamen, nè uberior notitia sit super eisdem, aliisque connexis desideranda, non gravabor aliqua resolvere ad præfatorum præscriptum, *& ad text. in cap. Exiit de ver. signific. in 6.* & Clement. *Exivi d. tit.*

17 Quæritur. *An Fratres Minor. de Observant. sint capaces legati perpetui, sive ad longum tempus pro celebratione Missarum?*

Negat Pignatellus *tom. 3. consulat. 16.* ubi allegat Bartolum, Baldum, Abbatem, Ancharanum, Fridericum de Senis, Geminianum, aliosque, quos sequitur Rota coram Merlino *dec. 456. n. 15.*

Movetur. I. Ex quo hujusmodi legata de necessitate requirant annuos redditus, prorsus necessarios, juxta Constitutionem Innoc. XII. *Nuper, de celebratione Missarum §. Præterea nè*, ut dentur in mercedem laboris illius, qui celebrat. Fratres autem Minores sunt omninò incapaces annuorum redditiuum, per expressa in d. Clement. §. *Cumque*, ibi: *Cumque annui redditus inter immobilia censeantur à jure: ac hujusmodi redditus obtinere, paupertati, & mendicitati repugnet: nulla dubitatio est, quòd dictis Fratribus redditus quoscunque, sicut & possessiones, vel earum etiam usum, cum iis non reperiatur concessus, recipere, vel habere (conditione considerata ipsorum) non licet.*

II. Quia est certum, dd. Fratres habere tantùm usum rerum necessariarum, & nullo modo dominium, & proprietatem, ut expressè text. *in c. Exiit §. Nec quidquam*, ibi: *Condecens fuit ei professioni, quæ spontè devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario fore contentam.* Legatum autem quodcunque transfert jus, & dominium in legatarium quoad actionem realem, & personalem, vel statim à morte testatoris, vel ab adita hæreditate, *l. à Titio ff. de furt.* ibi: *Quæ legantur recta via ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata sunt, transeunt.*

III. Quia tunc dd. Fratribus victum non tribueret incerta mendicitas, contra disposita *in cap. Religiosorum de Religios. domibus in 6. §. confirmatos*: nec substentarentur ex iis, quæ mendicant humiliter, ut in *d. cap. Exiit §. quoniam*; & moralem certitudinem haberent de eorum congrua sustentatione; nam certi essent se infallibiliter consecuturos præstationes legati, vel stipendia propter Missarum celebrationem sibi debita; & quatenùs legata multiplicarentur, etiam de completa; & ita eximerentur à necessitate quæstuandi, & eorum relaxaretur paupertas, contra præfinita in dd. *Extrav.* ipsorumque Regula.

Hujusmodi adeò apud eum sunt certa, ut nulli fas sit in dubium eorumdem incapacitatem ad legata revocare.

18 Cæ-

18 Cæterùm, nos ea non tanti facimus, cùm per æquivoca procedant: & solutioni præmittimus. Vel legatum hunc in modum Fratribus relinquitur: *Relinquo Fratribus Min. de Observ. scuta quingenta, quæ in tot censibus debeant investiri, vel ad fructum tradi, ut de illorum fructibus tot Missas ipsi pro anima mea quolibet anno celebrent.* Vel in hunc alium: *Relinquo bona mea meis hæredibus cum onere, ut quolibet anno in Ecclesia S. Francisci per ejusdem Sacerdotes faciant tot Missas celebrare, eisque stipendia tribuant.*

Si primo modo testator disponat, Fratres sunt incapaces; ipsi enim tunc essent legatarii; apud quos esset legati proprietas, & dominium ejsdem ex Regula interdictum: hujus generis legata percutiunt rationes per Pignatellum adductæ, cui, & nos quoad hæc libenter subscribimus. Et tenet Vespignan. ex dictis *n.9.* & est commune, & ea ab Ordine rejecta semper fuerunt.

Si verò legata sint secundi generis, dicimus eis non prohiberi, quin possint non ex vi legati, sed per viam simplicis eleemosynæ recipere, quidquid ab hæredibus ultimarum voluntatum eis traditur pro celebratione Missarum, prout in terminis habetur expressè in adductis resolutionibus *num.9. num.* 12. *num.* 13. dummodò habita notitia Legati protestationem præmittant (cujus formula datur *infra numer.* 37.) quod legitur resolutum à Sacr. Congregat. ab Urbano VIII. consultat. Frat. Minor. de Observant. præposita, ut infra: decernitur præterea, ac *præcipitur per sanctam obedientiam, quòd quoties relinqui contingant aliqua legata perpetua aliquibus personis, & hospitalibus, vel alicui Reipublicæ, & aliis domibus ea lege, quod teneantur Fratribus præstare singulis annis certam eleemosynam, sive omninò gratis, sive ut ipsi Fratres dicant certa Officia, & Missas: quòd Guardianus faciat protestationem ei, qui testatoris voluntatem adimplere tenetur, quòd cum ad illas eleemosynas nullum jus habeant ex vi Legati, non possunt obligari ad illa officia, & Missas: si tamen, facta ista protestatione, hæres ex sua libera voluntate voluerit dare eleemosynas illas, & committere Fratribus dicta Officia, & Missas, tunc Fratres tuta conscientia possunt eleemosynas hujusmodi recipere.*

Per quæ patet, quid dicendum sit in contrarium adductis.

Ad primum. Utique capitale Legati debet semper conservari ad effectum, ut hæredes possint ex fructibus stipendia dare celebrantibus Missas legatas: sed hoc probat dumtaxat, dictos Fratres non habere capacitatem ad legata primo modo à testatore disposita: quod Pignatello libentissimè damus. Et quoad hæc procedit responsio *ad* 1. *num.* 9.

Ad secundum. Dicitur id procedere in legatariis capacibus acquirendi dominium (cujusmodi non sunt Fratres Minores) & non in illis, qui ex vi legati nil possunt exigere; sed quidquid recipiunt, eis liberè confertur per modum eleemosynæ, & per modum manualis stipendii in mercedem laboris. Quinimmò dd. Fratres non censentur legatarii necessarii: nam eis liberè præstationes Legati conferuntur, & non de necessitate; quas, elapso anno, potest sibi vendicare Sac. Congreg. R. Fabr. per disposita ubi supra *numer.* 11. Nec Fratres possunt conqueri, vel in judicio eas exigere quamvis Missas celebraverint, ut in decreto *ibid. alleg.* ubi eis id interditur sub excommunicationis pæna ipso facto incurrenda.

Ad tertium. Quod opponitur, verificatur, quando Fratres prætenderent ea legata tanquam sib debita civiliter, seu vigore actionis ex testamento, vel juris ad ipsa. Sed in his termis Fratres illa prætendere non possunt, nec recipiunt per modum annuæ, & certe assignationis relevantis eorum mendicitatem, & eximentis eos à debito vivendi ex victu dietim mendicato, sed solùm per modum puræ eleemosynæ ab hæredibus eis liberè dandæ, *si velint*, ut loquitur decretum sub *numer.* 11. Ex quo tollitur certitudo de eleemosyna annua. Tum quia possunt Missas non celebrare; & quatenùs celebraverint, possunt esse non certi de consecutione eleemosynæ, quia apud Judicem civiliter instare non possunt; ut ibidem: A quo etiam possent aliis applicari. Tum quia, ex quo recipiant eleemosynas pro celebratione Missarum adventitiarum, non præsumuntur certitudinem habere de victu, & vestitu, quia contingenter recipiunt, & possunt recipere, & non recipere; ita, ex quo ab hæredibus dicta legata recipiant; nam

nam possunt eis ab hæredibus conferri, & non conferri, ut dixit lib. 1. *Caut. Conf. cap.* 22. *à num.* 13. in fine: vide ibi, & interim ad rem.

19 Observa doctrinam D. Bonaventuræ, quam tenuit, & probavit eadem S. Congr. *ad Constit. Urbani VIII. la* 51. *Bull. tom.* 4. ibi §. *si quis in talibus &c. Si, me petente eleemosynam, aliquis dives promittat, quòd singulis annis velit dare Fratribus duas Tunicas, vel tantùm unicam, vel singulis hebdomadibus tòt panes, & hoc committat officialibus suis, ut jure sui ista dent, etiam eo absente, & hoc pro Fratribus recipiam: vel etiam, si illi negligant dare, admonendo exigam; numquid propterea certos redditus habere dicendi sumus? Cùm non ex jure, sed ex gratia solùm talem eleemosynam recipiamus, vel exigamus.*

Et si post obitum illius, uxor ejus, vel alii amici pro anima illius adhuc velint pro aliquo tempore talem nobis eleemosynam per se, vel ex dispositione illius largiri, possumus similiter accipere ex tali gratia, ita quòd, quandocumque nollent amplius ista dare, nihil peteremus ab eis: quasi ex debito, sed more Mendicorum recurreremus ad domum clementis Domini pro quotidiana eleemosyna, quamdiù illi placeret: sed quando plus nollet, discedimus vacui gratias agentes de dato, non murmurantes de negato. Hæc est vera, & pura vita Mendicorum: quod datur, ex gratia recipere, non ex jure. Hujusmodi punctualiter observentur in recipiendis Legatis, vel præstationibus ab hæredibus Testatorum liberè oblatis, & datis per modum manualis eleemosynæ in mercedem laboris, vel stipendium celebrationis Missarum.

20 Sed quid dicendum de Legato relicto *pro Missis perpetuò celebrandis in Capella Conventus eorumdem Fratrum, sive per viam Capellaniæ, sive alio modo, ut, si Testator dixerit:* Relinquo trecentum scuta meæ Capellæ existenti in Ecclesia sancti Francisci, quæ debeant in re fructuosa, vel censibus investiri, & ad ratam fructuum per Fratres ejusdem Conventus in perpetuum tot Missæ celebrari in suffragium animæ meæ.

Resp. Hujusmodi Legatum in dictis terminis expressum censetur factum ipsis Fratribus, & eorum contemplatione in fraudem paupertatis, ut magistraliter scribit Bald. *in Auth. Ingressi num.* 5. *vers. eidem dicit*, & Ancharanus in Clem. *num.* 6. *de verbor. signific.* quos sequitur Fagn. in 3. *ad cap. Nos quidem de testament. numer.* 65. Nam, ut constat, Legatum non est factum hæredibus; ergo Fratribus directè: & hinc est evidens ipsorum incapacitas. Nec obstat, quod à Testatore nominetur ipsius Capella: nam hoc casu Capella sumitur pro Collegio Fratrum, non pro ædificio, & parietibus, qui sunt quid materiale, & insensatum, nec capere, nec velle possunt, Quemadmodum Fratribus ipsis factum præsumeretur, si esset factum ipsorum Ecclesiæ; nam in eorum utilitatem stipendia Missarum cederent, & certo, & non in eleemosynam annuatim reciperent: & ita eorum relevaretur paupertas; certumque redditum haberent, contra professionem, quam emittunt.

21 Et quamvis legatum impleri non possit per dictos Fratres modo à Testatore præscripto, propter ipsorum incapacitatem ad annuos redditus; & hoc tamen non efficitur caducum, sed debet ab Episcopo à modo illicito purificari, transferendo capitale in alium locum pium, vel hæredes: ut ex fructibus in eleemosynam tradant Fratribus, vel aliis stipendia pro Missarum celebratione, ut ita mens Testatoris adimpleatur eo modo, quo potest, & debet. Ponderandum est enim, quod licèt Legatum sit factum sub modo illicito, non est propter se, & absolutè nullum, per Fagn. ibidem *num.* 24. nec continet aliquod turpe, sed est factum ad pias causas, & favore animæ; ad quod incapacitas Fratrum non est propter delictum, sed propter zelum Dei, ideò impleri debet modo possibili. Hæc procedunt univocè ad doctrinam Scribentium.

Atque ita est adeò verum, dicta Legata cum onere Missarum, non obstante incapacitate Fratrum, non esse omnino nulla, & caduca, ut tunc intret facultas R. Fabr. S. Petri, ut dixit Rota *in* 2. *decis. in Turritana legatorum.* referens resolutionem Congr. ipsius Fabricæ ibi *n.* 8. *ut infrà.*

Declaramus hujusmodi, quæ à principio personis incapacibus facta sunt, sive ex post facto incapaces sunt reddita, non ad hæredes gravatos, seu alios obligatos spectare, seu ut caduca ab eis vindicari posse, sed ad Fabricam ipsam &c. Intelligas in locis, in

in quibus introductum est hoc Tribunal. In aliis verò possunt Episcopi ad praxim reducere disposita à Trid. *sess. 22. cap. 5. de ref.* Verùm, ubi agitur de legatis dictis Fratribus relictis, crederem recurrendum esse ad S. Congr. Conc.

22 Sed quid etiam: testator *legat Fratribus, ut annuatim percipiant aliquem redditum: & in casu incapacitatis ipsorum prohibet, nè Papa Legatum in alios usus convertat, & in casu commutationis apponit pœnam ademptionis legati?*

Resp. Quòd hujusmodi legatum sit Fratribus modo illicito factum, est certum, cùm sit in præjudicium puritatis Regulæ ipsorum, quæ tota fundatur, ut vivant in paupertate, & sine certis redditibus. Cæterùm ad quæstionem revocare, an Papa possit ipsum in alios usus convertere, non est Doctoris Catholici. Nec est attendenda prohibitio commutationis, & pœna illi adjecta, quia, cùm contineat turpitudinem, non tenet, & habenda est pro non scripta, & non adjecta, *l. quæ sub conditione, l. conditiones quæ, l. conditiones contra ff. de condit. inst.* Ac est apposita contra text. in Clementina, *Quia contingit de relig. domib.* Et hinc, quia asserta prohibitio detrahit supremæ Authoritati Summi Pontificis, est scandalosa: & ut de jure impossibilis, est reiicienda.

23 Quæritur. *An valeat legatum annui redditus factum infirmariæ Fratrum Min. de Observ. ad effectum occurrendi necessitatibus infirmorum, per præstationes legati expendendas in pane, vino, medicamentis, & linteaminibus.*

Resp. Si legatum sit primæ conditionis, ut eiusdem proprietas sit apud Fratres, de quo *supra num.* 18. resolvitur negativè. Nam dictis Fratribus annui redditus sunt absolutè prohibiti in d. *Clement. Exivi §. Cùmque*. Neque intrat exceptio pro infirmis, quibus est alia via succurrendum; Quinimmò, si Minoribus liceret pro usu infirmariæ recipere annuos redditus, aperiretur via fraudibus, & eorum paupertas præiudicium pateretur.

Si verò legatùm sit secundæ speciei, & onus tribuendi annuas præstationes pro infirmis sit apud hæredes, vel alium locum pium, dicimus legatum valere, iuxta *cit. eodem num.* 18. & Fratres ad illud habere capacitatem. Quod tenuit Sac. Congreg. Concilii in Romana donationis pro pane albo ministrando infirmis in Conventu de Aracæli *die* 24. *Junii* 1663. Et dixit Rota in *Turritana Legatorum coram Emerix de anno* 1695. 1696. apud Monacellum *part. 2. form. in append.* per extensum. Sed plura debent servare, ut securitate conscientiæ procedant.

24 I. Ut protestationem præmittant, se nil iuris ad id habere, vel prætendere.

II. Ut præstationes legati ab hæredibus recipi possint per modum eleemosynæ, & non per viam annui redditus, sibi aliquo titulo debiti.

III. Ut eas non exigant, nec in iudicio adversus hæredes procedant.

IV. Ut ad eas non recurrant, nisi cùm per mendicata ostiatim non potest commodè infirmis provideri.

V. Ut sint in moderata quantitate.

VI. Ut in alios usus non convertantur, quàm à testatoribus præscriptos, ad tradita *in d.c. Exiit §. Quia verò*, ibi: *Cùm in prædictis casibus ad determinatam necessitatem* (ut prædicitur) *per aliquem pecuniam concedi contigerit, concedens pecuniam rogari possit à Fratribus, quòd si quid de pecunia ipsa (habita necessitate determinata) supererit, consentiat ipse concedens, quod residuum præfatæ pecuniæ in res alias pro aliis ipsorum Fratrum prædictis necessitatibus cõvertatur: quo non consentiente, prædictum ipsarum residuum (si quid fuerit) restituatur eidem. Caveant tamen Fratres, quòd sollicitè se coaptent, ut non plus scienter concedi consentiant, quàm verisimiliter æstimari possit rem necessariam, pro qua pecunia ipsa conceditur, valituram.*

VII. Ut in pecuniam non à Fratribus, sed à Syndico Apostolico recipiatur.

Quibus observatis, & concurrentibus, nec in fraudem paupertatis recipiuntur, nec eorum relevatur mendicitas.

Instabis cum Fagnano *in 2. ad cap. in præsentia de probat. num.* 56. Pro necessitatibus infirmorum Regula *cap.* 4. permittit recursum ad amicos spirituales pro eleemosynis manualibus, & in Clement. §. *Poro cum dictus*, ibi: *Cum recursus ad amicos spirituales pro pecunia, dummodò ab eis non recipiatur, in duobus tantùm casibus secundùm Regulam concedatur, pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendis*: quæ provisio fuisset inanis, & elusoria, si pro usu

infir-

infirmorum liceret Fratribus annuos redditus habere.

Confirmat. ex quo omnes consentiant pro Fratribus induendis non licere ipsis habere annuos redditus, ergo nec pro infirmorum necessitatibus; hujusmodi enim necessitates in Regula æquiparantur.

25 Resp. Et nos fatemur non licere dd. Fratribus habere annuos redditus per modum redditus, & tanquam aliqua civili ratione, & jure sibi debitos. Negamus tamen non posse ab hæredibus testatoris recipere per modum eleemosynæ, quidquid ex testatorum dispositione voluerint hæredes eis liberè dare, juxta prætactas SS.Congr. declarationes, & doctrinam D. Bonaventuræ, ubi suprà *n.* 19. Sed Fratres non debent recurrere, nisi servatis limitationibus superiùs enunciatis, & proindè videntur parificari cum mendicatis humiliter, & oblatis liberaliter, ad quæ licet Fratribus ad sui sustentationem recurrere, per *d. c. Exiit §. nec quidquam.*

Et cùm Fagnan. ex Clementina ait non posse recurrere ad amicos spirituales, nisi pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendis, fortè textum ex integro non ponderavit, in quo pro aliis necessitatibus talis recursus conceditur; textus enim subsequitur. *Idque piè, & rationabiliter, considerata necessitate vitæ, ad alias necessitates Fratrum pro tempore occurrentes, cessantibus eleemosynis, seu etiam ingruentes, sæpè dictus Prædecessor noster duxerit extendendum.* Necessitates autem debent præsentes esse, vel præteritæ, ut *c. Exiit §. Caterùm cum, vers. dicimus*: vel imminentes, ut ibi *§. & quia oportet.*

26 Ad confirmationem patet ex dictis: & additur factum optimè concludens. S. M. Innocentius XII. 30. *Maji* 1696. Constit. incip. *Cùm sicut*, suppressis quibusdam legatis cum onere Missarum Fratribus directè relictis, & propterea incapacibus, transtulit capitale, existens in locis montium, in proprietatem Populi Romani, ut quolibet anno fructus in eleemosynam liberè erogaret pro vestimentis Frat. Conventus de Aracœli: quos in eleemosynam (etiam ab aliis sic oblatos) posse Fratres per Syndicum recipere, adhibita dicta cautela, non videtur dubitandum, ad præscriptum superiorum declarationum.

27 Hucusque adducta procedunt etiam de legatis factis pro Divino Cultu: ut, si hæredibus relinquatur onus, ut quovis anno dent Fratribus frumentum pro hostiis, vinum pro Sacrificio, aut pecuniam pro luminibus, & sacra Supellectili per Syndicum expendendam. Quia per hujusmodi legata Fratrum mendicitas non relevatur, ut tenuit Rota *cit. coram Emerix.* Nec possunt in alios usus converti, quam à testatore præfixos: & in eleemosynam absque ullo debito recipiuntur: sed excessus in quantitate debet vitari. Et possunt hæc non per Fratres, sed per Syndicum in judicio exigi, ut expressè Sac. Congreg. ubi supra *num.* 8. *ad* 2.

Dices. Si Syndicus pro consecutione legatorum potest officium Judicis implorare, legata, & eleemosynæ sic receptæ non retinent qualitatem liberæ legationis hæredum, sed inducunt naturam debitæ præstationis annuæ.

Resp. Non dicimus posse Syndicum per quæcumque legata officium Judicis implorare, sed solùm pro illis factis pro Divino Cultu. Nam hæc legata sunt debita, prout in voto Rotæ *in d. Turritana legatorum.* quod ex Monacello cit. hìc exemplavi.

Rota per rationes deductas in postrema ex suprascriptis decisionibus, est in voto, legata, de quibus agitur, & deberi, esse adimplenda juxta modum in ea expressum. Primò *nempè, deberi, & esse adimplendum legatum relictum Capellæ majori pro oleo lampadis.* Secundò, *absolutè loquendo, non deberi legatum pro sindonibus relictum ad usum infirmariæ, sed esse adimplendum ex parte hæredum, seu executorum in ipsamet specie, & juxta majores, vel minores indigentias ejusdem infirmariæ arbitrio Ordinarii, seclusa ex parte Fratrum quavis instantia, & facta priùs per ipsos solemni protestatione se nullum jus habere ad illius consequutionem.* Tertiò *demùm, reliqua legata pro anniversariis, & Missis similiter non deberi; sed nihilominùs teneri hæredem, seu executorem ad eorum implementum, committendo celebrationem Missarum, vel ipsismet Fratribus, vel aliis, juxta rationabile arbitrium eiusdem Ordinarii: qui ulteriùs possit, si rei necessitas exigat, applicare Archidiacono partem proventuum ad hunc effectum relictorum, iniuncta illi proportionabili Missarum celebratione, prout latiùs declaratur in eadem postrema decisione.*

28 Sed,

28 Sed, cùm circa sacras supellectiles in Seraphicæ humilitatis perniciam, & Franciscanæ paupertatis præiudicium, adeò excreverit aliquorum particularium Fratrum licentia, eisdem considerandum exhibeo, quid super eo in d. Clement. §. *Quamvis* Clemens V. præfixerit, ibi: *Quamvis etiam* (ait) *paramenta, & vasa Ecclesiastica ad honorem Divini Nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus: tamen, qui absconditorum est cognitor, ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum, nec per illa sibi vult serviri, quæ suorum servitorum conditioni, & statui dissonarent: propter quòd sufficere debent eis vasa, & paramenta Ecclesiastica decentia in numero, & magnitudine sufficientia competenter; superfluitas autem, aut nimia prætiositas, vel quæcumque curiositas in his, seu aliis quibuscumque non potest eorum Professioni, vel statui convenire; cùm hæc enim sapiant thesaurizationem, seu copiam, paupertati tantæ quoad humanum judicium derogant manifestè: quapropter præmissa servari à Fratribus volumus, & mandamus*. Hæc memoriæ mandentur, & levitati plurimorum Fratrum dicti Ordinis, ad quos diriguntur, sint in remedium. Quamvis dd. Fratres possint iuxtà Constit. Leon. X. Const. *Merentur. 6. Bullar. tom. 1.* habere magnifica ornamenta Ecclesiastica, absque suæ Professionis macula; quia eorum custodes tantùm sunt, non possessores; proprietas enim spectat ad Sedem Apostolicam, sine cuius licentia alienari non possunt: tamen optandum esset, ut in dd. ornamentorum usu ad textum Clementinæ se regerent.

29 Quæritur. Testator instituit Fratres Min. de Obser. hæredes, hac conditione, ut bona hæreditaria vendantur, & pretium erogetur in reparatione Ecclesiæ, constructione Capellæ, & sacra supellectili; petitur, an huiusmodi Institutio sit valida?

Pro validitate Institutionis ponderatur. I. Quòd bonorum ius, & dominium in casu non remanet apud Fratres, cùm debeant vendi, & pretium erogari ad præfinitos usus.

II. Quòd in casu nullum præiudicium irrogatur puritati Regulæ ipsorum Fratrum: quæ tota fundatur, ut vivant in paupertate, & proprium non habeant: versaturque circa victum, ut illum dietim eleemosynaliter quærant, non tamen vult, nec disponit, ut Ecclesiæ non reparentur, ut Capellæ non ædificentur, ut non habeant paramenta, Calices, & similia.

Sed, his non obstantibus, Institutionem non posse sustineri est indubitatum per expressa in *d. Clem. d. §. Cupientes*, ibi: *Quia igitur in successionibus transit non solùm usus, sed & dominium suo tempore in hæredes: Fratres autem præfati nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possunt, etiam in communi, declarando dicimus, quòd successionum hujusmodi, quæ etiam ex sui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia se extendunt (considerata sui puritate voti) nullatenus sunt capaces*.

Nec vis est ponenda in eo, quòd bona debeant vendi, & ita dominium non sit apud Fratres, nec aliquid Ordini acquiratur. Quoniam, cum dictio *nullatenus* sit universalis negativa, & idem importet, quod nullo modo, efficit, ut Fratres sint simpliciter incapaces Successionis, & Institutionis, in quacumque parte, etiam minima: etiam si addatur modus, aliàs licitus.

30 Maximè considerando, quòd licèt Institutio ad effectum vendendi non repugnaret Regulæ in his, quæ pertinent ad dominium, possessionem, vel usum rerum; tamen, quia in Fratres sic institutos (qui nunquam desinunt esse hæredes) transeunt actiones activè, & passivè, aliis titulis eis esset interdicta; cùm enim tenerentur exonerare conscientiam defuncti, *c. in litteris de raptoribus*, ac *de evictione* pro re vendita per executorem Testamenti: & *de facto, ac contractu* defuncti, etiam ultrà vires hæreditatis, (prout quisque hæres tenetur, si Inventarium non confecerit, & ubi non possidet, potest conveniri, etiam actione personali, etiam in foro, & loco defuncti, ut post alios dixit Fagn. in 5. *ad cap. Nimis prava de excess. Prælat. num. 38.*) quomodo possent dd. Fratres ea, & similia implere, quæ ab hæredibus præstari oportet? Prohibentur litibus, & Curiis sæcularibus se immiscere, d. Clement. §. *Ampliùs*, ibi: *Nullo modo debent hujusmodi voti, & Regulæ Professores talibus Curiis, & litigiosis actibus immisceri, ut & testimonium habeant ab his, qui foris sunt, & puritati satisfaciant voti sui, & evitetur per hoc scandalum pusillorum*. Tum quia, supponatur eos adiisse hæreditatem, & bona esse di-

distracta, ac pretium erogatum in usum Fabricæ, vel Sacristiæ, aut eorum necessitates. Quis erit obstrictus ad debita hæreditaria? Qua ratione erit creditoribus consultum? Quis exonerabit conscientiam defuncti? Quis tenebitur de evictione, si bona hæreditatis distracta evincantur? Non Fratres, quorum mendicitas est tanta, ut omnem actionem excludat, & reddat inanem. Quapropter Gloss. in *d. Clement. in verb. item*, dixit: Item non possunt capere, etiam ut vendant.

Propter quæ patet non urgere in contrarium relata. Et ulteriùs observandum, quòd opera charitatis non debent exerceri modo illicito, per quem Fratres inducantur ad Regulæ transgressionem, sed modo præfixo in *d. cap. Exiit §. quia verò puritatem*, ibi: *Non enim verisimile est, aliquem eleemosynæ suæ sine expressione modum illum præfigere, per quem, & donans merito, vel illi, quorum necessitatibus intendit, per donum hujusmodi providere, vel effectu doni, vel suæ conscientiæ puritate fraudentur*. Prædictis autem necessitatibus potest per viam oblationum, & Legatorum, quorum sunt Fratres capaces, provideri.

Nec obstat *d. cap. Exiit §. Ad hæc quia*, ubi dispositum est esse Fratribus subveniendum per officium Judicis, quando Executores essent negligentes. Nam textus procedit in Legatis modo licito factis, ibi *Ad quæ Legata solvenda, tam hæredes Testatorum, quàm Executores se liberales exhibeant, & etiam Prælati, & Seculares, quibus de jure, vel consuetudine provisio ista competeret (cum expedierit) se ex officio suo promptos exhibeant ad pias voluntates deficientium adimplendas: nam & nos etiam per modos licitos, & Fratrum Regulæ congruos intendimus providere*.

Propterea dixit Bartol. *in tract. Minor. lib. 1. dist. 1. c. 2.* Testamentum, in quo Fratres instituuntur hæredes, esse nullum, & hæreditatem deferri venientibus ab intestato, nisi adsit cohæres, vel substitutus, adeòut nec illi in foro conscientiæ teneantur hereditatem Fratribus restituere. Et Auctores in contrarium scribentes sunt intelligendi non loqui de Fratribus Min. incapacibus, sed de pauperibus, vel alia pia causa, quibus per officium Judicis subvenitur, Fagn. *cit. numer.* 41.

31 Sed quid, si *Testator hanc apposuerit clausulam: & quatenus ex aliqua causa Institutio non valeat, dd. Fratribus jure Legati omnia mea bona ad præfinitos effectus, vel alias necessitates relinquo?*

Resp. Neque in his terminis Legatum potest à Fratribus recipi, nam sunt incapaces Legati universalis, ut expresse Clement. §. *Cupientes, vers. Nec licet*, ibi: *Nec licet valorem hæreditatum talium, vel tantùm earum partem, quòd præsumi posset hoc in fraudem fieri, quasi sub modo, & forma Legati sibi dimitti facere, vel sic dimissa recipere; quin potiùs sic fieri ab ipsis simpliciter prohibemus*.

Quæ fuit sententia Sacr. Congr. Concil. apud Fagnan. *cit. num.* 46. quæ consulta super casu, in quo Testator instituerat Fratres Minores sancti Fracisci hæredes adjecta clausula: *quòd si forsan aliquo modo essent incapaces dictæ hæreditatis, tunc bona cederent Monasterio pro augumento fabricæ, & alimentis Fratrum: censuit simpliciter respondendum, Fratres esse incapaces, quid autem faciendum esset de hæreditate, non esse Congregationis definire, sed adeundos Judices ordinarios*.

32 Dices Sac. Congr. Concil. apud Fagn. *ibid. num.* 31. interrogata, an Fratres possent sibi vendicare annuos redditus sibi relictos, non quidem, ut eo modo, quo relicti erant, singulis annis perciperent, sed ut venderent, & pretium in necessitates Fratrum converterent? *Censuit, Fratr. mendicantes Ordinis Minor. de Observant. esse incapaces annui redditus Legati, cùm inter immobilia reputetur, Clement. Exivi de* verbor. signific. §. Cumque annui redditus. *Cæterum valere immobilium Legatum eis factum sub modo licito, nempè, ut vendant, & pretium convertant in Ecclesiæ necessitates; & idem, si modus non sit adjectus; nam sub modo licito relictum intelligitur;* ergo tale Legatum, quamvis rei immobilis, valet.

Resp. negando consequentiam: Sac. Congreg. loquitur de Legatis particularibus, ut, si ipsis legetur vinea non ad excolendum, vel domus, non ád locandum, quia sub istis modis prohibetur, *d. cap. Exiit §. Ad hæc;* sed, ut per personas idoneas vendantur, & pretium erogetur in Fratrum necessitates, ut ibid. *vers. Si verò modum licitum;* non verò de Legato universali, cujus Fratres ex *alleg. Clemen.* sunt incapaces.

ces. Referantur textus ad textus, & concordentur, ut sibi non contradicant.

Sed quid, si hæres instituēretur Fratrum Ecclesia?

Dicas ut suprà *num.*20. & videas Fagnan. *cit. num.* 43. negantem cum Baldo in Authentica *Ingressi num.* 55. institutionem valere.

33 An verò possit eorum Syndicus hæres institui, vel ei legatum relinqui?

Pro institutionis, & legati validitate, refertur dispositio in constitut. Pauli IV. Ex Clement. *la* 1. *in Bullar. tom.* 1. ubi §. 11. quoad Syndicorum facultatem legitur: *Qui res ipsas, & ipsorum pretium, & prædictas eleemosynas nomine Romanæ Ecclesiæ, (ad quam rerum omnium mobilium, & immobilium, quibus Fratres uti possunt, jus, proprietas, & dominium, nullo medio spectat) recipiant, & recipere possint, & debeant per eosdem in Fratrum ipsorum utilitates, etiam pro victu, & vestitu eorum, & reparatione Conventuum, quando fuerint à Superioribus respectivè*, hoc est, à Generali pro toto Ordine, Provinciali pro Provincia, & Guardiano pro Conventu) *requisiti, convertenda*: ut ibi *text.*

Sed vera resolutio est, ut sint nulla, ad præscripta Sac. Congreg. ubi *suprà num.* 19. §. *Cum annuos* redditus, & ibid. *Inhibemus autem, nè Syndicus in sua persona hujusmodi annuos redditus recipiat, distribuendos ipsis Fratribus.*

Nec producta ex Constitutione Pauli urgent; quoniam ibi tribuitur facultas Syndicis, ut disponant de rebus modo licito dictis Fratribus relictis, oblatis, & legatis, ut ibi *textus*: nec possunt ad Judices recurrere nisi in casibus, & ad formam præscriptam in declarationibus, prout suprà *num.* 7. 8. & 10. *ad* 2. videndis omninò, ne in praxi Fratres suæ sint Regulæ transgressores, & ad Judices recurrant in casibus non permissis.

34 Sed an Fratres possint mediis Syndicis se componere cum hæredibus, vel executoribus testamentorum pro summa, & quantitate pecuniæ, semel tantùm solvenda, & tradenda ad relevandas Fratrum necessitates.

Privilegium compositionis eo modo faciendæ super legatis, quorum Fratres sunt incapaces, legitur eis datum à Clemente VII. *const. Nuper.* 15. *ibid.*

Sed quoniam subinde ad d. Constitutionem editæ sunt præfatæ declarationes, videtur illud ab aula recessisse: nec iterum oponatur legata *const.* Pauli IV. quia in ea §. 10. facultas Syndicorum restringitur ad legata *secundùm modos licitos, & congruos ipsi Ordini relicta*, Atque ita exclusa censentur ea, quorum ipsi Fratres sunt incapaces.

35 Sed quid; relinquitur dd. Fratribus domus, vel pratum cum onere, quòd annuatim celebrent centum Missas, petitur, an sint capaces dicti legati?

Resp. Negativè, prout resolvit S. Congregatio Concilii 24. *Augusti* 1659. quæ censuit, *Fratres Conventus de Aracœli non esse capaces legatis bonorum stabilium, etiam sub onere Missarum; & proinde fuisse locum substitutioni Fratrum Conventualium, Sanctorum duodecim Apostolorum.*

Et dum fuisset propositum dubium, an, facto legato scutorum mille pro Missa perpetua dd. Fratribus possent isti eam summam convertere in Fabricam, & in se accollare onus Missarum? *die* 15. *Novembris* 1697. fuit ab eadem responsum, *negativè*, quia erogatio dictorum scutorum mille deberet fieri in stabilibus, quæ Fratres habere non possunt.

An verò possint nomine Syndici bona stabilia retinere?

Resp. Negativè juxta superiùs dicta, & resoluta à Sac. Congregat. *Fabricæ in Æsina legati* 26. *Novemb.* 1692. quæ *censuit Franciscanos Observantes*, qui *prætendebant stabilia nomine Syndici, esse incapaces ad ita retinendum*. Petra *tom.* 2. *Coment. ad const. Apost. ad const.* 5. *Honor. III. sect.* 4. *num.* 29.

36 Quæritur. Titius *in suo testamento nominat hæredem Cajum suarum facultatum, ei expressè injungendo, ut quolibet die teneatur dd. Fratribus in eleemosynam tradere unum julium, ut ita propriæ mendiciati succurrant; petitur, an dd. Fratres possint d. illam eleemosynam per Syndicum recipere, & Cajus teneatur eam illis erogare?*

Resp. affirmativè. Quod apertissimè constat ex sæpè dictis, Fratres nimirum posse per viam puræ, simplicis, & manualis eleemosynæ recipere ab hæredibus legata à testatore relicta. Observandum enim est, quòd in terminis dictæ dipositionis non oritur in Fratribus aliquod jus ad rem,

sive

sive in re ad bona Titii; sed solum gravatur hæres, & cum onere ei hæreditas relinquitur, ut de die in diem dictam eleemosynam ipsis eroget. Quare S. Congr. Concil. proposito dubio in similibus terminis in Salernitana eleemosynarum die 14. Jun. 1704. rescripsit, Observentur Decreta Rev. Fabricæ emanata die 14. Febr. 1633. hoc est, recipiant per modum eleemosynæ. Et inde patet Legata dd. Fratribus facta per modum eleemosynæ sustineri. Occasione autem dictæ dispositionis hæc notari possunt.

I. Quòd Cajus obligatione conscientiæ tenetur implere mentem Testatoris.

II. Quod Fratres nihil sibi acquirunt.

III. Quòd Fratres, licèt sint incapaces Legatorum modo illicito relictorum, & transferentium dominium, & possessionem apud ipsos, non dicuntur tamen incapaces eleemosynarum.

IV. Quòd, cum obligatio sit in hærede, tam Syndicus Apostolicus, tanquam unus de populo, vel alius, potest comparere, & implorare officium Ordinarii, ut demandet executionem Testamenti, & impleatur mens Testatoris; ut articulo discusso, dixit Rota in d. Turritana Legat. Et dum Syndico, etiam tamquam uni de populo, denegatur actio, intelligitur quantùm ad Legata (etiam victus) ex quibus aliquod jus ipsis Fratribus resultat.

37 Cæterùm dd. Fratres, habita Legatorum notitia, tenentur protestationem præmittere; cuius formula fuit à d. S. Cong. ab Urbano VIII. *consult. Fratr. Minor. de Observ. præposita*, canonizata, ut infrà. Nos *Frat. N. Guardianus, & Fratres Discreti huius Conventus Nostri dicimus, ad nostram notitiam pervenisse, N. de N. certam eleemosynæ quantitatem, conventui huic distribuendam perpetuò gratis, vel forsan pro aliquibus Officiis, & Missis dicendis legasse. cùmque Legata huiusmodi, nisi per viam simplicis eleemosynæ acceptare ex Instituto sancto nostro, & jure nobis non liceat; ideo per præsentes liberè protestamur in Domino quòd Legatum prædictum, tamquam illius incapaces, ex vi Legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen Hæres, Commissarius, aut Legatarius ipsius Testatoris dictam quantitatem per viam simplicis eleemosynæ, omni obligatione, dominio, & proprietate pœnitùs cessantibus, nobis liberè conferre voluerit, illam simpliciter accipiemus, & piæ Testatoris voluntati, quantùm in nobis fuerit, plenè, & fideliter satisfaciemus*. Hæc autem protestatio subscripta per Guardianum, & Discretos Conventus, dabitur illi qui tenetur Testatoris voluntatem implere: quæ scribenda est in libro Conventus, ut de eo constare possit succedentibus Guardianis.

Official. Cur. Eccl.

Est autem protestatio necessaria, ne, ut ait D. Bonaventura, *ab ignorantibus nostrum Institutum, Regulæ nostræ transgressores judicemur. In Bullar. citat. ad dict. Constitut.* 51.

38 Tandem colligas, quòd Legatum Fratribus Minoribus modo licito factum esse censetur.

I. Cùm factum est, ut vendatur, & pretium convertatur in causam à Legante volitam.

II. Aut cùm fit hac lege, ut præstatio fiat ab hæredibus; à quibus per modum manualis eleemosynæ possunt Fratres ipsa Legata recipere: modo non sint in magna quantitate, & in fraudem paupertatis, adeò ut fraus fiat ipsorum mendicitati, & inde in eo statu ponantur, ut necessitatem mendicandi non habeant. Quare, licèt possint per seipsos licitè recipere ab hæredibus Legata rerum mobilium, frumenti, vini, olei &c. & pecuniarum per Syndicum; numquam tamen debent ad ea jus prætendere, neque ipsa recipere, cum ex eo reddantur tuti, & certi de eorum victu, & vestitu, sine necessitate quæstuandi, ut post alios Petra *comment. to. 2. ad Constit. 5. Honorii III. sect. 4. num.* 32. Quæ est cautela omninò tenenda, & consulentibus danda.

CAPUT XXXI.

Officialis quoad Litteras Apostolicas.

SUMMARIUM.

1 *Quid veniat appellatione Bullæ?*
2 *Referuntur 12. modi, quibus possunt Litteræ Apostolicæ falsificari.*
3 *Diligentia adhibenda ab Executoribus Litterarum Apostolicarum.*
4 *Incurruntur pœnæ, tam à falsantibus per se, quàm per alios: & tam ab iis*

Q qui

qui semel, quàm qui pluries falsarunt.

5 *Quarum Litterarum falsitas pœnas concludat.*

6 *Utentes falsis Litteris punitur; sed distinguitur inter Clericos, & Laicos.*

7 *Sed quid dicendum de retinente apud se Litteras falsas?*

8 *Et quid de impetrante Litteras per subreptionem, vel obreptionem?*

9 *Quid si rescriptum esset impetratum per subreptionem, vel obreptionem?*

10 *Etiam Episcopi Litteras Apostolicas falsantes, sunt excommunicati in Bulla Cœnæ.*

11 *Etiam falsantes Litteras S. Pœnitentiariæ ligantur pœnis falsariorum Litterarum Apostolicarum.*

12 *Carens jurisdictione, invalidè judicat, & dispensat, usque ad 19.*

20 *Potestas ad dispensandum à Papa data Episcopo, isto mortuo, transit ad successorem, nisi sit electa industria personæ.*

21 *Referuntur tres modi, quibus solet Episcopis negotium, vel causa delegari.*

22 *Quando possit Vicarius Generalis cognoscere de commissis Episcopo.*

23 *Plura sunt, in quæ Episcopus habet authoritatem ordinariam, & tamen sine speciali mandato Vicarius non potest in illis se ingerere.*

24 *In causis Episcopo delegatis Vicarius non potest procedere, nisi ei specialiter committatur.*

25 *Quando censendum sit electam esse industriam personæ; & de clausulis, quibus id exprimi solet, usque ad numer. 28.*

29 *Vicarius ex vi suæ deputationis est Judex Ordinarius in eodem Tribunali cum Episcopo.*

30 *Clausula*, dummodò S. Canonibus, & Trid. Decretis non adversentur, *exponitur, usque ad 33.*

34 *Lectores Jubilati Ordin. Min. Observ. possunt exequi Litteras Sac. Pœnitentiariæ.*

1 Notandum est, appellatione Litterarum Apostolicarum venire Litteras, quæ à Romanis Pontificibus eduntur. Quarum aliquæ dicuntur Bullæ, seu Litteræ bullatæ; denominationem desumentes à Bulla plumbea, hoc est, sigillo plumbeo, quod imaginibus Sancti Petri, & Pauli insculptum, & filo insertum, eis appenditur; quæ non dicuntur expeditæ, nisi quando in plumbo sunt, ut tenuit Rota in Salmantina Parochialis mense Novembris 1539. coram Marcello Crescentio, apud Fagnan. in 5. *ad c. Licèt de crim. fal. numer. 6.* Et ex integro important *pergamenum, filum*, & *plumbum*. Hasque Bullas Apostolicas dicimus: quarum aliquæ dicuntur Litteræ in forma Brevis, quibus non Bulla plumbea filo appenditur, nec sub plumbo expediuntur, sed sigillum ex cera rubra, eorumdem Apostolorum imagines referens, eis appingitur.

2 Quæritur, quot modis possint Litteræ Apostolicæ falsari?

Plures species falsitatis, modique probandi, congnoscendive falsitatem Litterarum Apostolicarum, ponuntur in *cap. Licèt, de crim. fal.*

I. Si falsa Bulla falsis Litteris apponitur hoc est, si adulterinum sigillum falsis Litteris appendatur.

II. Si Sigillum de una Bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immissum, falsis Litteris inseratur; hoc est, si cum vero Sigillo falsæ Litteræ sigillentur.

III. Si filum ab ea parte, in qua charta plicatur, incisum cum vera Bulla falsis litteris immittatur, sub eadem plicatura cum filo similis canabis restauratum.

IV. Cum à superiore parte Bullæ, altera pars fili sub plumbo rescinditur, & per idem filum Litteris falsis inserta, reducitur infra plumbum. Prætacti modi continent varios modos applicandi verum Sigillum falsis Litteris.

V. Cùm Litteris bullatis, & redditis, in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur.

VI. Cùm scriptura Litterarum, quibus fuerat apposita vera Bulla, cum aqua, vel vino universaliter abolita, seu deleta, eadem charta cum calce, & aliis juxta consuetum artificium dealbata, de novo rescribitur.

VII. Cùm chartæ, cui fuerat apposita vera Bulla, totaliter abolitæ, vel abrasæ, alia subtilissima charta ejusdem quantitatis scripta cum tenacissimo glutino conjungitur.

VIII. Cùm

VIII. Cùm scienter Litteræ Apostolicæ recipiuntur non de manu Pontificis, vel Officialis ab eo Deputati. Sed hodiè ex stylo Curiæ, & Papa sciente, absque transgressione d. capitis recipiuntur per manus Procuratoris, vel Agentis, aut negotiorum Gestoris à Principali deputatorum, quas ipsi de manibus Officialis Papæ recipiunt.

IX. Cum falsæ Litteræ miscentur cum veris, & vero Sigillo, æquè ac veræ, sigillantur, ibidem §. *Illos*: sed ibi textus subdit: *Sed hæ duæ species falsitatis non possunt facilè comprehendi; nisi, vel in modo dictaminis, vel in forma scripturæ, vel qualitate chartæ falsitas cognoscatur. In cæteris autem diligens indagator* (sequitur textus) *falsitatem poterit intueri, vel in adjunctione filorum, vel in collatione Bullæ; præsertim si Bulla non sit æqualis, sed alicubi magis tumida, & alibi magis depressa.*

X. Dicuntur Litteræ falsæ, si in eis Episcopus appellatur Filius: vel si Papa uni loquitur in plurali, *ex cap. Quàm dict. tit.* ibi: *Cum scire debeas Apostolicam Sedem, consuetudinem in suis Litteris hanc tenere, ut Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos*, Fratres: *cæteros autem, Reges, Principes, vel alios cujuscumque Ordinis*, Filios, *in Nostris Litteris, appellamus. Et, cum uni tantùm personæ Nostræ Litteræ diriguntur, nunquam ei loquimur in plurali: ut, Vos*, sive Vester, *& his similia in ipsis Litteris apponamus.*

XI. Falsæ præsumuntur, si habeant in se vitium latinitatis, per *c. ad audientiam il* 1. *de rescript.* Nam Litteræ Apostolicæ magna maturitate, & diligentia expediuntur, & per multas manus transeunt; nec verisimile est, ut aliquis ex Officialibus non videat falsam latinitatem.

XII. Falsæ reputantur, si aliquid reprehendendum sit in Bulla, Charta, vel Litteris, ad text. *in cap. Cum olim, il* 1. *de privileg.*

3 Propterea Prælatus, ad quem spectat recognoscere, an Litteræ Apostolicæ legitimæ sint, ne veras pro falsis, vel falsas pro veris ad usum admittat, debet diligenter inspicere, & considerare, tam Bullam, filum, & chartam, quam ceram, stylum, & dictaturam, ut expressè præcipitur *d. cap. Quam in fin.* & memoriæ committere versus, quos Glos. refert alleg. *cap. Licèt*, in quibus modi falsitatis Litterarum Apostolicarum enunciantur, ut sequitur:

Forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum.

Hæc sex falsata dant scripta valere pusillum.

Cum verò *cap. Ex conscientia dict. titul. de crim. fals.* dicitur propter paucarum Litterarum rasuram rescriptum Apostolicum non probari falsum: DD. notant id procedere de abrasione facta per publicos Ministros, & Officiales, ad quos spectat Litteras Apostolicas scribere, & fortè erratum est, ut non concordent cum supplicatione; ut in terminis Fagnan. in 5. *ad dict. cap. num.* 7. & Gonzalez in 2. *tit.* 22. *cap.* 3. cum concordantibus *in cap. Ex Litteris, de fid. instrument.* Quicumque alius punctum, vel litteram unicam addat, vel cancellet, mutet, vel componat, reddit Litteras falsas: & sic radens incurrit pœnas Falsariis statutas, ibidem Fagnan. *num.* 8. Undè praxis esse debet, ut impetrantes Litteras, dum recognoverint, quòd ex inadvertentia Officialis aliquis error, vel in nomine, vel Patria impetrantis, & simili irrepserit, eas remittant ad Curiam Romanam, ut per Officiales, ad quos spectat, ad formam debitam, considerata matrice, & supplicatione, reducantur. Ibid.

4 Quæritur, quibus pœnis subsint Falsarii?

Respond. I. Incurrunt excommunicationem in *Can. 6. Bullæ Cœnæ.* II. Clerici sunt perpetuò privati officiis, & beneficiis, *cap. Ad falsariorum de crim. fals.* In Constitut. Innocen. X. incip. *In supremo la* 28. *Bullar. tom.* 4. omnes pœnæ per Canonicas Sanctiones in Falsarios statutæ innovantur, & aliæ adduntur. Quas omnes ipso facto incurrunt Litteras falsantes tam per se, quàm per alios, & quocumque modo, ac tempore, falsificationis participes fuerint: complices, fautores, & auxiliatores quicumque; etiam illi, qui unica tantùm vice, per se, vel alium, seu alios, unicum falsitatis actum commiserint; vel mediatores, aut auxiliatores fuerint; ubi textus.

Quarè, cum pœnæ de facto incurrantur, beneficia, & officia, quibus falsarii privantur, possunt absque alia citatione, & sententia, constito de delicto, aliis conferri Lotter. *de re benef. lib.* 3. *q.* 30.

5 Præfactæ autem aliæque pœnæ in Litteris Apostolicis contra Falsarios contentæ

sunt ad præscriptum d. Constitutionis Innocentii executioni mandandæ in Falsarios quoscumque.

I. Sive sint Falsarii Litterarum Apostolicarum, quæ sub plumbo solent expediri.

II. Sive Litterarum, quæ in forma Brevis sub annulo Piscatoris expediri consueverunt, tam gratiam, quàm justitiam continentium.

III. Sive supplicationum, cedularum, motus proprii, ac mandatorum de expediendo gratis, manu Romani Pontificis pro tempore existentis: vel per *concessum*, ab Officialibus, ad id pro tempore deputatis, respectivè signatarum, & signatorum.

IV. Sive omnium concessionum, in quibus adsit subscriptio Romani Pontificis, aut quorumvis Officialium, super quibus Litteræ Apostolicæ sub plumbo, vel in forma Brevis expediuntur, vel expediri consueverunt.

V. Sive Datarum, in præmissis ab Officialibus ad hoc deputatis apponi solitarum.

VI. Sive Registrorum Apostolicorum, originalium supradictorum.

VII. Sive Librorum Registrorum Apostolicorum, ut in *d. Const.* §. 1.

6 Quæritur. An scienter utentes falsis Litteris Apostolicis ab aliis falsatis, pœna aliqua ligentur?

Resp. Affirmativè, prout in *d.c. Ad falsariorum*, §. *Qui verò*, ibi: *Si Clerici fuerint, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis spolientur*: per sententiam Judicis, prout videtur importare illud verbum futuri temporis, *spolientur*: quod est juxta expositionem Innocentii, & Hostiensis in hunc textum. Si verò sint Laici, sunt ipso facto excommunicati; ut ostendunt verba illa textus, *diu maneant excommunicationi subjecti*.

Et quia textus concludit, ibi: *Ita tamen, ut in istis, & in illis malitia graviùs, quàm negligentia, puniatur*: ideò mitiùs punitur utens falsis Litteris cum ignorantia crassa, & supina, quàm cum dolo expresso: sed ignorantia non præsumitur, vel non excusat, ubi non præmittitur diligentia, quamvis debet adhibere: siquidem ex hoc fuit in culpa, cum non examinavit, nec à peritioribus quæsivit.

7 Sed quid, si quis nec falset, nec Litteris falsis utatur, sed solùm apud se retineat?

Resp. Si scienter retineat, & in termino dierum 20. non laceret, vel restituat, incurrit excommunicationem à Diœcesano latam, à qua nullus extra mortis articulum potest sine mandato Romani Pontificis absolvere, *c. Dura de crim. fals.*

8 Sed quid etiam, si quis impetret Litteras Apostolicas per subreptionem, aut obreptionem?

Videtur eadem pœna puniri, qua utentes falsis Litteris emendantur. Nam textus in *d. cap. Ad falsariorum*, eos, qui falsas Litteras impetrant, sed non exercent falsitatem, æquiparat illis, qui falsis Litteris utuntur, ibi: *De his, qui falsas Litteras impetrant, statuimus observandum*: Ergo eadem extenditur ad eos, qui per suggestionem falsitatis, vel taciturnitatem veri, à Papa Litteras impetrant.

Verùm eos non incidere in pœnas *d. capit.* est sententia communior. Et Cardinalis dixit, impetrantem rescriptum per falsi suggestionem, aut taciturnitatem, non incidere in pœnam falsi, sed carere impetratis, ut expressè text. *in c. Super litteris de rescript.* & tenetur ad omnia damna, & interesse. Excommunicatos verò non esse, qui per subreptionem, vel obreptionem Litteras à Papa impetrant, censent S. Antonin. Sylv. & Cajet. alleg. Fagnan. *ad d.c. Ad falsariorum num.* 55.

Nec obstat ratio in contrarium. Nam similitudo ibi ponitur solùm in modo puniendi, non in pœnis; & sensus est, quòd sicut mitiùs puniendi sunt, qui per ignorantiam, quàm qui per malitiam falsis Litteris utuntur: ita mitiùs proceditur contra eos, qui per simplicitatem Litteras per obreptionem, & subreptionem impetrant, quàm qui per malitiam, & dolum, prout distinguitur *in d. cap. Super litteris*.

9 Quid autem sit, aliquam Litteram esse subreptitiè, vel obreptitiè impetratam? Id dependet ab intelligentia terminorum. Plures censent subreptionem, & obreptionem esse synonyma, idemque importare, ut probat tex. *in l. 1. C. si nuptiæ, & rescript. pet.* ubi in eodem casu rescriptum appellatur obreptitium, & subreptitium. Alii putarunt obreptionem esse, quando verum tacetur, & occultatur; subreptionem verò, quando falsum narratur.

Teneas itaque, ne de nomine litiges, quòd subreptio, vel obreptio est expressio falsi, vel taciturnitas veri; quo falso non

non expresso, vel non tacito vero, Papa nullo modo Litteras concessisset, sed potiùs denegasset, text. *in d. c. Super Litteris, vers. si verò ad præsentiam de filiis presbyt.* legatur Fagnan. *in 1. ad d. cap. Super Litteris, de rescript.*

10 Dubitatur, an pœnæ dict. Decretalis, *Ad falsariorum*, procedant contra Episcopos?

Resp. DD. resolvunt negativè, ex quo in Decretalibus Episcopi, eorumque Superiores non comprehendantur, nisi in eis de illis fiat mentio specialis, ut expressè *c. Quia periculosum de sent. excomm.* Nec sunt privandi sine speciali mandato Papæ, *cap. Dudum*, 3. *q.* 6. Verùm hodie ex Bulla CœnæFalsarii Litterarum Apostolicarum sunt excommunicati, ut in *can.* 6. etiamsi Episcopali, vel alia majori dignitate sint præditi, ex §. *Cæterùm ejusd. Bull.*

11 Dubitatur etiam, an incidant in pœnas d. Decretalis falsantes Litteras S. Pœnitentiariæ.

Ex eo negat Navarro in *manual. c. 27. nu. 22. vers. Tertia*, quia Litteræ Pœnitentiariæ non sunt Litteræ Papæ, sed eius Commissarii. Contra quem apud Fagnan. *cit. ad alleg. c. Ad falsariorum n.* 24. DD. concordant, quòd pœnæ Falsantium Litteras Apostolicas habeant locum etiam in Falsantibus Bullas, & sigillum Litterarum S. Pœnitentiariæ. Quod verum censeo propter duo. Primò, ex quo in *d. can. 6. Bull. Cœn.* hæc verba sint: *Aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum*. Maior autem Pœnitentiarius de mandato signat, & Litteras expedit. Secundò, quia litteræ S. Pœnitentiariæ censentur aliquo modo Litteræ Apostolicæ. Nam authoritate Apostolica à Card. Pœnitentiario expediuntur, ut ex formula dispensationis eiusdem S. Pœnitentiariæ, *ut inf. NN. S. R. E. Presbyter Cardinalis &c. ex parte latoris &c. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ D. Papæ curam gerimus, supplicationibus hujusmodi inclinati, authoritate Apostolica specialiter concessa discretioni tuæ committimus &c.*

Quæritur. Caius in regione N. varias Litteras dispensationum matrimonialium à Sede Apostolica impetratas super impedimentis dirimentibus falsificavit, mutatis gradibus: deinde Ordinarius, ad quem Litteræ fuerunt directæ, falsitatem ignorans, dispensationes concessit in gradibus, super quibus, si Litteræ fuissent vitiatæ, non potuisset: subinde, sic dispensati bona fide in gradibus prohibitis, dirimentibus matrimonium contraxerunt, prolemque susceperunt: petitur, an matrimonia sic bona fide celebrata in vim dictarum dispensationum sint valida, vel irrita?

12 Certum est sententias ab Ordinariis, cæterisque Judicibus latas in vim falsarum Litterarum Apostolicarum, & dispensationes exinde concessas; esse prorsùs nullas, & irritas, *cap. Super eo de crim. fal.* quia est vitium in radice, & fundamento jurisdictionis. Quare nequeunt dd. matrimonia ut valida sustineri propter defectum jurisdictionis in dispensante, cui Litteræ falsæ nonnisi fictam dederunt. Propterea ad hoc difficultas restringitur, an ita dispensati tuerì se possint ex titulo putativo, & communi errore juxta terminos in *l. Barbarius, ff. de offic. Prat.*

Pro validitate notatur, quòd gesta auctoritate publici officii per Prælatum, sive Ordinarium, aut Delegatum, qui communi existimatione creditur authoritatem habere, regulariter sunt valida: de ordinario est textus in *dict. leg. Barbarius*: & de delegato in *cap. Infamis*, §. *Verùm tamen*, 3. *quæst.* 7. Ergo propter communem errorem (quia, scilicet ab omnibus illius regionis credebatur Ordinarium dispensare tunc posse, & omnia agere, quæ aliàs erant Papę specialiter reservata) matrimonia celebrata sunt valida.

Accedit authoritas Bartholi, qui dixit, rescripta omninò falsa, jurisdictionem tribuere, si illorum falsitas ignoretur: Nam propter bonam fidem constituunt Delegatum in quasi possessione jurisdictionis; & videtur hoc deduci ex d. *c. Super eo*, ibi: *Authoritate Litterarum falsarum*.

13 Cæterum esse nulla est extra dubium siquidem, ut valeant gesta ab eo, qui authoritatem non habet, non sufficit communis error, sed requiritur etiam titulus coloratus à Superiore collatus, licèt is titulus sit reverà invalidus ob vitium aliquod occultum in recipiente: ut, vel quia est simoniacus, vel, quia excommunicatus &c. quod probat tex. in *d. l. Barbarius*, & in *d. c. Infamis*, ibi: *Si servus cum putaretur liber* (ecce communis error) *ex delegatione* (ecce titulus) *sententiam dixit*. Et tenet Gl. *in c. Nihil de elect. v. administrent*, ubi dicit:

ideò valere gesta illius, quia fuit inquieta administratione, & in quasi possessione Prelationis de licentia Papæ; & pro Prælato habitus fuit; quam Gloss. sequuntur Scribentes.

14 Neque sufficit, ut titulus conferatur à quocumque Superiore, sed conferendus est à legitimo, & auctoritatem habente, ut cum aliis dixit Ancharanus. Ideò licèt valida sint matrimonia celebrata coram Parocho à legitimo Superiore instituto, licèt careat vero titulo ob vitium occultum; tamen nulla sunt contracta coram Parocho intruso, qui videlicet à Superiore legitimum titulum non habet: nam intrusos non tuetur Ecclesia, nec eis jurisdictionem in commodum Fidelium tribuit: & ideò eorum gesta ex communi errore, & reputatione non sustinentur, ut post alios scripsit Fagnan. *in 5. ad cap. Quod à prædecessore de schismat. num.* 132.

15 Quare, quia in casu Ordinarius, qui authoritate Apostolica dispensavit, reverà in gradibus falsò expressis in Litteris nullam habuit facultatem dispensandi à Summo Pontifice receptam, sed potiùs à Cajo, qui Litteras vitiavit, & adulteravit, sequitur optimè, ut matrimonia in vim dictarum dispensationum contracta, fuerint prorsùs irrita, & nulla, non obstante communi errore, & ignorantia falsitatis Litterarum, propter defectum tituli colorati.

16 Neque obstant ex adverso ponderata. Non primum propter superiùs dicta. Quibus additur, quòd communis error non juvat, si desit authoritas Superioris, ad litteram in *d. l. Barbarius*, quæ fundat se super communi errore, & authoritate Superioris: nam ille servus, qui putabatur liber, habuit officium à legitimo Superiore: & ita in eo duo concurrebant *auctoritas Superioris*, *& communis error*. Quæ non fuerunt in casu proposito, in quo solùm fuit error communis.

17 Nec secundùm. Nam bona fides potest quidem excusare à culpa, & pœna, sed non validare actum, *c. Si beneficia de præbend. in 6.* Ideò opinio Bart. ea parte, qua dicit falsas Litteras jurisdictionem conferre, communiter reprobatur à Gloss. *in d. c. In notabilib.* contra quem scripserunt allegati à Fagnan. *d. tit. de crim. fal. ad d. c. Super eo num.* 13.

18 Neque Bartoli sententia vim recipit à littera in *dict. cap.* per illud verbum *auctoritate*: nam sensus est, quòd Judex credens Litteras esse veras, & sibi authoritatem conferre, sententiam pronunciavit; sed quia postea oppositum fuit de falsitate Litterarum, idque concludenter probatum, sententia non fuit executioni commissa. Et hinc patet, per falsum rescriptum, licèt illius falsitas ignoretur, nullam jurisdictionem conferri; nullamque esse sententiam, & non exequendam, latam per Judicem cum ignorantia falsitatis.

19 Quapropter resolutio est (& quidem notanda) quòd communis error non suffragatur ad gestorum validitatem, nisi habeatur cum errore communi titulus coloratus in operante, collatus à vero Superiore, tametsi propter latens delictum sit nullus, tunc enim ad bonum Fidelium Ecclesia jurisdictionem tribuit. Ita valet absolutio data à Sacerdote, qui communiter reputatur Parochus, vel Confessarius, estque ab Episcopo Parochus institutus, vel ei potestas collata ad Confessiones excipiendas, quamvis ob occultum vitium fuerit incapax recipiendi iurisdictionem, prout dixi *lib. 2. cautel. confess. cap. 1. numer.* 12. & notavit Fagnan. *in 1. ad cap. Ne innitaris de constitut. num.* 380. plures cumulans, ac reprobans opinionem dicentium Sacerdoti eligenti opinionem minùs probabilem circa suam jurisdictionem, omissa probabiliori, Ecclesiam iurisdictionem conferre ad absolvendum, licèt Sacerdos vere iurisdictionem non habeat, nec titulum à legitimo Superiore receperit.

20 Quæritur, An delegatio à Papa facta Episcopo, ut dispenset in nonnullis gradibus prohibitis, vel irregularitate, aut absolvat ab excommunicatione, ipsi Papæ reservatis, Episcopo mortuo, vel dignitate privato transeat ad successorem?

Respond. Affirmativè, si commisso fiat sub nomine dignitatis, ut si dicatur: *tibi Abbas; tibi Episcopo*; non verò, si fiat sub nomine proprio, juxta terminos *cap. Quoniam, il 1. de offic. delegat.* Nam tunc commissio censetur facta dignitati, & non personalis, ac facta personæ; dignitas autem non moritur, sed perseverat in Successoribus omnibus, licèt individua pereant, ut ibid Gloss. *ver. Substitutum*.

Pari modo discurritur de delegatione inter Regulares, à Sede Apostolica fa-

cta

cta Generali, vel Provinciali; nam & hic est considerandum, an dignitati fuerit negotium commissum, an vero personæ.

Sed petitur. An super illis, quæ à Papa, vel Sacr. Congreg. delegantur Episcopo, possit Vicarius Generalis procedere, & cognoscere?

21 Pro solutione præmittitur. I. Quandoque Episcopo tribuitur jurisdictio in illis, ad quæ, etiam præcisa delegatione, jure ordinario, seu ex suo ordinario officio jurisdictionem habet. Quod non semel legitur factum à Trident. cum dictione, *Etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, ut sess. 21. cap. 3. de ref. & sess. 22. cap. 3. de ref.* & alibi sæpè: & tunc licet constituatur etiam Sedis Apostolicæ Delegatus, potest tamen ut Ordinarius cognoscere; videturque potiùs excitata jurisdictio ordinaria, priùs competens, quàm nova concessa, juxta *cap. Licèt in corrigendis, de offic. ord.* Etenim dictio illa *etiam* est implicativa, & significat Episcopum cognoscere posse etiam jure, & ordinaria jurisdictione.

II. Quandoque Episcopus constituitur Delegatus in casibus, in quibus jure ordinario non habet facultatem.

III. Aliquando verò causæ Episcopo delegantur per dictionem taxativam *tantùm*, vel *solus*, vel cum alia adjectione, per quam industria personæ censetur in eo electa; & ita designatur Episcopus, ut cæteri videantur exclusi.

22 Itaque, quando causæ primo modo delegantur Episcopo, potest etiam Vicarius Generalis in illis cognoscere; nam Vicarius in regimine Diœcesi vices gerit Episcopi, in quantùm per generalem constitutionem, & mandatum Episcopi in eum censetur translata facultas, quæ Episcopo de jure ordinario competit; quorum propterea unum, & idem Tribunal est, *cap. Romana, de appell. in 6.* & proinde ab ipso appellatur, non ad Episcopum, sed vel ad Archiepiscopum, aut Sedem Apostolicam, ne ab eodem ad eumdem appelletur, *d. cap. Romana, & cap. Non putamus, de consuet. ibidem.*

23 Ideò, cum Trident. in suis Decretis aliqua committit Episcopis cum clausula, *Etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis*, possunt super eis Vicarii Generales procedere; & cognoscere, nisi talis conditionis fuerint, ut licèt quantùm ad ea competat Episcopo ordinaria facultas, præsumantur non inclusa in generali concessione, juxta *cap. Cum in generali de offic. Vic. in 6.* & verisimile sit Episcopum nolle ea sine suo consensu, & præscitu expediri: prout censentur, v.g. authoritatem interponere in alienatione rerum Ecclesiæ: resignationes Beneficiorum: concedere alieno Episcopo licentiam exercendi actus Ordinis in Diœcesi: relaxare censuras ab Episcopo latas, & similia: in quibus speciale mandatum est necessarium, prout expresse in jure statuitur.

Ita absque speciali mandato non potest Vicarius inquirere, punire, officiis, vel beneficiis privare, *cap. Licet, de offic. Vic. in 6.*

Item non potest conferre Beneficia, nisi collatio illi specialiter sit commissa, *c. Cum in generali eod. tit.*

Item absque speciali mandato non potest Dimissorias ad Ordines concedere, nisi Episcopo in remotis agente, *cap. Cum nullus, de tempor. ordin.* Et ita stylus est, ut Vicarii dantes dimissorias inferant clausulam: *Ex speciali mandato &c.* Quando autem dicatur Episcopus in remotis agere, tractat Gloss. *ibid. verb. remotis.* Et concludit hoc esse arbitrarium Judici, attenta majori, vel minori difficultate adeundi Episcopum.

Item speciale mandatum requiritur, ut absolvat à casibus Episcopo reservatis, *c. Si Episcopus de offic. ord. in 6.*

Item eget speciali mandato, ut dispenset in irregularitatibus, & absolvat à censuris, super quibus potest Episcopus in vim Trid. *sess. 24. cap. 6. de reformatione*, ibi: *Per se, aut Vicarium ad id specialiter deputandum.* Cætera videantur apud Doctores, & inspiciatur tenor Litterarum, quibus Vicarius deputatur: an memoriam faciant de speciali mandato requisito circa nonnulla, in quæ Episcopus ordinariam jurisdictionem habet.

24 Cum verò causæ secundo modo Episcopo delegantur, tunc Vicarius non potest de illis cognoscere, nisi ei causam subdeleget; nam per ejus generalem deputationem non transfertur in ipsum facultas, quæ competit Episcopo de jure speciali, & tanquam Delegato, ut in *d. cap. Cum in generali.* Etenim in jurisdictione delegata non fit extensio de persona ad personam, per *cap. edoceri de rescript.* & ibi Gloss. *ver. omnino*, concordat Gennen. *prax. cap. 25. num. 11.*

& Fagnan. in 1. *ad cap. Quoniam*, *de offic. delegat. numer.*11. Et in causa delegata Episcopus procedit, non ut Episcopus, sed ut Delegatus. Ideò delegatio facta Episcopo non transit in Vicarium, sicut nec ad Capitulum, Sede vacante; ad quod non transit jurisdictio competens Episcopo jure delegationis.

Et adeò verum est, quòd Vicarius non potest procedere in causa Episcopo delegata, ut neque Episcopus valeat in delegata Vicario. Clem. *Et si de rescript.* & Fagnan. *ibid. num.* 14.

Nec obstat, quòd Episcopi, & Vicarii idem sit Tribun. Quoniam id procedit in jurisdictione non delegata, sed ordinaria: Nec Vicarius tunc cognosceret causam sibi delegatam, ut Vicarius Episcopi, sed ut Delegatus Papæ. Delegatus autem in causa à Papa sibi commissa, est major Ordinario, *cap. Sanè il 2. de offic. delegat.* Cum vices gerat Papæ, ut ibi text. De qua re Fagnan. *citat. num.* 16.

Quare in his, quæ simili modo delegantur Episcopo, non potest Vicarius procedere, nisi ei ab Episcopo specialiter committantur. Delegatus enim à Principe potest subdelegare, ut expresse tex. *in c. Si duo il 2. de offic. deleg.* & ita, cum causa est in forma commissaria à Papa, vel Sac. Congr. Episc. delegata, potest in ea vices suas per speciale mandatum committere Vicario Generali, nisi obstent, quæ mox subnectuntur.

Tandem, cum Litteræ continent delegationem tertio modo Episcopo factam, nequit Vicarius, etiam de speciali mandato Episcopi procedere; quia tunc intelligitur subdelegatio prohibita, cum præsumatur electa industria, & fides Episcopi; propter quod debet ipse personaliter cognoscere, & commissionem implere, ut notatur in d. *cap.* §. *Is autem*, & dixit Glos. *in verb. Inquisitionem*, quæ communiter approbatur.

25 Sed inquiritur, quando censendum sit in commissione electam esse industriam personæ Episcopi?

Resp. Id pendet ex tenore Litterarum delegationis; attendendum est ad modum loquendi, & committendi negotium, ut post alios observarunt Pax Jord. *tom.* 3. *elucubr. tit.*6. *lib.*13. *de jud. deleg. n.*29. Industria itaque personæ communiter censetur electa quando in commissione apponitur clausula: *Per te ipsum exequaris: tu solus facias, determines, & inquiras, vel similis.* Quo loquendi modo ostenditur mens Delegantis fuisse, ut Delegatus ipse per se causam tractet, ut per DD. in d. textu.

26 Sed quid, cum negotium committitur cum clausula: *Super quo conscientiam tuam oneramus*? Garzias *de benef. par.*6. *cap.* 2. §. 1. *num.*103. tradit, per d. clausulam: *Conscientiam tuam oneramus*, non censeri electam industriam personæ. Et adducit declarationem S. Congr. Conc. ut infra: *Episcopus, cui commissum est examen per Litteras Apostolicas alicujus, qui Beneficium simplex obtinuit, poterit illud delegare, non obstante, quòd fuerit in Litteris ejus conscientia onerata. Hujusmodi enim clausula non taxativam ad personam importat, sed habet vim monitionis*: quatenùs per eam monetur Delegatus, ne subdelegando causam alteri, faciat contra propriam conscientiam, per Pac. Jordan. *cit. num.* 43. Peyrin. *ad Const.* 19. *Leon. X.* §. 2. & 1. cum quibus est Genuens. *prax. c.*85. *num.*5. referens per allegatam clausulam non impediri subdelegationem, ut tenuit Felin. *in cap. final. de offic. delegat.*

27 Sed diversimodè discurritur, quando negotii decisio committitur *arbitrio* (supple ratione regulato) vel *conscientiæ alicujus*; dicendo: *committimus arbitrio, & conscientiæ tuæ*: *seu decidas secundùm conscientiam, & arbitrium tuum*. Tum enim non permittitur subdelegatio, quia censetur electa industria personæ, non verò simpliciter facta monitio, & excitatio, ne alteri demandetur executio negotii contra dictamen propriæ conscientiæ; videndus Rosa *de executor. Litterar. Apostol. par.*2. *c.* 5. *n.* 20.

28 A tenore pariter Litterarum, ipsarumque clausulis debent Generales, & Provinciales, cæterique Regulares, quibus à Papa, vel S. Congr. aliquæ causæ committuntur, in praxi instrui super qualitate Commissionis, an sit alteri delegabilis, vel restricta ad personam in litteris expressam: & juxta formam sibi præscriptam operari. Notandum etiam, quòd cum facultas committitur cum clausula, *Arbitrio tuo*, arbitrium debet ratione regulari, & est semper præcavendum alterius præjudicium.

29 Quæritur. An delegatio facta à Vicario Generali Episcopi, per ipsius Vicarii obitum, vel remotionem ab officio expiret, vel transeat in Vicarium successorem?

Resp.

Resp. Communior opinio apud Genuen. d.c.85.*n*.1.dicit expirare, & non transire in Successorem, licèt delegatio facta fuerit sub nomine officii, ponderando, quòd de Vicario propriè non dicitur habere Successorem, nec de Vicariatu, quòd sit dignitas permanens. Verùm communis opino per eum limitatur, ut non procedat, quando stylus Curiæ esset in contrarium; vel quando delegans habuerit respectum ad Episcopi Tribunal, juxtà Butr. *in cap. Quoniam cit. tit*.& in dubio præsumitur delegantem d. Tribunal contemplasse, si in delegatione non expresserit nomen proprium Vicarii, sed in litteris dixerit: *Episcopo, vel ejus Vicario;* tunc enim admittitur Successor in officio, ut DD. concordant; ad quem transmittitur facultas cognoscendi causas delegatas priori Vicario; nisi ex aliis conjecturis appareret de contrario sensu, & electam esse industriam personæ; & secundùm hunc sensum Rota servat communem opinionem, per Genuen. *ibid*.

30 Quæritur. Quid importet clausula, *Dummodo Sacris Canonis, & Tridentini Concilii Decretis non adversentur*, quæ post d. Concilium solet à Pontificibus apponi in litteris, quibus confirmant Regularium privilegia?

Resp. Ostendit, Pontifices non intendere confirmare privilegia, quæ sunt à Tridentino revocata, ejusque Decretis sunt contraria.

31 Sed dubitatur. An verba illa *Sacris Canonibus* intelligenda sint de *Sacris Canonibus* Conc. Trid. vel de insertis in corpore juris?

Resp. Donatus *prax. regular. tom.* 1. *par*.1. *tract.* 11. *quæst.* 14. & Peyrinus *de privileg. regul. ad constit.* 1. *Gregor. XIII.* §. 3. *num.* 2. tradunt, Sacros Canones, de quibus in dict. clausula, eos non esse, qui sunt inserti in jure communi; aliàs frequenter otiosa, & nulla foret quælibet privilegiorum confirmatio, cùm omnia ferè privilegia à Pontifice concessa, sint contra jus commune; clausulamque restringi adCanones, qui unà cum Decretis in eodem Tridentino continentur.

Nec obstat, quòd ex stylo Tridentini Canones appellentur, qui continent definitiones materia dogmatum, ut patet ex *sess*.6.7. *aliisque*, in quibus, ut distincta ponuntur Canones fidei, & decreta de reformatione. Nam quandoque à Concilio dicuntur Canones, etiam extra fidei materiam, ut constat in fine proemii *cap*. 1. *sess*.14. *de reform.* ibi: *Hos, qui sequuntur, Canones statuendos, & decernendos duxit*. Et tredecim capita, quæ sequuntur, non ad fidem, sed ad reformationem spectant. Ad idem facit *c*.16. *sess*.25. *de refor.* ibi: *Vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo*?

32 Unde dictio illa, *&*, est conjunctiva, & copulativa, conjungitque Canones Concilii spectantes ad reformationem cum ipsius Decretis. Quod probatur etiam ex *sess*. 25. *cap*. 20. *de regul.* ibi: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum priviligia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illæsa*. Ubi Concilium statuit illæsa Regularium privilegia, quæ suis non adversantur Canonibus, & Decretis. Et hoc videntur intendere Pontifices per dictæ clausulæ adiectionem in confirmationibus privilegiorum. Præsumitur enim dict. clausulam à Pontificibus apponi in sensu à Tridentino intento, & nolle privilegia confirmare in iis, in quibus Concilio adversantur.

33 Circa particulam exceptivam: *Et Decretis Concilii Tridentini non adversantur*, dubitatur, an extendatur ad non confirmanda privilegia, quæ quomodocumque sunt Concilio contraria?

Super quo notandum, quòd sæpè Tridentinum aliquaRegularium privilegia expressè revocat per clausulas, *non obstantibus privilegiis*; vel etiam, *si exemptum esse præsumat, aut cujusvis privilegii prætextu, similive*; quæ pluribus ejusdem Decretis adduntur. Sæpè verò dd. clausulis non utitur, sed verbis negativis, & prohibitivis aliquid etiam circa Regulares decernit, absolutè interdicendo, & disponendo contraria; ut *sess*.4. *in decret. de edit. libror. versic. Etsi Regulares fuerint*, *sess*. 5. *cap*. 2. *de refor. verb. Regulares verò*, *sess* 23. *cap*.8. *de refor. vers. Unusquisque*.

Roderico *resolut.* 116. *num.* 14. dixit, tenorem dictæ clausulæ esse, ut non confirmentur privilegia, quæ à Concilio expressè revocantur per clausulas, *non obstantibus, &c.* benè verò, quæ ita non revocantur. Nam privilegia primi generis simpliciter Concilio adversantur; non illa secundi generis, quæ cum expressè non revo-

revocentur, tacitè admmittuntur; atque ita illi non sunt contraria.

Sed contra ipsum sunt Donatus *cit. q.* 15. *n.* 2. Lezan. *tom.* 2. *q. regul. cap.* 1. *de jurib. & privil. num.* 58. Mirand. *Man. Prælator. q.* 38. *art.* 4. Peyr. *ibid. num.* 3. ubi testatur de communi; traditque sensum d. clausulæ in praxi obtinere, ut Pontifices intendant, non solùm non confirmare, quæ expresse revocantur à Tridentino per dd. clausulas, sed etiam, quæ illis sunt simpliciter contraria. Et facit, quòd *sess.* 25. *cap.* 22. *de regul. præcipitur à regularibus servanda esse omnia, & singula in superioribus decretis contenta cum clausula derogatoria, non obstantibus eorum, &c.* In expressis autem non est locus conjecturis, adeòque nec distinctioni de contentis in decretis dumtaxat *d. sess.* 25. quia qui totum dicit, nihil excludit. Et facit Constit. Pii IV. *In Principis, la* 94. *Bullar. tom.* 2. in qua absolutè revocantur privilegia, quæ Decretis Tridentini contrariantur. Quæ est opinio in praxi tenenda.

34 Posset hìc agi de executione litterarum Sacræ Pœnitentiariæ; sed omittimus, quia de hac re tractat Tiburtius, Navarr. Ord. Recollect. Sancti Francisci *manuduct. ad praxim d. Tribunalis*, & ex eo Monacellus *form. par.* 1. *form.* 1. *tit.* 9. ad quos Lectorum remitto. Hoc unum observo, quòd sæpè diriguntur cum clausula: *Magistro in Theologia, vel Sacrorum Canonum Doctori.* Quæ ita est intelligenda, ut Confessarius eligendus sit verè Magister, vel Doctor in aliqua universitate. Nec sufficeret, ut esset Thologus, vel Professor, aut Lector in aliqua Religione, nisi illa Religio aliquo privilegio gaudeat, prout concessum est ab Innocentio XI. *Const. Exponi*, sub 27. Novembris 1679. Lectoribus Jubilatis de Ordin. Fratr. Minor. de Observ. dummodò triennio Philosophiam, & decennio Theologiam legerint, ut ibi textus. Adeòque eas exequi nequeunt, qui solis litteris Generalis Lauream Jubilationis obtinent, sed ad tempus præfixum, & ut disponit Urbanus VIII. *Const. Cum sicut*, 2. Martii 1638. non legerunt. Simile privilegium habent PP. Societatis.

CAPUT XXXII.

Officialis quoad Moniales.

SUMMARIUM.

1 *Puella suscipiens habitum Religiosum debet esse major quindecim annis.*

2 *Ad professionem non admittitur, nisi annum probationis, & 16. ætatis integrè compleat.*

3 *Tertia soror caret voto, & solvit duplicatam dotem, & sub num.* 19.

4 *Puellæ in Monasteriis causa educationis non recipiuntur absque licentia Sacræ Congr. Episcop.*

5 *Cùm Superiore Regulari recipiente vota Monialium ad effectum, ut puella admittatur in educatione in Monasterio exempto, non assistit Vicarius Generalis.*

6 *In quo Superior votum non habet.*

7 *Puellæ in educationem non recipiuntur ante septimum ætatis annum. Et post* 25. *nequeunt amplius in Monasteriis absque speciali Sacr. Congr. licentia detineri.*

8 *Agitur de loco, in quo sepeliendæ sint puellæ decedentes in Monasteriis tempore educationis.*

9 *In Ecclesiis exterioribus Monialium nequeunt sepeliri corpora virorum, & mulierum sæcularium.*

10 *Ab Episcopo, vel ejus Vicario exploranda est voluntas puellarum volentium habitum Monachalem suscipere, & professionem emittere.*

11 *Neque ad eum effectum possunt septa Monasterii ingredi.*

12 *Omissio examinis non irritat professionem.*

13 *Non est simonia recipere dotes à Monachandis.*

14 *Monasteria consequuntur dotes Novitiarum profitentium causa mortis, non completo probationis anno.*

15 *Contrarium.*

16 *Profitentes causa gravis infirmitatis, ubi deindè convalescunt, debent iterùm profiteri.*

17 *Dotes non recipiuntur ante professionem.*

18 *Dotes sunt investiendæ in bonis stabilibus, vel censibus tutis.*

19 *Do-*

19 *Dotes possunt deponi apud tertium, qui eas post professionem puellæ tradat Monasterio.*
20 *Non potest absque licentia Sedis Apostolicæ Monialis de uno ad aliud Monasterium transferri, etiam ad effectum, ut in secundo sit Abbatissa, vel Priorissa.*
21 *Monialis de uno ad aliud Monasterium translata tenetur iterum per annum in probatione stare, & subinde profiteri.*
22 *In clausuram Monialium non possunt infantes, cujusvis ætatis, & sexus sint introduci; & introducentium censura.*
23 *Legata relicta in Ecclesiis Monialium in eis impleri non debent.*
24 *Ad Episcopum spectat taxare numerum Monialium Regularibus subjectarum.*
25 *Monialis supernumeraria semper est supernumeraria.*
26 *Moniales non possunt de propriis cellis disponere.*

1 NUlla puella potest ad habitum Religionis in monasteriis Monialium admitti, nisi habet ætatem completam quindecim annorum, ex Decreto Sac. Congreg. Episcop. apud Monacellum *for. par. 1. ad form. 7. num. 3. tit. 11.* emanato 23. Maii 1659. cum necessitate recurrendi ad Sedem Apostolicam, si ante dictam etatem velit habitum suscipere, ut de praxi, & stylo testatur idem Monacell.

2 Nec ad professionem admitti debet, nisi anno probationis completo, & 16. ætatis anno exacto, prout Trid. *sess. 25. de regul. c. 15.* Anni debent esse completi de momento in momentum, prout DD. communiter. Cum quibus firmat Panimoll. *decis. 29. num. 7.* punctum horæ professionis debere punctualiter respondere puncto horæ nativitatis; & cum de ista non constaret, expectandus esset totius diei terminus quòd si nec diei, sed mensis notitia haberetur, totius mensis exitus expectari deberet ex ponderata ratione, quòd possessio stet pro lege præscribente ut nullus ad professionem admittatur, nisi constet eum realiter, & cum effectu 16. ætatis annos, & unicum probationis integrè complevisse; unde post eum Quilici *Confess. manduct. quæst. 16 num. 15.* dixit, in anno Novitiatus, & ætate requisita ad professionem non dari parvitatem materiæ, ut dicam infrà *c. 41.*

3 Si in eodem Monasterio velit tertia soror habitum assumere, voto tam activo, quàm passivo privatur; & duplicatam dotem solvit, prout fuit à Sacra Congregatione Episcoporum rescriptum Archiepiscopo Bracharen. ut infrà; *Utique hæc Sacra Congregatio* & infra: *Aut igitur tertia soror intra præfinitum Monialium numerum in Monasterium introducenda est, aut supra illum; si ut numerata ingredi voluerit eleemosynam totalem duplicatam Monasterio persolvat, suffragioque tam activo, quàm passivo carebit, quousque altera ex duabus ejus sororibus è vita decesserit; si verò, ut supra definitum Monialium numerum admitti petierint, speciali Sac. huius Congreg. licentia opus erit, quæ quidem concedi non solet, nisi ex conditione, ut ipsa tertia soror triplicatam eleemosynam dotalem Monasterio absolvat, nec reliquis ejus duabus sororibus simul superstitibus, activo, vel passivo suffragio gaudeat,* die 26. Augusti 1616.

4 Puellæ causa educationis non recipiuntur in Monasteriis, nisi de expressa licentia Sac. Congreg. & nisi accesserit consensus majoris partis Capituli, ac in scriptis obtineant licentiam à Superioribus Ordinis, juxtà rescriptum factum à Sac. Congreg. Concilii Episcopo Hieracen. sub ult. Augusti 1575. apud Quaranta *Bullar. verb. Monial. Monast. verb. de puellis.*

5 Dum Superior Regularis recipit Monialium suffragia ad effectum admittendi educandam in Monasteriis sibi subjectis, cùm eo non assistit Vicarius Generalis, aliusve ab eodem deputatus; prout S. Congreg. Episcoporum rescripsit Episcopo Cremonen. ut infrà.

Referito in Sac. Congregazione dal Cardinal Caraffa, quando V. S. hà rapresentato con sua lettera in ordine al dubio proposto dal Prior. del Convento dell' Ordine de' Predicatori di Soncino di cotesta Diœcese, se nell' accettazzione dell' educande nel Monasterio delle Monache di San Paulo di detto, luogo sogetto al suo Ordine, possa intervenire alla ballottazione, che si fà dalle Monache, il suo Vitario Generale, ò altra persona da deputarsi da lei. Questi Eminentissimi miei Signori hanno risoluto, che non

non habbia potuto, nè possa intervenirvi. Glie lo significo, & il Sig. Dio la prosperi. Roma 15. Settembre 1690. Ex regesto *autbographo Sac.Congr.*

6 Estque advertendum, quòd Superior recipiens Monialium suffragia, votum non habet, quoniam ei non conceditur; ut in d. rescripto facto Episcopo Hieracen. quòd ex Piasec. refert Peyrinus *de privileg. regul. ad Const. 6. Pii V. §. 1. num.* 10. id non conceditur, ibi: *Jamdudum ad eadem S. Congregatione statutum esse, nullo Concilii Decreto prohiberi, quominùs puellæ in Monasteriis Monialium educentur, si tamen eadem Monasteria ante Concilium consueverint huiusmodi puellas recipere; sique à Superioribus Monasteriorum, scriptam licentiam impetrarint, atque Abbatissæ, & reliquarum Monialium consensus* (capitulariter) *accesserit, &c.*

7 Sed in puellis debent concurrere requisita in alleg. Decreto expressa, & relata in licentia Sac. Congreg. Romæ impressa, Sigillo Card. Præfecti obsignata, & à Secretario ipsius Sac. Congregationis subscripta; quæ in Italia locorum Ordinariis, vel ipsorum Vicariis dirigitur, ut possint puellæ in Monialium Monasteria introduci ad effectum, ut piè, & honestè instruantur. Et inter alia, debent annum septimum ætatis complevisse, nec 25. excedere; neque ultrà dictum 25. debent detineri, nisi de licentia Sac. Congregationis. Et interim dum eam petunt, & detinentur, nullam censuram incurrunt, ut notavit Pax Jordanus *elucubr. tom.2. lib.7. tit.12. n.* 125. sed si etiam ad unum diem differant petere, praxis hìc Romæ est; ut absolvantur.

8 De loco, in quo sepelliendæ sint puellæ, quæ tempore educationis in Monasteriis moriuntur; agit Pelizarius *de Monial. lib. cap.* 10. *sect.3. subsecti num.*233. scribens esse sepeliendas in Ecclesia exteriori Monialium; id deducens, quòd jus sepulturæ ex administratione Sacramentorum acquiritur eidem Ecclesiæ. Pignatellus verò *to.7. consult.* 63. voluit tumulandas esse in Ecclesia illius Parochiæ, in qua ipsæ habent domicilium.

Super quo est ponderandum, huiusmodi puellas non amittere suam Parochiam, cum non descendant à propria Parochia, ut illam decrescant, & mutent; nam ad tempus discedunt, & non manent in Monasterio, tamquam in propria habitatione, sed aliena, animo revertendi ad propriam, cum primò eis licebit. A simili de eo, qui ad villam ruralem se transfert, qui non debent ibi speliri, quia ibi Parochiam non acquirit; nam non accedit animo permanendi, nec domicilium mutat: sed sepeliendus est in Parochia loci, in quo domicilium habet, text. expressus *In c. is qui de sepultur. in* 6. vel ubi elegerit sepulturam, vel in sepultura maiorum.

Et quatenùs puellæ in alia Ecclesia à Parochiali sepulturam eligerent, vel sepulchrum maiorum esset, in eo deberent tumulari; sed tunc Ecclesiæ Parochiali quarta funeralium solvi deberet.

Sententiam Pignatelli & ipse Pelizarius probabilem dicit, & in praxi tenendam censeo, quidquid sine fundamento scripserit Samuelius *de sepult.* Ideò infirmum est fundamentum Pelizarii. Nam tunc ius sepulturæ acquiritur ex Sacramentorum administratione, quando ex officio, & non ex accidenti Sacramenta ministrantur. Puellis autem in educatione receptis non ministrantur à Confessario ex officio Sacramenta, sed ad supplendas vices Parochi, quatenùs ipse personis in loco exempto, & clausuræ terminis restricto non potest eis ministrare.

9 Et currit etiam inspectio, quòd in Ecclesiis exterioribus Monialium non possunt sepeliri corpora virorum, seu mulierum laicorum, prout declaravit Sac. Congreg. Episcoporum in Maceraten. 8. Novembris 1652. vel nisi accesserit consensus Monialium, & de licentia Sacr. Congreg. ut Feretran. 21. Novembris 1603. & in Foro- Sempronien. 21. Augusti 1652. Episcopo per hæc verba rescripsit: *Essendo portato alla notizia della Sac. Congreg. che si pensi di sepelire il cadavero di D. Marchionne, Moglie del Cerusico di cotesta Città, nella Chiesa delle Monache di S. Bernardo, dove s'hà eletta la sepoltura; questi Eminentissimi miei Signori m'hanno comandato d'avvertire V.S. che essendo ciò contro i Decreti della Sacra Congregazione, non lo permetta in verun modo senza licenza dell'E E. loro.*

Et in Gravinen. 1. Octobris 1650. ibi: *Nelle Chiese anche esteriori delle Monache non si possano sepelire esteri, e forastieri, nè huomini, nè donne, nè anche Principi,*

cipi, ancorche vi fossero sepolti i loro maggiori. Apud Pignatell. *tom.4. consult.176. à num.* 1.

Sed quid, si in nulla Parochia haberent domicilium, nec in alia sepulturam elegissent, neque sepulchrum majorum existeret?

Resp. In casu essent sepeliendæ in Ecclesia illius Parochiæ, in qua situm est Monasterium; nam tunc Parocho illius acquiritur jus sepulturæ, prout pluries censuit Rota apud *cit.* Pignatell. *tom. 7. alleg. num.* 12. & præsertim in Constantien. jurisdictionis 18. Maji 1611. coram Ottembergo. Nam hujusmodi puellæ sunt omninò sæculares, & licèt sint in Monasterio, non desinunt esse subditæ Parochiæ, in qua erectum est Monasterium, ut etiam dixit Pelizarius. Et quemadmodum Parochus illius Parochiæ assistere debet matrimoniis dictarum puellarum (quoniam Trident. *sess.* 24. *c.*1. *de reform. matrim.* declarat irrita matrimonia celebrata sine præsentia Parochi, vel Ordinarii licentia) ita debet illas tumulare; utrumque enim inter jura Parochialia censetur.

Id ipsum, servata proportione, dicas de tumulatione mulierum sæcularium, si contingat eas decedere in Monialium Monasteriis.

10 Quis explorare debeat puellarum voluntatem, habitum assumere, & in Monasteriis profiteri volentium?

Resp. Episcopus, vel eo impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, ut expresse Trid. *sess.*25. *c.*17. *de Monialib.* A quibus diligentissimè examinandæ sunt: *An liberè eum statum elegerint; an verò coactæ, & seductæ fuerint; an sciant, quid faciant, & agant*; ut ibi textus. A quo item Præfectæ Monasteriis præcipitur sub pœna suspensionis ab officio ad arbitrium Episcopi, ut Episcopo tempus professionis ante mensem significet, ut inde possit ad examen voluntatis procedere.

11 Nec occasione examinis faciendi possunt prætacti intra septa Monasterii ingredi, sed ante cratem ferream est faciendum: & solùm eas interrogationes adhibere debent, quas Trident. jubet; & quatenùs puella de aliis interrogaretur, non teneretur respondere, per disposita à B. Pio V. apud Barbosam in Trid. *ad dict. sess.* 25. *cap.* 7. *num.*4.

Sed petitur, an voluntas exploranda sit semel ante habitus susceptionem, & iterùm ante professionem?

Resp. Affirmativè, ut in terminis Trid. *ibid.* & apud Fagnan. *in* 3. *ad cap. Cum virum, de regul. num.*11. *& seqq.* Nam sæpè puellæ invitæ habitum suscipiunt; imò quamvis sæpè voluntariè illum assumant, non rarò invitæ profitentur timore parentum, vel cognatorum, vel verecundia habitum dimittendi.

12 At inquiritur, si hujusmodi examen ante professionem omitteretur, an professio esset nulla?

Resp. Negativè. Nam Concilium in casu omissionis professionem non irritat; à mortali tamen non excusatur, qui illud omitteret, cum sit mortale contravenire Concilio Generali in re gravi; hujusmodi autem res præsumitur gravis propter appositionem pœnæ suspensionis; quæ cum sit gravis pœna, gravem culpam supponere debet, Peyrin. *formular. Prælat. lit. M. cap.*6. *num.*2.

13 Quæritur. An ad Monasteria Monialium habentia (prout habere debent) redditus sufficientes ad alendas commodè pro qualitate regionis, secundùm qualitatem status, Moniales numerarias, possint puellę, quæ in ipsis statum Regularem intendunt assumere, secum dotem deferre?

Videtur non posse, per text. *in cap. Quoniam, de simon.* ibi: *Simoniaca labes adeò plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu, volentes hujusmodi vitium palliare.* Quare Sac. Cong. Conc. olim consulta, an in Monasteriis Monialium, in quibus juxtà Decret. *cap.* 3. *sess.* 25. *de regul.* Episcopus certum numerum constituerit, liceat Abbatissæ in locum Monialium deficientium alias recipere, pacta certa eleemosyna? Respondit, *si ex redditibus Monasterii, vel ex consuetis eleemosynis tantùm suppetat Monialibus, ut ad ipsarum victum, & ad fabricam Ecclesiæ, aliasque necessitates commodè sufficiat, minimè licere; secùs si Monialium numerus augeatur.* Quod teste Fagnan. *in* 3. *ad c. Non ampliùs, de institutionibus num.*24. fuit à tunc temporis Pontifice probatum, confirmante augendum numerum, si dos recipienda sit.

Sed his non obstantibus, respondendum

dum est affirmativè, ex sententia S. Congr. Episcop. & Regul. apud Fagnan. *ibid. num.* 25. Quæ animadvertens, Sanctimonialium Monasteria sine dotium subsidio diù sustineri non posse; & propter ingruentes necessitates, & casus inopinatos, plerumque ad inopiam redigi: Summis Pontificibus approbantibus, prudenter sancit, ut dotales eleemosynæ à Monialibus numerariis persolverentur; tametsi numerus esset taxatus ad mensuram redditum Monasterii: ex penuria enim multa proveniunt mala, & præcipuè in Monasteriis Mulierum.

Quapropter in contrarium adducta nil relevant. Nam Sancta Sedes considerans id sine gravi Monasteriorum detrimento servari non posse, ea per posteriores resolutiones antiquavit, & correxit; super quo est etiam ponderandum, dotes non assignari pro emptione rei spiritualis, status nimirùm Religiosi (quod forsan intendebant Religiosæ, de quibus *d. cap.*) sed traduntur ad effectum, ut subministrent opes ad alendum Moniales, & occurrendum penuriæ in casibus emergentibus; & ita delatio dotis non est illicitè, nec simoniaca.

14 At petitur, an Monasteria consequi possint dotes Novitiarum, in anno probationis decedentium, eo non completo, professione tamen ante obitum in articulo mortis per easdem emissa, juxtà privilegium B. Pii V. *Const. Summi Sacerdotis*, *la* 109. *in Bullar. to.* 2. datum Monialibus Novitiis Ord. S. Dominici, ut in mortis articulo constitutæ, professionem emittere possint ante annum probationis expletum, modò sint legitimæ ætatis?

Pro affirmativa ponderatur hìc non currere dispositionem Trid. *cap.* 16. *cit. sess.* ibi: *Sed neque ante professionem excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur*. Nam non sumus ante professionem, sed professione emissa; & secundùm Apostolicam concessionem sequutum est matrimonium spirituale cum Christo sponso, ut notavit Peyrin. *ad Constit.* 8. *B. Pii V.* §. 2. *num.* 1. & ita omnes parit effectus, quos produxisset, si expleto probationis anno professi emitteretur; sed quatenùs post dictum annum professio sequeretur, Monasterio dos debere tur: ergò etiam debetur in casu.

15 At nihilominùs negativè respondetur. Colligitur ex ipso Indulto B. Pii, in quo non superfluè fuit adjecta hæc clausula: *Ita tamen, quod ipsæ Moniales Novitiæ sic decedentes, indulgentiam, & alias gratias, quas Moniales verè professæ decedentes consequuntur, consequi possint*. Quibus certissimè significatur, indultum suffragari solùm quoad spiritualia, & concernentia salutem animæ profitentium, non verò quoad bona temporalia in præjudicium parentum, & hæredum. Proindèque si Monialis sic professa, ex tali infirmitate decederet, Monasterium non succederet in bonis illius, nec ei dos acquireretur, per Fagnan. ad *cap. ad Apostolicam*, *de regul. num.* 33. Et apertè deducitur, ex quo, si Novitia illa ex morbo convalesceret, non censeretur alligata Religioni, nisi transacto anno probationis, iterùm profiteretur, utpotè nulliter professa.

16 Nec obstat citatum indultum Beati Pii; nam ibi Pius eas contradistinguit à verè professis, per verba, *Quas Moniales verè professæ*. Tum quia indultum Pii videtur revocatum à Gregor. XIII. *Const. In tanta*, *la* 9. *Bullar. ibid.* in qua ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini reducuntur litteræ Beati Pii pro Ordinibus Mendicantibus, aliisque editæ, Tridentino contrariæ; Trident. autem *sess. cit. cap.* 15. nullam dicit professionem factam ab eo, qui minori tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit; & propterea Sac. Congr. Conc. in una Min. de Obser. 20. Martii 1649. *ad c.* 15. *sess.* 25. *de regul.* censuit hujusmodi Novitias, ubi convaluerint, debere iterùm profiteri, apud Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 256. Ac proindè, privilegium Pii solùm forsan quoad indulgentiam, & gratias spirituales potest sustineri non fuisse à Greg. revocatum; prout ex recentioribus nonnulli scripserunt, teste eodem Fagnan. *ubi supra*.

17 Nota I. non licere Monialibus recipere à puellis ingredientibus dotes ante earum professiones, juxtà *cap.* 16. *sess.* 25. *de regul.* & ipsas semper, non facta professione, esse restituendas, restitutis tamen expensis Monasterio, quas in alimentis fecit. S. Congr. Conc. apud Fagnan. *cap. Statuimus de regul. num.* 37.

18 II. Moniales secum deferre debere eleemosynam dotalem in bonis stabilibus, vel censibus perpetuis, ac tutis post professionem investiendam Sac. Cong. Episcop. & Regul. apud eundem ad *d. cap. De institutionibus num.* 23.

19 III. Non prohiberi, quin dotes puellarum ingredientium Monasteria, ut Regularem vitam profiteantur, realiter deponantur penès tertium, qui eas Monasterio debeat dare post professionem emissam. Sac. Congr. Conc. apud eundem *de regul. ad cap. Statuimus num.* 52. Verùm ipsæ Moniales, dotes sub nomine depositi, seu præstita cautione de illis restituendis professione non sequuta, recipere non possunt, ex eadem Sac. Congr. *ibid.*

IV. Duplicis eleemosynæ nomine, intelligi semper debere duplicatam summam ejus, quæ in receptione cuiusque Monialis intra numerum in quolibet Monasterio constitutum erogari pro tempore consueverit, ita tamen, ut ubi summa, quæ confertur, minor est scutis ducentis, ibi saltem ratione duplicatæ eleemosynæ solvenda sint scuta quadringenta, & non minus. Sacr. Congr. die 6. Septembris 1604. apud eundem ad *d. cap. De institutionibus num.* 42. Nisi à Sac. Cong aliter disponatur.

20 Hic adverte, non posse Moniales quacumque occasione transferri de Monasterio ad Monasterium sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, toties quoties obtinenda, ex Decreto Pauli V. publicato à S.C. Episc. 22. Decembris 1617. Videndus Fagnan. *in 3. ad cap. Recolentes de stat. Monachor. n.* 49. & 51.

Quæmadmodum non possunt ampliùs Episcopi ex attributa sibi facultate à Trid. *cap. 7. sess. 25. de regul.* de uno Monasterio ad aliud Monialem transferre, ut in eo munere Abbatissæ fungatur. Sed est obtinenda specialis licentia à Sede Apostolica. Et ita cautè legendus est Miranda *to. 1. manual. Prælat. de Monial. quæst. 3. art. 3. ver. Quantum verò attinet ad tertium*, ibid. Fagnan. *n.* 54.

21 At petitur, an Monialis translata de uno ad aliud Monasterium diversi Ordinis sive æqualis, sive strictioris, aut laxioris observantiæ teneatur iterùm per annum in probatione stare, & denuò professionem emittere?

Affirmativè contra Tambur. *de jur. Abbatiss. disp. 21. q. 11.* juxta Decreta S. Cong. Episcop. & Diplomata Apostolica, quæ super hac re expediri solent. Et consideratur, quòd annus probationis non solùm datur in favorem professuræ, ut experiatur id, quod professura est, verùm & in favorem earum, quæ ad professionem suscipere debent, ut experiantur mores translatæ, an conveniant suo Monasterio; ergò ad hunc effectum debet Monialis transiens per annum in probatione stare, quoniam longè meliùs mores congnoscuntur annuali cursu, quam aliàs, & facit, quod Monialis transiens non intelligitur perfectè translata, nisi professione emissa; nam pro priori non intelligitur incorporata secundo Monasterio. Neque ante emissam professionem efficitur filia Monasterii, neque est de corpore illius, *cap. Porrectum de regul.* Nec ex vi translationis præcisè subjicitur Præfectæ secundi Monasterii, nec ei tenetur irrevocabiliter obedire. Quoniam si ad primum vellet redire, impediri non posset, ex eo, quod obedientiam Abbatissæ secundi promisisset; sed pro reditu, etiam foret necessarius Sedis Apostolicæ consensus.

Secundùm hanc sententiam olim etiam processit Sacr. Congreg. Conc. quæ ad dubium: *An professus in una Religione, & ad aliam translatus etiam laxiorem auctoritate Sedis Apostolicæ, posset renunciare anno probationis?* Respondit, *non posse; nec illam renunciationem per Superiorem concessam intra annum recipi debere, sed teneri eum iterùm profiteri, juxtà formam traditam cap. 15 sess. 25. de regul.* Decretum refertur à Fagnan. *in 3. ad cap. Ad Apostolicam, de regul. num.* 64.

Et quamvis Decretum videatur solùm tangere transitum virorum Regularium (qui nec sine licentia Sedis Apostolicæ possunt etiam ad strictorem transire; & tenentur de novo annum probationis peragere, & professionem emittere (tamen ex identitate rationis provisio ampliatur ad transitum, etiam Monialium; & ita debent semper per annum probari, & ipsæ iterùm profiteri, nisi Sedes Apostolica cum ipsis dispenset.

22 Quæritur. An introducentes, & admittentes infantes cuiusvis ætatis, & sexus in Monialium clausuram, incurrant censuram violatæ clausuræ?

Nonnulli apud Barbosam in Trid. ad

cap. 5.

cap. 5. sess. 25. de regul. num. 55. negant, si admittantur, & introducantur infantes ratione carentes, cùm ipsi ad peccandum provocare non possint. Cæterùm, quia Trid. non distinguit, sed absolutè loquitur cujuscumque ætatis fuerint, ideò nec nos debemus sensum Concilii restringere. Legatur *cit. cap.* ibi: *Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda*. Ideò S. Congr. in Cremonen. 12. Februarii 1585. apud Pacem Jord. *elucubr. to. 2. lib. 7. tract. 12. de Monial. num.* 87. ex Gavanto *de Monial.* & Barb. *summ. Bullar. eod. verb.* respondit, Trid. prohibere ingressum omnibus cujuscumque sexus, & ætatis. Et in Tudertina 7. Aprilis 1579. in Neapolitana 22. Martii 1580. in Taurina 10. Junii 1650. dixit, introducentes, & admittentes infantes cujusvis ætatis, & sexus, excommunicationem incurrere violatæ clausuræ, prout refert Pignatell. *tom. 6. consult.* 85. *n.* 293. à qua ex stylo Curiæ Sedes Apostolica absolvit. Ad quam in facti contingentia plures Moniales recursum habuerunt, & facultatem obtinuerunt, ut à proprio Confessario absolutionem à censura reciperent.

Et adeò articulus est certus, ut nec de licentia Episcopi possint pueri intra septa introduci; nam ubi Trid. disponit, neminem posse sine Episcopi, vel Superioris licentia ingredi Monialium clausuram, subdit: *Dare autem tantùm Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis*. Quare facultas ingrediendi clausuram Monialium concedi non potest, nisi ob causam necessitatis Monasterii, seu Monialium, cui aliter occurri non possit. Quæ autem necessitas potest esse, ut introducantur parvuli, & cuinam possunt isti occurrere? Et hinc non tolerari debet, quòd puellæ licèt parvulæ ingrediantur, prout censuit Sac. Congr. in Pistorien. 29. Februarii 1579. Pignatell. *ibid.*

Propterea nil obstat objectum. Quoniam quamvis parvuli propter carentiam usus rationis à mortali excusentur, adeòque à majori excommunicatione, quæ sine mortali non incurritur, ut plenè DD. scribunt, & nos diximus alibi; non tamen excusantur introducentes, ut etiam loco alleg. notavit Pax Jordani.

23 Quæritur. An onera Missarum relicta per testantium dispositiones, & legata relicta in Monialium Ecclesiis, debeant in eis impleri?

Resp. Negativè, prout Sac. Congreg. Episcop. in una Venetiarum 9. Augusti 1595. ex Pignatello *tom. 4. consult.* 177. *à num.* 4. rescripsit Patriarchæ: *Perche nelle Chiese esteriori delle Monache si trovano molte Capelle con obligo di Messe da dirsi da Frati, la Congregazione per levare quella pratica, ordina, che dette Capelle si trasferiscano nelle proprie Chiese de Frati, lasciando in quelle delle Suore solamente una Messa*. Pro legatis Missarum relictis in Ecclesiis Monialium existentium sub regimine Fratr. Min. de Obser. Clemens VIII. edidit Constit. *Ex debito* 105. *in Bullar. tom.* 3.

Et quamvis allegatæ dispositiones restringantur ad Monasteria Monialium Regularibus subjectarum, idem pariter est dicendum de illis, quæ sub Ordinariorum jurisdictione consistunt. Ad quod facit resolutio S.C. in Lucana 22. Decembris 1628. quæ decrevit, *Quòd Moniales singulis Missis pro singulis diebus debeant esse contentæ, exceptis diebus celebrationis propriorum Festorum, vel exequiarum alicuius Monialis. Possunt item permitti duæ in Monasteriis ita numerosis, ut omnes eidem Missæ nequeant interesse*. Pignatell. *ibid.* Ex praxi tamen hìc Romæ videntur plures etiam quotidiè permitti.

24 Quæritur. Ad quem spectet taxare numerum Monialium, etiam Regularibus subjectarum?

Resp. Ad Episcopum unà cum Superiore Regulari, ad formam Const. *Deo sacris, &c. la* 8. *Gregor. XIII. Bullar. tom.* 2. In qua §. 6. disponitur, ut infrà, ibi: *Donec numerus Monialium, etiam Tertiariarum (quem per ipsos locorum Ordinarios, etiam in Monasteriis ab eorum cura, & regimine quomodocumque exemptis, cum illarum Superiorum interventu stabiliri, & ordinari, neque supra illum numerum aliàs recipi posse, etiam de consensu suorum Superiorum, volumus, & mandamus) ita imminutus fuerit, ut reliquæ Moniales, & Tertiariæ ex propriis redditibus Monasteriorum ipsorum, vel consuetis eleemosynis*

se

se commodè sustentari queant. Hinc patet non posse numerum Monialium, nec debere esse supra redditus Monasteriorum, quibus commodè, & sufficienter possint Moniales sustentari.

25 Quæritur. An Monialis supranumeraria, decedente aliqua Moniali de numero, in ejus locum subrogetur?

Resp. Negativè, prout ex dispositione Sac. Congr. Episcop. apud Fagnan. *ad dict. cap. Non ampliùs num.* 48. ibid. *Sacr. Congr. generali Decreto statuit, & declaravit, Moniales, quæ supra numerum in quolibet Monasterio constitutum recipiuntur, in locum Monialium decedentium, intra numerum nequaquam subrogari, neque impedimento esse, quin aliæ in locum earundem ex numero demortuarum recipi eo modo valeant, quo in singulis Monasteriis Moniales intra numerum possunt admitti. Quinimò easdem, sic supra numerum receptas, supernumerarias semper quo ad hoc remanere, etiam si in cæteris ab aliis nihil differant, sed illis in omnibus pares, & æquales, juxtà cujusque Monasterii institutum esse debeant*, 6. Septembris 1604.

26 Quæritur. *An Moniales possint in morte disponere de propriis cellis, & bonis, relinquendo ea alteri Moniali?*

Resp. Negativè. Nam Moniales nullum jus habent in cellis, aliisve bonis, sed solùm usum, sua morte finiturum. Atque ita nequeunt transferre in alias ius duraturum post mortem ipsarum; quia aliàs transferrent, quod ipsæ nunquam habuerunt.

Neque id possunt etiam de licentia Abbatissæ. Sed observanda sunt Decreta S.C. quæ 26. Januarii 1604. & 10. Aprilis 1615. declaravit, *facultatem disponendi de propriis cellis post mortem nulli Monialium concedendam, sed eas, dum vacaverint, arbitrio Superiorum aliis Monialibus in ordine seniorum distribuendas*, Pelizar. *de Monialib. cap.* 4. *sect.* 1. *num.* 23.

Nec obstat, quòd de licentia Abbatissæ Monialis defuncta, dum viveret, suam cellam permutaverit cum cella alterius Monialis; quoniam est certum, quòd nec tunc potuerit dispositionem facere, quæ duraret post mortem; nec ad hoc licentia Abbatissæ extendi potuit, quæ solum potuit permutationi consentire, ut duraret ad vitam Monialis defunctæ, & non ad vitam Monialis viventis, quæ in cella non acquirit, nisi usum, arbitrio Abbatissæ amovibilem; obstat enim votum paupertatis, ut dixit Pignatellus *tom.* 10. *consult.* 34. Ponderandum namque est, quòd Religiosi non possunt esse domini alicujus rei, imò nec usufructuarii, sed solùm usuarii. Usuarius autem habet solùm usum rei pro se, nec potest eum alteri cedere, cùm hoc sit proprium domini, & usufructuarii.

27 Cætera, quæ spectant ad votum paupertatis in Monialibus, videri possunt apud alleg. Pelizar. ubi sup. Sæpè etiam recognosci debent Decreta Clement. VIII. de largitione munerum Regularibus utriusque sexus interdicta, ~~ut in ejus~~ Constit. *Religiosæ*, *la* 28. *Bullar. tom.* 3. Circa quam subindè de mandato Urban. VIII. fuit à Congregatione per eum deputata, edita declaratio, ut in ipsius Const. *Nuper la* 158. *Bullar. tom.* 4.

CAPUT XXXIII.

Officialis quoad negotiationem per Ecclesiasticos.

SUMMARIUM.

1 *Negotiatio est duplicis generis, utriusque datur descriptio.*
2 *Negotiatio propriè dicta, vulgò* mercatura, *Ecclesiasticis interdicta.*
3 *S.C.Conc. Decreta ea de re edita, usque ad nu.*10.
11 *Licet Ecclesiasticis vendere, sive ad plenum, sive minutim, granum, & vinum recollecta in propriis prædiis, usque ad nu.*14.
15 *Licet Ecclesiasticis vendere panem.*
16 *Et habere furnum, & cellam vinariam.*
17 *Discrimen inter cauponam, & cellam vinariam.*
18 *Judex Ecclesiasticus cognoscit de fraudibus Ecclesiasticorum.*
19 *Non possunt laici suis subditis prohibere, ne accedant ad molendinum Episcopi.*
20 *Ecclesiastici non tenentur contribuere gabellæ à Principe impositæ pro publica annona.*
21 *Requisita à Sac. Canonibus, ut Ecclesiastici teneantur gabellæ annonæ contribuere.*
22 *Gabella imposita laicis ementibus ab*

Ecclesiasticis istos gravat, & libertatem Ecclesiastiсam offendit.
23 *Statutum contra emptorem afficit etiam venditorem.*
24 *Doctrina Zerolæ contra laicos Magistratus gravantes per indirectum Ecclesiasticos.*
25 *Bannimenta laicorum contra libertatem Ecclesiasticam sunt nulla. Et quando sint declaranda?*
26 *Nec facto tacito possunt laici prohiberi, ne ab Ecclesiasticis emant.*
27 *Magistratus laici non possunt suas prætensiones justificare, adducendo tolerantiam Sedis Apostolicæ.*
28 *Ecclesiasticis prohibetur chirurgia, & medicina.*
29 *In foro sæculari laico non possunt esse Notarii.*
30 *Est eis prohibita alchimia.*
31 *Regulares possunt habere aromatarias.*

NOn agitur hic de negotiatione, vel negotio importante actionem licitam, negantem otium, juxtà *cap. Forus*, §. *Negotium, de verb. signif.* Quoniam in hac acceptione negotiationem non esse Ecclesiasticis vetitam, pleno calamo DD. concordant. Nam plura ad eum effectum licent, & sunt necessaria Ecclesiasticis, quod etiam probare piget. Ideò ut locum habeat articulus resolvendus, in alio sensu significatum negotiationis usurpatur. Hinc.

Quæritur. *An Clericis sit negotio interdicta?*

Affirmant quotquot protegendo Principum jura, eis contra Ecclesiasticam libertatem nimis indulgent.

1 Nos autem ponderamus variam esse negotiationis naturam. Altera enim est negotiatio merè *lucrativa, ut cum emitur res, ut omninò integra, & immutata manens cariùs vendatur, itaut ex sola transmutatione de persona in personam sequatur lucrum*; quæ proindè mercatura, & negotiatio propriè, & sæcularis nominatur: & alia *non lucrativa*, sed industriosa, & œconomica; ut cum *quis sibi, vel familiæ, & suo statui necessaria, aut convenientia procurat; vel emit rem, & per artificium ad aliquam formam redactam, vendit*; quæ impropriè solùm est negotiatio, ut tradit Pignatell. *tom. 2. consult.* 34. *n.* 19. & potiùs dicitur artificium, quàm negotiatio, per Genuen. *prax. cap.* 77. & Fagnan. *in* 3. *ad cap. Multa, ne Cleric. vel Monach. num.* 23.

2 Qua distinctione præmissa; resolvimus, negotiationem propriè dictam (vulgò *mercatura*) Laicis permissam, Clericis, & Regularibus, per Trid. *sess.* 22. *c.* 1. *de refor.* prohiberi; nam est signum cupiditatis ad divitias, à quibus Ecclesiasticis debent esse alieni: eis tamen, ubi necessitas exigat, non est interdictum artificium non sordidum, nec negotiatio in secundo sensu inspecta. Nam hæc possunt honesto fine exerceri, ad necessariam nimirùm sui, & suorum sustentationem, in pauperum sublevamen, & Ecclesiæ necessitates. Per ea, quæ leguntur *cap. Clericus, il* 1. 91. *dist. & in cap. Nunquam, de consecr. dist.* 5.

3 Et subinde super eo fuit à Sancta Sede sæpè pronunciatum, & pluries resolutum, ut infrà. *I. Presbyteri, & Clerici Terræ Madiæ Neocastren. diœcesis, qui ut plurimùm ob loci, personarum, ac temporum qualitatem, aliqua ex infrascriptis rationibus ad necessariam sui, & familiæ sunstentationem coguntur quærere; ad obviandum vexationibus Commissariorum, petunt, ut declaretur, an liceat eis hæc facere absque reatu illicitæ negotiationis?*

I. An liceat eis terras patrimoniales: & beneficiales per laicos colere?

II. An pro necessario culturæ usu possint emere boves, & alia animalia, & fœtus illorum vendere?

III. An ii, qui in propriis terris habent quercus, & castaneas, quarum fructibus sues vescantur, possint sues emere, eosque alere, & pro familiæ sustentatione vendere?

IV. An iidem Clerici cum foliis suarum arborum possint in propriis ædibus arti sericæ operam dare; vel idem opus alteri ad medietatem committere, ut in illis partibus fieri consuevit?

Sac. Congr. Conc. *Ad I. censuit licere Clericis agros beneficiorum, & patrimoniorum suorum, opera laicorum colere absque reatu illicitæ negotiationis.*

Ad II. Posse similiter Clericos pro ejusdem culturæ usu, boves, & pro sustentiotione animalium pascua necessaria coemere, ipsarumque terrarum fructus, & ani-

ma-

malium fœtus justo pretio, & honesta ratione vendere; nec propterea eos prohibitæ negotiationis prætextu vexari posse, aut debere.

6 *Ad III. Itidem posse pro sua, & familiæ suæ sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, seu distrahendis suibus, nihil sordidum, aut indecens Ordini Clericali exerceant.*

7 *Ad IV. Licere Clerico arborum in propriis bonis existentium folia alicui laico concedere eo pacto, ut lucrum, quod ex bombicibus proveniet, inter utrumque dividatur; ac pariter eidem licere earumde arborum foliis per se ipsum absque officii sui detrimento, dumtaxat pro sua, ac familiæ sustentiatione, artificæ sericæ operam dare; dum tamen in artificio hujusmodi personas non suspectas adhibeat, & quoad hoc Episcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat.*

8 Item censuit, *Clericos posse retinere, & locare boves, oves, & alia animalia, quæ habent ex successione, vel decimis, nec non fructus illorum vendere absque crimine illicitæ negotiationis*, Fagnan. *ad d. c. num. 35. & seqq.*

9 Item Sacr. Congreg. Episc. & Regul in una Melphitana 15. Decembris 1603. censuit, *non censeri negotiationem illicitam mittere ad vendendum frumentum, vinum, oleum, & similia collecta in proprio patrimonio, vel beneficio*. Et in una Militensi 12. Maii 1613. declaravit, *non posse molestari pro negotiis illicitis Ecclesiasticos, qui emunt frondes morcrum, seu celsorum pro serico*. Et in una Ulysiponen. 19. Novembris 1618. censuit *Clericos conducere posse res Ecclesiasticas, dummodo opera manualia per laicos exerceant.*

10 Item eadem Sacr. Congreg. Conc. 14. Novembris 1616. censuit, *posse Clericos ex urgenti necessitate subministrare triticum ad seminandum ad participandum de messe.*

11 Hinc I. resolvitur licere Ecclesiasticis, sive ad plenum, sive ad minutum vendere granum) idem judicium est de vino, & similibus) recollectum ex propriis prædiis patrimonialibus, vel beneficialibus. Hujusmodi enim non est negotiatio Clericis prohibita. Nam non emunt frumentum ab aliis vili pretio, ut illud carius vendant, in quo consistit formalitas illicitæ negotiationis prohibitæ Clericis *in cap. Eiiciens. 88. distin.* Et in Concilio Tarraconensi sub Hormisda Papa anno 517. *in Canon. 2.* ibi: *Sicut Canonum statutis prohibitum est, quicumque in Clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi carius studio non utatur. Certè si voluerit hac expressè, cohibeatur à Clero.* Sed frumentum est fructus ex ipsorum fundo collectus, cujus sunt domini; nec per negotiationem merè lucrativam, seu mercaturam, sed per usum proprii juris, quod quilibet habet capiendi fructus sui fundi, illud ad sui, & suorum sustentationem vendunt. Nec id eis potest per laicos prohiberi, cum Ecclesiastici non sint de laicorum foro.

12 Sed petitur. An teneantur illud vendere pretio, & taxa, ac in mensura à laica potestate præfixis?

Nos absolutè negamus, dicimusque Ecclesiasticos non teneri ex vi legum sæcularium se conformare pretio, ac taxæ, vel mensuræ per eas inductæ; nam lex, nonnisi subditum ligat; Ecclesiastici autem non subduntur laicis, sed plenissimè sunt extra ipsorum jurisdictionem, *cap. Eccl. S. Mar. de const.* Sed solum vi rationis naturalis, quæ quia præscribit res, nonnisi justo pretio, & pondere esse vendendas, ideò non plus justo vendere tenentur.

13 Quapropter, ubi Ecclesiastici vendiderint res suas uno ex pretiis justis, quæ in Civitate sunt, quamvis non vendant taxato à lege, non poterit dici, quòd vendant pretio non justo, & quòd peccent contra justitiam, & rationem naturalem, quæ in hoc eos obligat, ut probavit Sperell. *dec. 12. num. 25. & decis. 13. num. 10.*

14 Ad cognoscendum autem, quodnam sit pretium justum, DD. animadvertunt; si in Civitate, vel loco non sit aliud pretium, quàm taxatum à Magistratu (quod dicitur legale, hoc est à lege definitum) tunc Ecclesiastici non possunt illud pretium excedere, sed debent illud eligere, non quia taxatum à Magistratu laico, sed quia, cùm sit pretium consuetum, justum in loco à peritis reputatur. Siquidem pretium, quod æstimationis, vel emptionis causa constituitur, à peritis dicitur. Si verò in ipsa Civitate, vel loco existit aliud pretium minus, vel majus taxato per Magistratum, (quod quidam vulgare appellant, quatenùs vulgari æstimatione constituitur; & alii vocant naturale, tanquam à natura-

li prudentia constitutum, vel quia secundùm naturam rerum usui accomodatam currit) possunt Ecclesiastici unum ex iis eligere, omittendo taxas à Magistratu præfixas. Nam, ut quævis injustitia vitetur, sat est, quòd Ecclesiastici vendant eo pretio, quod est in praxi, & ab emptoribus recipitur, cùm æstimetur justum. Vide dicta *cap.* 22. *num.* 28.

15 II. Sequitur, posse, & licere Ecclesiasticis molere frumentum, ut in panem redactum utiliùs vendant; dummodò non per se ipsos id faciant, nec alienum frumentum, sed proprium, in panem redigatur.

16 III. Licet eis habere furnum, & tabernam vinariam, in qua non per se ipsos, sed ministros, servos, aut parentes vendant panem ex proprio frumento factum, & vinum in propriis prædiis recollectum; quin possint reprehendi, tamquam illiciti negotiatores. Nam non emunt vili pretio, ut aliis cariùs vendant; quod est indicium negotiationis illicitæ referentis affectum & concupiscentiam ad divitias, quas summoperè Clerici abhorrere debent, ut frequenter Canones loquuntur, *cit. tit. ne Cleric. vel Monach. & de vit. & honest. Cleric.* Sed proprios fructus vendunt ad suam, & suorum sustentationem, ac ut pauperum indigentiis, & Ecclesiæ necessitatibus provideant. Et proindè de eis non verificatur, quòd negotientur. Quoniam ut observavit Cravet. *cons.* 6. *num.* 116. *& cons.* 163. *num.* 3. *vol.* 7. non dicitur negotiari vendens in taberna triticum, vinum, vel oleum suum; quemadmodum propriissimè procedit in eo, qui emit, ut vendat, & id agit, ut lucretur; ut pluribus cumulatis *ibid. num.* 8. notavit Pignatellus.

Nec dicatur, quòd usus tabernæ vinariæ prohibetur Ecclesiasticis, Clement. I. *de vit. & honest. Cleric.* Nam ibidem inhibetur solùm, ne Clerici per se ipsos officium tabernarii, & macellarii exerceant. Quapropter jura dumtaxat videntur prohibere Ecclesiasticis exercitium tabernæ per propriam personam. Ita *in cap. Significante, de appellat.* non improbatur, quòd Canonici habuissent stallos publicos, in quibus carnes vendebantur; non per se ipsos propter indecentiam, & fœditatem ministerii, sed per ministros, & servos conductos.

17 Hìc distinguendum est inter cauponam, & tabernam, in qua per cauponem empta vina bibuntur, & cibi parantur hospitibus; & tabernam, seu cellam vinariam, in qua vinum proprium minutatim venditur. Primi generis tabernas dubium non videtur esse Clericis prohibitas; cùm indecentissimum sit, Clericos fieri caupones, & tabernarios; non verò illas secundæ qualitatis, dummodò proprium vinum per matrem, sororem, aut famulos vendatur.

17 Nec valet opponere, quòd usus furni & cellæ vinariæ Ecclesiasticorum redundat in præiudicium publicum, ob fraudes, quæ occasione vendendi frumentum, & vinum proprium, committuntur, emendo ab aliis, vel commiscendo cum proprio frumentum, & vinum consanguineorum, ut ita opes familiæ augeantur, & sint consanguinei propter ea bona exempti ab oneribus solvendis gabellariis, vel publico ærario. Objectum enim est infirmum, ut vix solutione sit dignum; nam præjudicium, quod supponitur, est chymericum, & non subsistens. Etenim illud non reperitur in ordine ad emptores, cùm panis, vinum, oleum, & similia, quæ ab Ecclesiasticis venduntur, quoad pondus, & mensuram sint æqualia cum pane, & vino laicorum; & quoad qualitatem, regulariter sunt meliora; nec in ordine ad Magistratum sæcularem, qui vult, ut solùm panis, & vinum vendatur in suis furnis, & tabernis, ut inde majus emolumentum recipiat; nam hoc est commodum merè privatum, & aliud non videtur esse, quàm monopolium, in publicum præjudicium (quod iniquum est, & Reipublicæ injuriosum) eò quòd Cives cogantur emere carius (quamvis justo pretio) à Magistratu, cæteri verò de Republica, adeòque & Ecclesiastici impediuntur justè, & commodè negotiari, & esse aliis Civibus in pretio benigniores.

18 Nec vis est ponenda in prætensis fraudibus. Nam primò, id non est præsumendum de viris Ecclesiasticis. Secundò, dum de fraude constat, possunt laici recurrere ad Judicem Ecclesiasticum, ad quem spectat super eo pronunciare, & delinquentes Clericos punire, prout dixit Rota coram Cavalerio *decis.* 286. *sub nu.* 5. & resolvit Sacra Congregatio immunitatis

in

in Ravenatensi, ut infrà Sacra Congregatio, &c. *sæpiùs censuit personas Ecclesiasticas vendentes minutatim vinum in propriis domibus, recollectum ex eorum bonis, non teneri ad solutionem gabellæ, nuncupatæ.* della Foglietta, *ex tenore Constitutionis sanct. mem. Sixti V. desuper editæ; dummodò, ut vulgò dicitur, non faccino far Bettole, ne diano da mangiare, à quibus abstinere debent ratione honestatis Clericalis; cognitionemque fraudum, quæ desuper committuntur, spectare ad Judicem Ecclesiasticum.* Et in Auximana 9. Septembris 1670. respondit, *Ecclesiasticos posse vendere sua olea collecta ex suis bonis etiam minutim; ideoque non possunt impediri, dummodò illud vendant in propriis domibus decenter, ac privatim id faciant, cùm non deceat, neque liceat incedentibus in habitu, & tonsura, ac inservientibus Ecclesiæ, aperire apothecas.* Et in Martyranen. 10. Januarii 1671. *rescripsit Episcopo ad formam Decretorum, scilicèt non esse impediendum Ecclesiasticis venditionem vini, etiam ut dicitur, à minuto, dummodò non aperiant tabernas*, Pignatell. *ibidem num.* 73.

19 Quæritur. An Magistratus laicus possit interdicere suis subditis, ne accedant ad Molendinum Episcopi?

Resp. Negativè, prout expresè in resolutione Sacræ Congregationis Immunitatis in una Bitettensi 7. Martii 1651. ut sequitur: *Il Vescovo informando sopra il Memoriale, già dato da quel Clero, riferisce esser vero, che quel Principe supponendo d'havere dall'università il jus moliendi privativè, hà semper preteso prohibire à suoi sudditi laici, che non vadino al Molino del Vescovo, mà solamente alli suoi, che molti anni sono comprò da particolari; come anche per crescere all'università la gabella del Macinato, pretende, che li medesimi sudditi non possino portare à detto Molino Ecclesiastico franchigie compre, ò donategli dagl'Ecclesiastici, tenenendo opinione, che gl'Ecclesiasti, li quali non possono far pane in casa, non possono vendere, ò donare le loro franchigie; percio supplica d'ordinargli, quanto debba eseguire.* Sacra Congregatio, &c. respondit: *Non posse prohiberi, quin laici adeant Molendinum Episopi, emantque franchitias ab Ecclesiasticis, qui possunt habere furnum, & conficere panem ex frumento in suis bonis recollecto. Ideòque dentur Decreta, procedatque servatis servandis, ibid. num.* 63.

20 Quæritur. Princeps super frumento, etiam vendendo minutim, & in panem redato, imponit gabellam pro annona Civitatis? tenenturne Ecclesiastici ad ejus contributionem, & solutionem? Ad quod dicas, juxtà tradita *cap.* 8. *num.* 9. *& ad cap.* 22. *num.* 23.

Interim notabis, posse opiniones DD. contrarias concordari, quatenùs affirmantes teneri, cùm hac limitatione procedant, hoc est, si concurrant requisita per Sacros Canones; & qui dicunt non obligari, intelligantur nisi concurrant requisita à Sacris Canonibus. Etenim idem est asserere, Ecclesiasticos teneri, si concurrant requisita, atque affirmare, eos non teneri, nisi requisita concurrant.

21 Sed petitur. Quænam sint requisita per Sacros Canones, ut teneantur d. gabellæ contribuere?

Resp. Sequentia, ex *d. c. Non minùs, & c. Adversùs, de immunit. Eccl.* I. Ut evidens sit utilitas, & necessitas. II. Ut agatur de utilitate, & necessitate communi laicis, & Ecclesiasticis. III. Ut facultates laicorum non suppetant. IV. Ut judicium de prætactis fiat ab Episcopo, & Clero. V. Ut nulla coactione à laicis obligentur VI. Ut exactio non fiat à judice sæculari. VII. Ut obtenta sit licentia à Romano Pontifice.

22 Quæritur. Magistratus sæcularis videns habere resistentiam juris ad gravandos Ecclesiasticos gabella frumenti, vini, &c. evulgat edictum pro laicis sibi subditis, & mandat, ut officio redituum denuntient res, à quovis sint emptæ, ut inde de illis gabellam solvant; petitur, an hujusmodi edictum sit in præjudicium immunitatis Ecclesiasticæ?

Resp. Affirmativè. Siquidem gabella, quæ imponitur, exigiturque ab emptore, contrahente cum Ecclesiastico, censetur cōtra libertatem Ecclesiasticam, non modò, quia propter onus gabellæ impositum, Ecclesiastici indirectè gravantur, cùm sic impediantur res suas vendere, aut viliùs, quàm aliàs facerent; verùm quia Ecclesiastici privantur jure, quod habent liberè contrahendi cum laicis sine onere, quod debent subire laici contrahentes cum ipsis.

Edictum autem, quod coarctat, & restringit Ecclesiasticos, eisque adimit, quod de jure ipsis concessum, est, violat libertatem Ecclesiasticam, à qua habent, ut sint à legibus, statutis, actionibus, & laicorum oneribus exempti, & possint cum laicis liberè sine gravamine contractus licitos celebrare, per text. *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constitutionibus*.

23 Nec relevat dicere, onus esse impositum emptoribus; nam implicitè, virtualiter, & indirectè, & ipsi vendentes gravantur, cùm vendentes, & ementes sint correlativi; & statutum contra emptorem habere locum contra venditorem, dixit Rota coram Card. Serap. in una Camerina prædii 10. Novemb. 1597. & ideò immunitas concessa venditori juvat pro eodem actu, seu contractu emptorem, ut post plures notavit Pignatellus *ibid. num.* 37.

Quinimò tunc gabella exigeretur ab Ecclesiasticis mediante persona laica; nam illi, stante dicto onere, deberent à pretio rei tantum detrahere, quanti æstimaretur gabella; adeòque non tanti vendere, quanti vendidissent, si hujusmodi onus emptoribus non fuisset impositum. Propterea optimè edicta considerantur in fraudem evulgata, & in re per fraudulentam nominis mutationem ad Ecclesiasticos dirigi, ut communiter Doctores.

24 Quod in nostris terminis dixit Zerola *in prax. par.* 1. *verb. Gabella quæst.* 4. ibi: *In quibusdam locis ratione gravaminis alicujus universitatis, laici imponunt gabellas super serico, vel vino, vel aliquo hujusmodi, & statuunt, ut solvantur duo caroleni, vel quid simile pro libra, vel dolio. E quia vident se non posse adstringere personas Ecclesiasticas vendentes, statuunt, ut eos solvant laici, qui emunt; & non vident, quod indirectè ista gabella cadit super personas Ecclesiasticas; nam hoc ipso propter onus gabellæ solvendum laici viliùs emunt, & Ecclesiastici vendunt; atque adeò talis gabella indirectè est lata contra personas Ecclesiasticas*.

Hinc Sacra Congregatio Immunitatis in Januen. 9. Aprilis 1647. resolvit, Clericos *gaudere debere immunitate à gabella vini, ac etiam ementes ab eis*. Et in Juvenecten. 14. Maii 1633. *Ementes vinum ab Ecclesiastis non tenentur ad gabellam impositam*. Et in Ferrarien 24. Maii 1654. *Emptores fructuum ab Ecclesiasticis non tenentur ad gabellarum extractiones*. Et apertiùs in Panormitana 7. Junii 1633. *Censuit sub gabella imposita à laicis contra emptores vini, quod minutim venditur, non comprehendi emptores vini, quod ab Ecclesiasticis venditur*. Et alibi sæpissimè apud *cit.* Pignatell. *ibid. num.* 73.

25 Quæ statuta, & bannimenta sunt ipso jure nulla, & contra libertatem Ecclesiasticam. Adeòque revocanda sunt, aut declarandum, in eis Ecclesiasticos non comprehendi. Potestque Episcopus censuris statuentem cogere ad declarandum ea ad Ecclesiasticos non extendi. Quatenùs verò Magistratus resistat, debet ipse propria authoritate illa tollere, & declarare esse nulla, ut communiter tradunt Canonistæ, & pluries resolvit Sac. Congr. Immunit. ut in una Firmana 19. Novembris 1630. in Æsina 8. Aprilis 1631. & in una Neapolitana 23. Julii 1652. Pignatell. *cit. à num.* 48.

26 Sed quid dicendum de illis Magistratibus, qui censurarum terrore edicta non evulgant, sed secretò executoribus committunt, ut vigilent, & quos noverint ab Ecclesiasticis emisse, ad carceres, nulla reddita causa, ducant: à quibus post plures dies dimittuntur hac verborum formula: *Currite cautè: habbiate giudizo?*

Dicitur & in isto casu concurrere præjudicium libertatis Ecclesiasticæ, ut concludentissimè ex prædictis patet; idque redditur evidens ponderando, quòd enunciato facto impediuntur Ecclesiastici, ne res suas vendant; cùm nonnisi accedentibus ad emendum vendere possint, & nullus in casu propter periculum capturæ accederet.

Et hinc sequitur, quòd Ecclesiastici cogantur suum frumentum, vinum, oleum, &c. vendere Communitati, vel in locis à Magistratu destinatis. Ad quod cogi non possunt, ut dixit S. Congr. Immunit. in una Conversanen. 14. Januarii 1653. Utrumque enim Ecclesiasticam libertatem offendit. Nec possunt laici se tueri consuetudine; quia hæc contra potestatem Ecclesiasticam reprobatur apertissimè, etiam in Bulla Cœnæ. Adversùs quam ignorantiam allegari non potest; nam quovis anno ejusdem publicatio renovatur.

27 Sed quid de illis, qui allegant consensum tacitum Sedis Apostolicæ, inductum per

per patientiam, & tolerantiam Summi Pontificis, qui quamvis sciat nonnullos Magistratus simili modo procedere, tolerat, & proindè tacitè consentit, juxtà regul. 43. *jur. in 6. Qui tacet, consentire videtur*?

Dicendum, quòd per patientiam, & tolerantiam præsumi non debet consensus, & beneplacitum Sedis Apostolicæ. Plura enim non innotescunt, vel per patientiam tolerantur, quæ *si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, tolerari non debent*, ut expressè text. *in cap. Cum jam dudum, de prabend. in fine*; ubi Gloss. *in ver. Per patientiam*, rectè colligit, quòd ex eo non inducitur approbatio, seu dispensatio. Et in his terminis respondit Rota in Valentina Gabellæ 9. Decembris 1598. coram Orano, §. *Nec magis, & §. Unde præsumptus consensus Papæ*; & Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 17. *cap.* 10. *num.* 256. dixit, quod simplex tolerantia, quando scilicet Princeps non potest commodè providere, non est satis ad dispensandum; quod notis terminis legitur in Bulla Cœnæ §. *Declarantes*, ibi: *Declarantes, &c. & protestantes quamcumque absolutionem solemniter per Nos faciendam, &c. ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes &c. publicè revocaverint, & ex archiviis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari; quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos; ac etiam per patientiam, tolerantiam nostram, vel Successorum Nostrorum, quantocumque tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscumque juribus Sedis Apostolicæ, ac S. R. E. undecumque, & quomodocumque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicare posse, aut debere.*

28 Ecclesiasticis prohibetur. I. Exercere artem chirurgiæ, *cap. Sententiam, ne Cleric. vel Monach. cap. Tua, de homicid. §. Non igitur*; ubi ille Monachus, qui erat peritus in arte, & omnem adhibuit diligentiam ad curandam Mulierem, quæ postea decessit, prout in textu, adhuc declaratur irregularis; & redditur ratio, quia multùm deliquit, alienum officium usurpando (idest chirurgi) quod *sibi minimè congruebat*; *licèt cum eo misericorditer dispensetur*.

II. Exercere medicinam, ut colligitur ex *cap. Non magnopere cit. tit. ne Cleric. vel Monac.* ibi: *Sub obtentu languentium Fratrum consulendi corporibus, cap. Super specula ibid.* Et quamvis in dd. locis dispositio sit solùm de Religiosis, tamen etiam probatur Clericis in sacris constitutis, ut expressè *cap. Statutum, ne Clerici, vel Monachi in 6.*

III. Esse Ministros laicorum, ipsorum rerum gestores, & in negotiis sæcularium procuratores, *cap. Multa cit. tit.* Sed pro Ecclesiasticis possunt, ut ibi Gloss. *in verb. Procuratores*.

29 IV. Esse Notarios, *cap. Sicut eod. tit.* maximè circa forum sæculare, & actus merè civiles. In foro autem Ecclesiastico, & circa causas, & negotia spiritualia, etiam Ecclesiasticos hoc officium exercere posse, magis receptum est, ut scripsit Engel. *jur. Canon. lib.* 3. *tit.* 50. *num.* 5. & videtur expressum *in cap. Ut officium, de hæret. in 6. §. Ad conscribendas*. Et quamvis textus sit restrictus ad causam fidei; tamen posse etiam in aliis causis spiritualibus officium Notariatus exercere conceditur, *cap. Debent, de offic. ord. inter Extravag. Joann. XXII. circa finem*; & facit, quòd in Concilio Tridentino duo fuerunt Notarii, unus laicus, & alter Clericus, ut patet ex eorum subscriptionibus in calce dicti Concilii.

Cæterùm in causis Ecclesiasticis possunt esse Notarii, & instrumenta conficere etiam laici; ut habetur ex Trident. *cap.* 10. *sess.* 22. *de refor.* ubi tribuitur facultas Episcopis, etiam tamquam Delegatis Sedis Apostolicæ, examinandi quoscunque Notarios, etiam Apostolica, Imperiali, aut regia authoritate creatos, eisque minùs idoneis repertis, aut in officio delinquentibus prohibendi in perpetuum, aut ad tempus officii ejus in negotiis, litibus, & causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi usum, ut text. expressè. Ergo Sancta Synodus supponit, Notarios laicos ante prohibitionem Episcopi posse hujusmodi officium exercere, etiam in spiritualibus, & Ecclesiasticis; nam privatio supponit habitum. Et quia Concilium loquitur de causis Ecclesiasticis, & spiritualibus, nequeunt

Episcopi non idoneis repertis prohibere usum officii in causis prophanis, & coram judice laico, ut censuit S. Cong. Conc. apud Fagn *ad c. Sicut te d. tit. ne Cleric. num. 66.*

30 V. Clericis sub pœna privationis beneficiorum, & inhabilitatis ad habenda alia prohibetur alchimia, seu ne aurum, & argentum alchimicum faciant, *cap. Spondet de crim. fal. inter Extravag. com.* in qua generaliter omnibus proibetur, & puniuntur facientes, & fieri procurantes.

31 Quæritur. an Regulares possint habere aromatarias?

Resp. Negativè, præterquàm pro usu Religiosorum. Nec possunt cuique vendere, etiam prætextu amicitiæ, seu familiaritatis, pharmaca, & medicamenta, exceptis theriaca, hiacyntho, & aliis, vulgò dictis Chimicis; non obstantibus privilegiis, Ordinibus Regularium cujusvis Instituti concessis, quibus authoritate Papæ expresse derogavit Sac. Cong. Conc. in Decreto edito anno 1637. & confirmato 7. Septembris, & 16. Decembris in Concistorio 1647. Ratio est, quia est negotiatio illicita, & Ecclesiasticis prohibita. S. Congreg. Conc. 28. Februarii 1693. Monacell. *form. part. 2. form. 4. num. 17. tit. 14.*

Illis de Ord. Min. de Observ. aromatariarum usus, præterquàm pro eo Fratrum prohibetur à S. C. ab Urb. VIII. præposita consult. Frat. Min. de Observ. *in Bull. tom. 4. ad constit. 51. Urb. VIII.*

Cæterùm, sicut Clerici sæculares non possunt exercere officium aromatarii absq; licentia Papæ, vel S. Congr. ut in una Panormitana S. C. 23. Aprilis 1591. Nicol. Flosc. *v. Aromatarius num. 3.* ita dicendum de Sacerdotibus Regularibus; vitare enim debent periculum irregularitatis, quam administratione possunt incurrere.

CAPVT XXXIV.

Officialis quoad Novitios.

SUMMARIUM.

1 *Quisnam dicatur Novitius Regularis?*

2 *Quanto tempore Novitius debeat stare in probatione?*

3 *Annus alius naturalis, & alius civilis.*

4 *Annus probationis computatur de momento in momentum, usque ad num. 14.*

15 *In anno bissextili expectandus est dies, qui de novo additur.*

16 *Annus probationis debet esse continuus.*

17 *Non est valida professio, emissa ab existente de licentia Superiori extra Conventum Novitiatus.*

18 *An Novitius in Conventu Infirmariæ causa infirmitatis interrumpat Novitiatum?*

19 *An suscipiens habitum in Conventu non designato, si per annum in probatione perseveret, validè deindè profiteatur?*

20 *Non est valida professio facta extra Conventum non designatum pro Novitiatu.*

21 *Sed quid de professione illius, qui peractis sex mensibus Novitiatus in Conventu designato, ad alium item designatum transfertur, ut ibi probationem compleat?*

22 *Superiores possunt annum probationis prorogare, & ad quantum tempus.*

23 *Donationes, & resignationes factæ ante ingressum in Religionem tenent, usque ad num. 24.*

25 *Agitur de excommunicatione lata contra dantes, & recipientes, &c. usque ad 27.*

28 *An valeat donatio à patre facta Monasterio, in quo illius filius extitit Novitius?*

29 *Novitio recedenti à Religione restituendus est valor habitus, quem propriis expensis fecit.*

30 *In Ordine Minor. de Obser. nil potest recipi pro victu Novitiorum.*

31 *Beneficium Clerici ingredientis Religionem nequit alteri conferri, nisi emissa per eum professione.*

32 *Peccat mortaliter, denegans suffragium Novitio idoneo.*

33 *An Provincialis suffragium ferre possit super idoneitate Novitii ad professionem?*

34 *Novitii in paritate votorum super idoneitate nequeunt ad professionem admitti, nec Provincialis habet decisivum.*

35 *Confessarii Novitiorum nequeunt Novi-*

vitiis suffragium denegare propter defectum cognitum ex confessione Sacramentali.

1 NOvitius ille dicitur, qui de novo per idoneos Religiosos recipitur, & vestimentis probationis in Religione à Sede Apostolica approbata induitur, nullo voto emisso.

2 Quæritur. Quanto temore Novitius debeat in probatione stare?

Respond. Id taxatur à Trid. *sess. 25. cap. 5. de Regular.* ibi: *In quacumque Religione, tam virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: & qui minori tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem non admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem aut, alios quoscumque effectus.*

At petitur. An valida sit professio emissa peracto probationis anno, eadem die suscepti habitus, sed ante horas circiter quinque?

Validam esse professionem plures scribunt, considerantes: Primò, quòd in his, quæ respiciunt favorem alicujus, dies cœpta habetur pro completa. In hac autem facti specie versamur in his, quæ favorem respiciunt, tum ex parte Novitii, tum ex parte Religionis: ex parte Religionis, ut hæc probet mores Novitii; ex parte verò Novitii, ut hic probet Religionis austeritates, & disciplinam; & ita expectandum non est ultimum instans.

3 Secundò, quia Concilium d. loco nil aliud exigit, quàm annum probationis completum; & cùm annus dividatur in *naturalem*, qui diebus, & horis conficitur, & de momento in momentum computatur, constatque diebus 365. & horis ferè sex: & *civilem*, seu *vulgarem*, ac *artificialem*, qui 365. diebus absolvitur; videtur satisfactum menti Concilii, si intelligatur de anno civili, & non naturali: maximè, quia levis omissio non vitiat, ut plures rescripserunt.

Tertiò. Si Concilium loqueretur de anno naturali, deberent à die suscepti habitus usque ad professionem emissam currere dies 365. & ferè sex horæ: & ita Novitius, qui suscepisset habitum die 10. Junii 1707. hora nona, deberet sequenti anno professionem emittere die 10. ejusdem mensis, hora 15. alioquin professio antea facta nulla foret; & cùm hæc sit res plena scrupulis, dicendum est Concilium locutum fuisse de anno civili, non naturali.

4 Cæterùm pro nullitate professionis videntur magis urgere infrascripta. I. Concilium ibidem ad professionis validitatem necessariò requirit, ut Novitius non minori tempore, quàm per annum, in probatione steterit. De Novitio autem, qui ante aliquas horas professus est, verissimè dicitur in probatione minori tempore stetisse, quàm per annum. Quoniam annus per DD. ubi incipit, ibi desinit, & qua incipit hora, finitur, ut scribit Bart. *in l. libellorum, ff. de accusat.* Ergo ejusdem professio valida esse non potest. Eò magis, quòd jus commune, à quo Concilium recipit interpretationem passivam, non modò exigit, ut Novitius non minori tempore, quàm per annum, in probatione stet; verùm requirit, ut annus sit elapsus, per tex. *in cap. Non solùm de Regul.* ibi: *Sub pœna excommunicationis districtiùs inhibemus, nec ante annum probationis elapsum quemquam ad professionem vestri Ordinis recipere præsumatis.* Certum autem videtur non posse dici annum elapsum, nisi ultimum momentum supremæ diei excesserit.

5 II. Quia, quamvis levis omissio regulariter actum non vitiet; id tamen non verificatur, quando quod omittitur, est de forma *c. Cùm dilecta de rescript.* Est autem de forma, quòd annus probationis sit completus, propter adjectam à Concilio clausulam Decreti irritantis: ergo ex omissione horarum quantumcumque levi, irrita redditur professio.

6 III. Quamvis apud DD. ob textuum diversitatem dubia res sit, an tempus computetur de momento ad momentum) an ultima dies anni cœpta habeatur pro completa? tamen in hoc videntur convenire, quòd ubi est favor, ut tempus duret, non habeatur pro completa; ubi verò favor est, ut tempus finiatur, pro completa reputetur. Quod videtur juxta Gloss. *in c. Cùm in cunctis, de elect. in ver. Exegerit.* Favor autem est, tum respectu Novitii, tum respectu Religionis, ut tempus currat de momento in momentum, & nullum instans, vel Novitio, vel Religioni præripiatur. Favor Novitii est, ut hic integro anno probet onera,

ta, & labores Religionis, deque ejusdem obligationibus instituatur. Et licèt aliquem esse Religiosum summus sit favor, tamen summus etiam favor est, ut antequam talis efficiatur, cum integra anni plenitudine de Religione deliberet, juxta dict. *capit. Non solum*, ubi dicitur, *annum probationis institutum maximè esse in subsidium fragilitatis ingredientis*. Favor verò Religionis in eo est, ut probet mores Novitii; quæ cum est professioni proximior, solet magis experiri, an vero zelo, vel humano affectu, an ad Deo famulandum, an aliquo mundano fine statum Religionis elegerit: & propterea tempus de momento in momentum est computandum, & nullum instans neutri absque gravi ipsorum injuria surripi potest.

7 Quinimò, si in materia præsenti concurreret favor, & odium, adhuc tempus deberet computari de momento in momentum, ut etiam dixit Glos. *in d.cap. Cùm in cunctis*.

8 Sed quatenùs deberemus à doctrina illa de favore, & odio discedere, adhuc non sustineretur, quòd in præsenti dies cœpta haberi deberet pro completa. Quod evidentissimè concluditur per ea verba: *Nec qui minori tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit*: Concilium hìc connotat tempus probationis, non à die, sed ab actu susceptionis habitus. Unde communis conclusio est; ut, quotiescumque terminus statuitur ab aliquo actu, non à die actus, sed tempus currat de momento ad momentum, ac proinde quilibet vel minutissimus defectus infringit actum, ut ex Fagnan. in 3. *ad cap. Ad nostram, de Regul. num.* 35. excripsit Pignatell. *tom. 9. consult.* 87. *num.* 6. Annus autem debet esse completus, non Ecclesiasticè per Festa Mobilia, sed per cursum solarem.

9 Hinc concludas, tempus computari de momento ad momentum, hoc est, ab hora diei, in qua suscipitur habitus, usque ad eandem horam ultimi diei probationis, adeòut necesse sit, ut qui habitum suscepit die 2. Augusti anno 1707. hora 20. debeat anno 1708. eadem die, & hora, & non priùs profiteri. Nam ubi Lex, vel Constitutio taxat tempus, estque à Lege ordinatum, debet esse completum ad ultimum usque momentum, ut post Suarez, & Sanchez dixit Pignatell. *tom.*10. *consult.*11. *num.*1. Quapropter notavit Quilici *Confess. manud. qu.* 16. *art. ult. num.* 15. in anno probationis, & ætate ad professionem necessaria non dari parvitatem materiæ. Nam semper de eo, qui stetit in probatione una hora, vel media, vel quadrante minus, dicitur stetisse minus anno, Peyrin. *de Prælat. q.* 3. *c.* 1. §. 4. *num.* 5. Super quo omne removit dubium S. C. C. quæ die 21. Januarii 1617. declaravit, *professionem emissam non completo anni curriculo, etiam per duas horas tantùm, non valere*, apud Hasbensem *summ. qq. Regul. ver. Professio num.* 346.

10 Nec obstant, quæ fuerunt pro validitate professionis producta; non primum, cui satis est datum supra in tertia probatione. Quoties enim Lex aliter disponit, ut in casu Concilium, non sequitur diem cœptam haberi pro completa.

11 Nec secundum: & Concilium esse locutum de anno naturali, patet ex primo, & secundo fundamento nostræ opinionis.

12 Nec tertium. Concedimus ad validitatem professionis requiri annum expletum 365. diebus, & horis ferè sex; sed negamus rotundè, quod argumentum intendit: nam illæ sex horæ intercluduntur inter unam, & alteram nonam horam præfatorum mensium sic, ut in sequenti anno completus omninò reputetur ad horæ nonæ pulsum.

Et reputari debet horologium æquali processisse gressu, dum æqualis diligentia moralis fuit adhibita, nec data opera fuit apposita manus, ut ex cursu fraus aliqua oriretur.

13 Quæ dicta sunt de probationis anno, debent servata proportione, applicari anno ætatis sexto decimo. Qui etiam debet esse completus de momento in momentum; nam Concilium ibid. decrevit, ut professio non fiat ante decimum sextum ætatis annum expletum. Textus est clarus. Nec diceretur expletus, cui adhuc, vel hora, vel media, aut quadrans deficeret.

14 Nec valet, quòd in moralibus parum pro nihilo reputetur. Quoniam istud procedit, quando Lex aliter non disponit. Lex autem Concilii vult annum esse expletum, qui certè expletus non præsumitur, dum adhuc hora, vel media, vel quadrans pro consummata plenitudine desideratur; de quo infra *cap.* 41.

15 Quæritur. An in anno bissextili expectan-

pectandus sit lapsus diei, qui tunc de novo additur, ut annus probationis completus dici possit?

Resp. Affirmativè. Nam in eo anno duo dies pro uno computantur, ex *cap. Quæsivit, de verb. signif.* Nec ex additione diei à Gregorio XIII. facta dicitur annus bissextilis majus spatium, quàm anni, ut notavit Fagnan. *ubi sup. num.* 25. Hinc S. C. C. apud alleg. Hasbens. sub 5. Junii 1617. declaravit: *Nullam esse professionem, si sit emissa in anno bissextili, non expectato lapsu illius diei, qui tunc de novo additur.* Et proindè, qui habitum suscepit die 24. Martii, non potest in sequenti anno profiteri die 23. ejusdem mensis, propter additionem unius diei factam Februario.

16 Quæritur. An annus probationis debeat esse continuus?

Resp. Affirmativè, ut in terminis resolvit Sac. Cong. Conc. apud Fagnan. *ibid. n.* 27. Quæ consulta à Procuratore Generali Ordin. Minim. *An Novitius, qui à Monasterio, ut aliam Religionem ingrederetur, abierat, ac duas tantum horas in alio Conventu moram traxerat, & statim deindè facti pœnitens, reversus fuerat, teneretur incipere novum annum probationis?* Respondit, *teneri ab eo die, quo rediit.* Nam hìc tempora probationis non conjunguntur, & annus probationis debet esse continuus. Ubi enim jura certi temporis mentionem faciunt, intelligi debent de tempore continuo, quia regulariter omne tempus continuum esse debet. Et certè de eo, qui per aliquot dies extra Monasterium moratus est, non dicitur in probatione per annum stetisse, contra dispositionem Conciliarem. In quo etiam est ponderandum cum Fagn. *in* 4. *ad c. Insinuante, qui Cler. vel vovent. num.* 36. quòd propter intermissionem diversificantur mores, & opera hominum. Et certum est gravius esse Religionis duritiem, & rigorem experiri per anum integrum, quam per annum interpollatum. Hinc sequitur, quòd eget nova receptione, & admissione per eos, ad quos spectat, ut iterum Novitius esse possit, & debet annum probationis incipere.

17 Sed quid de eo, qui post moram in Conventu designato pro Novitiatu, per aliquod temporis spatium, ut ad quatuor, vel sex menses moratus est, si posteà de licentia Superioris ex rationabili causa sub illius obedientia residuum annui temporis extra Conventum mansit, & expleto anno professionem emisit? An professio inde sequuta sit valida?

Affirmant nonnulli ex eo, quòd fictione juris censetur Monachus esse in Monasterio, quando est extra de licentia sui Superioris; & in his terminis referunt Suarez, Navar. Miranda, & Vecchius apud Peyrin. *ubi sup. n.* 101. fuisse declaratum à S. Congr. Conc. quibus adhæret Passarinus *de stat. hom. tom.* 3. *q.* 189. *inspect.* 5. *num.* 86.

Verùm ipse Peyrin. ibidem, cum quo transit Sanctoro *comment. in stat. S. Francisci cap.* 2. *stat.* 43. *Respondeo* 3. *si causa*, dixit, eorum sententiam tutam non esse, quia continuitas anni probationis in Religione est de forma, juxta textum Trid. *in d. cap.* & in his, quæ sunt de forma, rigor juris servandus est, ut dixit Rota apud Farinac. 1. *par. decis.* 175. *num.* 2. Maximè, quia plurima præscribuntur in Decretis Clem. VIII. incip. *Cùm ad Regularem pro educatione Novitiorum*, ut sub *constit. Urbani VIII. Bull. tom.* 4. quæ certissimè nullatenùs impleri possunt, nisi intra claustra Monasterii. Quapropter, qui existit extra, nec Religionem probat, nec à Religione probatur; consequenter non satisfacit Concilio, quod reciprocam hanc probationem requirit ad valorem professionis.

18 Nonnullis etiam videtur, ab infirmo novitiatum non interrumpi, si ad aliquos mẽses sit in Conventu non taxato pro novitiatu, in quo manet infirmaria; cũ in eo maneat sub obedientia Prælati, & in Religione experiatur asperitates, quæ propter paupertatẽ solent Religiosos infirmos comitari, & fictione juris censetur præsens in Conventu designato; & ita in praxi est apud plures Religiones per allegatos. Secùs dicendum, si dimitteretur etiam de licentia Prælati ad domum paternam ad infirmitatem curandam, nam tunc ab incommodis infirmitatis, quæ solent in Religione experiri, esset immunis.

Verùm hæc regere non videntur, nam inspecta dispositione enunciatorum Decretorum Clementis VIII. res est certa, quòd Novitii pro tempore novitiatus non possint ad alios Conventus transferri ad effectum, ut ab infirmitate curentur; sed sint curandi in Conventu pro Novitiatu deputato, & in loco ejusdem Conventus ad Novitiorum habitationem assignato. Hæc sunt verba Pontificis: *Non liceat eis, durante Novi-*

vitiatus, & probationis tempore unà cum Professis, nisi in Choro, & in Ecclesia tempore officiorum, in processionibus, aut in cœnaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari. Quando autem extra d. locum, & Conventum curarentur, de necessitate extra dictos usus cum professis deberent commorari. Et considerari posset, quòd de Novitio, qui in alio Conventu curatur, non verificatur, quòd in probatione per annum stet in Conventu pro novitiatu designato, ut est evidens: & ita non impletur mens Tridentini, & Clementis.

Nec obstat, quòd pro eo tempore esset in alio Conventu de licentia, & sub obedientia Superioris. Nam non ex eo diceretur esse in Conventu deputato pro Novitiatu. Atque ita annus probationis non esset continuus: continuatio enim attenditur ex existentia in Conventu designato: & ubi lex expresè loquitur, fictio tacet.

In Ordin. Min. de Observ. nascitur debitum curandi Novitios infirmos in Conventu Novitiatus, ex Const. Innoc. X. *Ad propagandam* dat. 15. Octobr. 1654. apud Lant. *ver. Novitius num.* 8. in qua §. 3. inter alia præscribitur, ut quolibet quarto mense à Fratribus, qui à duobus saltem mensibus actu fuerint de Familia in Conventu ipsius Novitiatus, per secreta suffragia Novitiorum habilitas probetur. Qua verò ratione possunt habilitatem recognoscere, si Novitius in alio Conventu, etiam ad effectum acquirendæ salutis commoretur?

Cæterùm Conversi, cum juxta dd. Decreta Clementis debeant etiam *circa corporalia obsequia probari, & exerceri*, possunt in Conventu deputato professis adjungi non modo in officinarum ministeriis, & horti cultura; verùm etiam eos comitari valeant extra Conventum occasione quæstarum pro Fratrum necessitatibus; & præsertim in illis Religionibus, in quibus de mendicato vivitur. Dummodò extra Conventum non pernoctent, nisi fortuito casu id eveniat.

29 Quid dicendum de eo, qui à Superiore habitu Religionis induitur in Conventu non designato, non ut in eo probationem faciat; sed posteà ad designatum transmittitur, ibique peracto probationis anno, professionem emittit: an validè profiteatur?

Respon. Quamvis allegata Decreta Clementis videantur obstare validitati professionis, cum verè Novitius ad habitum fuerit admissus extra Conventum designatum, tamen ex hoc capite non est professio nulla. Quoniam quamvis indutus fuerit habitu Regulari in Conventu non designato, non fuit tamen receptus, ut esset Novitius ejusdem Conventus, sed alterius designati, pro quo fuit receptus, ut in eo annum probationis perageret. Et verba Decreti, *Ad habitum Regularem non admittantur* – & ista – *Non audeant ad habitum suscipiendum recipere*, intelligenda sunt cum effectu durabili: inspecto autem effectu durabili, ille dicitur receptus, & admissus in loco designato, qui in eo per annum integrum probationis, probat asperitates Religionis, & Religio mores illius.

Cæterum annus probationis non est computandus à tempore suscepti habitus extra Conventum designatum; nam quoad hoc receptio illa nulla reputatur, ut ex allegatis Decretis. Sed computatio esse debet à tempore receptionis, & actualis ingressus in Monasterium designatum; nam tunc, & non priùs, est formaliter Novitios: ut dixit Fagnan. ibidem *n.* 48. & post eum Pignatel. *tom. 9. consult.* 175. *n.* 13. ex quo ad verbum plura transcripsit.

Quid autem dicendum de Novitio, qui fuit ad habitum receptus in Conventu designato, in eoque per annum integrum stetit in probatione: sed posteà ad professionem emittendam mittitur ad Conventum non designatum: an validè professionẽ emittat?

20 Contra nonnullos, & validitatem professionis, sunt verba Decreti *Regularis*, & *SS. Clem. ibid.* obstatque eorum sensus alternativus, *A receptione quorumcumque Novitiorum, sive ad habitum, sive ad professionem omnino abstineant*, & ibi: *Ne ad habitum suscipiendum, nisi in Conventibus designandis, recipere, aut receptos ad professionem admittere ullo modo audeant*.

In prohibitione autem alternativa sufficit alterutrum verificari, ut sit locus pęnæ, per *leg. Si quis ita stipulatus, ff. de verb. obligat.* & scripsit Fagnan. *loco citato, num.* 52. *& in* 1. *ad cap. Inter cæteras, de rescriptis num.* 10. Et facit, quòd Decreta cum clausula irritante loquantur copulativè: *Receptiones verò, & professiones quaslibet &c.* Quarè non modò irritant receptionem ad habitum extra locum designatum, sed etiam pro-

professionem ibi emissam: & ita satis non est, ut quis in loco designato ad habitum recipiatur cum experimento anni probationis, nisi etiam ibi profiteatur, & Religioni incorporetur, celebrando per solemnem professionem contractum ultrò citròque obligatorium.

21 Quid autem dicendum de Novitio, qui sex mensibus in Conventu designato probationem peregit, & pro residuo temporis transmittitur à Superioribus ad alium Conventum pariter designatum, in quo postea professionem emittit: an validè?

Passarinus ubi supra refert Sacram Congregationem Concilii declarasse, quòd Novitiatus de licentia Superioris, & ex justa causa possit fieri partim in uno Conventu designato, & partim in alio item designato.

22 Quæritur. An Superiores possint ultra annum prorogare annum probationis?

Respondetur. Non videtur prohibitum, quin Superiores Regulares possint ex aliqua causa justa professionem ad aliquod breve tempus prorogare. Quod constat ex ejusdem Sac. Congregationis declaratione, quam refert Peyrinus *cit. §. 4. num.* 102. ut infra -- *Concilium noluit quempiam minori tempore, quàm per annum, stare in probatione, idque expressè disposuit: ne autem hoc tempus longiùs extendi possit, non prohibuit*: ideòque arbitrio Superioris extendi, & prorogari potest. Alioquin nimis durum esset, quòd Novitius, revoluto anno probationis, nulla interjecta mora expellendus esset à Monasterio, si statim ob legitimum aliquod impedimentum, infirmitatis scilicet, vel aliud, profiteri non posset; aut pro qualibet brevi dilatione impetranda, recurrendum esset ad Sedem Apostolicam. Videndus tamen Fagnan. *in* 3. *ad cap. Ad Apostolicam num.* 10. *&* 13. *de regular.* ubi refert, quòd cùm quidam Novitius professioni proximus, nedum ageret decimum sextum annum, dubitavit Superior, an posset permittere, *ut in Novitiatu maneret usque ad tempus professionis, vel potiùs eum ejicere deberet?* Sacra Congregat. *censuit, posse, quia* Conc. *d. cap.* 16. *vers. finito: loquitur de habilibus ad emittendam professionem*; sed hic non est habilis, cùm ætatem non habeat. Propterea S. Congr. in hanc sententiam inclinavit, ut in masculis non sit præfinitum tempus à Concilio ad suscipiendum habitum. Vide *capit.* 22. *numer.* 11.

23 Quæritur, *in cap.* 16. *sess.* 25. *de regul.* *Trident. decrevit*, ut infrà; *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ valeat, nisi cùm licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem: ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter verò facta, etiam cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.* An d. cap. locum habeat in donationibus, seu renunciationibus factis ante ingressum in Monasterium, seu ante susceptum habitum probationis?

Respond. Concilium non habere locum in donationibus, quæ fiunt ante ingressum Monasterii, seu susceptum habitum probationis. Nam d. cap. loquitur de Novitiis, ut integer contextus significat. Nullus autem Novitius dici reverà potest, priusquam cùm effectu habitum probationis susceperit: etenim habitus probationis est de substantia Novitiatus, per text. *in d. cap.* 15. ibi: *Post susceptum habitum in probatione steterit*. Quapropter Concilium voluit solùm comprehendere renunciationes factas à Novitiis, non autem ab aliis, qui nondum habitum susceperunt. Et id evidens est, sive spectemus verba, sive mentem Concilii, ut non includantur, nisi Novitii. Ideò, si quis nondum Novitius renunciat, seu donat bona sua in favorem consanguineorum, vel aliorum, servata forma juris communis, contra Concilium non operatur, cùm faciat actum sibi à Lege permissum.

24 Quam sententiam probavit S. Congregatio Concilii contra Navarrum sentientem in oppositum, quæ consulta -- An illud *cap. comprehendat renunciationes factas ante ingressum, illius tamen contemplatione;* Respondit, *non comprehendere renunciationes factas ante ingressum, hoc est, ante habitus susceptionem*. Et subindè, cùm ab eadem fuisset quæsitum. *An cùm Clarix Buccapadulia renunciaverit bonis, tam paternis, quam maternis, eadem die, qua ingressa fuit Monasterium, prædicta ejus renunciatio sufficiat; an nova requiratur ante professionem, iuxta formam à Concilio præscriptam*; Die 22. Junii 1613. Sacra Congreg. *censuit Decretum d. c.* 16. *non vendicare si*

re sibi locum in renunciationibus factis ante actum, seu momentum susceptionis habitus; ac propterea, ex eo Decreto supra scriptam renunciationem non esse nullam. Fagnan. *ubi supr. ad cap. Statuimus de regul. num.* 47.

At petitur. An, cùm valida sit donatio facta à Novitio infra duos Menses ante professionem in favorem etiam Monasterii de licentia Episcopi vel ejus Vicarii, liceat statim Monasterio apprehendere possessionem bonorum sibi donatorum?

Resp. Negativè; nam resignatio, vel donatio facta à Novitiis juxta præscriptum Trid. non sortiuntur effectum nisi sequuta professione: textus Trid. est clarus, & plu ries resolvit S. Congr. Conc. apud Fagnan. ibid. *num.* 36.

25 At quæritur. Tridentin. *d. cap.* concludit: *Quin potiùs præcipit S. Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat: & ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant: quod ut rectè fiat, Episcopus per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit compellat*; petitur nunc.

Primò. An dicta excommunicatio ipso facto incurratur?

Secundò. An incurratur, dum à Parentibus Novitii aliquid per modum eleemosynæ tribuitur Conventui, causa convivii faciendi, dum Novitius habitum suscipit, vel profitetur?

Resp. Ad primum, dicitur negativè, prout censuit S. Congr. Concilii apud Fagnan. ubi supra *num.* 59. & ibi refert, *Quòd cum quædam Moniales dotem accepissent à Virginibus nondum professis, & Episcopus consuluisset, quid sibi agendum?* Sac. Congreg. censuit, *eas non incurrisse in excommunicationem ipso jure.* Quando enim à jure præcipitur aliquid sub pœna excommunicationis, contrafaciens non incidit ipso jure in ipsam, prout observavit Glos. *ad cap. Sancta Romana de Religios. domib. inter extravag. Joann. XXII. in verbo volumus ipso facto*; tamen dando, vel recipiendo peccant mortaliter, quia in materia gravi faciunt contra Concilium; & ita possent excommunicari: & quatenùs excommunicarentur, possent ab Episcopo absolvi, quia non reservatur Sedi Apostolicæ.

26 Ad secundum. Est ponderandum, quòd, si casus procedat prævia petitione, & pacto, dubiùm resolvitur in *cap. Sanè, de simonia inter com.* ubi prohibetur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda (cujus absolutio Apostolicæ Sedi reservatur) petere, pacisci, exigere, vel recipere ante, vel post ingressum, tam à maribus, quàm fœminis, volentibus ingredi Religionem: *Pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum*; sed omni pactione cessante, & ex mera liberalitate dare, eaque recipere, ibidem non interdicitur.

27 Quare difficultas videtur restringi seclusa pactione, petitione, & exactione. Et in his terminis locum habet comminatio censuræ, modò à Parentibus tribuatur aliquid ex bonis Novitii: secus autem, si tribuerent ex bonis propriis. Ita enim sonat literalis dispositio textus, ibi; *Aliquid de bonis ejusdem*: ubi dictio, *ejusdem*, stat relativè ad personam Novitii; & ita non videntur prohiberi hujusmodi elemosynales largitiones ex quibuscumque bonis, sed ex bonis ejusdem Novitii, ut advertit ex Bordonio Pignatellus *tom.* 1. *consultat.* 109. *numer.* 25.

28 Atq; ita videtur, quòd non subsistat donatio facta à Patre Monasterio, in quo ejus filius existit Novitius, etiam si sit de bonis ipsius donantis. Nam videtur reprobari à Trid. *d. c.* 16. Quoniam reputatur præjudicare libertati Novitii ad profitendum; etenim professionem emitteret, ne in sæculo pauperrimus viveret. Accedit, quòd interpretatur facta de bonis ipsius Novitii, dum bona Patris ad eum, eo mortuo, pertineant.

Quatenùs autem sustineatur, dicendum, quòd includit conditionem, si professio sequatur: & ita cessat ratio timoris paupertatis, cùm promissio evanescat ob non adimpletam conditionem, & revocata censetur, si Novitius professionem non emittat; prout firmant DD. in terminis Novitii recedentis ante professionem, cui quę sua erant, tenetur Monasterium restituere.

29 Sed petitur. An teneatur restituere habitum Religiosum, propriis Novitii expensis factum?

Respond. Non esse restituendum: sed pretium illius esse solvendum, dixerunt plures apud Barbos. *dict. sess. cap.* 16. *numer.* 51. & Peyrin. *dicta quæst.* 3. *cap.* 1. §. 4. *numer.* 107. Et tunc est restituendus valor pro illo

teur

tempore, quo eum deponit, non quo factus est; quod refert Peyrin. esse ad mentem Sacr. Congregat. & servatur dispositio Trident. *cap.* 16. quia cùm restituitur valor, redditur ipsi æquivalenter habitus, & quod suum est; & quatenus renueretur reddere, Episcopus per censuras potest compellere, text. ibidem.

30 An autem possit habitus detineri pro alimentis illius temporis, quo in Monasterio fuit?

Resp. Certissimum puto, in Religione de corpore Observantiæ, & Capuccinorum retineri non posse; quia eleemosynæ, quibus vivunt, reputantur magis, vel saltem in majori copia fieri contemplatione Novitiorum; ut praxis docet. Propterea apud eos aliquid à Novitiis recipere pro victu corruptela est, & abusus omninò abolendus: videatur ibid. Conc.

31 Quæritur. Clericus Beneficiatus ingreditur Religionem, tenetur ne Episcopus expectare, ut professionem emittat, priusquam ejus Beneficium alteri conferat?

Resp. Affirmativè. Obstat enim Decretum Trident. *dict. cap.* 16. Propterea forma ibidem à Concilio præscripta in renunciationibus servandis servari pariter debet in renunciatione Beneficii; & Sacra Congregatio declaravit apud Fagn. ubi sup. *ad cap. Statuimus num.* 19. Quæ consulta, *An dict. cap.* 16. *loquens de renunciationibus comprehendat, etiam resignationem Beneficii*; Respondit *comprehendere*. Quare si, facta renunciatione, & ad sæculum, non facta professione, dictus Clericus rediret, Beneficium recuperaret.

32 Quæritur. An Religiosi consentientes, & concurrentes ad expulsionem Novitii habilis per denegationem suffragii absque legitima causa, peccent mortaliter?

Resp. Affirmativè. In eo enim operantur contra Trident. *d. c.* 16. ubi præcipit Superioribus, ut Novitios repertos habiles, finito anno Novitiatus, ad professionem admittant. Tum quia injuriam faciunt Religioni, eam privando idoneo Religioso, & Novitio, qui peracto probationis anno, & habilis repertus, jus habet ad Religionem. Tum quia nullus dubitat, quin mortaliter peccet retrahens Novitium à Religione: sed expellere per suffragii denegationem, est plusquam retrahere.

33 Quæritur. An Provincialis non residens in Conventu Novitiatus possit suffragari super idoneitate Novitii ad professionem?

Respondet affirmativè P. Portellus *addit. ad dub. Regul. verb. Novitia*, & post eum Peyrin. ubi supra *num.* 116. quoad suam Religionem, ea ratione motus, quòd ad Provincialem spectet recipere ad habitum, & professionem.

Sed quidquid sit de opinione Peyrini pro suo Ord. Certũ est id prohiberi in Ord. Min. de Observantia: quoniam in terminis obstat dicta constitutio Innocen. X. *Ad Propagandam*, apud allegatum Lantus, in qua inter alia præscribitur, ut Novitii non admittantur ad professionem, nisi ter in anno, hoc est quarto quoque mense, per vota secreta à majori parte Fratrum habiles fuerint inventi. Item, ut Fratres votum habeant, qui in eo Conventu à duobus mensibus fuerint *actu* de familia, ut inde experimento probare possint mores Novitii, & judicium ferre, an habilis sit ad Religionem. Quod non potest Provincialis inspicere, si in d. Conventu saltem per duos menses non steterit.

Nec valet dicere, quòd potest super eo doceri per informationes Fratrum. Nam Innocentius exigit, ut vocales actualiter extiterint à duobus mensibus in eo Conventu de familia.

34 At petitur. Recipiuntur suffragia pro ferendo judicio de habilitate Novitii ad Religionem, & vota sunt utrinque paria: quid agendum est? admittendus ne ad professionem, vel expellendus?

Resp. Ex Constitutione alleg. Innocentii videtur ejiciendus; nam ibidem firmat eos esse ad professionem admittendos, qui à *majori parte Fratrum habiles fuerint inventi*. In paritate autem votorum, ista majoritas non habetur. Quoniam, ut haberetur excessus, ad minus unum deberet supra medietatem numerari. Nec Provincialis potest habere decisivum, ut ex *d. Constit.* & ex Decreto Sacr. Congreg. Episcop. edit. 13. Martii 1653 in quo Provincialibus decisivum conceditur in negotiis decidendis in Definitorio. Ut dixi *capit.* 18. *numer.* 51.

35 Quæritur. An Confessarius Novitiorum possit eis denegare suffragium propter defectum cognitum in confessione?

Resp. Negativè, etiam si suffragia dentur secretò. Nam Forum Confessionis nullum com-

commercium habet cum Foro exteriori. Id enim est contra sigillum, & confessio ex eo redderetur odiosa. Quidquid dixerit Portel. *Dubia Regular. ver. Novitius.* Limitatur, nisi etiam aliunde de crimine notitiam acceperit.

Vide, quæ dixi *lib. 4. Caut. Confess. cap. 5. num. 2.*

CAPUT XXXV.

Officialis quoad Ordines.

SUMMARIUM.

1 *Regulares ab Ordinariis examinari possunt occasione susceptionis Ordinum.*

2 *Regularibus concedunt Dimissorias eorum Superiores: sed servandus est modus, ut in Decreto Clement. VIII. aliàs ipso jure pœnas in eo contentas incurrunt reservatas.*

3 *Ordinati contra præscriptum Decreti sunt suspensi.*

4 *Quibus sit datum indultum recipiendi Ordines Sacros extra tempora?*

5 *Indultum post Trident. non suffragatur per communicationem.*

6 *Impugnatur P. Trotta, usque ad numer. 8.*

9 *Ordinatus sine dispensatione extra tempora, est ipso jure suspensus.*

10 *Idem dicitur de promoto ad Ordines Sacros ante legitimam ætatem, vel absque dimissoriis.*

11 *Ignorantia, quæ non sit affectata, excusat à suspensione.*

12 *A quo ætas incipiat: an à conceptione, nativitate, vel Baptismi die?*

13 *Constitutio Pii II. comprehendit etiam Regulares.*

14 *Suscipiens primam Tonsuram non priùs confirmatus eget dispensatione Apostolica, ut ad Superiores Ordines ascendat.*

15 *Peccat graviter, qui non servatis interstitiis promovetur ad Ordines, non obtenta dispensatione.*

16 *Facultas dispensandi super interstitiis est in Episcopo, etiam quoad Regulares.*

17 *Regularis promotus absque Dimissoriis sui Superioris est suspensus, usque ad num. 21.*

22 *An Dimissoria concedendæ sint à Superiore originis, vel domicilii?*

23 *Constitutio Innocentii XII. edita pro tollendis fraudibus circa Ordinandos subditos alienos, usque ad numer. 29.*

30 *Agitur de Religioso Converso petente vigore Indulti Apostolici ascendere ad Clericatum.*

31 *Novitii ad Sacros Ordines promoveri non debent.*

32 *De facultate absolvendi Regulares à suspensione incursa propter Ordines male susceptos; & dispensandi super irregularitate, si in illis ministraverint?*

33 *De quo dicatur Ordines furtivè suscipere?*

34 *Clerici absque titulo Patrimonii, vel Beneficio Ecclesiastico, promoveri non possunt, usque ad n. 36.*

§. UNICUS.

Irregularitas.

1 *Exponitur descriptio Irregularitatis.*

2 *Irregularitas ex defectu rationis, usque ad num. 5.*

6 *Ex defectu famæ.*

7 *Ex defectu lenitatis, usque ad numer. 10.*

11 *Ex defectu libertatis.*

12 *Ex defectu significationis, usque ad numer. 16.*

17 *Ex defectu natalium.*

18 *Ex defectu ætatis.*

19 *Ex defectu membrorum, usque ad numer. 20.*

21 *Irregularitates, quæ oriuntur ex delicto, usque ad num. 27.*

1 COmpetit Episcopis jus examinandi, etiam Regulares, circa scientiam necessariam in promovendis ad Ordines, ad formam Conciliaris dispositionis Trident. *sess. 23. cap. 12. de reformat.* ubi: *Nullus imposterum ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur*; & infrà: *Regulares*

lares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.

Plures tamen ex affectu in Religiosas familias id remittunt conscientiæ Superiorum attestantium in litteris dimissorialibus de idoneitate, & Religiosorum sufficientia, ut observat Miranda *man. Prælat. t.* 1. *q.* 39. *art.* 4. Quorum testimonio absque offensæ timore se confirmare posse tradit Gobat. *Experientia Theolog. tract.* 8. *casu* 11. *sect.* 1. *num.* 424. nisi manifestè appareat inhabilitas promovendi, apud Tamburinum *lib.* 7. *de ordine c.* 9. *n.* 2.

2 Concedere dimissorias spectat ad jurisdictionem, ut post Sayr. *de censur. lib.* 4. *n.* 21. dixit Monacellus *form. p.* 2. *form.* 8. *num.* 1. Has Superiores Regulares suis subditis concedunt; sed est servanda forma ejs præscripta, ut infrà.

De mandato Sanctissimi Domini Nostri Clementis Divina providentia Papæ VIII. tenore præsentium, mandatur omnibus, & singulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cætero observent, & observari faciant ea, quæ in Decreto S. Congr. Conc. Trid. continentur, cujus tenor est.

Congr. Conc. censuit Superiores Regulares posse suo subdito, itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis, Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempè illius Monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit: & si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam: & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus, vel absuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationes, vel Sedes Episcopalis vacaret. Verùm, cum à Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel Ordinationes non habente, Litteræ Dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse X *Quod si Regulares ordinandi morentur in Monasterio nullius Diœcesis, hujusmodi dimissorias concedendas esse ad Episcopum viciniorem, in eoque procedere omnia, quæ de Episcopo Diœcesano superius præscripta sunt. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis, ac alias arbitrio S. D. N. Papæ reservatas, pœnas incurrant. In quorum &c. Dat. Romæ die* 15. *Martii anno* 1599. apud Monacell. *form. part.* 1. *in append.*

Hinc constat, quomodo se gerere debeant Superiores Regulares, ut non incurrant pœnas à Clemente statutas. Nec attendenda est opinio Passarini *tom.* 1. *in append. adnot. ad d. Decret.* scribentis pœnas non esse latæ sententiæ. Nam Decretum procedit per verbum *incurrant*, quod est modi imperativi, quod importat pœnam latam non ferendam, ut docet Sayrus *de censur. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 8. Tum quia, quomodo dici possunt ferendæ sententiæ, si sunt Papæ reservatæ? Reservatio enim supponit, pœnam latam in contrafacientem; jam esse incursam, cum non sit reservabile, quod adhuc expectat declarationem, Monacell. *cit. part.* 2. *formular.* 4. *tit.* 13. *num.* 27. Quod autem pœnæ in eo inflictæ sint Papæ reservatæ, constat ex verbis illis: *Ac alias arbitrio &c.* & tenet Gavant. *in manual. ver. Ordo num.* 37.

3 Ordinati contra præscriptum decreti sunt suspensi ab executione susceptorum Ordinum, quamdiù Episcopo Diœcesano expedice videbitur, ut respondit S. C. C. *Archiepis. novi Regni Granatæ* 14. *Martii* 1520. apud Monacell. ubi suprà *num.* 29. & patet ex *cap.* 8. *d. sessionis*.

Quanto autem tempore debeat Regularis ordinandus manere in Conventu Diœcesis Episcopi ordinantis, ad hoc, ut dici possit de familia ipsius Conventus? Colligendum est ex circumstantiis, specialiter inspiciendis ad effectum recognoscendi fraudem. Unde Sac. Congreg. Concili *in una Neapolitana* 8. *Augusti* 1692. super eo consulta, respondit, *Providebitur in casibus particularibus proponendis*, apud Petram *Comment. tom.* 1. *ad Constit. unic. Urbani II. sect.* 2. *num.* 37.

Tempora à iure statuta, in quibus per disposita à Trid. *loc. cit. c.* 8. celebrari debent Ordinationes Sacræ, comprehendunt sex Sabbata, ex *c. De eo, de temp. ord.* hoc est, quatuor anni temporum: alterum Dominicam; Passionis precedens: & Sabbatum Sanctum: extra quæ sine speciali indulto Sedis Apostoli-

X Innocent Bened. XIV exigit testimonium Cancellariæ episcopalis in hoc.

stolicæ nullus promoveri ad Sacros Ordines potest,

4 Gregorius XIII. *Const. Pium 77. Bull. tom.* 2. simile indultum concessit Jesuitis cum clausula; *Præsentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiosè participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omninò prohibemus.*

Tandem Urbanus VIII. *Const. Cum sicut la* 46. *Bullar. tom.* 4. Fratribus Min. de Observantia in partibus Indiarum Occidentalium existentibus id indulsit, prout sequitur *Nos ejusdem &c.* & infrà: *Nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis ejusdem Ordinis S. Francisci in partibus Indiarum Occidentalium hujusmodi,* tantum existentibus, *expressè professis, ut de Superiorum suorum licentia, à quocumque, quem maluerint, Catholico Antistite, gratiam, & cummunionem Apostolicæ Sedis habente in propria Diœcesi residente, vel in aliena de Diœcesani loci consensu Pontificalia exercente, per eos eligendo, ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, extra tempora ad id à jure statuta, ac interstitiis à Sac. Conc. Trid. designatis, minimè servatis, annique curriculo non expectato; etiam si in unoquoque ex dictis S. Ordinibus susceptis, antequam ad alium promoveantur, si minimè exercuerint, dummodo tamen ad id idonei reperiantur, & servatis alias servandis, promoveri, & promoti in illius, etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac facultatem impartimur. Non obstantibus &c.*

Aliis pluribus id esse indultum tradunt Rodriquez, & Portellus: at ubi fuerint privilegia data ante Concilium, hodie non regunt, utpotè à Concilio *d. c.* 8. revocata. ✕

5 An autem hæc privilegia suffragentur aliis Regularibus propter communicationem privilegiorum? Resolvendum negativè cum Lezana *Sum. qq. Regul. tom.* 1. *n.* 19. Peyrin. *de Privileg. tom.* 1. *ad Const.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *n.* 39. Miranda *q. cit. art.* 4. & adhæret Donat. *prax. tom.* 3. *tr.* 3. *q.* 26. *n.* 3. & facit, ut notat Miranda, per ea, *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis ab jure temporibus celebrentur,* revocari à Concilio privilegia eo prius concessa. Tum quia patet ex restrictivis à Greg. & Urban. respectivè dd. litteris adjectis. Tum quia prætendentibus nonnullis Regularibus, vigore communicationis privilegiorum cum Jesuitis, & Minoribus, posse, & debere promoveri extra tempora, absque dispensatione Apostolica, interstitiis non servatis: Archiepiscopus Senensis requisivit oraculum S. C. C. & petiit: *An ipse licitè hoc facere posset:* Quæ *die* 11. *Aprilis* 1699. respondit: *Dilata, & interim Archiepiscopus abstineat, donec exibeantur sufficientia privilegia.* Ad idem rescripsit ead. Sac. Congr. *in Assisien.* 23. *Januar.* 1706. apud d. Monacell. ubi suprà *p.* 2. *tit.* 13. *n.* 37.

6 Prætacta non recipit P. Trotta in sua *brev. exposit. proposit. damn.* sed eis *tract.* 1. *art.* 36. *prop.* 30. neglectis, pro privilegio scribit; at sane inutiliter. Siquidem nulla omninò ratione id agit.

Dixit I. privilegium à Concilio non revocari, quia illud non nominat. Et inde de stylo Concilii imperitus est. Nam privilegia sibi contraria revocat, non alia forma, quàm per clausulas generales, *non obstantibus, non suffragantibus &c.* vel aliquid statuendo, cui illa repugnent; sensus decretorum est obvius. Deinde sat est, ut Pius IV. *Constit. In Principis* 94. *Bullar. tom.* 2. omnia, & singula privilegia, quibusvis, & quacumque forma ante Concilium concessa revocet, dum Concilio adversantur. Vide sup. *c.* 31. *n.* 30.

7 Secundò dixit, nec Greg. neque Urbanum Concilio derogare; ex quo arguit privilegium ab illis datum Jesuitis, & Minoribus, ut supra, non adversari Concilio. Sed neque hoc ad rem est. Nam, cum in eo auctoritas Sedis Apostolicæ, non solùm tacitè, ut in omnibus Oecumenicis Conciliis, sed etiam expressè, & nominatim præservata fuerit, ut ex *sess.* 25. *cap.* 21. *de refor.* non est opus Tridentino specialiter derogare, sed satis est, ut Romanus Pontifex statuat contrarium ejus, quod Concilium disponit, ut per Fagnan. in 5. ad *c. ex parte il* 2. *de privil. n.* 26. quod sæpiùs censuit Sac. C. Concili, & decidit Rota *in una Pensionis S. Angeli* 16. *Decemb.* 1594. apud eundem in 3. ad *c. Nulla de concessione præben. n.* 86. Atque ita cum Concilium, & Constitutio Apostolica conciliari non possunt, standum est Constitutioni, ad text. in *c. Licet de constit. in* 6.

8 Tertiò dixit. Privilegia Regularium

plu-

✕ In Concilio Rom. 1725, Bened. XIII decrevit antiquum privilegium extra tempora subsistere, sive expresse, sive per communicationem fuerit concessum — E contra privil. a quocumque debet esse expresse concessum post Conc. Trid. inquit Bened. XIV (Imposi

pluries fuisse à Sede Apostolica confirmata. Utique; at semper cum clausula, *Modò sint in usu, nec revocata, & Tridentino non adversentur*. Assertum autem privilegium Tridentino adversari est manifestum: *d. cap.* 8. nam contrarium disponit. Deinde, natura confirmationis est, nihil de novo concedere, sed concessa roborare, & præservare privilegium, si adsit; aliàs inutiliter fuissent privilegia revocata. Propter quod certum etiam est, mentem Pontificum, dum privilegia communicant, esse ea non communicare, quæ aliàs sublata fuerunt, licèt alicui subinde fuerint de novo specialiter concessa.

Tandem testatur de praxi. Sed hæc non est communis. Et ubi est, cum errore juris. Credit denique Cassaingo, Roderico, & Portello. At duo posteriores à Curia distantes scripserunt. De primo ipse ferat judicium ex indice librorum prohibitorum. Hinc potest videri Gonzalez *in 1. tit.* 11. *c.* 3. *n.* 7. referens, privilegia data ante Tridentinum, per Concilium esse sublata.

9 Ordinatus itaque extra tempora absque Apostolica dispensatione recipit characterem, *c. consultationi de temp. Ord.* sed executionem Ordinis non habet, cùm ipso facto suspensionem incurrat, ut in Const. Pii II. *Cùm ex Sacrorum* 7. *Bull. tom.* 1. Non ad tempus, ut nonnulli dixerunt, sed usque dum per absolutionem habilitetur.

10 Quæ pœna ex d. Constit. incurritur etiam ab ordinato *absque dimissoriis, & ante legitimam ætatem*. Qui à suspensione non liberatur ex hoc præcisè, quòd ad ætatem legitimam accesserit, sed est necessaria absolutio, & clavium potestas. Hęc namque suspensio est perpetua, tamdiù durans, quamdiù absolutione tollatur. Constitutio enim loquitur sine temporis præfinitione, Piasec. *prax. p.* 1. *cap.* 1. *art.* 4. *n.* 2.

An autem suspensio sit tantùm ab Ordine malè suscepto: an etiam ab aliis antea legitimè receptis? A receptis duntaxat, non servatis requisitis ab jure, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 2. *de refor.* ubi de promoto absque dimissoriis statuitur remanere suspensum ab executione Ordinum sic susceptorum. Qua phrasi utitur etiam *sess.* 23. *d. c.* 8. Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 159. *n.* 27. contra Tamburinum *lib.* 7. *de ord. c.* 12. §. 1. *num.* 19.

Constitutio Pii non comprehendit promotos ad minores Ordines contra ejus dispositionem, nam loquitur expressè de promotis ad Sacros Ordines, Piasec. *cit. nu.* 3. at jura posteriora, etiam promotis ad Ordines Minores, non servatis servandis, suspensionem imponunt. Legendum Tridentinum *d. sess.* 14. *cap.* 2. & Constitutio Urb. VIII. *Secretis* 35. *Bullar. tom.* 4. ac Const. Innocentii XII. *Speculatores, edita pridiè nonas Novemb.* 1694.

11 Ignorantia tamen, modò non sit affectata, excusat à suspensione; quemadmodùm à quavis alia censura, ut alibi dixi: Unde suspensus non est, qui bona fide dimissorias falsas recipit à viro bonæ opinionis, & vigore illarum promovetur: nec, qui credens testimonio parentum, ante legitimam ætatem Ordinis suscipit, ex traditis à Quaranta *Bullar. v. Quibus specialiter examinatis*, & Monacell. *form. p.* 2. *form.* 3. *tit.* 13. *n.* 25. Barbos. in Trid. *sess.* 23.

12 Ætas non à tempore conceptionis, sed ab hora nativitatis computatur, juxta descriptionem, quam tradit Bald. *lib.* 5. *cons.* 19. *à n.* 3. Apud quem ætas aliud non est, quàm quædam temporis mensura, à nativitate usque ad obitum recurrens. Indeque non in utero matris incipit, sed in partu initium recipit.

Nec attenditur à die Baptismi, prout declaravit S. Congr. Conc. apud Fagnan. *in* 1. *ad c. Cum in cunctis n.* 135. *de elect.*

In materia ætatis creditur dicto parentum, & testium, ac libro Parochi, in quo notantur Baptizati, Piasec. *cit. art.* 4. *n.* 4. Quot autem modis probetur ætas, videri potest Menoch. *de præsump.* 51. *præsumpt.*

Cùm Trid. *sess.* 23. *c.* 12. *de refor.* decernit: *Nullus imposterum ad Subdiaconatus Ordinem ante* 22. *ad Diaconatus ante* 23. *ad Præsbyteratus ante* 25. *ætatis suæ annum promoveatur*; satis est, ut anni, in quibus ordinari quis debet, sint incœpti, etiam per unum diem, ut est concors Doctorum sententia: nam si vigesimus secundus est incœptus, verificatur, quòd Ordo, v. g. Subdiaconatus non suscipiatur ante vigesimum secundum, sed in anno vigesimo secundo, & anno vigesimo primo completo.

In anno bissextili est pro complemento anni computandus etiam dies, qui additur Februario; nam duo dies eo anno reputantur pro uno, juxta *l.* 3. §. *minorem ff. de minor. & c. quæsivit de verb. signif.* & annus ex additione diei non dicit majus spatium, per

Fagnan. *in 3. ad cap. Ad nostram de Regul. num. 26.*

13 At dubitatur, an Constitutio Pii comprehendat Regulares.

Negat Sanctoro *Comment. cap. 2. stat. 7. conc.* 5. Contra quem affirmatur cum Miranda, Barbosa, Quaranta, & Diana *coord. tom. 2. tr. 5. resolut. 91. nu. 2.* Materia enim Ordinum, de qua loquitur Pius, communis est Clericis tam Sæcularibus, quàm Regularibus. Maximè, quia Pontifex procedit absolutè, *Ut omnes & singuli, qui absque dispensatione*, & in materia favore Sacrorum Ordinum, quos debita reverentia, & legitimis modis debent etiam Regulares recipere. Unde Diana *cit.* testatur de praxi S. Pœnitentiariæ, quæ cum Regularibus absque dispensatione Apostolica aliter ordinatis dispensat.

14 Quæritur, an suscipiens primam tonsuram non priùs confirmatus possit ad alios Ordines licitè sine dispensatione Apostolica ascendere?

Resp. Quòd ad Ordines de necessitate præcepti prærequiratur Confirmatio, statuitur à Trid. *sess. cit. c. 4. de ref.* ibi: *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*. Ratio hujus necessitatis est, quia, cum per Sacram Ordinationem tradatur ordinato potestas spiritualis, decet, ut priusquam Laicus eam acquirat, per Sacramentum Confirmationis roboretur, & armetur ad pugnam contra invisibiles hostes, *c. Spiritus Sanctus de consecrat. dist.* 5. Quare S. C. Conc. aliàs declaravit: *Prima tonsura initiatum, non suscepto Chrismate, ac posteà ad minores Ordines, eo suscepto, esse male promotum; beneficia minus legitimè acquisivisse, & non posse ad Sacros Ordines ascendere, nisi prævia Sedis Apostolicæ dispensatione*. In qua facti specie stylus S. Pœnitentiariæ est, cum ita promotis dispensare, Fagnan. *in 1. ad cap. Cum contingat de ætat. & qualit. n. 96.*

15 Quæritur, an non dispensatus ab Episcopo super interstitiis recipiens Ordines, illis non servatis, incurrat suspensionem?

Tridentinum *c. 11. sess. 23.* (ad cujus terminos à Clemente VIII. Const. *Romanum Bull. to. 3.* fuit reducta illa Sixti V. *Sanctum 91. tom. 2.*) nullam suspensionem statuit ipso facto incurrendam ab eo, qui sine dispensatione, non servatis interstitiis, promovetur. Ideò ad dubium negativè cum Diana *cit. tom. 2. tract. 5. resol. 92. num. 4.* Natali ab Alexandro *tom. 1. Theol. Domat. lib. 2. de Sacram. Ord. art. 5. regul. 11.*

15 Peccat tamen graviter, qui interstitia non servat, nisi id fiat de licentia Episcopi, per Cabasut. & Abelly; potest que ab Episcopo suspendi ob violatos Canones, & prohibitionem Ecclesiæ in re gravi. Lex enim Ecclesiæ est, ut aliqua temporis intercapedo ab uno Ordine sucepto ad alium recipiendum intercedat: ut eo tempore ordinandi in inferioribus Ordinibus exerceantur, eorum mores probentur, & instruantur in Clericorum munere, ut ibidem Trid.

Verùm Trid. non taxat, quantum temporis debeat intercurrere ab uno Ordine minori suscepto ad alium suscipiendum, sed relinquit arbitrio Episcopi, ut innuunt verba textus, *juxta præscriptum Episcopi*. Hinc conveniens est, ut religiosissimi Antistites intervallum illud definiant, & mensurent à quatuor temporibus ad quatuor tempora, ut saltem tres menses in probatione in singulis Ordinibus facienda, Clericus perseveret, & in exercendis Ordinibus detineatur.

Pariter ab Ordine Subdiaconatus ad Diaconatum integer annus debet interponi ibid. *c. 13. nisi aliud Episcopo videatur*. Nec à Diaconatu ad Presbyteratum debet quis ascendere, nisi per annum integrum in Diaconatu ministraverit, nisi proter utilitatem, & necessitatem Ecclesiæ Episcopus dispenset. per saltum ordinatus, sucepto nimirum Ordine superiori, antequam suscipiat inferiorem, ex Trid. *d. sess. 23. cap.* 14. suspensione ligatur.

Hinc ad rem notare non gravabor, quòd in decreto Innoc. XII. edito 14. *Decembr.* 1693. super moderatione indultorum extra tempora, hæc ponitur clausula: *Censuit Episcopos ad eorum executionem non astringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, onerata eorundem conscientia, relinquere*. Ex qua habetur, quòd cum Clerici Sæculares, vel Regulares obtinent indulta, ut possint extra tempora, & tribus diebus Festivis ad Sacros Ordines promoveri, & intercapedo inter unum, & alterum Ordinem relinquitur arbitrio Episcopi, hoc arbitrium debet esse ab jure regulatum. Et cùm jus præscribat integrum annum interstitiorum inter unum, & alium Ordinem sa-

sacrum: Episcopus *per arbitrium* illud relaxando, curet, ut inter unum, & alium Ordinem interpollatio intercedat trium saltem, aut quatuor mensium; ne nimia indulgentia gravet suam conscientiam: quam Papa gravatam esse voluit. Nisi justa, & rationabilis causa aliter esse agendum proponat. Ita Monacell. *form. cit. for. 4. num.* 38.

16 Facultas dispensandi in interstitiis est ita Episcopis propria, ut quoque Regulares ab ipsis debeant super eis dispensationem recipere; nam eorum Superiores super eo dipensare non possunt. Concilium enim *d. cap.* 11. Episcopi judicio relinquit. Et S. Cong. Concil. censuit, *Superiores Regulares non posse dispensare super interstitiis Regularium ordinandorum, sed id pertinere ad Episcopum ordinantem; qui tamen quoad causam dispensationis judicium formare debet ex attestatione Superiorum Regularium*, Piasec. *cit. art. 9. num.* 8. Atque ita Superiores possunt solùm supplicare, & necessitatem exponere.

17 Quæritur. An Regularis promotus ad aliquem Ordinem sine Dimissoriis proprii Prælati, Provincialis, vel Generalis sit ab executione Ordinum ipso facto suspensus?

Resp. Affirmativè; tum ponderata Constitutione Pii II. de qua suprà *num.* 13. tum consideratis Decretis Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. *de refor.* ibi: *Absque sui proprii Prælati expresso consensu, aut Litteris Dimissoriis ad aliquos Sacros, aut Minores Ordines, vel Primam-tonsuram promovere, seu ordinare valeat. .... Taliter verò promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sit suspensus.* Et *d. cap.* 8. requiruntur commendatitiæ sui Ordinarii, quibus probitas, & mores promovendi commendentur.

18 Proprius Prælatus & Ordinarius Regularis, quoad hunc effectum concedendi Dimissorias, & Commendatitias, est Provincialis, vel Generalis, juxtà Decretum Clementis VIII. relatum supra *num.* 2. prout etiam notavit Sanctoro *cit.* Gobat. *cit. tract.* 8. *cas.* 11. *num.* 418.

19 Dimissoriæ autem debent continere non solùm commendationem, seu testimonium de legitimis natalibus, ætate, & moribus; sed etiam de scientia, & idoneitate ordinandi, ad text. Trid. *sess.* 23. *cap.* 3. *cap.* 8. *& cap.* 12. *de refor.* Propterea, qui dimittitur, priùs examinari debet super habilitate ad Ordines suscipiendos, ut docet Piasec. *cit. cap.* 1. *art.* 2. *num.* 17.

Quare si Provincialis, vel in Dimissoriis aut distinctis Litteris non testaretur de probitate, & moribus promovendi, esset hic ab executione Ordinum sic susceptorum suspensus, donec suo Ordinario expedire videretur, ad text. Trid. in *d. cap.* 8.

20 Quapropter Regularis, qui accipit Indultum à Sede Apostolica, ut ad Presbyteratum, v.g. promoveri possit *a quocumque Antistite ritè, & canonicè promoto, gratiam, & communionem S. Sedis Apostolicæ habente* (hoc est, qui non sit excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus, ut explicat *Gloss. in cap. Veniens de præscript. in verb. Gratiam Sedis*) licèt non egeat Dimissoriis Provincialis, quia Papa ipse dat licentiam, & dimittit; eget tamen Litteris commendatitiis, & testimonio de vita, & moribus, ut expressè Trid. *eod. cap.* 8. ibi: *Quòd si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur: nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur: si secùs fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & Ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario (Episcopo) videbitur expedire, sit suspensus.*

21 Qua suspensione pariter ligatur, si etiam cum illis Litteris ab Ordinem promoveatur ab Episcopo Titulari, ex definitis à Trid. *sess.* 14. *cit. cap.* 2. ubi Titularium Episcoporum potestas quoad Ordinum collationem restringitur. Nisi Episcopus Diœcesanus habens Populum, & Clerum licentiam daret, ut ad Ordines promoveret, juxta Trid. *sess.* 7. *cap.* 11. *de refor.* ex Pignatello *tom.* 10. *constit.* 158. *num.* 20.

22 Sed difficultas est, an Dimissoriæ & Litteræ comendatitiæ concedi debeant à Provinciali originis, vel domicilii?

Provincialis originis ille dicitur, qui præest Provinciæ, in qua Religiosus per annum in probatione stetit, & professionem emisit; domicilii verò, qui regit Provinciam, in qua Religiosus manet de Familia.

Quando Provincia originis est etiam domicilii, Dimissoriæ, & Testimoniales Litteræ concedi debent ab illius Provinciali: cùm verò ordinandus à Provincia ori-

ginis ad aliam a Generali destinatur, & in ea, vel ratione studii, aut alterius negotii de familia constituitur, tunc a Provinciali domicilii debent eæ Litteræ procedere: sed nonnisi requisito priùs Provinciali originis, ut ab eo instruatur, an aliquid habeat, & sit, propter quod promovendus impediatur, quin ad Ordines ascendere valeat. Ita enim plura evitantur, & cautela operatur, ne indigni ad Ordines assumantur. Ac in praxi in promovendis Regularibus servantur statuta ab Innoc. XII. in d. Const. *Speculatores* 44. *Bullar*. Firmiani, in qua, licèt non fiat Regularium mentio, congruum tamen est, ut Prælati Regulares in concedendis Dimissoriis, & Litteris commendatiis, ad ibi statuta respiciant, & servata proportione ad dicta de Clericis sæcularibus, in eis dandis se dirigant.

23 In Constitutione autem inter alia hæc sunt: *Hac generali nostra, & perpetuò valitura Constitutione decernimus, & declaramus, nulli Episcopo, seu cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac sibi ratione originis, seu domicilii, juxtà modum inferiùs declarandum, legitimè contracti non subditum, ad Clericalem tonsuram promovere, cujusvis Beneficii Ecclesiastici ei statim, ac Tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu, ad quod is à Patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit, prætextu, etiamsi Beneficium prædictum de novo ea expresse adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediatè post Clericalem characterem susceptum ad illud instituatur; præterea Clericum, qui legitimè jam à proprio Episcopo ad eamdem Clericalem Tonsuram, seu etiam ad Minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione, ac titulo cujuscumque Beneficii in illius Diœcesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem Testimoniales Litteras proprii Episcopi, tam originis, quàm domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit.*

24 *Licèt verò Clericus ratione cujusvis Beneficii in alia Diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi beneficium hujusmodi situm est; eam tamen de cætero hac in re inconcussè servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam Synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Regionis, pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacificè possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii, cum adjectione Patrimonii, etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis Diœcesi obtineret; ac Episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus Litteris, quàm de redditu beneficii hujusmodi, expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit.*

25 *Cæterùm subditus ratione originis is tantùm sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat: dummodò tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirùm itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco; quo casu nullatenus hujusmodi fortuita nativitas, sed vera tantùm, & naturalis Patris origo erit attendenda. Quòd si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci Litteras Testimoniales, ut suprà, obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinum Testimonio similiter recensendas præsentare teneatur.*

At si Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiù, ac eo animo permanserit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat.

26 *Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines, dumtaxat censeatur, qui licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut, vel per decennium saltem in eo habitando, vel meliorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod cõsiderabile tempus commorando, satis superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilominus ulteriùs utroque casu se verè, & realiter animum hu-*

hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen à propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut suprà; afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum litteris facienda erit.

27 *Ad hæc nullus Episcopus, alienæ Diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos Sacros Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat absque ejus proprii, originis scilicet, seu domicilii, Prælati testimonialibus litteris, ut suprà, & nisi ad præscriptum Concilii Tridentini sess. 23. c. 9. de ref. familiarem per integrum prædictum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit: beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superiùs præfinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis à die factæ ordinationis, re ipsa illi conferat, ac Ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.*

28 *Porrò, ut quicumque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Apostolica auctoritate statuimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii subditos Clericos quoscumque ab alienis Episcopis, quavis authoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti sess. 14. c. 3. de ref. quoad scientiam examinare valeat, verùm etiam Ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis constitutionis forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti, ei magis beneviso, ad docendum de ejusmodi adimplemento, itaut quos, & termino elapso, id minimè præstitisse compererit, à susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quandiù ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.*

29 *Ita verò præmissa omnia, & singula perpetuò, ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut siquidem in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secùs fiat, ordinans quidem à collatione Ordinum per annum, ordinatus verò a susceptorum Ordinum exequutione, quamdiù proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subjaceat &c.*

30 Quæritur, Titius conversus obinet facultatem per litteras in forma brevis, transeundi à statu Laicali ad Clericatum, & se promovere faciendi ad omnes Sacros Ordines, *de licentia tamen suorum Superiorum*: petitur, quorum Superiorum licentia esse debeat? & quatenùs absque illa Ordines recipiat, sit ab executione Ordinum suspensus?

Resp. Licentia debet obtineri à Generali, & Provinciali, ex declaratione Sacræ Congregat. negotiis Regularium præpositæ, quæ de mandato Urbani VIII. *declaravit, clausulam* de licentia Superiorum *in brevibus prædictis appositam, esse intelligendam de Generali Ordinis, & Provinciali oblatorum hujusmodi, itaut pro eorundem brevium executione requiratur utriusque licentia, & consensus*: 2. *Augusti* 1630. apud Peyrinum *cit. quæst.* 3. *cap.* 1. §. 5. *num.* 149.

Qua forma non observata à quodam Religioso Minimo, easdem Congr. apud eundem *in formular. regul. littera O. c.* 6. *nu.* 5. eum suspendit, ab Ordinum exercitio, ut infra. *In causa Fr. Ludovici Picconi oblati Ord. Minimor. qui obtenta facultate per litteras in forma brevis transeundi à statu Laicali ad Clericalem, & se promoveri faciendi ad omnes Sacros etiam Præsbyteratus Ordines, de licentia tamen suorum Superiorum, se promoveri fecit ad dictos Ordines ab Episcopo Caprularum, non solùm absque licentia Patris Generalis, verùm ipso contradicente, licèt Episcopus prædictus asseruerit illum promovisse vigore dicti brevis, ac de licentia Nuntii Apostolici Venetiarum, & Provincialis Provinciæ dicti Fr. Ludovici S.* Congreg. *Card. negotiis Regularium Præposita, Eminentissimo Gyptio referente, censuit prænominatum Fratrem Ludovicum Piccinium suspendendum, prout præsentis decreti virtute suspendit, ab executione suorum Ordinum arbitrio Sac. Congregat. die* 18. *Novembr.* 1633.

Attendant itaque Superiores in similibus litteris tenorem rescripti, & non permittant, quòd indigni, & illiterati, relicto

humilium statu, ad Clericalem, & hinc ad Sacerdotium ascendant.

31 Novitii ad Sacros Ordines promoveri non possunt, ut expresse *in Constit. Romanus Pontifex* 75. *B. Pii V. Bullar. tom.* 1. Ordinati carent executione Ordinum sic susceptorum, aliasque pœnas incurrunt Romano Pontifici reservatas, ut in Constitutione: quæ intelligitur tam de non professis, quàm nulliter professis. Quoniam de iis loquitur, qui licitè, & liberè ad sæculum possunt redire. Atque ita, qui contra validitatem suæ professionis reclamat, ad Ordines non est promovendus, nisi constito de validitate. Religiosi tamen Societatis Jesu post emissa tria vota simplicia promoveri possunt, quia pro tunc sunt verè Religiosi, ut in const. *Ascendente* 89. Gregorii XIII. ibid.; & ordinari possunt ad titulum Religiosæ paupertatis.

32 Quis autem absolvat Regularem contra jura extra tempora ordinatum, ante ætatem, absque dimissoriis, vel per saltum; & super irregularitate dispenset, si, suspensione durante, ministraverit?

In Ordine Minorum videtur posse Generales, vel Provinciales, juxta *const. Virtute conspicuos* Clementis IV. *la* 4. *Bull. tom.* 1. *& const. Regimini* 7. Sixti IV. *& const. Sacri* 19. *Bulla aurea nuncupata*, ibidem. Et concordant DD. asserentes eos habere in suos subditos auctoritatem quasi Episcopalem. Diana *cit. tom.* 7. *tract.* 1. *resol.* 297. Sanctoro *statut.* 14. *§. probatur secundò specialiter*, Peyrin. *de privileg. Regul. ad const. Peyrini num.* 46. Ideoque id in suos subditos possunt, quod Episcopi in proprios. Sed Episcopi vigore *cap.* 6. *sess.* 24. *de reform.* possunt suos subditos in foro conscientia absolvere ab omnibus casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis: & in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario; & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare. Quæ facultas fuit à B. Pio V. ampliata ad Prælatos Ord. Prædicatorum *const. Romani* 132. *Bullar. tom.* 2. de qua cæteri Regulares cum ipsis communicantes in privilegiis participant.

Occultum autem dicitur, quod probari non potest: unde, ubi delictum potest per duos testes probari, occultum non est: nec absolutus est tutus in conscientia, ut ex S. Congregat. Concil. quæ ad dubium, *An absolutus, & dispensatus à proprio Episcopo in materia delicti perpetrati coram duobus, vel tribus testibus, quod tamen non fuit notorium, esset tutus in conscientia?* Respondit, *non esse tutum, quia Concilium utitur termino, occulto, quod propriè loquendo est illud, quod probari non potest*, ut apud Fagnan. in 1. *ad cap. requisivit de Ord. ab Epis. num.* 38. & verba Concilli debent accipi secundum proprietatem. Quod repetit in 3. *ad cap. vestra num.* 127. *de cohabit. Cleric. & Mulier.*

Præctata sunt, quæ probant esse hujusmodi facultatem in Superioribus Regularibus. Quos moneo, ut videant, quid in specie à Sancta Sede post Concilium Tridentinum acceperint; nam privilegia, quæ contraria sunt Decretis Tridentini, ab eadem revocantur, ut alibi dixi. Sciant, quòd suspensio ordinati ab alio Episcopo absque sui Superioris commendatitiis, vel dimissoriis est reservata proprio Ordinario, Trident. dd. *sess.* 14. *c.* 2. *&* 23. *cap.* 8. cum promotis per saltum si non ministraverint *c.* 14. concedit Episcopo, ut cum legitima causa possit dispensare.

Cautè itaque procedant. Et conformentur stylo Romanæ Curiæ, in qua, teste Peyrino *ad const.* 1. Julii II. *num.* 36. praxis, & usus est, ut etiam Regulares ordinati ante tempus sine dimissoriis, & absque dispensatione extra tempora, vel per saltum, absolutionem, & respectivè dispensationem petant à Sacra Pœnitentiaria; stylus autem curiæ facit jus, & operatur, ut contra ipsum gesta non valeant, *c. ex litteris de const. c. quàm grave de crim. fal.*

33 Dubitari solet, de quo verificetur, quòd Ordines furtivè susceperit.

Resp. De eo, qui contra Canonum instituta (de quo *in cap. quando* 24. *dist.*) per dolum ad Ordines accesserit. Unde dicitur furtivè ordinatus I. Qui sine dimissoriis ordinatus fuit, vel eas in substantialibus vitiavit: ut, si in directis Episcopo Diœcesano, hujus nomine abraso, apponatur Lucanus. Si cõcessæ pro Ordinibus solùm minoribus extendantur ad Sacros. Si concessæ Paulo, nomine mutato, illis uteretur Franciscus. II. Cùm quis per fraudem sine examine se ordinari curavit *c. extra conscientiam* 64. *dist.* III. Cum quis cum aliis intrusus fuit, igna-

ignaro Episcopo, Gonzalez *in* 5. *tit.* 30. *cap.* 3. *num.* 2. Monacell. *cit. form.* 1. *num.* 3. His, & similibus modis dicitur, quis furtivè, & per dolum ordinatus.

34 Promoveri ad S. Ordines non debent Clerici Sæculares, quamvis aliàs idonei, nisi sibi legitimè constiterit eos pacificè possidere beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat: sed, dum necessitas, vel commoditas Ecclesiæ Episcopi judicio aliud exegerit, potest hic ordinare etiam obtinentes patrimonium, sed prævio examine, quòd verè illi patrimonium possideant; & tale sit, quod eis ad vitam sustentandam sit satis, Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.*

35 At quid, si titulus patrimonii hac conditione constitueretur: *donec, & quousque provisus fueris de beneficio Ecclesiastico, aut aliunde habueris, unde commode sustineri valeas; quo casu eveniente, patrimonium redeat ad me absque alia declaratione?*

Dicitur, quòd, posita etiam purificatione conditionis per acquisitionem beneficii, vel aliorum bonorum ad sensum d. clausulæ, non extinguitur titulus patrimonii antea assignati; sed necesse est, ut ab Episcopo, vel ejus Vicario Generali in locum patrimonii subrogentur beneficium, vel bona per ordinatum acquisita, ut declaravit Sac. Congregat. Concilii 21. *Julii* 1687. *& in Senogallien.* 20. *Junii* 1705. *ad* 4. Monacell. *cit. num.* 18.

36 Sed quid etiam de B ordinato cum titulo fiduciario, hoc est, cum pacto, & conventione occulta ordinationi præmissa de restituendo patrimonio A postquam B ordinatus fuerit?

Dicitur, quòd promissio à B facta A est invalida. Nam sine licentia Episcopi, & non adhibitis cautelis, de quibus ibid. Trid. non potest patrimonium, ad cujus titulum quis ordinatur, distrahere, vel alienare; unde pactum illud habetur pro non adjecto, quia contra jus, Monacell. *cit. num.* 5. quo loco plures refert Sac. Congregat. resolutiones spectantes ad promovendos, vel promotos ad titulum beneficii, vel patrimonii.

37 Ordinari, & ad Ordines promoveri non debent irregulares, aut censura aliqua Ecclesiastica ligati, *c. sæpius de temp. Ord. c. cum illorum de sentent. excomm. in* 6. Unde cum notitia irregularitatis adeò utilis sit Clericis, nonnulla hìc summariè adnotata dictis subnecto.

§. UNICUS.

Irregularitas.

1 Itaque irregularitas aliud non est, quam *impedimentum Canonicum Ordines suscipiendi, aut susceptos exercendi.* Dicitur *Canonicum*, quia est a Canonibus statutum: propterea nulla irregularitas incurritur, nisi in casibus a jure expressis, *per text. in cap. Is, qui de sent. excomm. in* 6. in iure verò imponitur; cum dicitur: *non potest esse: vel, non sit Clericus: ad Clericatum non promoveatur: non ministret: non celebret: sit irregularis.*

Impedit irregularitas susceptionem Ordinum licitam, sed non validam; quia irregularis validè ordinatur, dum cætera necessaria non desint.

Sub hac voce *Ordines* comprehenditur etiam prima tonsura. Circa quam controversia est inter Theologos, & Canonistas, an sit ordo: negant illi: affirmant istis: res est sub lite. Quæstio magistraliter, & resolutivè pro Canonistis tractatur a Fagnano *in* 1. *ad cap. cum contingat, de ætat. & qualitat.* per totum: sed, relicto disputationi articulo, hoc est certum, quòd per primam tonsuram quis a statu Laicali transit ad statum Clericalem, & efficitur Clericus, *cap. Duo sunt* 12. *quæst.* 1., & venit Clericorum appellatione, Glos. *in Clement.* 2. *in ver. Clericus de vit., & honest. Cleric.* & gaudet omnibus prærogativis, & privilegiis Clericalibus, ut in *Pontif. Roman.* Clementis VIII. *tit. de Clerico faciendo;* ubi Episcopus Tonsuratos hisce verbis alloquitur: *Filii charissimi, animadvertere debetis, quòd hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & privilegia Clericalia sortiti.* Atque ita non debent ea irregulares initiati.

Ex duplici titulo nascitur, & consideratur irregularitas, 1. ex *Defectu*: 2. ex *Delicto*. Irregularitates ex defectu sunt.

I. Ex defectu rationis.

2 Ex huiusmodi defectu sunt irregulares 1. Energumeni, *c. maritum* 33. *Dist.* qui, licèt sint sanati, remanent irregulares, nec promoveri possunt, nisi obtineant dispensatio-

tionem à Sede Apostolica, S. C. Conc. 12. *Febr.* 1689. Cæterùm si quis erat promotùs, priusquam a Dæmonio obsideretur, potest Episcopus permittere, ut celebret, facto priùs experimento liberationis: quod integro anno est probandum, *cap. Communiter d. dist.*

3 II. Amentes ibidem de quibus eodem modo discurritur. Si agitur de eo, qui ante furorem, & dementiam Ordines suscepit, potest Episcopus Ordinum exercitium concedere, dum sibi constiterit priùs per notabile tempus ad mentem rediisse. Si verò agitur de promovendo, Episcopus nullo modo dispensat, sed recurrendum est ad Sedem Apostolicam, Fagnan. *in* 1. *ad c. Eam te de ætat. & qualit. num.* 47.

4 III. Epileptici, seu laborantes morbo caduco, *cap. Nuper* 7. *quæst.* 3. Cum quibus, dum morbus supervenerit Ordini, adhibenda est cautela, sicut cum prioribus. Si verò Clericus semel levi epilepsia fuerit affectus, & deinde per plures annos signa ampliùs dicti morbi non dederit, poterit promoveri. S. Cong. Conc. *in Tudertina* 19. *Julii* 1704. Monacell. *d. for.* 3. *tit.* 13. *p.* 2. *num.* 36.

5 Ad defectum mentis redducuntur etiam illiterati, *c. Illiteratos dist.* 36. & neophiti, hoc est, qui ab Idolatria, vel Mahumetismo, aut Judaismo recenter conversi, in adulta ætate baptizati fuerunt, donec fuerint instructi, & probati, *c. Quoniam* 61. *dist.*

II. Ex defectu famæ.

6 Defectus famæ, qui irregularem efficit, reperitur. I. In comœdis, & histrionibus, aliisque *qui in scæna lusisse dinoscuntur*, *d. cap. Maritum*, II. In iis, qui usuras accepisse in judicio convincuntur, vel simoniam commiserunt, aut mortalia crimina publica pœnitentia deffecerunt, *d. cap. Maritum*.

III. In iis, qui commiserunt crimina, quæ infamiam inferunt, & de quibus expresse text. *in cap. Infames* 6. *q.* 1.

III. Ex defectu lenitatis.

7 Lenitatis, seu mansuetudinis defectus in iis reperitur, qui directè, vel indirectè ad alicujus mortem, vel mutilationem ex suo officio, sive justè, sive injustè, cooperati fuerint, ut sunt. I. Milites, etiam in bello decertantes.

II. Causidici, qui causas criminales agunt.

III. Judex, qui reos damnat capite, vel mutilatione: hoc est, separatione membri habentis officium distinctum in corpore, ut est manus, pes, nasus, oculus &c. Modò effectus sententiæ sequatur, aliàs non est irregularis. Sac. Congr. Conc. *in Cæsenaten.* 1615. Monacell. *cit. tit.* 13. *form.* 3. *num.* 35.

IV. Testes iisdem in causis, accusatores, notarii, lictores, satellites, & carnifex, ad text. *in c. Aliquanto* 51. *dist. cum sua glos.* Hi omnes prohibentur promoveri; Ecclesia enim à sanguinis effusione obhorret.

8 Excipitur, si accusator sit in causa propria, & expresse protestetur se nullam intendere mutilationis, aut mortis pœnam, *cap. Prælatis de homicid. in* 6. Protestatio enim operatur, ut dicatur agere civiliter. Qua protestatione præmissa, & non aliàs Clerici possunt esse accusatores.

9 Sequitur. I. Quod irregularis non est Sacerdos, qui, ut impediat, ne flagitia grassentur, suadet Principi, ut legem ferat, quæ certorum criminum reos aut morte, aut mutilatione castiget, Siquidem ex hujusmodi consilio non est causa mortis, nec ipsam consulit, sed solùm bonum Reipublicæ: proxima causa est malitia hominum flagitiosorum.

10 II. Nec est irregularis Confessarius, qui renuit in confessione Judicem absolvere, qui non vult flagitiosos, prout lex jubet, pœna capitis damnare; modò tamen generatim loquatur, præcipiendo Judici, ut puniat secundum legem, neque directè pœnam mortis recenseat.

IV. Ex defectu libertatis.

11 Servi, seu mancipia nunquam ordinari debent, nisi priùs à dominis manumissi fuerint, *c. de servorum de serv. non ordinand.* Nec promoveri debent, qui militiæ adscripti sunt, nisi priùs discessionem obtinuerint, *cap. Designata*, *cap. Si quis* 51. *dist.* Ratio est, quia illi homines non sunt juris sui; ac proinde Ecclesiæ obsequio mancipari non possunt.

Item, qui adhuc publicis ratiociniis tenen-

nentur, prohibentur Ordines suscipere, antequam hujusmodi ratiociniis fecerint satis, *cap. Præterea 51. dist. & tot. tit. de obligat. ad ratiocin.*

V. De defectu significationis, seu Sacramenti.

12 Defectus significationis Sacramenti Matrimonii (quod significat unionem Christi cum Ecclesia, quæ est unica, perpetua, & incorrupta ejus sponsa] in Bigamis reperitur, dividentes in plures suam carnem; sive bigamia sit *realis*, *& vera*, ut est in eo, qui duas successivè uxores duxit; sive *interpretativa*, quæ reperitur in viro, qui cum vidua contraxit, aut quomodocumque ab altero corruptam duxit; aut, cum virgine quidem nupsit, quæ post nuptiàs cum altero adulterata est; si tamen post adulterium eam cognoverit, non verò, si reliquerit intactam; sive etiam *similitudinaria*, ut est in eo, qui post emissum solemne votum castitatis in approbata Religone, aut susceptum Sacrum aliquem Ordinem, sive validè, vel invalidè nupsit. Bigamia itaque aditum ab Ordines præcludit, *d. cap. Maritum*, *& c. Curandum 34. dist. & tot. tit. de bigamis*.

13 Observandum, bigamiam non contrahi, nisi per matrimonii consummationem. Vnde vir, cujus uxor obiit post matrimonium ratum, sed non consummatum, nulla ratione est bigamus (licèt illa priùs alterius uxor fuerit) ab eo enim non fuit cognita, *c. Valentino 34. dist. & c. Dilectum de bigamis*, & declaravit S. C. C. *in una Burgen. 17. Julii 1686.* Monacell. *cit. num.* 33. De hoc enim non verificatur, quòd carnem suam in plures diviserit,& ita significat unitatem Christi cum Ecclesia, per Glos. *ad c. debitum de bigamis in ver. Sacramentum*.

14 Petitur. An sit bigamus, ac proindè irregularis, qui unam conjugem ante Baptismum, & alteram post ipsum habuit?

Resp. Affirmativè, ut expresè textus *in c. Si quis viduam il 1. d. dist.* Neque enim matrimonium in iis, qui etiam ante Baptismum bigami fuerunt, potest representare Christi cum Ecclesia unionem. Ad hoc enim requiritur, ut vir sit tantùm unius vir; & uxor tantùm unius uxor, ex D. Thom. *in 4. dist. 27. qu. 3. art. 1. quæst. 1.* & non debet in plures suam carnem dividere.

15 Petitur. Quis cum bigamis dispenset: ut ad Ordines possint ascendere.

Resp. Cabasutius *prax. jur. Canon. lib. 5. c. 19.* dixit, Episcopum dispensare cum bigamo ad minores Ordines, & beneficia simplicia. Sed huiusmodi facultatem in Episcopis non reperiri, significatur ex Trid. *sess. 23. c. 17. de ref.* iubente, functiones minorum Ordinum esse per Clericos cælibes exercendas; vel, si eorum non adsit copia, à coniugatis probatæ vitæ, sed qui bigami non sint. Itaque, sicut nequeunt Episcopi dispensare, ut per bigamos, etiam tempore necessitatis, functiones Ordinum Minorum exerceantur; ita nec ut illi ad Ordines minores ascendant. Vnde refert Fagnan. in 1. *ad c. Super eo de bigamis in fin.* Sixtum V. imposuisse C. Conc. ut significaret Episcopo, qui suo subdito verè bigamo tonsuram Clericalem, & simplex beneficium contulerat, esse suspensum à collatione Ordinum.

16 Nec Regulares cum suis subditis bigamis dispensare possunt, ut videre est in *Const. Regimini Sixti IV. 6. & 7. Bull. tom. 1.* Quare ad Sedem Apostolicam semper est recurrendum.

VI. Ex defectu natalium.

17 Hic defectus in iis reperitur, qui reprobata à Canonibus coniunctione nascuntur. Quibus prohibitum est Clero adscribi, *cap. Ut filii de filiis Presbyterorum*. Hæc irregularitas tollitur per Religiosam professionem. Quare professus illegitimè natus sit capax Sacrorum Ordinum, sed non Prælaturarum, sive Regularium, sive Sæcularium, ibid. text.

Item natus ex soluto, & soluta, qui postmodùm legitimè contraxerunt, non est irregularis: filius enim anteà natus, per subsequens matrimonium legitimatur, & est habilis ad Ordines, & honores, *c. Tanta cum sua glos. qui filii sint legit.* Piasec. *prax. part. 1. cap. 2. art. 5. num. 12.* Quod procedit, ut idem observat, si eo tempore, quo genitus fuit, nullum impedimentum reperiebatur in genitoribus ad contrahendum matrimonium. Quoniam, si pro tunc impedimentum habuerunt, licèt posteà dispensetur super impedimento ad effectum con-

contrahendi, & contrahant, filii adhuc anteà nati manent illegitimi, nisi in dispensatione cum illis quoque fuerit expressè dispensatum.

VII. Ex defectu ætatis.

18 De hoc defectu patet ex d. Const. Pii II. supra *num.* 13. & Trid. *d. sess.* 23. *cap.* 12. & 14. in quibus ætas pro Ordinibus Sacris taxatur.

VIII. Ex defectu membrorum.

19 Ea tantùm corporis vitia, & membrorum defectus arcent a Clericatu, quæ aut absolutè Ordinis functiones impediunt, ut est cæcitas, *cap. Si Evangelica* 55. *dist.* aut, quibus efficitur, quòd functiones Ecclesiasticæ ritè, & secure exerceri nequeant: ita habens manus tremulas, ut proinde periculum sit, quòd calix effundatur, celebrare non potest, *argum. ex c. Consultationibus de Cleric. ægrot.*: & carens pollice Missam non celebrat, *cap. Presbyterum d. tit.* Potest tamen cætera Sacerdotalia Officia obire, ut ibi textus: quod procedit, si ab aliis ei fuerit digitus necessarius abscissus, si enim sua culpa digitum amisisset, nec aliquod Ordinis exercitium ei permittitur, *cap. Qui partem cit. dist.* Vel operantur, ut nisi cum scandalo, & horrore possint functiones Ordinum exerceri: ita carens sinistro oculo celebrare pohibetur, ex *c. Cum tua de corp. vitiat.* quia caput ad Canonem convertere cum dedecore, & deformitate, compellitur; & propter eamdem rationem etiam lepra laborans, *cap. Tua nos de Cler. ægrot.* In infirmitate effectus claudus, si tamen non sit adeò deformis, nec egeat baculo ad iter, promoveri potest, *c. Si quis in infirmitate d. dist.* Quemadmodùm ibidem *c. Si quis à Medicis*, *c. Eunuchus*, *c. Si quis pro ægritudine*, is, qui, vel a Medicis, vel a Barbaris castratur, promovetur. Clericus autem non fit, qui vel sibi virilia amputavit, vel amputari permisit, *c. Si quis abscidit d. dist.* etiam si causa continentiæ id egerit, aut putaverit se obsequium Deo præstare, *c. Significavit de corp. vitiat.* Nam non ferro, sed Religione quærenda est castitas, ut ibi notavit *Glos. in verb. obsequium.* item, qui voluntariè se castrari faciunt, egent dispensatione, S. Congr. 15 *Januar.* 1694. Monacell. *num.* 31.

Errant asserentes, quòd castratus, qui vel de jure, vel ex dispensatione ad Ordines promovetur, debeat partem exactam ad collum portare. Quod proindè corrigit *Glos. ad d. cap. Eunuchus in verb. Si in persecutione.*

20 Petitur. *Ad quem spectet facultas dispensandi* in Irregularitatibus, quæ proveniunt ex membrorum defectu?

Resp. Ad Summum Pontificem. Nam hæc est recepta consuetudo, & de praxi constat, *d. tit. de corp. vitiat.*

21 De *irregularitatibus, quæ oriuntur ex delicto.*

Ex isto capite irregulares sunt.

I. Hæretici, Schismatici, & Apostatæ à fide, *cap. Presbyteros* 50. *dist. cap. Qui in aliquo* 51. *dist.*, & *cap. Statutum de hæret. in* 6.

II. Ab Hæreticis baptizati, vel aliàs rebaptizati, *cap. Afros.* 98. *dist. cap. Qui in qualibet* 1. *q.* 7. Excipiuntur parvuli, *ex c. Placuit* 1. *quæst.* 4. Modò ab Hæreticis baptizentur, non sua voluntate, sed parentum perfidia, & ipsi ex post facto suo tempore non consentiant.

III. Qui rebaptizanti ministrat, *cap. ex litterarum de Apostatis*; & ex consuetudine Ecclesiæ, qui voluntarie rebaptizat; nisi sub conditione id agat, & cùm eo, de cujus baptismo, facta inquisitione, non constat.

IV. Clerici solemniter, hoc est, cum vestibus tali Ordini deputatis ministrantes in pertinentibus ad Ordinem Sacrum, quem non habent, *cap. Si quis de Cleric. non ordinat.*

V. Clerici, qui ligati censuris actum aliquem Ordini alicui Sacro deputatum exercent. Dicitur actus Ordini deputatus, cujus faciendi potestas datur in collatione illius Ordinis, & non potest exerceri nisi ab habente illum Ordinem, Piasec. *citat. par.* 2. *cap.* 4. *art.* 12. *nu.* 9.

22 VI. Nota, quòd suspensus ab exercitio alicuius certi Ordinis superioris non intelligitur suspensus ab exercitio Ordinis inferioris. Ita suspensus ab Ordine Sacerdotali potest exercere officium Diaconatus sine irregularitate. Imò suspensus ab una functione unius Ordinis non censetur suspensus ab alia actione ejusdem Ordinis. Ita suspen-

pen-

pensus à celebratione Missæ, post confessiones audire, *cit.* Piasec. *n.* 5.

23 VII. Suspensus verò ab Ordine inferiori, suspensus est etiam quoad omnes Ordines superiores; quia si quod minus est interdicitur, ergo & quod est majus. In quo licet non deliquerit, fecit tamen se indignum delinquendo in minori, Fagnan. *in* 1. *ad c. Vel non de temp. Ord. n.* 16.

24 Observat Piasec. *cit. n.* 8. quòd nullus, præterquàm suspensus à Divinis, sive absolutè, sive quoad certum locum, vel actum, incurrit irregularitatem contraveniendo suspensioni, licèt peccet. Atque ita suspensus ab jurisdictione, vel beneficio, licèt contraveniat, & possit puniri, non incurrit tamen irregularitatem.

25 Sed suspensus à Divinis irregularitatem non incurrit, nisi exerceat aliquem actum Ordini alicui Sacro deputatum. Nam soli actus d. Ordinis intelliguntur nomine Divinorum quoad irregularitatem. Sicut nomine Officii veniunt functiones Ordinis, & jurisdictionis. Unde suspensus ab Officio debet abstinere tam ab actibus Ordinis, quàm jurisdictionis, *ibid.*

26 VII. Qui furtivè Ordinem suscepit juxta dicta superiùs, *cap. Veniens de eo, qui furtivè Ord. suscepit.*

27 VIII. Qui homicidium voluntarium committunt, *Trid. sess.* 14. *c.* 7. *de refor.*

28 IX Voluntariè ad sui, vel aliorum membri mutilationem concurrens, *d. cap. Qui partem.*

X. Procurans abortum fœtus animati, *c. Sicut. ex litterarum de homicid.*

29 Petitur. An à Clericatu excludantur, qui, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, (quod dicit non facere plus, quàm oportet secundum rectam rationem ad propulsandam injuriam) injustum vitæ invasorem occidunt, vel mutilant?

Resp. Eum non esse irregularem: habetur expressè *in Clement. si furiosus de homicid.* ibi: *si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit: & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.*

30 Sed Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.* in hoc etiam casu dispensantionem quodam modo deberi dixit; nec Ordines esse suscipiendos, nisi priùs de ipsa re Ordinarius cognoscat. Hujusmodi irregularitas est facile dispensabilis; quemadmodùm illa, quæ incurritur ex occisione, vel mutilatione ad tutelam parentum, vel filiorum, uxoris vel mariti, ex sententia Sac. Congregat. Concilii apud Fagnan. *in* 5. *ad cap. Petitio de homicid. num.* 15. Et ita concordantur d. Clementina, & Tridentinum; ut illa velit ad defensionem sui cum dicta moderatione non contrahi irregularitatem, quæ difficulter dispensetur, Concilium verò statuat eam incurri, quæ facilis sit dispensationis.

31 Petitur etiam, an pugnans in bello, si aliquem occidat, vel mutilet, sit irregularis?

Responsioni præmittendum est, bellum aliud esse justum: aliud injustum: aliud defensivum, & aliud offensivum, vel aggressivum: & aliud sacrum. *Justum* est, quod à legitima potestate, & justo titulo, necessitate quadam, ut ad tuendam propriam personam, patriam, & ditionem, suscipitur. *Injustum* verò, quod nulla justa causa geritur. *Defensivum* dicitur, quo quis se, patriam, & bona ab impetente tuetur, vim vi repellens. *Offensivum* verò, seu *Aggresivum*, quo alius impetitur, & fit pro recuperatione amissi, vel juris debiti. *Sacrum* verò est, quod fit auctoritate Pontificis contra infideles ad dilatandum nomen fidei.

Quibus visis. Ad dubium respondetur affirmativè, cujusvis generis sit bellum. Nam semper verificatur, quòd sanguis humanus profundatur. Propter quod quis arcetur à ministerio Altaris.

32 De pugna in bello defensivo patet, ex *c. Petitio de homicidio*, in quo Pontifex cuidam Sacerdoti (qui ad defensionem castri ab infidelibus obsessi pugnavit, & inde metuebat irregularitatem, dubitans aliquem ex à se percussis interiisse) rescripsit, *ut à ministerio Altaris abstineret, cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.*

23 Hinc habetur, irregularitatem non vitari à mutilante, vel occidente, etiam pro defensione patriæ, vel zelo fidei. Nec obstat, quòd tunc non peccet; quia irregularitas incurritur etiam sine culpa ex facto meritorio, ut notavit Fagnan. *in* 5. *ad d. cap. Petitio num.* 6. ut patet in Judice, qui secundùm leges justitiam administrat; & est irregularis, licèt tantùm bonum intendat, si aliquem ad mortem etiam justè damnet,

& mors

& mors sequitur. Unde refert Fagan. *cit. n.* 5. fuisse à Papa commissum Nuncio Portugalliæ, ut dispensaret cum Ecclesiasticis, qui in casu inevitabilis necessitatis infideles, vel hæreticos, defendendo patriam occiderunt, vel mutilarunt. Et Petra *Comment. ad const. Apost. tom.* 2. *constitut. unic.* Gregorii VIII. *sect.* 1. *num.* 17. adducit responsum Sac. Congregat. Conc. quæ in Zagabrien. 17. *Novembr.* 1685. respondit, *Canonicum Zagabrien. à quo in defensione patriæ, & fidei occisus fuit vexillifer Turca, incurrisse irregularitatem, & opus dispensatione cum eo fuisse.*

34 Difficultas esse potest de militibus S. Joannis Hierosolymitani (vulgò Cavalieri di Malta) aliisque approbatis à S. Sede Apostolica ad pugnandum contra Infideles. Sed hos etiam incurrere irregularitatem, si pugnando contra infideles aliquem mutilent, vel occidant, dicimus; quia semper habetur defectus perfectæ lenitatis. Quòd autem Sedes Apostolica d. Ordinem approbaverit ad effectum pugnandi contra Infideles, solùm facit, quòd non peccent pugnando, non verò quòd actus continens in se effusionem sanguinis non includat impedimentum ad ministrandum in Altari, in quo Christus vult ministros, qui sanguinem humanum non effundant, sed Deo Sacrificium incruentum offerant. Et itaque dd. militibus licita effusio sanguinis infidelium, sed hoc non facit, quin deturpet lenitatem. Ideò in eis est necessaria vel præventiva, vel subsequens dispensatio Apostolica, ut ubi suprà *in fin. alleg.* Petra concludit.

35 Sed petitur. An assistentes, & hortantes milites ad strenuè pugnandum, irregularitatem incurrant, dum aliqui per milites occiduntur, vel mutilantur?

Resp. Negativè, *cap. Igitur, cap. Hortatur* 22. *quæst. ult.* etiam in bello aggressivo, modò sit justum, & consulant, ac hortentur absque specifica sanguinis intentione unius particularis personæ, quæ occidenda, vel mutilanda designetur. Talis enim adhortatio cum intentione, vel ad unum determinatè occidendum, vel mutilandum, inducit irregularitatem, quia directè, & per se intenditur sanguinis effusio: quod non operatur confusa adhortatio ad strenuè pugnandum; cum perindè sit, atque hortari ad strenuè incumbendum in adeptione victoriæ, & hoste repellendo: vel ut defendatur patria, & fides, ut allegatis Suarez, & Lorca, scripsit Gonzalez *in* 5. *tit.* 12. *cap.* 24. *num.* 4.

36 Si verò bellum fuerit injustum, irregularitas incurritur, modò per alios quis occidatur, vel mutiletur, quia datur opera rei per se illicitæ. Cæterùm absque irregularitatis timore possunt Clerici exercitum comitari, & in bello militibus assistere ad ministranda Sacramenta, pro pace tractanda, & aliis non habentibus respectum ad pugnam, prout ibid. Gonzalez & Petra *num.* 19.

37 Sed quid de Clerico, qui albis militaribus ascriptus, & armatus in bello servivit, stipendia recepit, & in expeditionibus militibus se associavit: licèt sit moraliter certus se neminem mutilasse, læsisse, aut occidisse? Eget dispensatione ab irregularitate, S. Congregat. Concilii in Ispren. 13. *Januarii* 1703. Et ipso jure amittit beneficium, etiam si sit jurispatronatus, eadem Sac. Congr. in *Firmana* 13. *Januar.* 1618. *Monac. cit. num.* 37.

38 Petitur. An ex homicidio non volito in se, & casuali, incurratur irregularitas?

Resp. Affirmativè: cùm quis prævidens, vel potens prævidere homicidium, non adhibet diligentiam, quam debet, & moraliter potest. Ita Sacr. Congregat. Concilii habuit pro irregulari Clericum, qui ascendit campanile, & dum manibus apprehenso malleo Campanam crebrò pulsaret in honorem festivitatis, aspiciens Campanam dimoveri, funem sursum trahebat: in quo tractu persensit funem gravi pondere onustam; sed, hoc non obstante, trahere non cessavit, & chordam alligavit trabi, ne pulsando à Campana lædi posset: at descendens postea de campanili reperit puerum annorum circiter septem moribundum subtus chordam Campanæ, qui se funi appenderat, & sublevatus usque ad fornicem cecidit, & paulò post expiravit: & dum chordam onustam trahebat, advertere poterat, & debeat aliquem esse illis appensum, & inde posse illa aliquod nocumentum contingere: *censuit tamen cum eo misericorditer dispensandum ad Ordines, & beneficia.* Fagnan. *in* 5. *ad cap. Ad audientiam de homicid. num.* 44.

39 Non est irregularis, qui armatus accedit ad domum consanguineæ, ut compel-

pellat eum, qui cum ea commiscetur, si fornicarius è fenestra se projiciens moriatur, eadem Sac. Congregat. in Pampilonen. 29. *Septembr.* 1600. Nec accedens ad domum mulieris conjugatæ causa fornicandi, si mulier à superveniente marito occidatur, eadem Sac. Congregat. in Ponentina 18. *Martii* 1684. Ratio est, quia ad incurrendam irregularitatem ex homicidio non voluntario, non sufficit dare operam rei illicitæ; sed necesse est, quòd actus illicitus sit aptus sua propria natura ad homicidium. Unde sequitur, quòd, qui mandatum dedit ad sfregiandum, si mandatarius excedat vires mandati, & occidat, quamvis ipse prohibuerit occidere, non sit irregularis ex homicidio voluntario, adeò ut sit indispensabilis, sed quia solùm est voluntarium in causa, & non in se, ac directè, ut eadem Sacra Congregat. Concil. 7. *Septembr.* 1604. Monacell. *cit. num.* 34. & Fagnan. *d. loc. n.* 55. 57. ille enim debebat præcavere, & cogitare occisionem potuisse ex eo facto evenire.

40 Quæritur. An sit irregularis Clericus exercens artem chirurgiæ?

Resp. Affirmativè. Hæc enim Clericis prohibetur *cap. Sententiam ne Cleric. vel Monac. & cap. Tua nos de homicid.*

Laicus etiam, qui eam artem exercuit, si vult promoveri, ex stylo Romanæ Curiæ dispensationem petit, quia censetur irregularis, ut testatur Corrad. *prax. libr.* 1. *c.* 3. *n.* 1. *&* 2.

41 Ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur actus externus, consummatus, *cap. Si quis iratus* 15. *qu.* 1. Quæ inducitur etiam ex delicto occulto, ut constat ex *d. c.* 6. *sess.* 24. super qua etiam Superioris dispensatio requiritur.

42 Petitur. Quis dispenset in irregularitate proveniente ex delicto?

Resp. Trident. *d. cap.* Episcopis tribuit facultatem dispensandi in *irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus: excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentiosum, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, & in foro conscientiæ.*

43 Sed hìc notandum est tantùm. Quòd I. Et sententia Sac. Congr. Conc. Episcopi illarum regionum, in quibus Concilium adhuc receptum non est, non possunt uti facultate in eo Decreto concessa. Nec Prælati Regularium, atque alii Abbates jurisdictionem habentes quasi Episcopalem, & Sedi Apostolicæ immediatè subjecti, sed tantum Episcopi. Item facultate tributa Episcopis à Conc. non possunt uti Cardinales in suis titulis; quia licèt habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, ibi tamen verè, & propriè Episcopi non sunt. Ex resolutione d. S. C. approbante Pontifice, apud Fagn. *in* 1. *ad c. Dilectus de temp. Ord. n.* 25. 26. *&* 27.

II. Ex ejusdem Sac. Congregat. sententia Episcopi non possunt absolvere in casibus occultis post Concil. ex nova lege Sedi Aostolicæ reservatis, ibidem *n.* 30.

44 Nec ab irregularitate, quæ per hæresim inducitur, quia ut ibid. Fagnan. *num.* 31, & nos diximus alibi, non possunt Episcopi ab hæresi etiam occulta absolvere, quia Bulla Cœnæ derogavit d. Decreto Concilii.

45 Possunt tamen dispensare super irregularitate proveniente ex mutilatione in casu occulto, ex ejusdem Sac. Congregat. sententia ibidem *numer.* 28. homicidium enim voluntarium, & mutilatio æquiparantur solùm, quantùm ad incurrendam irregularitatem; non quoad facultatem dispensandi.

46 Differt irregularitas à suspensione, quia hæc inducit inhabilitatem ad executionem Ordinum, illa verò inhabilitat etiam ad Ordines suscipiendos. Vel irregularitas afficit tam Clericos, quàm Laicos, suspensio verò solis Ecclesiasticis imponitur. Aliud discrimen videas *lib.* 1. *caut. Confess. c.* 33. *n.* 13.

CAPUT XXXVI.

Officialis quoad Parochos.

SUMMARIUM.

1 *Quis veniat appellatione Parochi?*
2 *Necessaria, ut Ecclesia dicatur Parochialis.*
3 *Episcopi possunt instituere novas Parochias, & erigere fontem Baptismalem in Parochiali, in qua non reperitur.*
4 *Providendus de Parochia debet incœpisse annum* 25.

5 *Azi-*

5 *Agitur de scientia in Parocho necessaria.*

6 *Parochiæ conferuntur prævio examine per concursum.*

7 *Parochiæ, quas Regulares administrant, per examen, sed non per concursum, conferuntur.*

8 *A quo tempore incipiant currere decem dies dati Episcopo, & in quibus debet examen per concursum fieri.*

9 *Parochi tenentur personaliter residere in Parochia. Non residentium pœnæ &c.*

10 *Causæ excusantes à residentia, usque ad num. 11.*

12 *Necessaria ad jus Parochiæ acquirendum?*

13 *Cautela adhibenda à Parochis in assistentia matrimoniis vagorum.*

14 *Successor in Parochia solvit pensiones à prædecessore non solutas.*

15 *In resignatione pensionis potest committi simonia.*

16 *Regulares Curati sunt amovibiles.*

17 *Differunt functiones Parochiales ab juribus merè Parochialibus.*

18 *Regulares possunt admittere Mulieres ad purificationem post partum.*

19 *Responsa S. R. C. super functionibus Parochialibus.*

20 *Parochi non possunt alienare bona Ecclesiæ: & ibi alia nonnulla.*

1 PArochi appellatione venit Clericus, qui Parochiæ præest. Parochia verò dicitur, quasi *partitio Curiæ*. Ideò Parochus nominatur, qui habet perfectam curam animarum totius populi intrà certos limites congregati, cui Sacramenta administrare tenetur. Propterea dicitur populum regere, per *c. Presbyteri de capel. Monach. in 6. & Glos. in c. Licet Canon. de elect. ibid.* ac rector Ecclesiæ Parochialis, seu plebanus (quamvis Plebanus propriè sit, qui Plebaniam habet, hoc est, Ecclesiam sub se plures Ecclesias, vel Capellas habentem, text. in *cap. Statutum juncta Glos. ne Cleric. vel Monach. in 6.*) Diciturque habere beneficium curatum propriè; ut omne tale dicitur illud, in quo exercetur cura animarum in foro interno animæ, seu sacramentali, ligando, & solvendo in foro pœnitentiali; nam cura propriè dicit Sacramentorum administrationem, & jurisdictionem in foro pœnitentiali; ut notavit Engel. *Colleg. jur. can. lib. 3. tit. 29. §. 1. num. 9.* Fagnan. *in 1. ad cap. cum in cunctis, §. inferiora de elect. num. 9.* & non solam jurisdictionem pro foro externo, & contentioso, ut est excommunicare, absolvere, corrigere &c.

Item, debet Parochus esse stabilis ad vitam, & non amovibilis, aut locatarius, quia inter ipsum, & Ecclesiam celebratur matrimonium spirituale: nam ei sua Ecclesia desponsatur; unde *c. Præcipimus 21. q. 2.* legitur: *Præcipitur, nec conductitiis Presbyteris Ecclesiæ committantur, & unaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem.* Istaque est mens Trid. *sess. 21. c. 6. de refor.* quo prohibet removeri Parochos ob eorum imperitiam, si alioquid honestè vivant: præcipiens, ut eis coadjutores, vel Vicarii deputentur, ac ut turpiter, & scandalosè viventes moneantur; & dum se non corrigunt, coerceantur, & castigentur: & si adhuc incorrigibiles fuerint, eos Episcopi beneficiis juxta Sacrorum Canonum Constitutiones privent. Verum curati in Ecclesiis Regularium ex *sess. 25. c. 11. de Regul.* sunt amovibiles.

2 Ecclesiæ Regularium non curatæ non sunt Parochiales: licèt in eis ex privilegio, ut in Clement. *Dudum de sepult.* audiantur per Regulares confessiones accedentium, ac ministretur Eucharistia; quia non possunt in eis per eos matrimonia solemnizari, nec Viaticum, & Extrema unctio infirmis ministrari sine Parochi licentia, per disposita in Clement. *Religiosi de privil.* nec fideles in eis præcepto annuæ Communionis in Paschate satisfaciunt. Omnia enim hæc sunt de pertinentibus ad jura strictè Parochialia, & censentur reservata Parochis in signum superioritatis, & jurisdictionis ipsorum in proprias oves: quas saltem semel in anno, & mortis tempore cognoscere debent. Et hinc patet, hujusmodi Ecclesias ideò Parochiales non esse, quia nec habent certos fines, nec populum distinctum, qui certis temporibus teneatur de necessitate ad ipsarum Sacerdotes recurrere pro quorundam Sacramentorum administratione. Vide Trid. *sess. 24. cap. 23. de ref.*

3 Ubi ob locorum distantiam, vel difficultates itineris non possent Parochiani sine magno incommodo accedere ad Parochiam

chiam ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda, possunt Episcopi constituere novas Parochias, etiam invito, sed tamen citato Rectore Ecclesiæ principalis ad videndum, an habeat justam causam contradicendi, ut Trid. *sess. 21. cap. 4. de reform.*

Possent etiam alterum remedium adhibere, compellendo nimirum Rectorem majoris Ecclesiæ, ut novam Capellam fundaret in partis remotioribus, eamque dotare ex redditibus, qui ex Parochia haberentur, pro sustentatione unius Capellani ad nutum amovibilis, & ab Ordinario approbandi, qui populo in illis partibus Sacramenta ministraret, & Divina celebraret; prout fuit aliàs resolutum S. C. Conc. apud Fagnan. in 3. *ad c. Ad audientiam il 1. de Eccles. ædific. à num. 20. & 21.*

Hinc habetur, quòd in illis Diœcesibus, in quibus Plebaniæ habent sub se alias Parochiales, & in eis Sacramentum Baptismi non administratur, sed pro eo pueri illarum ad Plebem sunt deferendi, sed non sine gravi incommodo, difficultate, ac periculo, quòd pueri decedant sine baptismo, vel propter nimiam distantiam, vel quia torrens, vel flumen inter Plebem, & aliam Ecclesiam interponitur, quæ nec pontem habent, nec vado transiri possunt, præsertim hyemali tempore, cùm pluviæ abundant; vel quia adversis temporibus non est ita facilis accessus: possunt item Episcopi Fontem Baptismalem, etiam in aliis Parochialibus constituere: nam ibid. Trid. *d. c.* 4. loquitur alternativè, *In omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus.*

Nec obstat opponere, quòd nullus unquam obierit sine baptismo. Nam ad validitatem erectionis Fontis satis est, ut immineat periculum, ut sic decedant. Neque hujusmodi eventus est expectandus, sed potiùs præveniendus nec contingat, ut notavit ibid. Fagnan. *num.* 17.

4 Quæritur. In quo ætatis anno debeat esse, qui Parochialem Ecclesiam debet obtinere?

Respond. Debet explevisse annum vigesimum quartum, & incœpisse vigesimum quintum, juxta text. *in c. Cum in cunctis, cap. Licèt Canon.* & Trid. *sess. 24. c. 22. de refor.* ibi: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit.* Nam Ecclesia ei confertur, ut Missam, & alia Divina Officia celebret, ac Populum sibi commissum regat, & Sacramenta ei ministret. Ideò intra annum Sacerdotium debet suscipere; aliàs elapso anno, nulla etiam monitione præmissa, ut promoveatur, ipso jure est Beneficio Parochiali privatus, ut expressè *d. c. Licèt Canon.* §. *Is etiam*: onus verò incipit, & currit, ex quo habuit possessionem pacificam, vel per eum stetit, quominùs eam haberet, *c. Commissa de elect. in 6.* Nec currit justè impedito, ibid. ut quia toto anno ægrotavit, vel absens erat Episcopus, & commendatitias habere non potuit, vel Episcopus eum ordinare noluit, ut ibi Glos. *in ver. justo impedimento.*

5 Quæritur, quæ scientia requiratur in Parocho?

Præmittendum, scientiam esse in triplici differentia, eminentem, mediocrem, & sufficientem. Eminentem habet, qui subtiles, & difficiles quæstiones discernere novit, & promptè sine librorum revolutione respondet. Mediocrem, qui cum revolutione librorum veritatem scit invenire. Sufficientem verò, qui per se sufficit ad ea explicanda, quæ sunt sui officii.

Quare in assumendo ad Parochiam ad minus scientia sufficiens est necessaria, cum Parochi officium sit. I. Saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus intra Missarum solemnia explicare plebi sibi commissæ Divina eloquia, docendo necessaria ad salutem, & quæ sequenda, quæque fugienda sunt ad obtinendam vitam æternam, ut præcipit Trid. *sess. 5. c. 2. de refor.* Quòd si legitimè impediatur, per alios idoneos id præstare tenetur, ibid.

II. Iisdem saltem diebus pueros Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & Parentes docere, Trident. *sess. 24. cap. 4. de reform.*

III. Vim, & virtutem Sacramentorum administrandorum explicare, & exponere, ac Populum in Lege Domini erudire, *ibidem cap. 7.*

Et ubi Parochus culpabilis erit, ac post Episcopi monitionem, trium mensium spatio suo muneri defuerit, potest ab Episcopo censuris Ecclesiasticis compelli; nec potest privilegio exemptionis se defendere, prout expressè *d. sess.* 5. Quinimò, ubi insufficiens erit, poterit Episcopus ex fructibus

bus ipsius Ecclesiæ assignare partem congruam alteri, qui loco ipsius eas partes impleat, donec ipse Parochus per se ipsum eas præstet.

6 Quoniam verò prædicta scientiam,& doctrinam præsupponunt: Trident. *sess.* 24. *c.*18. *de reform.* decrevit, quòd occurrente vacatione Ecclesiæ Parochialis, Episcopus deputet in ea Vicarium cum congrua assignatione portionis fructuum, qui eam administret, donec ei de Rectore provideatur, servata tamen forma examinis per concursum, *d. cap.* præfixam, coram tribus ut minimum examinatoribus, in Synodo deputatis, & ad præscriptum Constitut. *In conferendis B. Pii V.* 33. *in Bull. tom.* 2. Ex qua plura habentur.

I. Quòd Episcopi debent intra sex menses à die vacationis, si Ecclesia non vacaverit in mensibus Sedis Apostolicæ, eidem, peracto examine per concursum, juxta formam Trident. *citat. cap.* 18. providere: aliàs provisio spectat ad Sedem Apostolicam.

II. Ut Ordinarii non possint prorogare tempus decem dierum propositum pro peragendo concursu ultra alios decem dies.

III. Quòd nulla est provisio, & collatio Ecclesiæ Parochialis, non servata forma examinis per concursum, statuta *d. c.*18.

IV. Quòd magis idoneo reperto debet Parochia conferri.

V. Quòd habiliores relicti possunt à mala provisione Episcopi appellare ad Metropolitanum: aut si eligens fuerit Metropolitanus, vel exemptus, ad viciniorem Ordinarium, ut S. Sedis Delegatum, vel ad ipsam S. Sedem, & præelectum coram appellationis Judice, ejusque examinatoribus provocare.

VI. Quòd constito de prioris eligentis irrationabili juditio, revocetur: & Parochialis magis idoneo per Judicem appellationis (modò collatio spectet ad Episcopum, à quo fuit appellatum) conferatur.

VII. Quòd appellatio interposita interim non suspendit electionem factam ab Ordinario, nec provisus, appellatione pendente, debet ab ipsa Ecclesia amoveri.

Super quibus duo ponderanda occurrunt. Primò, quòd quamvis præelectio de digno posthabito digniori non sit ipso jure nulla, potest tamen retractari, & infringi in judicio appellationis, constito de irrationabili eligentis judicio: quod ex jure veteri, & Conc. Trident. fieri non poterat, ut notavit Fagnan. in 1. *ad cap. Eam de ætat. & qualitat. num.* 28.

Secundò. Quòd dignior censetur, qui Ecclesiæ magis utilis judicatur. Trident. *ibid. cap.* 1.

Tertiò. Quòd novum examen inter provocantem, & præelectum, debet esse non tantùm quoad scientiam, sed etiam quoad mores, prudentiam, & alias qualitates, quarum meminit Conc. *d. cap.* 18. *ver. peracto*. Aliàs certè, si fieret examen tantummodò quoad scientiam, constare non posset, uter eorum esset magis idoneus: quia rejectus posset esse doctior, sed imprudens, aut criminosus: & consequenter per hujusmodi examen non posset retractari judicium Episcopi. Ideò in novo examine qualitates omnes concurrentium sunt ad invicem conferendæ, & ex collatione formandum est judicium, an electio Episcopi debeat retractari, aut confirmari.

7 In Parochialibus tamen Regularibus conferri solitis, non requiritur examen per concursum, sed sufficit solùm examen, prout apud Piasec. *prax. par.* 2. *cap.* 5. *art.* 3. *num.* 10. aliàs declaravit S. C. Concil. his verbis: *Hoc decretum non habet locum in beneficiis Regularibus, quæ Regularibus conferri consueverunt*: & statuitur *sess.* 25. *c.* 11. *de Regul.*

8 Item dubitatur, an decem illi dies, de quibus Conc. & Pius, currere incipiant à die habitę notitiæ vacationis Ecclesię adeò ut Episcopus post talem notitiam teneatur edicta proponere infra decem dies pro concursu peragendo?

Responsio est negativa; quare illi dies non currunt à die notitiæ, sed est liberum Episcopo quandocumque decem dies præfigere volentibus concurrere; modò serventur duo. Primum, ut infrà semestre, vel quadrimestre à die vacationis præfigantur. Nam alleg. Const. B. Pii concedit Episcopo, si Parochialis vacaverit in suo mense, sex menses; si verò vacaverit in mense Sedis Apostolicæ, quatuor, ad providendum Ecclesiæ, peracto examine per concursum.

Secundum, ut in edictis, vel Clericorum vocatione præfigat terminum decem dierum ad sua nomina deferenda, vel describenda: & posteà hunc terminum

non

non proroget ultra alios decem dies.

Quinimò, si concursus habeatur, priusquam præfixus terminis expiret, validus est prout censuit S.Congreg.Conc.in una Montis Realis in qua, cum Episcopus publicasset concursum, & statuisset terminum decem dierum concurrentibus, intra quem terminum habitus fuit concursus; quæsitumque esset, an propterea sit nullus concursus intra dictum terminum habitus: Die 2. Augusti 1607. S. Congr. censuit, *examen factum intra terminum dictorum decem dierum non esse nullum, si nemo post examen comparuit, qui se læsum propterea prætendat* apud Fagnan. *in* 1. *ad c. Cum sit, de ætat. & qualit. n.*48.

9 Quæritur. An Parochi teneantur personaliter residere in sua Parochia?

Respond. Affirmativè. Nam omnes, quibus animarum cura commissa est, *tenentur oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere*, ut dixit Trident. *sess.* 23. *cap.*1. *de reform.* Quæ personalem præsentiam concludunt in propria Parochia, in qua reputatur electa industria, & fides personæ ad regendum; propterea alteri non potest cura delegari, per regulam *in c. fin.* §. *Is enim de offic. deleg.*

Ubi verò non resident, non faciunt fructus suos, ad ratam temporis absentiæ, nec eos tuta conscientia retinere possunt, sed tenentur absque ulla alia declaratione applicare fabricæ Ecclesiæ, vel errogare pauperibus Parochiæ, *ibid. ver. eadem.*

Super quorum fructum restitutione non potest Parochus seu componere cum fabrica Ecclesiæ, nec cum pauperibus. Neque valet Ordinarius illum admittere ad compositionem, vel transactionem; sed integri pro tempore absentiæ sunt restituendi.

Sed, ut advertunt Garzias, Possevinus, Barbosa & Bonac. apud Ventrigl. *prax for. Eccles. annot.* 20. §. 1. *nu.*9. posset Parochus in restituendo fructus retinere illam partem, quæ correspondet recitationi Divini Officii. Nam Parochus recipit fructus Beneficii pro residentia, & oneribus residentiæ annexis, ac pro Divini Officii recitatione. Ergo æquum est, ut in restitutione habeatur ratio residentiæ, & divini Officii.

Quòd Parochus absens ratione Divini Officii (si illud recitet) partem fructuum suam faciat, videtur supponi ibid. à Triden. concedente, ut contra absentes Parochos possunt procedere ad privationem Beneficii si priùs adversus eos processerint per censuras, vel subtractionem fructuum. Quod certè intelligitur de fructibus, quos suos faciunt: suos autem non faciunt illos, qui sibi debentur ratione residentiæ; sed debitos ratione officii, de qua re dixi etiam *lib.*1. *Caut. confess. c.*14. *n.*12.

Adversus non residentes non proceditur ad privationem Beneficii, vel sequestrationem, aut subtractionem fructuum, nisi priùs citentur: & si contingat citari per edictum, debent præcedere tres citationes successivè factæ; nec sufficit una peremptoria aliàs sententia privationis est nulla. Est post ultimum edictum debent per tres menses expectari per *c. Ex tua de Cler. non residen.* & Decretum S.Congr. Conc apud cit. Ventrigl. *nu.* 16.

A sententia autem privationis Parochiæ ob non residentiam non datur appellatio quoad effectum suspensivum, *cap. Relatum c. conquerente cit. tit.* Nec à Trid. videtur sublata appellatio devolutiva; quia, quando tollit appellationem, intelligitur tantum de suspensiva, ex Sac. Congr. apud Quaranta *ver. Archiepiscopi auctoritas, ver. Quintò quæro.*

Nec sufficit Parochum ubilibet residere inter limites Parochiæ, sed necesse est, ut habitet in ædibus Ecclesiæ Parochialis, prout fuit aliàs à Sac. Congr. resolutum; quæ petente Præposito Piscien. declarari: *An possit compellere Parochos ad habitandum ædes conjunctas Ecclesiæ Parochiali?* censuit, *posse compellere*. Et iterùm, orta dubitatione: *An Rector Ecclesiæ Parochialis habens domos Parochiales satisfaciat residentiæ, habitando in domibus propriis ipsius Rectoris intra tamen Parochiæ limites constitutis, itaut aliàs non faciat fructus suos, sed teneatur ad restitutionem perceptorum?* Respondit, *teneri habitare in ædibus Parochialis Ecclesiæ, non tamen amisisse fructus, si intra Parochiæ fines resedit; nisi ab Episcopo fuerit jussus in ædibus Parochialibus residere. Quo casu, si id non præstet, mulctari potest ab Episcopo*, 6. *Aprilis* 1606. apud Fagnan. *in* 3. *ad c. Extirpandæ* §. *Qui verò de præb. num.* 13. & 16.

Hæc autem præcisa obligatio residentiæ est adeò stricta, ut non possit, nisi causa co-

gnita, & approbata ab Episcopo, suppleri per substitutum, neque interrumpi per frequentem absentiam quantumvis modici temporis, aut modicæ distantiæ, sive itineris intercapedinem, ut declaravit S.Congr. Conc. in una Fulginaten. 10. Maii 1681. in qua, propositis ad instantiam Episcopi sequentibus dubiis Nempè.

I. An Rectores Parochialium distantium per duo, tria, aut quatuor miliaria circiter à Civitate, possint sine Episcopi licentia in suis Ecclesiis Parochialibus, relicto ibidem substituto ab eis deputato, & in Civitate tam diurno, quàm nocturno tempore jugiter commorari, exceptis solis diebus festis, in quibus ad dictas Ecclesias se conferunt recurrentes illico ad Civitatem?

II. An Parochi, qui nocturno, cæteroquin tempore resident apud suas Ecclesias, possint, celebrata summo manè in suis Ecclesiis Missa, se conferre ad Civitatem, & in ea diurno tempore totius, vel minoris partis anni commorari, licèt apud dictas Ecclesias adsint eorum substituti?

III. An dicti Parochi, qui cæteroquin diurno tempore resident apud suas Ecclesias, possint nocturno tempore tota, vel majori parte anni commorari in Civitate, licèt in dd. Ecclesiis adsint eorum substituti?

Sacr. Congregat. ad omnia respondit *negativè*, *lib.37. Decret. pag.* 301. apud Monacell. *form. par.* 2. *form.* 2. *titul.* 16. *numer.* 2.

10 Causæ autem excusantes à continuitate residendi sunt, ex d.*c.*1.*sess.*23. *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas.*

Potest itaque Parochus abesse ab Ecclesia ad effectum defendendi jura ipsius Ecclesiæ si non potest per alium, & oporteat ad partes remotas transire, juxta *c. Ex parte, il* 2. *de Cler. non residen.*

Item, infirmitas est justa causa abscendendi ad tempus ab Ecclesia: ut, si oporteat cælum mutare, ire ad balnea, &c. *c. Cum percussio de Cleric. ægrot.* Si morbus sit incurabilis permittitur resignatio, *cap. Nisi cum pridem*, §. *alia vero causa de renunciat.* Vel datur ab Episcopo coadiutor, ut in *cap. De Rectoribus, cap. Ex parte tua ibidem.* Nec Sedes Apostolica censuit absolutè dispensare, ut quis non resideat, sed ad tempus ex legitima causa, *cap. finali rescript.* Tridentin. *cap.*2. *sess.* 6. *de reformat.*

Item causa justa reputatur, si Parochus idoneus sit ad promovendam pacem inter Principes, vel bonum fidei procurandum, juxta Trid.*sess.*23.*cap.*1.*& sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.*

Item, gravis inimicitia, ex qua imminet vitæ periculum dummodò reconciliationem procuret, alioquin si culpa ipsius non sequeretur reconciliatio, intra annum posset puniri, ut notavit Piasec.*cit.par.*2.*cap.*3. *art.*3. *n.*42.

Sed nequeunt Episcopi uti opera alicujus Parochi pro suo Secretario, vel Vicario cum præiudico residentiæ, Piasec. cit. *num.*39.

Advertendum, quòd causæ, etiam legitimæ, & notoriæ, excusantes à residentia, non sufficiunt, nisi adsit licentia Prelati, ad quem spectat causam cognoscere, & approbare; & pro tempore absentiæ substitui debet Capellanus, aut Vicarius idoneus, ab Ordinario approbandus, qui Curam in absentia Parochi regat, Trid. cit. *cap.*1.

11 Sed petitur, an opus sit etiam licentia pro absentia ad duos menses?

Resp. Navarr. *in Manual.c.*25. *num.* 121. existimat, Parochum ad bimestrem tantùm absentiam non egere aliqua Prælati approbatione, & licentia, eique sufficere conscientiam justæ causæ; proinde apud Ventrigl. *cit. annot.*20. §. 1. *num.* 26. scripsit bimestre tempus esse parvam materiam, & Parochum absentem per bimestrem sine licentia non teneri ad restitutionem fructuum: in quo cum ipso concordant Bonac. Naldus, Azor. & Beia.

Cæterum ex Trid. *cit.c.*1. licentia est necessaria, tam pro absentia ad bimestre, quàm ad trimestre; solum differentia est, quòd pro absentia ad bimestre causa esse debet justa, & ultra bimestre, etiam gravis: verba Concil. clara §. *Eadem omnino*. Tenent apud cit. Ventrigl.*n.*25. Garzias, Barbosa, & Thesaurus. Ideò, si ad bimestre Parochus abest, & licentiam in scriptis non obtinuerit, tenetur ad ratam temporis absentiæ fructus restituere.

Ad summum à pœnis Trident. excusatur Parochus, si abfuerit à residentia sine licentia per breve tempus, ut per duos, vel tres dies, vel saltem minùs una hebdomada. Sed duo sunt ponderanda. Primum, quòd ab-

sen-

ſentiæ etiam interpolatæ, intra annum duos menſes integrare non debent, prout Trid. *d. cap.* §. *Quoniam autem.* Secundum, quòd ſemper fiat abſq; præjudicio animarum, & curæ.

12 Doctores apud Fagnan. in 3. *ad cap. Significavit de Parochis num.* 28. *& ſeq.* quibus conſentimus, tradunt, ad jus Parochiale acquirendum, eſſe attendendam præſentem habitationem; niſi quis acceſſerit cauſa recreationis, aut ob aliam cauſam temporalem, ſtatim reverſurus ad propriam Parochiam, juxta text. *in cap. Is, qui de ſepult. in* 6. ibi: *Is, qui ad Villam ruralem ſe transfert recreationis cauſa, vel ut ruralia exerceat, ſi non electa ſepultura decedat, non in Eccleſia dicta Villæ, ſed in ſua Parochiali ſepeliri debet*: Facit text. *in cap. Significavit de Parochis*, & concordat Gloſs. *in Clem. Religioſi de privil. in verb. Parochialis*, ibi: *Quoad Scholares, mercenarios, & his ſimiles, intelligo Presbyterum, in cujus Parochia inhabitant*.

Unde Abbas dixit, quòd ille dicitur proprius Sacerdos, in cujus Parochia quis habitat de præſenti, & non poteſt commodè adire ad proprium Sacerdotem. Propterea, qui peſtis, aut belli cauſa fugit de Parochia in Parochiam, & eo ſe transfert animo manendi in ſecunda pro tempore neceſſitatis, contrahit in ea jus Parochiæ ad effectum recipiendi Eccleſiaſtica Sacramenta, ut poſt Frideric. de Senis tenuit Fagnan. *ibidem num.* 29. *&* 34. referens *num.* 36. quòd Sac. Congreg. Conc. generaliter conſulta; *An proprius Parochus quis dicatur, in cujus Parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimoniũ contrahitur*? Reſpondit, *ita dici*.

13 Eſt à Parochis in intereſſendo matrimoniis vagorum adhibenda cautela Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 7. *de ref. matrim.* ubi eis id prohibetur: *niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint*.

14 Quæritur. An Succeſſor in Parochia, & Beneficio, teneatur ſolvere penſiones tempore Prædeceſſoris decurſas, & non ſolutas?

Affirmativè, dummodò conſtet de diligentiis factis à penſionario pro exactione penſionis contra Prædeceſſorem, aut ejus hæredes; ut ſępè fuit reſolutum à Rota apud Fagnan. *in* 3. *ad cap. Ad hoc de ſolution. num.* 18. Ratio eſt, quia penſio eſt onus, & debitum reale cohærens Beneficio, & obligans Beneficii poſſeſſorem, *cap. ſi quis Laicus* 16. *quæſt.* 1. Penſiones enim inſtitutæ ſunt in gratiam penſionarii, & non extinguuntur, niſi ad hujus mortem, per Gonzalez in 3. *tom.* 5. *ad cap. Niſi eſſent de præben. & dignitat. nu.* 5. Ideò novus Beneficii poſſeſſor conveniendus eſt, ut debita ſolvat, etiam pro penſionibus præteritis. Verùm ſucceſſor poteſt procedere contra antiquum poſſeſſorem, ſeu illius hæredem, ut probatur *c. Præſenti de offic. ord. in* 6.

Adverte, quòd licèt novus poſſeſſor Beneficii, ſuppoſitis diligentiis à Penſionario factis adverſus defunctum, teneatur ad penſiones decurſas tempore prædeceſſoris; hoc cum limitatione intelligitur, nimirum, ſi pro eo remaneat congrua, quæ in primis & ante omnia deducenda eſt, juxta Trident. *c.* 13. *ſeſſ.* 24. *de reform.*

15 Quæritur. Titius Parochus obtinuit indultum à Sede Apoſtolica reſignandi Parochiam, & in reſignatione reſervandi penſionem pro ſe, vel alio: quam vult reſervare in favorem Nepoti Clerico, ſed hac lege, ut ipſe fructus percipiat, quoad vivit, & Nepos, niſi poſt mortem ipſiuſmet Titii: petitur, an Titius committat Simoniam?

Quòd Parochus committat Simoniam non videtur dubium. Nam per illam fructuum exactionem reputatur æquivalenter vendere penſionem, quæ cum ſit res Eccleſiaſtica, & ſpirituali annexa, invendibilis eſt. In penſione enim Clericali conſiderantur, *jus ad redditus temporales, & obligatio recitandi Officium B. Mariæ Virginis*: quod onus imponitur Penſionariis ex Conſtitutione Beati Pii V. 135. *Bullar. tom.* 2. Non enim Penſionario datur abſolutè jus percipiendi illos fructus, ſed propter illud Officium, & recitationem; atque ita, qui vult vendere tale jus, conatur, quantum eſt ex parte ſua, vendere miniſterium ſpirituale, ad quod illud ſequitur; quod invendibile eſt. Unde licèt penſio Clericalis verè non ſit Beneficium Eccleſiaſticum, negari non poteſt, quin in multis cum iſto conveniat, ut per Gonzalez in 3. *tit.* 5. *cap.* 21. *num.* 6. *& il* 2. *de reſcript.*

Contrarium tenent plures apud Monacell. *form. part.* 2. *form.* 7. *num.* 4. ubi ipſe firmat, translationem penſionis factam cum pacto illam exigendi, quoad transferens vixerit, eſſe nullam. Cæteri verò,

rò, qui negarunt translationem esse simoniacam, fortè locuti sunt, nullo accedente pacto, si resignatarius patiatur, quòd resignans fructus pensionis accipiat. Sed cavendum, ne committatur simonia confidentiæ, reprobata à Pio IV. & Pio V. *Const. Intolerabilis* 85. *Bull. tom.* 2. Et videndum, an ex eo possit procedi ad præsumptiones à B. Pio V. statutas ad probandum pro foro externo confidentiam. In interno enim Pœnitentiæ credendum est Pœnitenti, qui est accusator, testis, & reus contra se ipsum: nec præsumptione agendum est, sed judicandum secundùm confessionem Sacramentalem ipsius, prout post alios optimè scripsit Natal. Alex. *tom.* 2. *Theolog. moral. lib.* 2. *cap.* 7. *artic.* 1. *regul.* 18.

16 Regulares, qui in Parochialibus Monasteriis unitis curam animarum exercent, à superiore præsentantur Ordinario, à quo examinari possunt, ad tex. Trident. *sess.* 25. *cap.* 11. *de regul. & in Constitut. B. Pii V.* 47. Qui titulum non habent, sed curæ exercitium dumtaxat, amovibiles, ad nutum Superiorum, ut B. Pius ibid. Verùm à cura abesse non possunt, nec ad libitum Superiorum alii subrogantur, nisi petita, & obtenta licentia Ordinarii, Sac. Congregat. Concil. in Florentina 18. Julii 1678. Monacell. *form. par.* 1. *form.* 20. *tit.* 6. *num.* 8. Nam Curati Regulares in his, quæ pertinent ad curam animarum, subjacent Ordinariis locorum, ad tex. Trident. *d. cap. ut alibi diximus*: propterea tenentur accedere ad Synodum, ut de iis, quæ fuerint in Synodo decreta, informentur, ac ea noscant, quæ sunt sui muneris, & possint Episcopo visitaturo rationem propriæ administrationis reddere.

17 Distinguenda sunt jura merè Parochialia, & functiones Parochiales, ut advertit idem Monacell. *form. part.* 2. *form.* 1. *tit.* 13. *num.* 54. Hæ ita nominantur, quia ad Parochum pertinent propter connexionem, & dependentiam, quam habent à juribus merè Parochialibus, ut sunt *celebratio Officii super cadaveribus: receptio mulierum ad purificationem post partum: Cinerum, Palmarum, & Candelarum solemnis benedictio: celebratio Missæ feria v. in Cœna Domini: delatio, & expositio publica Eucharistiæ*, & similia, apud Barbos. *collect. dec. Apost. cap.* 391.

Jura verò merè Parochialia, quæ viridem observantiam habent, sunt. I. Delatio Stolæ in processionibus, & Funeralibus, Sacr. Congreg. Conc. in Ebrunden. in resp. ad 2. die 25. Junii 1695. II. Benedictio domorum in Sabbato Sancto. III. Receptio decimarum *cap. Cum contingat, de decim.* IV. Administratio Sacramenti Eucharistię tempore Paschali, ut Fideles satisfaciant præcepto. V. Administratio Infirmis Viatici, & Extremæ Unction. VI. Detentio clavis Tabernaculi, & eorum, quæ pertinent ad Sacramenta, Sac. Congregat. Conc. in Signina 18. Novembris 1590. 13. Januarii 1691. in Neapolitana 14. Novembris 1693. VII. Benedictio sponsorum, & cadaverum defunctorum, antequam è domo leventur, Sac. Congreg. Conc. in Bonon. 14. Februarii 1694. VIII. Publicatio Matrimonii, Excommunicationis, & Indulgentiarum, S. Congreg. Episcop. in Firmana 3. Jun. 1615. *in resp. ad* 8. IX. Benedictio Fontis Baptismalis. Hæc ita reservantur Parochis, ut à nullo alio, nisi de ejus, vel Ordinarii licentia, exerceri, & expleri valeant.

18. Ex allegatis verò functionibus Parochialibus non omnes competunt Parochis privativè quoad alios, sed nonnullæ cumulativam admittunt. Ita in Ecclesiis Regularium, etiam non Curatis, solemniter benedicuntur Cineres, Palmæ, Candelæ, ac Ova Feria v. in Cœna Domini Missa celebratur Officium super Cadaverum corporibus à Regularibus fit, per dicta *cap.* 19. & pluribus in locis juxta consuetudinem in eis receptam Regulares in suis Ecclesiis admittunt mulieres ad purificationem post partum. Non enim ea sunt de juribus merè Parochialibus.

Hoc ultimum propter duo impugnatur à Pignatello *tom.* 5. *Consult.* 76. Primò, quia in Purificatione fit oblatio Candelæ: Parochus autem habet intentionem fundatam super omnibus oblationibus, quæ fiunt in Parochia, *c. Pastoralis de iis, quæ fiunt à Prælat.* Secundò, quia Sacr. Congregat. Conc. in Antverpien. 19. Novembris 1662. contrarium censuit.

Verùm neutrum obstat: non primum, quia textus in alleg. cap. non procedit in oblationibus, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium: quæ non Parocho, sed Religiosis Monasterio servientibus acquiruntur, ut scripsit Fagnan. in 3. *ad d. c. Pastoralis eod. tit. num.* 35. Siquidem, licèt Monasteria sint infra

fra limites Parochiæ, tamen propter exemptionem non sunt de Parochia: & ideò oblationes inibi factæ non quæruntur Parocho Abbas *in cap. Dilectus de Offic.ordin. apud cit.*

Nec secundum, quia concordando Decretum factum in Anteverpien.cum eo edito ab eadem Sac Congregat. 2.Julii 1620. videndo *cap.7.nu.*24. dicendum, illud procedere in locis, ubi non adest consuetudo, quòd Regulares mulieres in propriis Ecclesiis ad Purificationem admittant? alterum verò in locis, in quibus hæc reperitur. Consideratur etiam, quòd hoc est juxta resolutionem eiusdem S. Cong Conc. in Aquen. 9.Junii 1708. Ad 10. dubium. *An Patres Carmelitæ loci Incisæ possint in propria Ecclesia mulieres post partum benedicere, & ad purificationem admittere*? Respondit, *affirmativè*. Et sub 27.Aprilis 1709. reclamante Parocho, rescripsit: *In decisis in omnibus, & amplius*.

19 Ad tollendas lites, quæ occasione functionum Parochialium, ut plurimum inter Parochos, ac confraternitates, ipsarumque Capellanos oriebantur, S. R. Congr. pro universo Orbe dubia infrascripta resolvit, quibus quærebatur.

I. An Confraternitates Laicorum legitimè erectæ in Ecclesiis Parochialibus habeant dependentiam, à Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus?

II. An dictæ Confraternitates erectæ in Capellis, vel Oratoriis, tum publicis, tum privatis, adnexis parochialibus Ecclesiis, ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam à Parocho quoad dictas functiones?

III. An Confraternitates erectæ in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam à Parocho, intra cuius Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ?

IV. An Confraternitates erectæ in Oratoriis tum publicis, tum privatis, sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus, quoad dictas functiones Ecclesiasticas habeant dictam dependentiam à Parocho?

V. An benedictiones, & distributiones Candelarum. Cinerum, & Palmarum, sint de juribus merè Parochialibus?

VI. An benedictiones mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum, & similium, sint de juribus mere Parochialibus.

VII. An functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ sint de juribus merè Parochialibus?

VIII. An celebratio Missæ solemnis feria v. in Cœna Domini sit de dictis juribus Parochialibus?

IX. An prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis juribus Parochialibus?

X. An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis sit de dictis juribus Parochialibus?

XI. An expositio Quadraginta Horarum, & benedictio, quæ fit super populo, sit de dictis juribus merè Parochialibus?

XII. An expositio, quæ fit cum Reliquiis, vel Sacris Imaginibus; & beneditiones quæ cum eis fit super populo, sit de dictis juribus Parochialibus?

XIII. An functiones in præcedentibus octo dubiis, videlicet à dubio quinto ad duodecimum expressæ, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?

XIV. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possint horæ Canonicæ, cum cantu, vel sine, absque alia licentia Parochi?

XV. An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missæ privatæ, assentiente Ordinario Loci, & contradicente Parocho?

XVI. An Capellani Confraternitatum possint populo denunciare Festivitates, & Vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi?

XVII. An Parochus, invitis Confratribus, docere possit Doctrinam Christianam in prædictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis vel privatis, à Parochiali divisis, & separatis?

XVIII. An in sæpedictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicæ Conciones, etiam per totum cursum Quadragesimæ, vel Adventus, cum licentia Ordinarii, & absque licentia Parochi?

XIX. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa, sive lecta, sive cantata, ante Missam Parochialem, sive lectam, sive cantatam?

XX. An ad Parochum spectet facere Officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in sæpedictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum?

XXI. An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint Processiones juxta cu-

jusque Confraternitatis Institutum, absque interventu, vel licentia Parochi.

XXII. An eædem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum, absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est?

XXIII. An in dictis Processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre stolam?

XXIV. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quæ non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium à Parocho, in cuius territorio sint sitæ dictæ Ecclesiæ?

XXV. An earundem Ecclesiarum, & Confraternitatum Rectores, & Capellanos possit Parochus, cessante alio speciali, ac legitimo titulo, & ex solo jure Parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiæ Parochialis?

XXVI. An in sæpedictis Ecclesiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri possit Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sine speciali Indulto Sedis Apostolicæ?

XXVII. Præsuposita facultate retinendi an possit infra annum publicè exponi sine licentia Ordinarii?

XXVIII. An possit Parochus se ingerere, in administratione oblationum, vel eleemosynarum in sæpèdictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retinere?

XXIX. An in Ecclesia Parochiali Confratres, vel eorum Capellani immiscere se valeant, invito Parocho, in ejusdem Ecclesiæ functionibus, sive Parochialibus, sive non Parochialibus?

XXX. An Confraternitates, sive sint erectæ in Ecclesia Parochiali, sive extra illam, possint pro libito, & juxta uniuscuiusque peculiaria statuta, Congregationes suas facere, absque interventu, vel licentia Parochi.

XXXI. An possint propria bona administrare, ac de illis disponere, absque ulla dependentia à Parocho?

XXXII. Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, & tanquam ejus delegatus, an possit suffragium decisivum ferre, & quatenus affirmative.

XXXIII. An etiam suffragium duplex

Sacra Rituum Congreg. 10. Decembris 1703. respondit ut infra.

Ad Primum Negativè.

Ad secundum Affirmativè.

Ad Tertium Negativè.

Ad Quartum Negativè.

Ad Quintum Negativè.

Ad sextum Negativè; sed benedictiones mulierum, & fontis Baptismalis fieri debere à Parochis.

Ad Septimum Negative, prout jacet.

Ad Octavum Negativè, prout jacet; sed spectare ad Parochos.

Ad Nonum Negativè, prout jacet; sed spectare ad Ecclesiam dignorem, ad formam Constit. Leonis X. §.14.

Ad Decimum Negativè, prout jacet; sed licere Confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem Ecclesiæ, vel Oratorii, ut in Brundusina sub die 1. Junii 1601.

Ad Undecimum Negativè.

Ad Duodecimum Negativè; & quoad benedictiones cum Reliquis, & Imaginibus, serventur Decreta.

Ad Decimum tertium, satis provisum in superioribus.

Ad Decimum quartũ Affirmativè, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.

Ad Decimum quintum Affirmativè.

Ad Decimum sextum Affirmativè.

Ad decimum septimum Negativè.

Ad decimum octavum Affirmativè.

Ad Decimum nonum Negativè, nisi aliter Episcopus disponat.

Ad Vigesimum Affirmative, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium.

Ad Vigesimum primum Affirmative.

Ad Vigesimum secundum Negativè; nisi adesset licentia Episcopi.

Ad Vigesimum tertium Negativè, extra propriam Ecclesiam.

Ad Vigesimum quartum Negativè.

Ad Vigesimum quintum Negativè.

Ad Vigesimum sextum Negativè.

Ad Vigesimum septimum Negativè.

Ad Vigesimum octavum Negativè.

Ad Vigesimum nonum Negativè.

Ad Trigesimum Affirmativè, dummodo non impediant functiones, & Divina Officia.

Ad Trigesimum primum Affirmativè.

Ad Trigesimum secundum Negativè.

Ad Trigesimum tertium Negativè.

Et ita, salvis tamen conventionibus, & pactis

ctis in erectione Confraternitatum forsan factis, & concordiis inter Partes initis, & à Sancta Sede approbatis, Indultis, Constitutionibus Synodalibus, ac Provincialibus, & consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, declaravit, ac decrevit, si Sanctissimo Domino Nostro videbitur.

Et facta deinde per me Secretarium de prædictis Decretis Sanctissimo Domino Nostro relatione, prævia eorumdem integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, benignèque approbavit, & publicari, & non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit. Die 12. *mensis Januarii* 1704.

20 Tandem, Parochi non possunt alienare bona Ecclesiæ Parochialis, nec ultrà triennium locare sine licentia Sedis Apostolicæ, ex *Extravag. Ambitiosæ Pauli II. inter com. de reb. Eccles. non alien.* de quo infrà *cap.*45.

21 Debent habere plures libros; unum baptizatorum: in quo notentur baptizati, parentes, & patrini, Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 2. dies, mensis, & annus; alium matrimoniorum, in quo describantur nomina conjungum, & testium; dies, & locus contracti matrimonii, *ibid. cap.* 1. tertium confirmatorum; quartum mortuorum notando diem obitus, annum, personam ætatem, & qualitatem, quintum animarum suæ Parochiæ.

22 Item monere debent infirmos de non adimittendo Medico Judæo, vel alio Infideli; & quatenùs viderint admissum, debent se opponere, & significare pœnas propterea incurrendas, si ab infirmo non removeatur; ut quòd ei non possint administrari Sacramenta, nec etiam à Regularibus illud Confessionis; & quòd carere debeat Ecclesiastica sepultura, juxtà *const. Gregorii XIII.* incip. *alias* 68. *Bullar. tom.*2.

23 Item, tenetur eosdem infirmos monere de debito confitendi ad minùs à tertia die infirmitatis, & ad confessionem inducere, ex *const. B. Pii V.* incip. *supra Gregem la* 3. *ibid.*

24 Item, tenentur apud se habere transumptum Bullæ in Cœna Domini, ad præscriptum ejusdem Bullæ in fin. Alia vid. apud Piasec. *prax. par.* 2. *cap.* 3. *art.* 3.

CAPUT XXXVII.

Officialis quoad Præcedentiam.

SUMMARIUM.

1 *Constitutio Greg. XIII. super præcedentia in Processionibus.*

2 *Decreta Sacræ Congregationis Episcoporum super eodem negotio, ab Urbano VIII. confirmata.*

3 *Constitutio Gregor. comprehendit etiam PP. Ord. Prædicatorum.*

4 *Et Monachos.*

5 *Agitur de præcedentia Fratrum Monasterii de recenti fundati in loco, in quo adest alter ejusdem Ordinis Conventus.*

6 *Constitutio Innocentii XII. edita pro Discalceatis S. Francisci, in Indiarum partibus existentibus.*

7 *Ubi observantes in loco præcedunt, etiam Reformati Sancti Francisci præcedentiam obtinent, licèt sint in loco posteriores.*

8 *Prælato à captivitate reverso debetur præcedentia, quam Officium consequitur.*

9 *Præcedentia Fratribus Minor. de Observantia de una ad aliam Provinciam incorporatis, debetur à die incorporationis.*

10 *In d. Ordine Novitii Clerici non præcedunt laicos expressè professos.*

11 *In quo laici professi non præcedunt Clericos item professos.*

12 *Laicus de statu Conversorum ad illum Clericorum transiens præcedentiam habet à die transitus.*

13 *Inter Moniales præcedentia attenditur à die professionis.*

1 Advertendum est, præcedentiam esse jus occupandi digniorem locum, prout deducitur ex intrinsecis Ordinis Hierarchichi; cuius natura ex Sperello *decis.* 179. *num.* 13. exprimit etiam, ut digniores inferioribus præcedant, inferiores verò locum illis digniorem reverenter cedant. Qui in Processionibus tam publicis, quàm privatis debetur, juxta dispositionem const. Greg. XIII. 84. *Bullar. tom.* 2. editæ ad effectum supprimendi lites, & con-

controversias, non modò inter Ordines Mendicantes, & confratres super, & de præcedentia contendentes; verùm quoque inter Monacorum ordines, prout sæpè declararunt SS. Rit. & Episcoporum Congreg. apud Pignatell. *tom.* 1. *consult.*137. *num.*22. tenor const. est: *Exposcit*, & infrà: *De nobis attributa potestatis plenitudine volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter se de præcedentia huiusmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites, & causa præmissorum occasione ortæ jam sint, seu oriri contingerit in futurum, qui in quasi possessione præcedentiæ, ac juris præcedendi sunt positi, quibuscumque reclamationibus, appellationibus, & aliis subterfugiis prorsùs remotis, & cessantibus, & postpositis, in Processionibus tam publicis, quàm privatis præcedere debeant.*

Quando verò non probetur, aut non constet de quasi possessione præcedentiæ hujusmodi, inter Fratres quidem Mendicantes, ii qui antiquiores in loco controversiæ; Confratres verò inter se litigantes, ii qui priùs sacris usi sunt, in Processionibus, tam publicis, quàm privatis præcedere debeant; ita ut si contingerit nova Monasteria, aut Domus alicuius Ordinis Mendicantium fundari in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut Domus priùs erecta, & instituta sint, ille Ordo, qui priùs Monasterium: seu Domum in loco habuerit, præcedat.

Præterea, quia inter prædictos Ordines plerumque alia in Processionibus, & alia in Conciliis Generalibus, & aliis actibus publicis, sive privatis ratio circa modum præcedendi servatur, nolumus per præsentes prærogativis dictorum Ordinum quoad præcedentias huiusmodi, quæ propriis Ordinibus præterquam in Processionibus prædictis debentur, præjudicium generari. Sicque per quoscumque &c. irritum &c. non obstantibus &c. Romæ 25. Julii 1583.

Et propter fortes non obstantias, & efficaces derogatorias, quæcumque revocari privilegia, & indulta in contrarium, etiam in specie concessa, firmat Rota coram Buratto *decis.* 390. *num.* 6. apud Pignatell. *ibid.num.*3.

Successivè ad Gregor. idem disposuit Urbanus VIII. *Const.* 239. *Bullar. tom.* 4. confirmans Sacræ Congregationis Decreta, ut infrà,

2 *Nuper pro parte dilecti filii Blasii à Christo, Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci, conventualium nuncupatorum, Nobis expositum fuit, quod dictus Ordo gravatur admodùm litibus occasione præcedentiæ cum aliis aliarum Religionum Regularibus in Processionibus, ex quo, etiamsi aliàs à Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotiis Regularium Præpositis, diversis in præfata materia præcedentiæ litteris emanatis, unam videlicet contra eiusdem Ordinis de Observantia nuncupatos Arbensis; aliam contra Servorum Beatæ Mariæ virginis Soanen. necnon duas litteras contra Prædicatorum respectivè Ordinum Fratres Cesanen. & Ferentinos; obtinuerit tenoris subsequentis, videlicet: Arbi* All' Arcivescovo. *Pare, che sia nata differenza della precedenza trà cotesti Frati di San Francesco Conventuali, & Osservanti, allegando ogni uno di loro alcune ragioni, per le quali si persuadono di dover precedere à gli altri, le quali essendosi diligentemente considerate nella Congregazione di questi miei Illustrissimi Signori preposti da Nostro Signore sopra le cose de' Vescovi, e Regolari, s'è risoluto, etiam con il parere delli Illustrissimi Protettori di tutte due le Religioni, di far scrivere à V. S. che occorrendo più simili differenze le termini senza alcuna eccezione nell' istesso modo, che quel Convento tenga il primo, e più degno luogo, che è più antico nella Città, secondo che si è fatto sin hora, per quanto si presuppone. Imperciochè questo mezo usato altrove è stato tale, che hà finito ogni controversia, come si spera, che farà anche così per mezo della prudenza, e destrezza di V. S. Dio &c. Roma 6. Marzo 1528.*

Al Vescovo di Soana, ò suo Vicario. *Havendo inteso quasti miei Signori Illustrissimi, che in cotesta Città sono in dispacere di precedenza li Frati de Servi con quelli di San Francesco Conventuali, hanno voluto, che io faccia sapere à V. S. che nella precedenza di questi Mendicanti, secondo il parere di Nostro Signor, s'attende solamente l'antichità de' loro Conventi, cioè che precedino quelli, che prima hanno* ot-

otteruto i Monasterii ne' luoghi, ove è nata la differenza; e però ciò ella potrà dichiarare, che quelli precedino, li quali prima sono venuti ad abitare in cotesta Città; che sarà appunto conforme à quello, che s'è risoluto, & osservato in altri luoghi, &c. Roma li 24. Maggio 1583.

Al Vescovo di Cassano. *Fù dato in Congregazione un memoriale dal Procuratore Generale de' Frati Conventuali di San Francesco à nome del sudetto Monastero di Castrovillari di cotesta diocesi, nel qual si doleva, che alcuni Padri di San Domenico, che poco fà hanno pigliato luogo nella medesima terra, pretendevano nelle attioni publiche di precedergli, non ostante, che già siano 350. anni, che quel Monastero di San Francesco è fondato; e sapendosi, che Nostro Signore altre volte haveva dichiarato, come si doveva procedere in simili casi, questi miei Signori Illustrissimi vollero, che se ne dasse conto à Sua Beatitudine, la quale hà commesso, che si scriva à V. S. che faccia havere la prerogativa, ove nascano queste novità, alle Religioni, che sono più antiche nel luogo, il che farà V. S. intendere à detti Padri di San Domenico, & operarà, che così s'esequisca. Roma li 24. Maggio* 1583.

Ferentino al Vescovo. *Nella differenza, che verte trà cotesti Frati di San Domenico, e quelli di San Francesco per conto della precedenza, la Sacra Congregazione vuole, che s'osservi per l'avvenire quello, che è stato osservato trà loro per lo passato, fin tanto, che non sia destinato altro; & inclina; che conforme al moto proprio di Gregorio XIII. di fel. memoria debbano precedere quelli, che prima hanno havuto il luogo nella Città; & i Decreti, che si allegano per parte de' Frati di San Domenico in contrario, non sono stati fatti per derogare generalmente al moto proprio di Gregorio XIII. oltre che in quelle occasioni militavano altre ragioni di quelle, che possono militare costì. Questa è la mente di questi Illustrissimi miei Signori, & ella doverà eseguire, e Dio &c. Roma il* 1. *Giugno* 1604.

„ Attamen in casibus occurrentibus eæ„ dem litteræ reputantur provisiones par„ ticulares, non autem declarationes ge„ nerales, dictique Fratres Conventuales „ nova semper judicia iisdem de rebus su„ bire coguntur. Quare d. Blasius Procura„ tor Generalis nobis humiliter supplicare „ fecit, ut circa prædictarum litterarum „ observantiam per aliquod opportunum „ declarationis nostræ ministerium provi„ dere, ac aliàs, & infrà indulgere de be„ nignitate Apostolica dignaremur. Nos „ igitur, &c. præinsertas litteras ab eisdem „ Cardinalibus, aliàs utcumque in casibus „ particularibus emanatas, cum innitantur „ justitiæ motus proprii Gregorii XIII. hac „ de re editi, & sint conformes Declara„ tionibus S. Congreg. Trident. ac Rituum „ Congregationum, ut qui sunt in posses„ sione præcedentiæ, præcedant, & ubi non „ probatur, aut non constat de possessio„ ne, præcedant ii, qui sunt antiquiores in „ loco controversiæ, esse generaliter obser„ vandas, ubicumque contigerit de eadem „ præcedentia dubitari, Apostolica autho„ ritate tenore præsentium præcipimus, & „ mandamus. Decernentes &c. non ob„ stantibus &c. 18. Decembris 1637.

3 At petitur. An in hac re Constitut. Gregorii extendatur ad Fratres etiam ex Ordine Prædicatorum?

Resp. Affirmativè, adeò ut in materia præcedentiæ in Processionibus, etiam quoad ipsos sit procedendum ad ipsius præscriptum. Nam emanavit, etiam respectu dd. PP. Quoniam ratio motiva, quæ in proœmio Constitutionis adducitur, etiam ipsis Patribus est aptabilis. Enunciatur enim motivum edendi Constitutionem fuisse, quia occasione præcedentiæ, vel Jure præcedendi in Processionibus, oriebantur lites, & controversiæ; ad quas sedandas, & componendas, Gregorius dictam Constitutionem posuit. Constat autem ex constitutione Urbani, etiam contra ipsos fuisse ea de re controversias excitatas; & proindè dubium esse non debet, quin dispositiva Gregorianæ ad Dominicanos amplietur, & per litteras Gregorii, & Urbani revocetur Constitutio Beati Pii V. *la* 71. *Bullar. tom.* 2. & quòd illa Clementis VIII. *la* 13. *Bullar. tom.* 3. restringatur ad loca Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ.

Maximè quia Sac. Congregatio Episcoporum, ubi casus dict. controversiæ vertitur, solet respondere pro observantia dict. Gregorianæ, prout sæpiùs fecit, ut observavit Pignatell. *tom.* 1. *consultat.* 37. *num.*

num. 14. & expressè die 6. Octobris 1645. ut infrà: *Sac. Congregatio censuit servandas esse litteras Gregorii XIII. & Urbani VIII. ea de re editas, ut qui sunt in possessione præcedentiæ, præcedant, & ubi non constat de possessione, præcedant ii, qui sunt antiquiores in loco controversiæ; & ita ab his, ad quos spectat, servari mandat, & præcipit.*

Cæterùm, ubi est consuetudo, quòd Regulares præcedant inter se ratione originis Religionis, & non fundationis Conventus, est servanda, ut respondit S. C. Episc. in Forolivien. 23. Februarii 1693.

Nec obstat assertum Decretum S. Congreg. Episc. apud Quarant. *summ. Bullar. ver. Præcedentia*, in quo legitur dispositum, quòd ad componendas lites inter Regulares super præcedentia in Processionibus: *Is ritus, & ordo inter controvertentes servari debeat, qui in hac urbe omnium Capite, & Magistra servari consuevit, & actu servatur. Et est, quòd præcedant Regulares illi, quorum Ordo prius approbatus fuit à Sede Apostolica.* Non obstantibus Brevi, seu Declaratione Gregorii XIII. edita sub die 15. Julii 1583. Quod fuit directum Episcop. Mantuano 30. Martii 1593. Nam hujusmodi Decretum non fuisse observatum, probatur evidenter ex variis dict. Sac Congrag. Episcop. Declarationibus, in quibus omnibus cavetur, ut ea de re servetur dict. Coustit. Gregor. apud Barbos. *dict. loco num.* 182. Et evidenter ostendit ipsum ab aula recessisse producta Constitutio Urbani, in qua præcipitur observantia Gregorianæ, & Decretorum in ea contentorum.

4 At petitur, an dict. Constitutio Gregorii de præcedentiæ modo in Processionibus servando comprehendat etiam Monachos inter se?

Resp. Quamvis dispositiva Constitutionis ad Mendicantes, & Confratres sit restricta, adhuc etiam Monachorum Ordines comprehendi, pluries declararunt S. R. C. & S. C. Episc. ut dixi *num.* 1. Alias Declarationes in casibus occurrentibus emanatas, refert Barbos. *de jure Ecclesiastic. lib.* 1. *c.* 43. *num.* 183. & sæpè firmavit Rota. Decisiones transcripsit Tambur. *tom.* 3. *de jur. Abbat. in fin.*

5 Quæritur. Quo loco in Processionibus incedere debeant Fratres Monasterii novissimè fundati in eodem loco, in quo adest alius ejusdem Ordinis antiquior Conventus: an in ultimo loco juxtà tempus fundationis sui Monasterii, disjuncti, & separati à Fratribus ejusdem Ordinis in loco antiquioribus, an potiùs cum istis uniti, & conjuncti?

Dubium fuit resolutum à Sac. Rit. Congreg. die 3. Junii 1617. ut infrà: *S. Congreg. respondit, & declaravit, juxtà Constitut. fel. record. Gregor. XIII. quæ incip. Exposcit, præcedentiam dandam esse Ordini, qui priùs in loco Monasterium habuit, & non tantùm illi Monasterio; itaut in illo loco per fundationem primi Monasterii acquiratur anterioritas etiam cuilibet alii posteriùs fundato ejusdem Ordinis. Idem quoque servandum, quando præcedentia competit ex quasi possessione, & jure præcedendi in terminis dict. Constit. & quando currant ad Processiones tam publicas, quàm privatas, omnes ejusdem Ordinis Fratres unitim, & non divisim debere procedere, itaut post Crucem Fratres strictioris Observ. sive Discalceati, sive Recollecti, vel Reformati uniti immediatè incedant, & post illos, Fratres de Observantia dicti, si juxtà regularia Ordinis statuta, vel ex quasi possessione, & jure præcedendi præcedentiam habeant. Alioquin in præcedentia servetur etiam inter ejusdem Ordinis Fratres anterioritas fundationis Monasterii cujuscumque. Neque Monasteria alterius Ordinis debere, neque posse impedire frui dicto jure præcedendi, neque ordinem incedendi pervertere. Et ita in causa prædicta eadem Sac. Rituum Congreg. declaravit, & servari mandavit.* Dubium fuit propositum à Procuratore Generali Min. de Observ. ad videndum, quid servandum esset, dum in eodem loco sunt plures ejusdem Ordinis Conventus, Lant. *ver. Præcedentia num.* 11.

6 Subindè ad litteras Urbani pro Discalceatis dict. Ordin. in India existentibus in Provincia Sancti Didaci Novę Hispaniæ, aliud in materia præcedentiæ emanavit Decretum à S. R. C. 8. Martii 1700. quod ab Innocentio XII. confirmatur, ut infrà.

Emanavit nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, in causa Præcedentiæ inter dilectos filios Fra-

Fratres Provinciæ S. Didaci Novæ-Hispaniæ in Indiis, Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum ex una, & Fratres Provinciæ Sanctissimi Nominis Jesu Ordinis Eremitarum Sancti Augustini ex altera, partibus vertente, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Mexicana Præcedentiæ. *Cum sub die 13. Martii proximè effluxi in causa Præcedentiæ inter Partes Discalceatos strictioris Observantiæ Sancti Francisci, Provinciæ Sancti Didaci ex una, & Partes Augustinianos Provinciæ Sanctissimi Nominis Jesu ex altera partibus, super executione Decretorum Sacræ Rituum Congregationis diversis temporibus ad favorem eorumdem Patrum Discalceatorum Sancti Francisci alias editorum, & signanter lati sub die 3. Junii 1676. & per litteras in forma Brevis datas 19. Junii eiusdem anni à sanct. mem. Clemente PP. X. approbati, ac confirmati in Regno Mexicano ultimo loco agitata, Sacra eadem Rituum Congregatio super infrascripto dubio ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Petruccio relato, videlicet.* An Fratribus Discalceatis strictioris Observantiæ Ordinis Sancti Francisci, non solùm in Processionibus solis, & sub propria Cruce, sed etiam in Concionibus, disputationibus, concurrentia Prælatorum, aliisque actibus tam publicis, quàm privatis, interveniente, vel non interveniente familia de Observantia, competat præcedentia supra Fratres S. Augustini, tam in voce, quàm in scriptis, partibus acerrimè informantibus, auditis, responderit: In casu, de quo agitur, Præcedentiam competere Patribus Discalceatis Sancti Francisci, ac ampliùs dubium proponi vetuerit: *Et nihilominùs non acquiescentes Patres Augustiniani institerint præter ordinem pro declaratione supradicti rescripti: Sacra eadem Rituum Congregatio die 8. Maii currentis 1700. Partibus auditis, referente Eminentiss. & Reverendiss. D.Card. Petruccio, respondit: Fratres Augustiniani pareant, & perpetuò acquiescant; & ita decrevit, & servari, ac exequi mandavit. Alderanus Card. Cibo. Loco ✠ Sigilli B. Inghirami Sac. Rituum Congr. Secr.*

Cùm autem, sicut dilectus pariter filius Josephus Montero, prædicti Ordinis Fratrum de observantia discalceatorum Professor, ac Sacr. Theologiæ Lector, necnon Tribunalis S. Inquisitionis qualificator, ac d. Provinciæ S. Didaci Custos, & procurator, nomine dilectorum etiam filiorum Ministri Provincialis, & definitorum eiusdem Provinciæ, Nobis subinde exponi fecit: ipse Decretum huiusmodi, quo firmiùs subsistat, & serventur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, perpetuumque desuper Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini supradictis silentium imponi, ac tandem eiusmodi diuturnam controversiam finiri summoperè desideret. Nos ipsos, &c. supplicantionibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum authoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac perpetuum prædictis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini silentium super permissis imponimus. Decernentes &c. sicque &c. irritum &c. non obstantibus &c. Romæ 14. Junii 1700.

7 Quare præcedentia debetur, etiam si sint posteriores in loco controversiæ; dummodò in eo priores ad alios Regulares, & in processione præcedendi fuerint Observantes. Nam quoties in locis existunt pluries eiusdem Ordinis Conventus diversis temporibus fundati, antiquioritas unius influit, & communicat præcedentiam omnibus aliis eiusdem Ordinis, quomodolibet posterioribus, ut tenuit Rota coram Emerix 21. Aprilis 1690. & 29. Januarii 1692. coram Emanuel, 16. Januarii 1693. coram Molines, 26. Junii 1693. quæ apud Monacell. *form. par. 2. in append. sunt decis. 16. 18. 19. & 20.*

Quod in præcisis terminis expressum est in d. Const. Gregor. §. *Quandò verò*. Reformati autem, & Discalceati S. Francisci sunt eiusdem Ordinis cum Observantibus, iisdemque privilegiis fruuntur, ut pro Discalceatis decrevit Clem. VIII. Const. 92. *Bullar. tom. 3.* & pro Reformatis Urbanus VIII. Const. 134. *Bullar. tom. 5.* Quod fuit à Rota diligentissimè ponderatum.

Modus verò præcedendi duorum Conventuum eiusdem Ordinis, quando quilibet propriam Crucem erigit, est, ut antiquior in fundatione præcedat, ut in allegato Decreto S.R.C. & Rota ubi supra in

in 1. *decis.* coram Emerix, §. *Neque*.

8 Quæritur. Generalis, vel Provincialis in itinere ad Capitulum Generale, vel in eo visitationis, à Turcis incaptivitatem reducitur. Petitur. An ex captivitate posteà reversus, sit in pristinam dignitatem reponendus, si tempus regiminis nondum fuerit consumatum; & quatenùs esset: An sit ei danda præcedentia, quæ aliàs ei deberetur?

Resp. Affirmativè, ut declaravit Sac. Congreg. Episcop. 12. Augusti 1650. apud Fagnan. *in* 5. *ad cap. Per tuas*, *il* 1. *de simon. in fin.* Consideratur enim, quòd Generales, & Provinciales canonicè electi, non sunt ad nutum amovibiles; & quamvis plures sint triennales, tamen durante triennio removeri non possunt, nisi justa, & rationabili causa, & juris ordine servato, text. *in cap. Monachi*. §. *Priores de stat. Monachor.* Nec justa causa removendi dictum Provincialem est captivitas. Neque propter eam remanet ipso jure privatus. Tum quia jure postliminii fingitur semper in Provincia fuisse præsens; ideò cum posteà revertitur, eodem jure omnia privilegia acquirit, *cap. Cùm per Bellicam* 34. *quæst.* 1. *&* 2. *& l. postliminiùm*, *ff. de captivit. & postlim. rever.*

9 Quæritur. In Ordine Min. de Observ. est statutum Capituli Generalis de anno 1625. (cuius statuta in forma specifica confirmantur à sanct. mem. Urb. VIII. const. *Sacrosanctum* 49. *Bullar. tom.* 4.) *tit. pro Cismont. Famil. Ut qui sua spontè, licèt obtenta priùs licentia, ad alienam Provinciam transierunt, Fratres tam incorporati, quàm incorporandi, in ea locum, ordinem, & præcedentiam à die tantum incorporationis suæ, non autem à die receptionis habitus, aut emissæ professionis teneant, & habeant*. Modo petitur. An qui ex Provincia ista Romana obtinuit incorporari in Provincia Thusciæ, & post factam pluribusque annis servatam incorporationem iterum obtinuit incorporari, & redire ad Romanam, debeat gaudere præcedentia, & antelatione juxtà ordinem primæ receptionis in Provincia Romana; an potiùs juxtà ordinem modernæ incorporationis?

Resp. Supponendum est ex Capitulo Generali Toletano sub anno 1658. præcedentiam antianitatis inter Fratres ejusdem Ordinis esse attendendam à susceptione habitus, non à professione, dummodò habitus susceptus fuerit in debita ætate illum suscipiendi, & Conventu designato: quo supposito.

Dicimus, præcedentiam cum iterùm reverso ad Provinciam Romanam, post d. incorporationem in illa Thusciæ, esse servandam ad præscriptum allegati statuti Capit. Romani; nec posse ex novo transitu ad primam Provinciam resumere jura primogenituræ; quia per incorporationem in provincia Tuscia cessavit esse membrum, & filius primæ provinciæ, & fuit perfectè incorporatus secundæ; à simili de Religioso translato ad aliam Religionem, eique perfectè unito per professionem, qui posteà obtinens redire ad Ordinem, in quo priùs professus fuerat, non redit ad jura primæva, sed remanet in loco secundæ receptionis. Et hinc non poterit definitorium Provinciæ Romanæ reincorporare d. Religiosum cum privilegio præcedentiæ à diæ susceptionis habitus? cùm sit contra d. statutum à Summo Pontifice confirmatum, in quo nullus inferior Romano Pontifice dispensare potest. Ideò cautè legendus Miranda; cuius doctrina, licèt vera esse possit in terminis juris communis, non tamen, ubi aliter reperitur statutum, prout in casu.

10 Quæritur, An Clerici Novitii ipso probationis anno præcedentiam debeant habere super laicos professos?

Resp. Quisque videat, quid propria Religio, vel sedis Apostolica hac de re decrevit. In Ordin. Minor. de Observ. præcedere non debent, ex Decreto Sacr. Congreg. Episcop. ut infrà; *Sac. Congreg. statuit, & decrevit, dictis Novitiis, quousque professionem emiserint, tam in publicis, quàm privatis functionibus, ultimum locum deberi*, 8. Augusti 1653.

11 At petitur. An laici professi ejusdem Ordinis Clericos, item professos, præcedere debeant?

Resp. Negativè juxta Breve Urb. VIII. incip. *Cùm sicut*, dat. sub die 17. Novembr. 1642. apud Lantusc. *ubi supra num.* 2. in quo sub excommunicationis pæna ipso facto incurrenda prohibetur, ne laici, etiam ratione antiquioris receptionis ad habitum, vel professionis primò emissæ, Clericos tam in publicis, quam privatis eiusdem Ordinis

fun-

functionibus præcedere audeant. Qua censura ligantur quoque Superiores id permittentes, ut ibi.

12 Quæritur. Cajus à statu Conversorum legitima licentia transit ad illum Clericorum: petitur, an ei præcedentia debeatur à die susceptionis habitus, vel Clericatus.

Resp. Nisi in Brevi Apostolico indulgente transitum aliud disponatur, in dict. Ord. de Observ. servandum est Decretum d. Sac. Congreg. Episcop. quæ ad dubium in dd. terminis propositum, censuit, *præcedentiam initium sumere debere à die Clericatus, non autem à die susceptionis habitus Conversorum*, 26. Februarii 1649. Lantusca *ibid. num.* 3.

13 Quæritur. Soror N. ex dispensatione Summi Pontificis, non completo probationis anno, professionem emisit priùs, quàm alia Monialis Novitia; quæ tamen completo anno probationis, priùs naturaliter professionem emisisset, quàm illa, cùm qua fuit dispensatum: Petitur, cuinam debeatur præcedentia?

Resp. Cùm inter Moniales præcedentia non à die receptionis habitus, sed ab illo professionis attendatur, ex Sac. Congreg. in una Paduana de anno 1608. apud Barbos. *in decis. Apostolicis, v. Præcedentia num.* 29. & Lant. *num.* 14. Moniali priùs professæ in proposito casu præcedentia debetur, cui non est deneganda manutentio, si doceat de sua anteriori professione. Antianitas enim apud eas ex dict. Decreto jus solùm sumit à die solemnis professionis. Quoniam ante professionem Novitia non efficitur Monasterii filia, nec de ipsius corpore reputatur, per *cap. Porrectum, de regul.* Ac proindè, cum prima Monialis fuerit priùs effecta filia Monasterii, ipsique incorporata, quàm secunda; & quidem legitimè, cùm inter habilem ex dispensatione, & habilem naturaliter, nulla admittatur differentia, plenissimè concluditur, & rationi consonum est, ut primò, & non secundogenita præcedat.

Nec obstat regula de jure quæsito non tollendo; quippè secunda Novitia nullum jus absolutum in re radicatum, vel ad rem per Novitiatum habet ad præcedendum, sed solùm conditionale, & casuale, nimirùm si professionem emiserit; potest enim, vel ipsa è Monasterio egredi, vel à Monialibus expelli, *cap. Statuimus, de regul.* Jus autem casuale sub illa regula non cadit, cùm conditio nil ponat in esse, donec purificata fuerit. Et interim habenda est, ac si non esset. Tum quia juxtà allegatum Decretum jus ad præcedendum Moniales non acquirunt, nisi per professionem. Quidquid de viris, quos illud non ligat.

CAPUT XXXVIII.

Officialis quoad Prælatum Regularem.

SUMMARIUM.

1 *Prælati dantur in commodum subditorum.*
2 *Scienter eligere indignum est intrinsecè malum.*
3 *Exeuntes à loco electionis se alienos faciunt, & remanentes ad electionem procedunt.*
4 *Præses Capituli non potest actiones Capitulares suspendere.*
5 *Quando Capitula intelligantur inchoata?*
6 *Functiones Capitulares quæ sint.*
7 *Quando provisio Provincialis in Ordin. Min. devolvatur ad Ministrum Generalem? Et quo tempore sit electio facienda?*
8 *Agitur de habilitate corporis necessaria in eligendo ad Prælaturam Regularem.*
9 *An senes sint ineligibiles?*
10 *Podagrosi, claudi, carentes pollice, & surdi eligi non possunt.*
11 *Excommunicati majori excommunicatione sunt ineligibiles.*
12 *Electio facta à ligato majori excommunicatione est ipso jure nulla.*
13 *Ligatus minori excommunicatione nequit eligi ad Prælaturam Regularem.*
14 *Scienter eligentes minori excommunicatione innodatum, peccant mortaliter.*
15 *Suspensus eligi non potest ad Prælaturas Regulares.*
16 *Interdictus est ineligibilis.*
17 *Et irregularis.*
18 *Formula absolutionis, quæ electionibus præmittitur.*

19 *Mo-*

19 *Modus appellandi contra electionem.*
20 *Regularibus prohibetur recursus ad favores sæcularium, & ad istorum instantiam officia, & dignitates conferre.*
21 *Valent gesta à Prælato legitimè electo, sed posteà propter occultum crimen officio privato.*
22 *Quid intelligatur per gradus, pœnas, dignitates, &c. de quibus in Const.* Admonemur, *Urbani VIII.*
23 *Electio facta ad nominationem, & præsentationem per laicam potestatem est nulla.*
24 *Prælati Regulares non possunt suos subditos absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, usque ad num.* 27.
28 *Prælati Regulares non possunt suos subditos absolvere ab excommunicatione propter admissionem mulierum intra claustra Conventus.*
29 *Nec si ingrediantur clausuram Monialium.*
30 *Super quibus cadat absolutio, quæ confertur tempore visitationis Regularis?*
31 *An subditus dubitans de authoritate Superioris teneatur ei obedire?*
32 *Guardianus non potest sibi in Confessarium eligere Sacerdotem non approbatum, usque ad num.* 33.
34 *Prælati Regulares possunt sibi subditos in Notarios creare, & ibi formula, usque ad num.* 38.
39 *An superiores Regularium possint cum suis subditis illegitimis dispensare?*
40 *Decretum S.Congr. Visitationis Apostolicæ super competentia facultatis absolvendi à reservatis in Religione.*
41 *Regulares voventes non acceptare dignitates extra Ordinem, egent dispensatione, ut eas acceptent.*
42 *Agitur de reformatione Conventuum per Prælatum Regularem.*

DE Prælatorum electione nonnulla, quamvis stricto calamo, fuerunt per nos adnotata *cap.* 18. quibus hìc quædam alia ad eorum qualitatem, & jurisdictionem spectantia, subnectimus.

1 Itaque sciendum, Prælatos in Religionibus dari in commodum, & utilitatem non ipsorum, sed subditorum; non ut præsint, sed ut prosint; quorum officium est non in ordine ad se, sibi placendo, vel bona acquirendo, sed in ordine ad subditos, quos bono conversationis exemplo, instructione, & consiliis debent ad bonum dirigere, eosque à vitiis, etiam dum opus sit, castigationibus arcere, juxtà tex. *in cap. Solitæ, §. Potuisset, de majorit. & obedient.* Adeòut, dum vel negligentes, dissimulantes, vel conniventes sint, mortaliter peccent. Concordant text. Ezechielis 34. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant se ipsos; nonnè greges pascuntur à pastoribus?* Hierem. 13. *Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? quid dices, cum visitaverit te?* Facit Trident. *sess.* 25. *cap.* 1. *de reform.* ibi: *Optandum est, ut ii, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes, agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant.* D. Augustin. *serm.* 16. *de verb. Domini*; *Si negligis corrigere, pejor eo, qui peccavit, factus es.*

Hinc, ut proprias partes implere possint, omnia jura clamant, ad Prælaturas eligendos esse digniores, & meliores pro regimine: digniores autem, & meliores reputantur, qui magis utiles Religioni, & Religiosorum saluti prudenter præsumuntur, juxtà Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de refor.* ibi: *Monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, populorum saluti utilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, &c.* vide sup. *d. cap.* 18. *num.* 43. *&* 47.

2 At petitur. Supponamus decem esse in Capitulo, & novem ex illis concurrere ad eligendum indignum; possum ne ego, qui certus sum de ipsius indignitate, & quòd nihil proficere possum per denegationem suffragii, me illis conformare?

Resp. Negativè. Ratio est, quia ille à cæteris contra justitiam intruditur; quorum iniquitati nullo modo est favendum: maximè quia scienter eligere indignum est intrinsecè malum, quod nulla ratione fieri potest licitum, prout scribentes concordant. Unusquisque enim tenetur, quantum

tum in se est bono communi prospicere. Si alii non prospiciant, ipsi videant, & præsumendum est, eos de indignitate certitudinem non habere. Proinde debet quis facere, quantùm potest, ut de veritate instruatur: & ponderandum, *quòd error, cui non resistitur, approbatur, c. Error dist.* 83.

3 Quæritur. An, si omnibus congregatis in Capitulo, v. gr. decem, aliqui, quatuor, aut sex, egrediantur, possint, qui remanent ad Prælati electionem procedere?

Resp. Affirmativè, quia, qui exierunt, non computantur ampliùs in numero electorum, ut expresè *cap. Cum nobis de elect.* sed priùs debent per nuncios à Capitulo directos, & coram testibus citari, & moneri, ut redeant; & sufficit una monitio, nisi constitutiones aliter disponant. Quòd si non reperiantur, debet citatio in locis publicis Conventus publicari, ipsorumque cellis affigi: & dum intra statutum tempus non revertuntur, & res est in ultimo termino (ut, si electio non celebretur, devolvatur ad Superiorem) ad eam procedi potest, etiam ab uno, si solus remaneret, in quo in casu totum jus Capituli residet, ut post Innoc. dixit Peyrinus *de subdito q.1.cap. 31.§.6.* Nullus enim debet ex aliorum malitia jure suo privari, nec debent per particulares universitatis negocia præpediri; aliàs in manu cujuslibet foret, electiones in Religionum præjudicium retardare, & nullis justis causis impedire. Et hinc quæ mala non orirentur?

4 Quæ omnia ita à Doctoribus recipiuntur, ut nec præses Capituli, etiam si Generalis fuerit, postquàm functiones Capitulares sunt inceptæ, & electores congregati, possit electionem suspendere, vel ultra statutam diem prorogare. Nam præses datur, ut omnia legitimè fiant, & in bonum Religionis cedant; non verò, ut publica quies distruatur, factionibus patrocinetur, jurgia, & odia confoveat, ac iure proprio vocales priventur.

Idque in Ordine Min. de Observ. expressum legitur in Capit. Gen. Rom. 1639. tit. pro utraque familia, ibi: *Ordinatur à Capitulo Generali, nè liceat Ministro Generali, & multo minus aliis inferioribus Prælatis, qui electionibus præsident, illas jam inchoatas suspendere, aut iis jam congregatis, ad quos spectat faciendis electionibus interesse, eas impedire, ne fiant. Propterea Official. Cur. Eccl.* *iisdem Prælatis Generalibus interdicitur, nè functiones, quæ ad Congregationem legitimè convocatam spectant, suspendere, aut impedire præsumant: scientes totum hoc irritum fore, utpotè violentum, & libertati electionis contrarium.*

Et patet ex resolutis in Romana Curia. In qua S. C. Episcop. sub die 23. *Januarii* 1705. *in Florentina*, declaravit, Congregationem intermediam sustineri cum omnibus inde secutis. Controversia orta est Florentiæ apud Minor. de Obser. ubi convocatis PP. Definitorii ad effectum electionum, P. Minister Provincialis suum officium resignavit, & noluit cum Custode interesse: & posteà de nullitate actorum egit in ipsamet Sac. Congregat. A qua etiam, sub die 18. *Decemb.* eiusdem anni, fuit resolutum *non constare de nullitate Capituli Provincialis Provinciæ Obser. Calabriæ*, pro qua instabant plures vocales, qui ab electionis loco irrationabiliter recesserunt.

5 Capitula inchoata præsumuntur, cùm electores uniti sunt in loco Capituli, ut in refectorio, vel camera ad electiones deputata. Ita PP. Sacri Conc. Trid. declararunt ipsum incœptum esse, dum in Ecclesia ad id destinata convenerunt, prout *sess. 1. in decreto de inchoando Concilio.*

Quinimmò necesse non videtur, quòd electores in unum cubiculum conveniant; sed sat est eos congregare in eodem Conventu ad electiones deputato; nam cùm sunt in eo, iam intelliguntur congregati ad effectum celebrandi Congregationem; seu Capitulum. Ponderanda sunt in statuto hæc: *illas jam inchoatas*: *& iis* (vocalibus) *jam congregatis*, quæ tamquam diversa ponuntur, prout dictio *aut* importat, quæ est alternativa, & diversa afficit; & ideò unum, vel alterum sufficit, ut Generales, & Præsidentes nequeant functiones, Capitula, & Congregationes suspendere, vel prorogare.

6 Functiones autem Capitulares sunt, deputare per PP. Definitorii revisores computorum, librorum administrationum Conventuum, ac documentorũ attestationũ esse satisfactum oneribus Missarum, iuxta Const. Innoc. XII. de qua suprà *cap.* 10. celebrare Missam de Spiritu Sancto, ipsum invocare, vocare electores per sonum Campanæ in unum locum Conventus, & similia. Quæ nequeunt à Generalibus impediri, & quoad

quoad hoc per ſtatutum ipſorum authoritas eſt reſtricta: nam licèt eis liberum ſit Congregationes citare, illis tamen inceptis, injuria irrogatur Provinciæ, ſi vocales, qui Provinciam repræſentant, jure ſuo priventur, & inceptum negotium imperfectum relinquant; & ideò obedire non tenentur, ut latè Sanctor. *in ſtat. c. 7. ſtat. 49. §. colligitur* 3.

In d. Ord. Min. de Obſer. cenſetur Capitulum incipere a die, qua vocales per litteras indictionis diem certam continentes vocati ad effectum Capituli, ad locum capitularem conveniunt. Adeòut, ſi die ſequenti ad illorum Congregationem Provincialis non eligatur, electio devolvitur ad Miniſtrum Generalem, dummodò id nec fraude, aut dolo illius contingat, prout in terminis Clement. *Exivi de verb. ſignif. §. dudum*, ibi: *Miniſtri electio penes Capitulum Provinciale reſideat; quam idem Capitulum die ſequenti, quo fuerit congregatum, facere teneatur.* Infra: *Cæterùm, ſi Capitulum memoratum die prædicta Miniſtrum eligere permittat, ex tunc Miniſtri Provincialis proviſio ad Generalem Miniſtrum liberè devolvatur.* Et infra: *Porro, ſi quid de hujuſmodi Miniſtro Provinciali ſecùs attentari fortè contigerit, illud ipſo facto ſit irritum, & inane.*

Sequitur, I. Quòd electio Provincialis eſt ita reſtricta ad certam diem, ut ad aliam protrahi nequeat; nam Papa utitur verbo *teneatur*, quod debitum importat; & non procedit per verbum *poſſit*, quod actum facultativum exprimit.

II. Quòd ſi Generalis aliud præciperet, ei non eſſet obediendum, quia aliud a Pontifice præſcribitur.

III. Quòd ſi ad aliam diem electio prorogaretur, nulla foret, propter decretum irritans diſpoſitioni adiectum; quod afficit omnem priorem clauſulam continentem modum electionis, & proviſionis dicti Miniſtri.

Sed quid, ſi in d. Ord. Min. de Obſer. in Congregationibus intermediis tempore ſtatuto pro celebrandis electionibus Guardianorum, propter iurgia vocalium non ſequantur, an devolvantur ad Superiorem Generalem?

Reſp. Affirmativè. Licèt enim ad formam d. Clementinæ ſola proviſio Miniſtri Provincialis ad eum devolvatur; quando a Capitulo Provinciali die in d. Clementina ſtatuta ille non eligitur; tamen horum etiam (& Definitorum proviſio, quando iſti non eligerentur in Provincialibus Capitulis) ad eumdem Superiorem devolvi videtur, arg. *ex c. Ne pro defectu de elect. & c. Quamquam eod. tit. in 6.* Videatur Sanctoro *Comment. in ſtatut. cap. 8. ſtat. 9.*

Nota, quòd in eodem Ordine Prælati Generales ob cauſam legitimam ex declaratione Clem. VIII. poſſunt prorogare Capitula Provincialia per ſex menſes ultra triennium: & toto eo tempore durabunt in ſuo reſpectivè officio, Provincialis, Definitores, & Guardiani. Cæterùm finito triennio, & ſemeſtri, ſi ex aliquo accidenti nullus ſit miſſus Commiſſarius, vel ſit miſſus, ſed tempore inepto ad celebrandum Capitulum intra ſemeſtre, Provinciales gubernabunt Provincias tanquam Commiſſarii Provinciales, cum ſuo definitorio, & Guardiani gubernabunt Conventus, tanquam præſidentes, qui non poſſunt votum habere in Capitulo immediatè celebrando, niſi priùs concedatur à Superiore Generali cum conſenſu Procuratoris Generalis, & Definitorum Generalium, ſi præſentes fuerint. Statuta Sambucana *c.* 8. §. 47. *num.* 1. Lantus *ver. Guardianus n.* 7. & 8. Quid autem intendat lex per illud *cum conſenſu*, poteſt colligi *c.* 17. *n.* 17.

8 Quæritur. Quænam corporalis habilitas ſit neceſſaria in eligendo ad Prælaturam Regularem?

Reſp. Ea habilitas requiritur, quæ eſt neceſſaria ad decenter exercendum munus Prælatiæ, ad quam quis eligitur, adeòut, ſi hæc deſit, electio ſecuta nulla ſit, argum. *ex c. Niſi cum pridem de renunciat. §. Alia* ibi: *Debilitas corporis, per quam impotens redditur ad exequendum officium Paſtorale c. Expoſuiſti de corp. vitiat.* Conſtat ex Decret. Clement. VIII. *pro reform. regul. Conſt. Nullus la* 60. *in Bullar. tom.* 3. ibi: *Ad officia, & gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui poſſint, & conſueverint Regulas Ordinis, & Conſtitutiones obſervare, præſertim quæ pertinent ad ſervitium chori, ac victum, & veſtitum communem.* Ex Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 4. *de ref. Nec aliis in poſterum fiat proviſio, niſi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoſcantur: aliter irrita ſit proviſio.* Pro Ordin. Min. de Obſer. legatur etiam Conſt. In-

noc.

noc. XI. incip. *Solicitudo*, de qua suprà *d. cap.* 17. *n.* 11. §. 8.

Primò itaque ineligibiles sunt valetudinarii, hoc est, qui malo corporis habitu, & affectu sæpè malè valent, atque ita frequenter ægrotant. Peyrin. *de Prælat. quæst.* 2. *cap.* 4. *num.* 3.

II. Senes, si inhabiles sint ad munus, ad quod assumuntur; sæpè enim senes vividi aptiores sunt cæteris ad gubernandum, Fagnan. *in* 3. *ad cap. Cum sis num.* 75. *de conversion. conjugatorum*. Et plures etiam sexagenarii propter diversitatem complexionis sunt juvenibus robustiores, & validiores, adeoque gubernationi aptissimi.

10 III. Podagrosi habituales; cùm laborent morbo incurabili, juxta illud Ovidii: *Tollere nodosam nescit medicina podagram.*

IV. Ita claudi, ut pedibus stare non possint, nec sine substentaculo ambulare: propter impotentiam exequendi munus.

V. Carentes manibus, aut digitis, indice, & pollice. Tum propter impotentiam prætactam: nam Prælati multa scribere debent subditis absentibus, signare litteras patentes, obedientiales &c. Tum propter deformitatem, quæ in carentibus oritur, *cap. Presbyterum de Cleric. ægrot.*

VI. Surdis, sive naturaliter, sive casualiter, durante surditate, quia nequeunt subditorum querelas, eosque auxilium implorantes audire, ac secretò reprehendere, monere, & corrigere, textus apertus *in c. Constitutionem de verb. signif. in* 6. & post Peyrinum ubi suprà *n.* 20. tradit Ameno *pract. criminal. tit.* 2. §. 1. *n.* 17.

Cæterùm, si quis post adeptam Prælaturam, in aliquam ex adductis inhabilitatibus incidere, non per hoc foret removendus, nec ad resignationem cogendus, sed dandus ei esset coadjutor, juxta *c. Ex parte de Cleric. ægrot.*

11 Quæritur. An justè ligatus excommunicatione majori possit eligi ad Prælaturam; & quatenùs eligatur, electio sit valida?

Resp. Negativè. In quo concordant DD. apud Peyrin. *de Prælat. q.* 2. *c.* 5. *num.* 2. *ex cap. Cum dilectus de consuetud. cap. Postulastis de Cleric. excomm. ministr.* Et procedit, sive excommunicatio sit ab jure, sive ab homine: sive per sententiam generalem, aut specialem: sive sit publica, sive occulta: sive sciatur ab electoribus, & excommunicato; sive ignoretur ab utrisque: sive excommunicatus sit denunciatus, sive non. Nam jura universaliter loquuntur, & inhabilitant excommunicatos absolutè ad dignitates Ecclesiasticas, sive habeant curam animarum, sive non, ut ibid. Peyrin. ideò universaliter sunt sine ulla exceptione intelligenda, juxta regulam, quòd ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. Super quo maximè est ponderandum, quòd taliter excommunicatis Ecclesia nullum favorem intendit impertiri, & in odium censuræ nullum eis jus spirituale, quod per electionem tribuitur, confert; sed quodcumque negat, arg. ex Const. *Primativa* Leon. X. *sub* 20. §. 24. *Bull. tom.* 1. ubi, præmisso, quòd fideles non tenentur vitare, nisi excommunicatos denunciatos, aut si ita notoriè constet eos in excommunicationem incidisse, ut nulla possit tergiversatione celari, vel, juris suffragio excusari, concludit: *Per hæc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*, Piasec. *prax. part.* 2. *art.* 13. *cap.* 4. *num.* 24.

Hinc sequitur, quòd electus in statu excommunicationis non potest, nec in foro conscientiæ, etiam post absolutionem retinere dignitatem receptam, sed debet ad eam de novo eligi: vel super ea est dispensatio à Papa, vel S. Pœnitentiaria obtinenda. Nam, cùm electio fuerit nulla, utpotè facta tempore, quo electus erat incapax, non validatur per subsequentem absolutionem, iuxtà reg. 18. *in* 6. *Non firmatur tractu temporis, quòd de jure non subsistit*; nec ex post facto convalescere potest, quod ab initio non subsistit, *cap. Auditis de elect.* Et ita excommunicatus non potest esse Generalis, Provincialis, Prior, Guardianus, Definitor &c.

Nec obstat allegare, quod ignorantia excuset. Nam licèt ignorantia inculpabilis secundùm jura, & Doctores excuset à censura; tamen non validat actum ab Ecclesia irritatum, nec habilitat inhabilem, ut ibid. Peyrin. *n.* 4. ubi dat concordantes: & nos diximus *c.* 1. *n.* 3.

Advertendum hìc, quod si excommunicatio subsequatur ad Prælaturam legi-

timè obtentam, eo non obstante, non remanet quis ipso facto privatus, quia nulla talis pœna in jure statuitur, per Fagnan. in 5. *ad cap. ad abolendam de haret. num.* 40. Privari tamen debet, si per annum, & ultra perseveret in excommunicatione, propter pertinaciam, & contemptum legum Ecclesiæ, ut expresè *in cap. Cùm bona memoria de ætat. & qualit.*

12 Quæritur. An electio facta ab excommunicato majori excommunicatione sit ipso jure nulla?

Resp. Affirmativè. Per *cap. Pastoralis de appellat.* In quo coveniunt DD. ex quo excommunicatus sit suspensus non modò ab officio, *cap. Clerici*, *cap. Latores de Cleric. excomm.* verùm etiam à beneficio, *cap. Romana de offic. Vicarii in 6. cap. Romana de supplend. neg. Prælat.* ibid. ergo nil eorum agere valet, quæ ratione officii, & beneficii illi competunt; quorum unum est eligere: & ita privatur jure eligendi, *argum. ex cap. Si celebrat de Cleric. excomm.* Peyrin. *cit. num.* 12.

13 Quæritur. An minori excommunicatione ligatus eligi possit ad Prælaturas Regulares?

Resp. Negativè. In quo concordant scribentes: textus expressus *in cap. Si celebrat, de Cleric. excomm.* ubi: *Si tamen scienter electus fuerit, ejus electio est irritanda.* Et quia textus loquitur de electione scienter facta, sequitur, quòd non sit irritanda electio illius, de cujus minori excommunicatione non habetur notitia: sive ignorantia se teneat ex parte electorum, sive ex parte electi.

14 An autem, si electores eligant excommunicatum minori excommunicatione, peccent mortaliter?

Resp. Affirmativè. Quia scienter contravenire Sac. Canonibus in materia gravi est peccatum mortale. In casu autem sumus in materia gravi: nam agitur de electione, quæ ex dictis juxta *d. cap. Si celebrat* est irritanda, licèt non sit actu irrita.

Cæterùm excommunicatus minori excommunicatione non est privatus jure eligendi, prout ibid. expresè: *Nec eligere prohibetur, vel ea quæ ratione jurisdictionis sibi competunt, exercere.*

15 Quæritur. An suspensus eligi possit ad Prælaturas Regulares.

Resp. Negativè. Nam inhabilis est ad dignitates Ecclesiasticas recipiendas. Et quatenus per electionem conferantur, electio est ipso jure nulla, sive suspensio sit ab jure, sive ab homine ex *d. c. Cùm dilectus de consuetud.* probatque Peyrin. ubi supra §. 1. *num.* 27. Nam cùm Prælaturæ dentur propter servitium, *argum. ex c. fin. de rescript. in. 6.* & suspensus nequeat officium exercere, nec ad Prælaturas, est eligibilis.

Neque suspensus eligere potest: & quatenùs eligat, electio est nulla, *cap. Cùm Inter R. de elect.* ubi, *ea omnino cassata*, idest, cassata nunciata, per Gloss. ibid. *in ver. cassata.*

Hìc opus est advertere, quòd si suspensio sit ab Ordine, seu à Divinis indefinitè, privat quovis Ordinum usu, tam Minorum, quàm Sacrorum, quia æquivalet universali, ac si diceretur, *ab omnibus Ordinibus*; & ita suspensus non potest celebrare, nec uti Diaconus ministrare &c. Privatque etiam illi actibus, qui sunt necessariò connexi cum Ordine: ut absolvere in foro Pœnitentiali, Extremam Unctionem conferre, Baptismum solemniter ministrare, solemnem aliquam benedictionem, aut consecrationem efficere. Verùm non privat illis actibus, qui sunt jurisdictionis, & non sunt connexi cum Ordine: ut est eligere; & legitur resolutum à Sacra Congregat. Conc. in una Romana 20. *August.* 1628. *lib.* 13. *decret. ejusdem* Sac. Congregat. *fol.* 525. Quæ ad dubium, *An Religiosus Regularis suspensus à Divinis per annum possit infrà illud tempus habere votum activum in electionibus canonicis Superiorum faciendis, cum in sua suspensione non exprimatur ulla privatio voti?* Respondit, *Regularem suspensum ad tempus à Divinis absque expressione privationis voti infrà illud tempus voce activa non privari; ideòque posse votum dare in electionibus Superiorum faciendis.*

16 Quæritur. An interdictus eligi possit ad Prælaturas Regulares, & quatenus eligatur, electio sit valida?

Resp. Negativè, *d. cap. Cùm inter R. §. Ideoque, cap. Tanta de excessib. Prælat.* ubi resolutum datur, personaliter interdictum eligi, nec aligere posse. Videndus Peyrin. *cit.* §. 2.

17 Quæritur. An irregularis sit eligibilis ad dignitates Regulares?

Resp. Negativè, *ex cap. Si eo tempore de*

de rescript. in 6. cap. Is cui de sententia excom. ibid. *c. Dudum il 1. de elect.* Trid. *sess.* 22. *c.* 4. ibi: *Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio;* ubi inter cæteras habilitates canonicas ad dignitates, etiam Regulares, quas ibidem requirit, exigit etiam, quòd quis non sit irregularis. Et ponderatur, quòd, licèt Prælatio Regularis, ut Generalatus, Provincialatus, & Guardianatus, non sit propriè beneficium quoad annexum temporale; tamen quoad jus spirituale circa curam animarum, & in omni rigore est dignitas Regularis, *arg. ex cap. Ut filii de fil. Presbyt.* Et procedit etiam in custodiatu, & definitoriatu, quia, licèt primariò, & directè non sint officia curam animarum habentia, sunt tamen indirectè, & secundariò; quia cum Generalibus, & Provincialibus habent decidere causas respectivè Religionis, vel Provinciæ, & ad electiones concurrere, ex adnotatis à Peyrino ubi suprà §. 1. *n.* 31.

18 Propterea ante electionem ad ipsarum nullitates evitandas, & tollendos scrupolos, & dubietates, solet præmitti absolutio à censuris, & dispensatio super irregularitatibus, prout sequitur.

Misereatur vestri &c. Indulgentiam &c. *Si tenemini aliquo vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, interdicti, vel suspensionis, in quantùm se extendunt gratiæ, & privilegia Ordini Nostro concessa, vos omnes authoritate Beatorum Petri, & Pauli, ac S. Sedis Apostolicæ, mihi in hac parte commissa, & vobis concessa ad effectum electionis (vel electionum) canonicè, ac ritè per vos faciendæ (vel faciendarum) absolvo. Item, eadem authoritate, & ad eundem effectum dispenso vobiscum super omni irregularitate, si quam contraxistis: & quatenus opus sit, & indigetis, vos habilito executioni Ordinum, & officiorum vestrorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Super qua formula, notatur, quòd ista absolutio non prodest ei, qui absens eligeretur, & non esset præsens absolutioni. Nam, tametsi absolutio ab excommunicatione absenti per litteras dari possit, ut DD. tradunt; hæc tamen in præsentes fertur, & ad præsentes dirigitur; quod non obscurè significare videtur pronomen demonstrativum *Vos*: quod electores præsentes exigit; ut de beneficio participent.

Quòd si quis Religiosorum esset ligatus aliqua censura, à qua præses Capituli absolvere non posset, non frueretur absolutionis beneficio, nec posset in dicta electione eligi, aut eligere; prout notavit Peyrin. *cit. cap.* 5. *n.* 9. cum quo transeunt DD. & videtur expressum per clausulam, *In quantùm se extendunt privilegia & gratia Ordini Nostro concessa*, vid. *supra c.* 18. *n.* 58.

19 Item nota, quòd opponens, seu appellans contra aliquem electum, vel eligendum, seu contra formam electionis, vel etiam contra electores, debet in litteris appellationem, seu oppositionem continentibus (quæ debent esse manu propria appellantis cum ejus sigillo subscriptæ) exprimere coram Præside singula, quæ intendit objicere contra, vel formam electionis, vel personas electi, vel eligendi, aut electorum; & jurare, tactis Dei Evangeliis, quòd credit esse vera, & posse probare, quæ opponit prout *cap. Ut circa de elect. in 6. Nisi aliqua antiqua* (post electiones) *in oponentium notitiam de novo pervenerint, quæ appellationis premissæ tempore verisimiliter ignorare potuerint, & etiam ignorarint*, ut ibi text. *& cap. Is qui ibid.*

Cæterùm adducta verificantur, quando appellatio, seu oppositio est contra personam certam nominatim expressam, non verò, cum oppositio currit adversus personam vagam; ut, *quòd non eligatur excommunicatus*, vel, *quòd non fiat electio, nisi canonico?* vel, *ne fiat contra præscriptum statutorum*. Tunc enim non tenetur opponens exprimere aliquos defectus, vel servare formam *d. c. Ut circa;* sed sat est, ut, secuta electione, eos exprimat, probetque ad electionem infirmandam, *c. Qui contra de elect. in 6. cum sua Glos.*

Pariter non valet appellare, ne fiat electio; benè verò ne fiat, nisi canonica, text. *in cap. Cùm nobis de elect.* Et ibi Glos. *in verb. innovari* ponderat, appellationem non extendi, nisi ad ea, quæ illegitimè fiunt.

Cùm alicujus electio cassatur propter modum electionis, non impedit, quin possit iterùm eligi, Glos. *ad cap. Consideravimus de elect. in notabilib.*

20 Quæritur. An sit Regularibus licitum procurare favores extra Ordinem pro obti-

obtinendis Prælaturis ; easque Superiores possint ad instantiam Laicorum, vel Ecclesiasticorum conferre?

Resp. Negativè. Utrumque est sub gravibus pœnis à S. Sede prohibitum. Quisque videat Constitutiones Apostolicas pro sua Religione ea de re emanatas.

In ordine Min. de Obser. sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipitur d. Ordinis Superioribus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque personarum, Cardinalium, Regum, Ducum &c. audeant cuivis d. Ordinis Religioso gratiam concedere, pœnas remittere, vel ad gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, & eiusdem Ordinis Prælaturas promovere. Et perpetuò inhabiles ad similia, & alia officia declarantur, qui sibi per conquisitos favores, & suffragia, aliqua procuraverint. Item, omnibus Fratribus sub iisdem pœnis interdicitur, ne recipiant favores, etiam spontè oblatos, aut ab eis minimè procuratos; atque etiam, ne ad eum effectum munera aliqua prædictis personis exhibere præsumant, ut in const. Urbani VIII. *Admonemur la* 271. *Bullar. tom.* 5.

Quoniam verò Urbanus in prœmio constitutionis adiecit ad *dignitates, & officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus*, videtur mens Pontificis fuisse prætactis pœnis ligare eos, qui in ordine ad ambitionem ad favores recurrunt, aut aliquid ad instantiam existentium extra Ordinem conferunt. Ex prœmio enim mens Legislatoris dignoscitur. Unde sequitur, ut notavit Sanctor. *Comment. in stat. Ord. S. Francisci cap.* 8. *stat.* 67. *§. Sciendum* 3. pęnas, remota ambitione, locum non habere, juxta regulam, quòd, *cessant causa, cessat effectus*: *cap. Cùm cessante de appellat.*

Advertendum est, Prælatos pœnas non incurrere, nisi realiter, & cum effectu officia, vel gratiam ad instantiam exterorum concesserint; Religiosos verò statim, ac per favores illa sibi procuraverint: ut ex textu colligitur.

Item ponderandum, quòd pœnæ in Constitutione præfinitæ, pro foro conscientiæ statim, procuratis à subditis favoribus, & à Prælatis ipsorum intuitu officiis collatis, ligant; sed quoad forum externum opus est, ut Judex per sententiam declaret delictum fuisse commissum, ad text. *in cap. Cùm secundùm de haretic. in 6.* & concordant DD. quòd, dum in iure imponitur pœna, cum clausula, *absque ulla declaratione*, sensus est, ut non sit necessaria declaratio pœnæ, ut pro foro interno incurratur; benè vero delicti, ut pœna liget pro foro externo.

21 At petitur. An valida sint, quæ gerit Prælatus canonicè electus, sed postea, propter aliquod crimen, officio in conscientia privatus?

Resp. Affirmativè. Nam hic non dicitur intrusus (sicut verificatur de eo, qui absque authoritate Superioris, vel canonica electione ingreditur beneficium, per *c. Quia diversitatem de conces. prabend.*) quia canonica electione fuit ad Prælaturam assumptus; ideò licet postea in conscientia careat titulo verò, habet tamen putativum ex electione canonica, & aliquem colorem retinendi; quia delictum, & defectus inficiens verum titulum est occultus; nec, ut supponitur, potest resignare, nisi cum famæ jactura. Propterea ab eo gesta sustinentur, quia ille putativus titulus, & coloratus opinione communi habetur instar veri, *cap. Auditis de elect.* Atque ita propter bonum commune Ecclesia supplet defectum: sed petat dispensationem: vide *c.* 31. *n.* 12.

22 Nota Per *gratias* prohibitas in Paulina, venire beneficium Ecclesiasticum.

Per *pœnas* intelliguntur punitiones, quæ infliguntur: ut homo, qui per delictum recessit ab ordine legis, per pęnam reordinetur, & ad ipsius observantiam redeat, ac cęteri instruantur, ne in similia delicta labantur; & in hoc sensu pęna dicitur reordinativa culpæ.

Graduum, honorum, & dignitatum appellatione veniunt, *Præpositatus, Abbaciatus, Prioratus, Guardianatus, Custodiatus, Provincialium, ac Generalium Superiorum officia, & alia his similia, cum honore, & superioritate coniuncta, ut (Definitoriatus, Commissariatus) juxta const. Ad Romanum Sixti V. §. 6. declaratoriam illius Cum de omnibus* 71. *Bullar. tom.* 2. Nomine verò officii veniunt Lectores, Prædicatores, Confessarii, Studiorum, & Sacræ Theologiæ Magistri, Regentes, & similes, *ibid.* Ab illis illegitimi à Sixto excluduntur, non verò ab aliis, quæ ab eodem appellantur *officia oneris*.

Per

Per *administrationes* inter Regulares intelligitur facultas administrandi, vel distribuendi res secundùm conditiones, & leges ad hoc præstitutas; non tamen ad eas alienandas, aut distrahendum de illis ultrà concessa. Peyrin. de subd. *quæst. 2. c. 2. noto 2.*

Functiones important collationem officii, quod in suos actus exire debet, Sanctor. *in stat. loco cit.*

Prælatura tandem significat gradum honorificum cum iurisdictione in Subditos.

23 Quæritur. Præsentatis, vel nominatis tribus, vel quatuor à Magistratu Sæculari, Principe, vel Laica potestate, ex illis unus eligitur ad prælaturam Regularem: petitur, an electio sit ipso iure nulla?

Resp. Affirmativè. Nam talis restrictio lædit libertatem Ecclesisticam, & electionis canonicæ, quæ debet esse in eligentium libertate, nec potest ex alterius consensu pendere. Propterea nominatio, vel præsentatio in electionibus reprobatur, *cap. Cùm terra, c. Quisquis, c. Massana de elect.* Solus Pontifex, qui est suprà Sacros Canones, privativè ad alium quemcumque, sive Ecclesiasticum, sive Sæcularem, potest electionem ad unum, vel alium restringere. Et quævis alia sine indulto Apostolico à quovis coarctata, & restricta, est ipso jure nulla, *ex d. c. Quisquis.* Et adducta censetur facta etiam per abusum laicæ potestatis, iuxta text. *in d. cap.* & notavit Fagn. *in 1. ad alleg. cap. de elect. n. 14.*

Quapropter *d. cap.* pœnæ statuuntur in eligentes, & consentientes eléctioni factæ per talem abusum, ibi: *Consentiens commodo electionis careat, & ineligibilis fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem.* Nec Episcopus, vel alius Prælatus potest super eo dispensare, sed necesse est, ut Pontifex dispenset, ex adnotatis à Fagn. ibidem *n. 7.* Nam pœna inhabilitatis est imposita à Concilio Generali Lateranen. sub Innocentio III. (in quo Canon emanavit) contrà quod Episcopus non dispensat. Maximè quia Concilium non dicit posse dispensari, sed procedit prohibendo: ut sine dispensatione (Pontificis) promoveri non valeat. Eligentes autem, ab officiis, & beneficiis suspenduntur, & per triennium privantur potestate eligendi; consequenter mortaliter peccant, cum pœna adeò gravis absque gravi culpa non imponatur. Quinimmò videntur cooperari læsioni immunitatis Ecclesiasticæ.

23 Sed petitur. An possint Laici pro se allegare consuetudinem, & possessionem tempore immemorabili?

Resp. Negativè. Nam non valet consuetudo, per quam libertas eligendi in totum tollitur. Tum quia Bulla Cœnæ tollit omnem consuetudinem, quæ est contra libertatem Ecclesiasticam. Tum quia contra libertatem Ecclesiasticam consuetudo est impræscriptibilis, nec ulla temporis longitudine defenditur, per Glos. *ad d. cap. Massana in verb. consuetudine*; quæ corruptela verissimè dicitur, & abusus: & ita præscripta possessio, usurpatio est nominanda. Unde in Sacr. Congregat. rerum Concistorialium habita 13. *Augusti* 1646. cùm ageretur, *An electio Abbatis S. Petri Gandaven. esset confirmanda, necne, stante consuetudine, secundùm quam coram Commissariis Laicis colliguntur suffragia Monachorum: & ex tribus, qui habuerunt plura suffragia, Princeps nominat unum, & mittit litteras suæ nominationis ad Monachos, ut illum eligant; & Princeps sic electum Sedi Apostolicæ confirmandum præsentat. Dictum fuit, hujusmodi consuetudinem esse contra cap. Cùm terra*, ubi reprobatur talis consuetudo uti corruptela, & contra libertatem Ecclesiasticam. Ideò non valet, etiamsi sit suprà hominum memoriam.

24 Quæritur. An Prælati Regulares possint absolvere suos Subditos à casibus reservatis in Bulla Cœnæ.

Resp. Negativè. Contra Sanctoro *Comment. cap. 2. stat. 14. sub §. 1. vers. 4.* Ita Tamburinus *tom. 2. de jur. Abbat. disp. 12. quæst. 5. num. 3.* Casarub. *compend. privileg. Fratr. Minor. v. absol. Ordin. quoad Fratr. num. 9.* Graffius 1. *part. decis. lib. 1. cap. 13. num. 14.* Passarellus *in notab. privil. Min. notab. 13.* Confectius *sum. privil. mend. tit. 17. cap. 7.* quos refert Peyrinus *de privileg. ad constitut. 4. Sixti IV. §. 5. num. 6.* cum quibus transeunt Sayrus, Joan. de la Crux, Coriolanus, Alterius, Duard, Sigismundus à Bononia, Zanardus, Naldus, Bartholomæus de Vecchis, & Lezana *Sum. q. 9. tit. 3. vers. Bulla Cœnæ num. 54.* Nicol. *Canon. lib. 5. tit. 39. de absol. à casib. Bul. Cœn. num. 136.* aliique. Quod expressè habetur ex text. Bullæ. Nam §. *Cæterùm*

utitur universali negativa, qua omnes excluduntur, ibi: *A prædictis sententiis nullus per alium*, quàm per *Romanum Pontificem &c. Nullus*, atque ita & Superiores Regularium exclusi sunt ab impendendo suis subditis absolutionis beneficium. Et confirmatur, quia d. §. & §. *Et non obstantibus* Bulla procedit plena manu derogando omnibus privilegiis in genere, & in specie quibuscumque personis, Ordinibus, & locis, sub quavis forma, ac verborum tenore concessis, cum amplissimis clausulis, & derogatoriarum derogatoriis: adeò ut in tanta verborum expressione qùodvis distinctionis effugium præoccupetur.

25 Unde cum Bulla revocet omnia privilegia in genere, & in specie concessa, nullus potest à casibus in ea contentis absolvere, nisi habeat speciale indultum in individuo; nec ei sufficit obtinuisse facultatem absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, sed necesse est, ut exprimatur à casibus in Bulla Cœnæ contentis. Nam isti sunt speciali nota digni: quorum reservatio quotannis renovatur, Tambur. *loc. cit.*

Concordat Nicolius ubi suprà, notans, quod cum Bulla revocet privilegia in genere, & in specie concessa, & concedenda, innovata, & innnovanda, habetur, nemini privilegia concessa, & concedenda suffragari, nisi expresè contineant derogationem Bullæ.

Opponitur. Superiores Regulares possunt vigore *const.* B. Pii V. *Romanus* 132. *Bull. tom.* 2. quidquid indulsit Tridentinum *cap.* 6. *sess.* 24. *de reform.* Episcopis in suos subditos. Episcòpis autem ibidem conceditur, ut valeant suos subditos absolvere à casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis.

26 Verùm neque Episcopis est concessa facultas, ut vigore illius *capitis* possint proprios subditos absolvere à casibus Bullæ Cœnæ: prout concordant scribentes. Piasecus prax. *part.* 2. *cap.* 1. *art.* 3. *num.* 6. refert Sac. Congr. decretum, quæ ad dubium: *An Episcopus, & Inquisitores possint hodie ex cap. 6. sess. 24. absolvere lapsos in hæresim, non obstante Bulla Cœnæ Domini; censuit eam Bullam derogare decreto cap. 6.* Et sub *num.* 18. aliud affert ejusdem Congr. responsum, ut infra: *Quæritur pro parte Episcopi Cameneoen. per EE. VV. declarari: An facultas competens Episcopis vigore Conc. Trident. sess. 24. de ref. transferatur in Vicarium Capitularem, Sede Episcopali vacante. Die 4. Decembr. 1632. S. C. inhærendo declarationibus aliàs factis, respondit: Episcopos vigore cap. 6. non posse absolvere, nec dispensari in casu hæresis, neque in aliis nova lege post Concilium Sedi Apostolicæ reservatis. Verùm in iis casibus, in quibus Episcopis talis facultas non est adempta, eam utique transferri in Vicarium Capitularem, Sede Episcopali vacante, dummodò talis facultas specialiter per Capitulum eidem Vicario tributa fuerit.*

Videndus Sperellus *decis.* 112. *num.* 61. Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 291. & Fagnan. *in* 1. *ad c. Quoniam de constit. num.* 29. testatur à S.C. declaratum fuisse, *ex Bulla Cœnæ sublatam esse facultatem Episcopis tributam decreto Concilii c.* 6. *sess.* 24.

27 Neque alia deerunt media ad tollendas vagationes Religiosorum. Nam in evenientibus casibus possunt per litteras absolutionem petere à S. Pœnitentiaria. Vel Procuratoribus Generalibus in Romana Curia pro unaquaque Religione residentibus significare, ut ab eadem petant, & litteras remissoriales juxta qualitatem casus obtineant.

28 Quæritur. An Prælati Regulares, Generales, vel Provinciales possint absolvere suos subditos ab excommunicatione propter admissionem mulierum intra claustra Conventus?

Resp. Negativè per dicta *c.* 16. *n.* 11.

Et certum est propter stylum Romanæ Curiæ, in qua praxis est, ut admittentes mulieres in Conventibus petant à S. Pœnitentiaria absolutionem ab excommunicatione, & suspensione à divinis, & rehabilitationem ad officia. Stylus autem Curiæ facit jus, & praxis Romana inducit regulam.

29 At petitur. An possint absolvere dd. Fratres ingredientes sine licentia clausuram Monialium?

Resp. Negativè. Quoniam si ingressus sit ad malum finem, casus est reservatus Sedi Apostolicæ, per expressa in 2. Decreto S. C. sub Clem. VIII. de quo *c.* 2. *n.* 7. Si verò absque licentia, & non ad malum finem, locum habet excommunicatio lata ipso facto à Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. *de regul.* quæ quamquam ibidem non reservetur, est tamen ipso stylo Curiæ obtinenda absolutio

ab

ab ipsamet S. Sede, Pignatellus *tom.* 10. *consult.* 100. *n.* 25.

An saltem valeant beneficium absolutionis impendere Monialibus sibi subjectis violantibus clausuram?

Resp. Negativè. Id enim nec possunt Episcopi: nam testes Fagnan. in 1. *ad cap. Quoniam de constit. num.* 30. S.C. declaravit ex Bulla Pii V. (quæ incip. *Decori sub* 8. *Bullar. tom.* 2.) *ademptam esse facultatem Episcopis competentem in vim c.* 6. *sess.* 24. *absolvendi Moniales secretò delinquentes in materia clausulæ*. Adeòque in fortioribus terminis ea facultate carent dd. Prælati Regulares. Nam Beatus Pontifex absolutionem in d. Bulla sibi reservavit, vide supra *c.* 11. *num.* 21.

30 Quæritur, super quibus cadant absolutiones, & dispensationes, quæ fint à Prælatis tempore visitationum, & in quibusdam anni solemnitatibus?

Resp. Cadunt super excommunicationibus, & irregularitatibus, quas subditis ignoranter incurrerunt; vel super dubiis & oblitis, ex Peyrin. de subd. *q.* 1. *cap.* 5. *vers. si urgeat*, ad Constit. 1. *Julii II.* §. 18. *num.* 42.

31 Quæritur. Subditus dubitat de authoritate Superioris, an scilicet sit legitimè electus, vel confirmatus; petitur, an teneatur ei obedire, si præcipiat non excedentia limites suæ authoritatis?

Resp. Affirmativè, si Superior sit in pacifica possessione sui officii; ponderando, quòd uni Prælato teneatur obedire; & cum alius non sit in possessione Prælaturæ præter illum, nihil potest subditum excusare; quin ei teneatur parere, semper enim melior est conditio possidentis. Aliàs ordo regiminis in Religionibus subverteretur, & disciplina Regularis destrueretur. Nec ad subditum, sed ad Prælatum majorem, vel Sac. Congreg. spectat de illius legitima electione, vel confirmatione discutere. Si verò ille, de quo dubitat, an sit legitimus Superior, non esset in possessione suæ Prælaturæ, ei obedire non teneretur? quia, cum non sit in possessione, omni caret jurisdictione, ut post Sanchez dixit cit. Peyrin. *c.*7. *in fine*, *dico quinto*.

32 Quæritur. An Superior localis, v.g. Guardianus in Ordine Minorum possit in suo Conventu sibi eligere in Confessarium simplicem Religiosum Sacerdotem sibi subditum, non approbatum à Generali, vel Provinciali.

Resp. Affirmativè, Sanctoro *in stat. cap.* 7. *stat.* 1. *ver. Quæstio septima*, allegans cap. *Ne pro dilatione de pœnit. & remiss.* Sed non est dubium, ipsum nimis laxè scripsisse: res enim est dubia, & ideò debet Guardianus abstinere ab electione Confessari non approbati à Generali, vel Provinciali, nam in dubiis, quod certus, & securius existimamus, tenere debemus, per cap. *Juvenis de sponsalib.*, præsertim, ubi vertitur periculum animarum, ut scripsit Piasecus *prax. part.* 2. *c.* 1. *art.* 3. *num.* 18. quod periculum in casu considerandum occurrit; nam, si opinio Sanctoro apud Deum non est vera, beneficium absolutionis non recipit, & ulterius injuria, & irreverentia irrogatur Sacramento, cum periculo nullitatis exponatur, per dicta *lib.* 2. *cautelæ Confess. c.* 1.

Quod evidens etiam puto, considerando, quòd Superiores Religionum Mendicantium sunt in triplici differentia. Aliqui sunt supremi: ut Generales, qui toti Religioni præsunt, in qua nullum alium Superiorem agnoscunt; habentque immediatam jurisdictionem in omnes Religiosos sibi in Ordine subjectos. Aliqui sunt medii: qui vocantur Provinciales, & uni Provinciæ præsunt: subduntur Generali, sed jurisdictionem immediatam retinent in singulos Provinciæ Religiosos. Aliqui sunt Prælati infirmi: ut Priores, Guardiani &c. isti præsunt uni Conventui, subduntur Generali, & Provinciali, & habent jurisdictionem in solos Fratres suorum Conventum. Omnes prædicti habent jurisdictionem ordinariam, tum spiritualem, tum temporalem in suos subditos. Nam habent curam animarum non ex delegatione, sed ex electione; ut notat ibid. Sanctoro, *ver. Quæstio secunda*, *Respondeo tamen*. Et cum jurisdictio eis conveniat ratione dignitatis per privilegia, quæ sunt perpetua, censetur ordinaria, per Glos. *in c. final. de offic. Jud. Ord. in ver. casibus*.

Cæterùm Sanctoro ibid. dixit, Guardianos esse voluti Parochos, & Archipresbyteros; isti autem nequeunt sibi in Confessarium eligere Sacerdotem non approbatum ab Ordinario, prout est certum ex Decreto Alex. VII. à quo sub anno 1665. proscripta fuit hæc, propositio (quæ in ordine

dine erat la 16.) *qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*: ergo nec illi, nisi approbatum à Generali, vel Provinclali; atque inde sublata est difficultas.

33 Nec obstat alleg. *cap. de pœnit. & remiss.* Nam ex Fagnan. *in 5. ad idem cap. de pœnit. & remiss. num.* 21. S. Congr. censuit, *inferiores Prælatos non posse Confessorem approbare, nisi proprium territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habeant*. Quæ in Guardianis non agnoscitur. Et licèt eam in localibus consideret Peyrin. *de Prælat. qu.* 1. *cap.* 4. *sub num.* 3. & Ameno *de pœn. tit.* 1. §. 2. *numer.* 4. est certum, quòd, hoc etiam admisso, magis limitata foret in ipsis, quàm in Provincialibus, ut idem Peyrin. notavit. A qua restrictione habetur, ut non possint suos subditos absolvere à reservatis in Religione, absque facultate Provincialis, vel Generalis, juxta Decretum Sac. Congr. Visit. Apostol. de quo infrà: nec eos ad Confessiones Fratrum excipiendas approbare: neque Episcopis ad Ordines præsentare; adeoque nec sibi in Confessarium eligere Sacerdotem non approbatum à majoribus Prælatis.

34 Quæritur. An Prælati Regulares, Generales, & Provinciales, possint Religiosos sibi subditos in Notarios creare, & deputare?

Resp. Affirmativè, ex concessione Beati Pii V. Constit. incip. *Debitum la* 124. *in cit. Bullar.* pro negociis, tam communibus Religiosorum, quàm particularibus Provinciarum, & Monasteriorum, etiam Monialium existentium sub ipsorum regimine, ut expresse textus; disponens pariter, ut instrumentis, scripturis, actis, & exemplatis per eos stipulatis, legalizatis, vel notificatis, plena fides in judicio, vel extra adhiberetur, ac si forent authenticata, confecta, & stipulata per alios quoscumque publicos, authenticos, & rogatos Notarios.

35 Formula eos creandi erit, ut coram testibus creatio fiat; & nonnisi de Religiosis, moribus, fide, & doctrina ideoneis. Qui coram Prælato genuflexi, tactis Sacris Evangeliis, juramentum præstent de fideliter præstando officio, ut infrà: *Ego N. promitto, & juro Deo omnipotenti, & SS. D. N. Papæ N. & tibi Patri, quòd meum fideliter exercebo officium, in omnibus, & per omnia: sic Deus me adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia*, ex Peyrin. *ad Constit.* 9. *B. Pii num.* 9.

36 Recepto autem per Prælatum juramento, eidem tradens calamum, & atramentarium dicat: *Accipe potestatem notificandi, & intimandi pro ista Provincia quibuscumque personis, etiam Regibus, mandata, indulta, ac Privilegia Apostolica, juxta Privilegia Ordini concessa, faciendique publicos actus, & instrumenta &c. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

37 Testimonium creationis poterit sub his terminis dari: *Nos Fr. N. Minister Provincialis* (si creatio erit à Generali, varietur nomen) *vigore Privilegiorum Apostolicorum, creavimus, & constituimus, ac deputavimus in Notarium pro hac nostra Provincia R. P. F. N. virum moribus probatum, fide, & virtute idoneum, ad intimanda, & notificanda quacumque indulta &c. facienda quacumque instrumenta &c. authenticanda transumpta &c. recepto prius ab eo, coram nobis genuflexo, corporali juramento fidelitatis, tactis Sacris Evangeliis, coram infrascribendis testibus. In quorum fide &c. Dat. &c.* Deinde subscriptiones sequantur. Et juxtà hæc poterunt dari litteræ patentales.

38 Advertas, d. privilegium creandi Notarios fuisse directè datum S. Ord. Prædicat. de quo tamen participant cęteri Mendicantes, communicantes cum ipsis in privilegiis, Ameno ubi suprà *tit.* 1. *quæst.* 16. *num.* 135.

39 An autem Generales, & Provinciales possint cum illegitimis Fratribus ad honores, & gradus in Religione dispensare? Videas Const. Greg. XIV. incip. *Circumspecta la* 3. *Bull. tom.* 2. in qua eis conceditur: sed nonnisi cum Generali, Provinciali, seu intermedio Capitulo. Et dummodò eorum privilegia sint usu recepta, aut non revocata, ut ibi tex.

Possunt Superiorum Regularium Generales, & Provinciales, plurium casuum absolutionem sibi reservare, juxta Decretum Clementis VIII. *super cas. reserv. pro Regul. ad Const.* 28. *Urb. VIII. Bullar. tom.* 4. ubi decrevit, *ut nemo ex Superioribus Regularium peccatorum absolutionis sibi reservet*, excep-

exceptis iis (ibi enumeratis) *aut omnibus, aut eorum aliquo, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverit*, & infrà: *Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia matura discussione, & consensu.*

40 Hinc oritur dubium. An Guardiani, & cœteri Superiores locales possint absolvere sibi subditos à casibus in Provinciis reservatis?

Resp. Negative. Nam hujusmodi Superiores non habent jurisdictionem, & authoritatem ordinariam absolvendi à dictis casibus; sed ea Generalibus, & Provinciabus dumtaxat respectivè convenit: quam possunt delegare ad præscriptum sequentis Decreti. *In Congregatione admodum Illustrium, & RR. DD. Prælatorum Visitationis Apostolicæ de mandato Sanctiss. D. N. Papæ die 13. Martii 1601. habita*; Inter alia. *Al memoriale del P. Custode de' Reformati di S. Francesco; la Santità Sua dichiara, che il Decreto suo sopra la reservatione de' casi de Religiosi fatto alli 26. di Maggio 1593. non dispone, nè determina, à chi spetti l'autorità d'assolvere da detti casi, rimettendosi in questo alle Constituzioni, uso, & osservanza commune delle Religioni; che il Generale, & Provinciale habbino quest' autorità ordinaria, e non li Guardiani, e Priori, Superiori immediati de Conventi: doveranno però detti Provinciali, e Generali communicare detta facoltà in ciaschedun Convento à persona discreta, & intelligente, per assolvere i Religiosi di quel Convento, che faranno ricorso, ò vero nelli casi particolari, che occorreranno, concedere la falcoltà à ciascuno Confessore deputato in detto Convento, quando esso Confessore ne faccia istanza, e giudica espediente, se gli conceda; nel qual caso li Superiori, anco delegati, dovranno prontamente coucederla, conforme al detto Decreto Pontificio, perche negandosi, la Santita Sua intende, che il Confessore possa assolvere da detto caso*. Orb. Seraph. *tom.* 4.

Cæterùm possunt Superiores determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis, à Confessariis imponendas, quæ subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint, ut ibi Clemens. Ubi prohibet, ne Superiores, vel Confessarii, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, ea notitia, quam de peccatis subditorum in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

41 Regulares voventes non acceptare dignitatem extra Ordinem, tenentur implere. Nec absque dispensatione Apostolica possunt promoveri, ut post Nicol. *Canon. lib. 5. tit. 39. n.* 160 scripsit Monacell. *form. p. 2. form. 3. num. 18. tit. 6.*

42 Quæritur. An Prælatus Regularis solicitus esse debeat, ut Conventus suæ jurisdictionis, in quibus est collapsa disciplina regularis, reformetur.

Resp. Affirmativè. Reformatio autem, vel ab eo immediatè, vel per Regulares ejusdem Monasterii est facienda: & in horum defectum res est committenda aliis ejusdem Ordinis Religiosis strictioris vitæ, & observantiæ, ut scripsit Fagnan. *in 3. ad caput inter quatuor n. 5. de religios. domib.*

Cæterùm est reformationis negotium magna circumspectione assumendum, & cavendum, ne ex eo Ordo in partes secetur, ac ne Conventus Reformati à non Reformatis separentur: divisio enim pravos exitus habet, per Petram *Comment. tom. 2. ad const. 1. Greg. IX. sect. un. num.* 14. Unde debent Superiores cohibere eos Religiosos, qui aut importunè se ingerunt, aut ultrò ad reformandum se offerunt: minùs enim apti tunc sunt judicandi; nam ex præsumptione inhabiles redduntur, & credendum eos moveri non amore virtutis, & regularis observantiæ incremento, sed vel ut Principibus placeant, vel ut obtineant primos recubitus in mensis, primasque salutationes in foro. Sæpe enim non zelus, sed ambitio id operatur: probandus est spiritus, an ex Deo sit. Hinc expectandum est Superioris præceptum, aut Sedis Apostolicæ mandatum.

Nec alio erit opus reformatore, quando Prælatus ipse Regularem observantiam zelabit, ac ad praxim deduxerit monita Augustini *in regula ad servos Dei*, quem legere non pigeat. Ubi inter cætera de Prælato Regulari dixit. *Circa omnes se ipsum bonorum operum præbeat exemplum: corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos: patient sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuens imponat, & quamvis utrumque sit necessarium, tamen plùs à*

vobis

vobis amari appetat, quàm timeri: semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem.

Circa tamen subditos delinquentes impleat monitum S.P. Francisci his verbis expressum: *Humiliter, & charitativè corrigant eos*: & memoriæ committat versus, quos recenset Glossa *ad c. nisi cum pridem de renunciat. in verb. elicit.* ibi:

Qui nimis emungit, solet extorquere cruorem,
Et violenta facit correctio deteriorem:
Sed moderata satis correctio gignit amorem.

CAPUT XXXIX.

Officialis quoad Privilegium Canonis.

SUMMARIUM.

1 *Inijcientes violentas manus in Clericum, vel Monachum, ligantur censura Papæ reservata.*
2 *Tria sunt necessaria ad incurrendam censuram.*
3 *Violentia est triplex.*
4 *Numerantur, qui à Canonis privilegio proteguntur.*
5 *Propinans Clerico venenum ligatur excommunicatione.*
6 *Et mandans ipsius percussionem.*
7 *Non evitatur censura, licèt Clericus percussioni consentiat. Quinimò ipse idem Clericus ligatur.*
8 *Sed quid de percussione Clerici consignati potestati sæculari, ut puniatur?*
9 *Recensentur, qui excusantur ab incursu dictæ censuræ.*
10 *An ignorantia excuset à censura?*
11 *Crassa, vel affectata non excusat.*
12 *Percussio alia levis, alia gravis, & tertia enormis.*
13 *Numerantur casus, in quibus Episcopi possunt secundùm Canonica Jura absolvere injicientes violentas manus in Clericos.*
14 *Vicarius Capituli, Sede vacante, potest à censura Canonis absolvere. Et quando?*
15 *Regulares injicientes violentas manus in Clericum sæcularem non absolvit Prælatus Regularis.*
16 *Absolutio datur ab Episcopo; vide limitationem.*
17 *Confessores Sæculares, & Regulares nequeunt Sæculares percussores Clericorum absolvere.*
18 *A quo absolutionem recipiant Regularis percutiens Regularem alterius Ordinis?*
19 *Moniales exemptæ ab Ordinariis absolvuntur à Regularium Prælatis, de quorum jurisdictione sunt.*
20 *Regularibus ejusdem Ordinis beneficium absolutionis impertitur Generalis, vel Provincialis, aut alius Confessarius de ipsorum commissione.*
21 *Non est in Superioribus localibus jurisdictio ordinaria absolvendi à reservatis in Religione ex Decreto Congr. Visitat. Apostol.*

1 EXcommunicatione lata *in Canone* 15. *Concilii Lateranen. II.* relato *in c. Si quis suadente* 17. q. 4. Sedi Apostolicæ reservata ligantur, qui *suadente Diabolo violentas manus injeciunt in Clericum, vel Monachum*. Tria tamen copulativè necessaria sunt, ut incurratur censura, per Sperellum *dec.* 45. *num.* 12.

2 I. Factum consummatum opere externo: quia Canon dicit, *manus injecerit*: adeòut non ligetur, qui intendit percutere (quamvis sacrilegium committat) sed non offendit; vel intendens offendere Clericum, lædit ex errore Laicum.

II. Requiritur animus injurandi: ideò apponitur, *suadente Diabolo*. Nec est necesse, quòd læsio sit contra esse physicum corporis; sed sat est, ut sit contra honorem; modò corpus, vel vestes per injuriam, & contemptum animo irato attingantur, etiamsi sputo, aqua, vel pulvere id contingat; tunc enim læsio, & contemptus, physicè inspectus, levissimus est; sed moraliter, & in hominum existimatione est gravissima iniuria contra reverentiam debitam statui Clericali, Diana *coord. tom.* 5. *tract.* 2. *resol.* 31.

III. Requiritur, ut læsio non casu, nec fortuito, sed per vim inferatur, ut est sensus voculæ, *violentas manus*; qua significatur quævis actio externa, quæ fit contra honorem Clerico debitum, dummodò vel ipsius vestes attingantur, ut dictum est.

3 Tri-

3 Triplex verò est violentia. Una ablativa, qua aliquid per vim à Clerico aufertur. Alia expulsiva, per quam vi expellitur. Et alia compulsiva, qua compellitur, vel movetur ad aliquid agendum, quod ipse nullatenùs faceret. Sperellus *cit. num.* 80. Quælibet sufficit ad censuram.

Vocula *manus* ampliatur ad injuriam factam Clerico, etiam pede, baculo, lapide &c. nam hæc non excluduntur; sed nomine *manus* intelligitur quidquid potest Ecclesiasticis in personam læsionem inferre, & injuriam non verbalem, sed realem personalem facere.

4 A Canone proteguntur. I. Clerici, etiam primę-tonsurę, juxta cap. *Cum contingat de ætat. & qualit.* cum sua Gloss. *ver. Ordo* Sive Clericus sit ordinatus per saltum, sive ab alieno Episcopo, excommunicato, suspenso, vel deposito. Ratio est, quia hujusmodi recipit Ordinem, licèt sit suspensus ab executione, ut per Diana *cit. resol.* 42. *nu.* 5.

Etiam Clerici conjugati privilegio Canonis gaudent, ad text. *in cap. unic. de Cleric. conjug. in 6.* Diana *cit. resol.* 43. Fagnan. in 3. *ad cap. Joann. 2. de Cleric. conjug. & ad cap. Pervenit de Immunit. Eccles. num.* 16. modò duxerint unicam, & virginem, & in habitu, & tonsura incedant, hoc est, vestes Clericales deferant.

Nec quoad hoc necesse etiam est, quòd alicui Ecclesię inserviāt, quia Tridentinum hanc conditionem exigit in Clerico, ut gaudeat privilegio Fori, ut scripsi *cap.* 22. *num.* 18. & tenet Fagn. *ad d. cap. Joannes*. Quare licèt Clericus conjugatus non cogatur præcisè deferre Tonsuram; cogitur tamen causativè, hoc est, si velit Canonis, & Fori privilegio potiri. Quoniam sine Tonsura, & habitu non retinet Canonis privilegium, ut id *d. cap. in 6.* sine verò Tonsura, habitu, & servitio Ecclesiæ, non retinet illud Fori, ut per Trident. *loc. cit.* Cæteris autem privilegiis Clericalibus non gaudet, ut *text. in d. c. Joanne*.

An autem *gaudeat, si ipsius Uxor fuerit ab alio corrupta*? Negatur, si vel in alio Matrimonio corrupta fuit, vel publica vox, & fama in loco sit de ejus corruptione etiam extra Matrimonium. Quare, ut gaudeat, sufficit, quod pro Foro externo præsumatur virgo; in quo Fœmina semper præsumitur, nisi contrarium probetur.

II. Proteguntur omnes Regulares utriusque sexus, *cap. Cum illorum, cap. de Monialibus de sent. excommun.* Etiam Novitii, *cap. Religiosos eodem tit. in 6.* Quia licèt non sint irrevocabiliter Religiosi, sunt tamen in via proxima ad Religionem.

III. Proteguntur mulieres Tertiariæ habentes conditiones, de quibus in Decreto Sacr. Congregat. ut infra *cap.* 52. Gaudent enim privilegiis Regularium, (qua personæ Ecclesiasticæ sunt) quorum habitum gestant. Item Tertiarii, qui cum claustralibus habitant, juxta *const. Dum intrà la 22. Leonis X. Bull. tom.* 1.

IV. Proteguntur Eremitæ, qui à legitimo Superiore, & sub obedientia Episcopi ex voto, vel pacto inserviunt alicui Ecclesiæ, vel pio loco; quia censentur persone Ecclesiasticæ ad effectum gaudendi privilegio Canonis, per Gloss. ad *cap. Qui vere 16. quæst. 2. verb. verè*, quæ in terminis de Eremitis, dixit, quòd privilegium Clericorum habent. Licèt de his aliqui dubitent.

Extenditur ex Antonello *de regimin. Eccles. lib. 4. cap. 2. num. 22.* ad eos, qui, assumpto habitu Religioso, Monialium servitiis incumbunt, & pro eis eleemosynas quærunt; ac ad Laicos, qui in habitu Clericali incedunt, & inserviunt Congregationi Clericorum in communitate sub certo modo Religioso viventium.

Proteguntur Equites S. Joannis Hierosolymitani, vulgò *detti di Malta*; *cap. Canonica de sent. excommun.* Sunt enim verè Religiosi, emittentes tria vota substantialia Religionis, ut ex formula professionis, quam emittunt, constat: de qua re ex professo Sperellus tota *dec.* 21.

Quicumque itaque manus violentas in aliquem ex prædictis injiciat, censura ligatur, quocumque instrumento id fiat, *vel pugno, impulsu, pede, baculo, lapide, pulvere, luto, aqua, sputo: Si vestes lacerentur, si per violentiam aliquid ex ejusdem manibus eripiatur. Si frænum equi teneatur, ne liber transeat: Si equus, cui insidet, occidatur: Si capturetur: Si in custodia detineatur, cap. Nuper de sent. excommun. Si ostiliter insequatur, & coactus est cadere, vel in flumen se proiicere*; vel simili modo, irato animo persona Clerici lædatur, & violentia irrogetur, quæ sæpè citra corporalem læsionem circa Clericos exercetur, ut ibi *text.* vide *Confect. privileg. mend. p. 2. tit. 14. c. 4.*

Quòd procedit, etiam si læsio sit occulta;

ta; licèt, ut quis pro foro externo vitetur, debeat esse notoria, ut ex *const.* Martini V. *Ad evitanda*.

5 Ipsa pariter propinatio veneni est Clerico violenta, & injuriosa; Sperell. *decis.* 20. Diana *resolut.* 32. Hæc enim est actio magis in suo effectu violenta personæ Clerici, quàm sit ei injuriosum, ipsum pulvere conspurcare, aqua aspergere, fuste, aut alapa cedere. Nam ex sua natura ordinatur ad privandum Clericum vita. In casu veneni propinati duplex est effectus: unus ipsa propinatio, ob quam indubiè censura non incurritur, nisi Clericus venenum bibat. Alter est mors: sed iste nullatenùs est necessarius ad incurrendam censuram. Quia quamvis hæc non sequatur, tamen injuria, & violentia fuit Clerico irrogata. De venenante negat Nicol. *Lucubr. canon. lib.* 5. *tit.* 39. *n.* 153. *limit.* 23. ex eo, quòd venenum violentiam faciat naturæ, non personæ. Sed de falsitate talis fundamenti patet.

6 Etiam mandans, seu precibus, & promissis incitans ad Clerici percussionem, hac secuta, censura ligatur, *cap. Mulieres* §. *Illi de sent. excom.* modò ex vi mandati, consilii, vel favoris, offensio personalis Clerici subsequatur: & nisi mandatum, & consilium expressè omni conatu à mandatario revocaverit, & efficaciter retractaverit; tunc enim ipsi percussio non est imputanda, quia fecit, quod potuit, ut non sequeretur. Diana *resol.* 27. Layman. *Theol. moral. lib.* 2. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 7. Item consentiens, *c. Quoniam* ibidem. Item ratum habens, audiens percussionem esse suo nomine factam, *cap. Cùm quæ eodem tit. in* 6. licèt ipse non commiserit percussionem.

7 Extenditur censura ad percutientem Clericum, licèt iste percussioni consentiat. In casu enim percussio est injuriosa, si non personæ, statui Clericali, favore cujus fuit privilegium concessum: Gonzalez *in* 5. *tit.* 39. *cap.* 36. *num.* 2. Quinimmò & ipse Clericus ipsa ligatur. Tum quia non potest consentire. Tum quia injuriam facit Ordini Clericali. Sicut propter eandem rationem incurrit censuram Clericus se non fervore devotionis, sed animo irato percutiens. per Sperell. *cit. num.* 60. De quo verificatur textus; *Si quis suadente Diabolo*: nam verè manus violentas in Clericum ponit.

Et Regula 27. *jur. in* 6. *scienti, & consentienti &c.* procedit, si in eo non læditur jus tertii; in casu læditur jus status Clericalis qui injuriam non vult, quamvis eam velit percutiens.

Hinc observandum. I. Quòd Clericus verbis non potest renunciare privilegio Canonis, *c. Contingit il* 1. *de sent. excom.* Videtur tamen eidem posse facto renunciare, ut, si post dimissionem habitus, & tonsuræ, variis noxis se implicans; ter à Prælato monitus seipsum emendare non curet, ut est textus *in c. In audientia d. tit.* Sed de hoc debet juridice constare.

Unde scripsit Fagnan. *in* 5. *ad d. c. Contingit cit. tu. num.* 9. quòd Clericus apostatando ab habitu, & tonsura non perdit privilegium Clericale, nisi præcesserit trina monitio. Et Gonzalez *loc. cit. c.* 24. Quòd si ante trinam monitionem non deferat habitum, nec inserviat Ecclesiæ, juxta Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. *de refor.* non privatur Canonis beneficio, quia Tridentinum loquitur dumtaxat de illo fori: & quoad hoc etiam se restringit ad Clericos Minorum Ordinum; vide, quæ dixi *d. c.* 22. *num.* 18. *&* 19.

II. Consideratur, quòd cum Clericus ab Judice Ecclesiastico traditur juxta formam juris puniendus potestati Sæcularis, ad text. *in cap. Cum non ab homine de jud. c.* non evitat censuram Canonis, qui ipsum auctoritate privata percutit. Nam textus *in d. cap.* limitatè loquitur: *per secularem potestatem corrigatur*. Ut advertit Diana *resolut.* 37. *num.* 2.

Unde patet; quòd Clericus per realem degradationem ab Ordine, factam nimirum ritibus in Pontif. Romano Clement. VIII. præscriptis 3. *p.* non est omninò quoad omnes privilegio Canonis privatus.

Verùm nonnulli excusantur à censura Canonis ob percussionem Clerici.

9 I. Excusantur Prælati Regulares, qui titulo correctionis Religiosum sibi subditum flagellis corrigunt: quia percussio non fit suadente Diabolo, sed suadente justitia, charitate, ac zelo disciplinæ, *cap. Universitatis de sent. excom.* Sed non nisi necessitate urgente, & non per laicum est agendum: aliàs tam verberans, quàm præcipiens, censuram non evadunt, ut ibi text. Indecens enim est, ut Laicus in Clericum, etiam causa correctionis, manus injiciat: & debet verberatio esse moderata, *per c. Presbyte-*

byterum de homicid. aliàs censura non evitabitur, ut per Gonzalez *cit. c.24. n.1.*

II. Excusantur Magistri Scholarum, qui Clericum intuitu, & fine disciplinæ, vel correctionis percutiunt; *cap. Super eo de sent. excom.* Dum tamen correctio sit modica, aliàs censura ligantur, *cap. Cum voluntate d. tit.* Nec debet ad sanguinis effusionem percussio pervenire, quia hoc non esset causa correctionis leviter percutere, ut juxta text. debet; sed prætextu disciplinæ odium explere.

III. Excusantur parentes, & majores titulo disciplinæ leviter verberantes eos de sua familia, minoribus initiatos, *d.c. Cùm voluntate.*

Sed, an pater possit filium in Sacris constitutum impunè flagellis corrigere, absque eo quòd incidat in excommunicationem Canonis? Dubitant DD. Verum dico non posse, per text. *in d. cap. Cùm voluntate*, in quo parentibus correctionis gratia conceditur punire adolescentes de sua familia, sed cum limitatione in minoribus gradibus constitutos; secundùm communem regulam, quòd casus omissus, uno expresso, præsumitur exclusus.

IV. Excusantur Birruarii, qui de mandato Prælatorum Clericos, vel Monachos capturant, & ad carceres ducunt, *cap. Ut famæ d. tit.*

V. Excusatur, qui vim vi repellens, cum moderamine inculpatæ defensionis Clericum, injustum aggressorem, repellit, *c. Si verò d. tex.* Nam tunc percussio Clerici solùm est per accidens; per se enim intenditur propria defensio. Moderamen in hoc stat, ut quis illud agat, sine quo aliter se defendere non posset. Sed incontinenti, & in ipso aggressionis actu se defendere debet; nec excedere, adeòut si tueri se possint non vulnerando, non lædendo, nec lædere, nec vulnerare potest.

VI. Excusatur, qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia sua propria turpiter inventum manus injecerit violentas, textus expressè *in d. c. Si verò*. Licèt enim percutiendo mortaliter peccet, tamen Canon noluit percussorem, tum in detestationem illius criminis, tum ob difficultatem temperandi dolorum, quem in similibus ex injuria accepta solent homines concipere, excommunicatione punire, ut observat Glos. *in d. c. ver. turpiter.*

Verùm, ut excusetur a censura, debet statim in ipso actu turpi osculi, amplexus &c. percutere, & non ex temporis intervallo, & consilio. Quia textus habet, *turpiter inventum.* Propter quod excluditur eorum opinio, qui dixerant, maritum non ligari excommunicatione, qui non casu invenit, sed data opera, & deliberato animo expectavit Clericum adulterum, ut vindictam sumeret; quia hoc non est invenire, sed deliberatè expectare. Si dubitat de uxoris fidelitate, alia via provideat.

VII. Excusatur mulier factis a Clerico solicitata ad turpia, nec potest se liberare, nisi Clericum alapa percutiat. Diana *resolut.* 19.

VIII. Excusantur, qui per jocum, fortuitò, & casu non prævisó, Clericum percutiunt, *d. c. super eo eod. tit.*

Sed, an excusentur pueri usum rationis habentes, qui ad annos pubertatis non pervenerint?

Resp. Negativè. Cùm enim ex eodem *c. Cùm enim*, sint doli capaces, nec a culpa, nec a censura excusantur, dum non levitate jocosa, sed ex odio, vel invidia Clericum percutiant. Propter teneram ætatem excusantur adire Romanum Pontificem pro absolutione, & absolvi possunt ab Episcopo, ut probat Gonzalez *cit. c.1.*

IX. Excusatur magister triremium, vulgò *Comite di Galera*, percutiens Clericum ad triremes damnatum; modò eum percutiat, sicut cœteros remigantes, & in pertinentibus ad suum officium: nam id facit cum Clerico, qui, licèt non sit degradatus ab Ordine, est tamen depositus a dignitate, & officio; & in eo est minister, & executor Prælati, qui illum damnans ad triremes, damnavit etiam ad supplicia, quæ solent sustinere cœteri remigantes. Si tamen, vel ipse excederet, vel alius in rixa eundem Clericum percuteret, excommunicationem non vitarent. Nam Clericus Galeota privilegium Canonis non perdit, ut pluribus allegatis dixit Diana *resol.* 11.

X. Dubitatur. An excusetur, qui percutit Clericum, sed ignorat, an percussio Clerici sub excommunicationis pœna prohibeatur? Resolutio pendet a solutione quæstionis. An committens factum, cui censura est annexa, ignorans Constitutionem, qua censura statuitur, in eam incidat?

In

In qua quæstione nonnulli docent, ignorantiam similis Constitutionis non excusare à censura. Probant I. *ex cap. Cùm illorum de sent. excom.*, ubi Pontifex resolvit Episcopum non posse absolvere eos, qui ignari Canonis *si quis suadente* in censuram inciderunt propter violentam manuum iniectionem in Clericum, sed opus esse absolutione Pontificis. II. Ex eo, quòd præbens consensum delicto, censetur se subjicere pœnæ eidem annexæ, *l. Imperatores, ff. de jure fisc.*

Communior tamen sententia est, quòd ignorantia inculpabilis excuset à censura, juxta commune axioma, *in ignorantes non cadit censura;* sive sit ignorantia juris, ad tex. *in c. Animarum de const. in 6.* ut si quis ignoret, legem censuram statuere; sive sit ignorantia facti, per text. *in cap. Si verò de sent. excomm.* ut si percutiens Clericum ignoret ipsum esse Clericum. Ratio est, quia ad incurrendam censuram exigitur peccatum mortale conjunctum cum contumacia: ignorans autem legem, contra legem contumax, & inobediens legi esse non potest, Gonzalez *cit. c.* 32. Abelly Medull. *Theol. part. 2. cap. 6. 1. §. de censur.* & expresè *text. in cap. nemo Episcoporum 2. quæst.* 3.

XI. Cæterùm ignorantia crassa, seu supina, & affectata, à censura non liberat, per *alleg.* & Dianam *resol.* 25. *n.* 5.

Crassa? vel supina in eo stat, quòd dubitans de existentia legis, ex negligentia vel pigritia nullam, vel levem diligentiam adhibet, ut instauratur de veritate. Affectata verò in eo, quòd quis data opera, ex malitia, ut liberiùs peccet, diligentiam omittit. Unde patet, quòd utraque est voluntaria, & culpabilis; atque ita, quòd cum ea injiciens manus in Clericos, dicitur contumax in causa, quatenùs noluit ignorantiam removere.

Hinc facilè diluitur objectum ex *d. cap. Cùm illorum*; nam procedit de ignorantia, quæ in casu fuit culpabilis, juxta intellectum Gonzalez *ibidem*: cùm fuerit crassa, vel affectata.

Nec obstat aliud ex *l. Imperatores*, quia procedit solùm in pœna cognita, vel ordinaria, non verò in extraordinaria, quæ regulariter non ligat, nisi contumaces, & ex contemptu operantes; ut est lex censuram imponens, *ex cap. Sacro d. tit.* concordat Fagnan. *in 5. ad cap. A nobis il 1. eodem tit. num.* 4. & ego dixi *lib. 3. Cautel. cap. 2. num.* 17.

XII. Excusatur, qui ratione officii, etiam per vim ejicit extra Ecclesiam, & fortè leviter percutit minorum Ordinum Clericos, turbantes officia divina, ut expresè *in c. Veniens, & cap. Cùm voluntate d. tit.* quia talis violentia injuriosa non est.

An autem in percussione Clerici detur parvitas materię quantùm ad incurrendam censuram? Affirmativè cum Diana *resolut.* 2., & 3. *num.* 8. citante Portell. & Barbosam. Cùm nimirum percussio per se est levissima, quia tunc est solùm venialis. Et ex Barbosa exemplificat in eo, qui manu tantùm leviter repelleret Clericum à se, sed non tanta violentia, & contemptu, ut aliàs injectio manus, licèt non gravis in ordine ad læsionem corporis, gravis tamen, & mortalis apud viros prudentes respectu ad honorem Clerico debitum deberet judicari.

12 Quæritur. Quænam injuria, & percussio Clerico facta censeatur levis, vel modica; gravis, & enormis?

Resp. Judicium non ex uno tantùm capite pendet, sed ut loquitur Joannes XXII. *in Extravag. Perlectis apud Confect. de privil. mend. part.* 1. attendendum est diligenter *ipsum factum, facti qualitas, percutiendi, vel injuriandi modus. Item facti circumstantia, loci videlicet, & etiam personæ; quæ sit levis, vel modica, gravis, aut enormis injuria, manifestiùs cognoscatur.* Accidere enim potest, quòd injuria, quæ aliàs esset levis, gravis & enormis sit censenda: ut, si in theatro, vel in foro, coram Rege, Prælato, vel Judice, in Ecclesia coram multis, vel alio loco publico injuria inferatur: vel injuriatus sit Magister, Judex, Prælatus, aut alius dignitate constitutus.

Hìc advertendum, quòd injuria ex percussione Clerici proveniens, dupliciter dividitur. Prima est *levissima*, & venialis, quæ non infert censuram; maior enim excommunicatio nunquam incurritur nisi propter peccatum mortale, *d. c. Nemo Episcoporum*.

Secunda est mortalis, sed comparatione ad gravem, & enormem dicitur *levis, quæ ex d. Extravag.* Joan. XXII. fit percussione, vel impulsione pugni, manus, pedis, bacu-

baculi, lapidis &c. modo non pertingat ad livorem, mutilationem membri, fractionem dentes, non modicam capillorum depilationem, sanguinis effusionem. Huiusmodi enim actio est contra honorem, & reverentiam Clericalem. Fit etiam, dum quis una manu tenens Clericum ex odio dixerit, *si non esses Clericus*: vel, si detineat frenum equi, ut equus, cui Clericus insidet, non liberè transeat. Nam semper fit Clerico injuria per violentam manuum injectionem, licèt non semper habeatur percussio materialis, & corporalis læsio.

Tertia est *gravis*, seu *mediocris*, ut, si percussio pertingat ad livorem, ad fractionem dentis, vel non modicam capillorum depilationem, aut effusionem sanguinis (quæ non contingat, aut levissimo ictu, aut pugni percussione, ut ibi text.) vel Clericus in privata custodia detineatur, aut hostiliter quis eum insequatur, & sit causa, ut cadat, & ex casu læsionem in corpore recipiat, aut in loco publico percussio sequatur &c.

Quarta est *gravissima seu enormis*, ut si Clericus occiditur, vel mutilatur, aut ei oculus effoditur; vel in eo statu ex percussione ponitur, ut inhabilis sit ad proprium ministerium, vel, percutiatur Episcopus; aut à subdito Superior, aut quivis Clericus in platea; Ecclesia, vel alio publico loco in magno aliquo concursu propter scandalum; vel Clericus rapiatur, & furto auferatur. Videndus Diana *resol.* 4.

Pariter ex *alleg. Extravag.* considerandum proponitur, quòd iniuriæ, quæ per se non excedunt naturam modicæ, & levis, ex circumstantia tum loci, tum personæ læsæ, & lædentis, in gravem, & enormem transeunt. Unde ibid. Pontifex pro regula discernendi unam ab alia tradidit, ut diligenter attendatur non solùm factum, sed etiam qualitas facti, ut diximus. Ubi Episcoporum judicio (quibus datum est in certis casibus absolvere) committitur ut de injuriæ qualitate pronuncient. Ita tamen quòd in dubio potiùs iudicent iniuriam esse gravem, quàm levem, & ab absolutione abstineant, *ne injuriantes* (ut loquitur Joannes) *de vicina absolutione confisi, de facili in atroces prorumpant percussiones, vel iniurias; & sententias Canonis jam periculosis contemnentes, in excommunicationis sententiam proclivius prolabantur.*

Official. Cur. Eccl.

An verò absolutio à Canonis censura possit ab Episcopis concedi? Affirmatur per expressa *cit. tit. de sent. excom.* Ex quo nonnullos casus hic recensemus. Itaque possunt Episcopi absolvere.

13 I. Si percutiens nondum ad annos pubertatis pervenerit, *c. Super eo d. tit.* etiamsi de percussione facta tempore impubertatis factus pubes absolutionem petat, *cap. Pueris d. tit.*, & per Gonzalez *cit. ad cap.* 1. Annus pubertatis in maribus incipit post expletum annum ætatis 14. & in fœminis duodecimo completo.

II. Si percutiens sit mulier, *cap. Mulieres ibidem.* Quæ Sedem Apostolicam non coguntur adire, quia periculosum est mulieribus vagari, & virorum cœtibus se immiscere.

III. Si percutiens sit Monialis, *c. De monialibus ibidem.* In quibus ultra rationem *d. textus*, adest impedimentum clausuræ.

IV. Si Clerici in communi viventes se invicem percuserint, *c. Quoniam de vit., & honest. Cleric.* Nisi atrocitas facti absolutionem à Sede Apostolica expectet, *ut ibidem text. & c. Canonica de sent. excom.*

V. Si percutiens detineatur aliquo justo impedimento inevitabili, & manifesta necessitate: ut impotentia ætatis, sexus, vel infirmitatis, etiamsi non immineat periculum mortis (in mortis enim periculo quivis Sacerdos potest absolvere, juxta Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de cas. reservat.*) vel paupertatis, aut senectutis, vel inimicitiæ, propter quod pro beneficio absolutionis non possit Sedem Apostolicam adire, *cap. Ea noscitur cap. Quamvis eodem tit.* Sed absolutio non est conferenda, nisi priùs absolvendus parti læsæ, & Ecclesiæ satisfaciat: & in casu impotentiæ de eo cautionem det, etiam iuratam, ad text. *in Clement. Multorum §. Verùm de hæret.* & nisi priùs iuramentum præstet de stando mandatis Ecclesiæ, promittens deinceps similia se non commissurum. Quinimmò, ubi impedimentum perpetuum non erit, exigendum etiam est iuramentum (exceptis senibus, mulieribus, & pueris *cap. Pervenit hoc tit.*) quòd, impedimento cessante, se præsentabit Sedi Apostolicæ, mandatum ipsius humiliter suscepturus, expresse text. *in d. cap. Quamvis.* Quòd si impedimento sublato neglexerit se præsentare, in similem censuram reincidet ipso iure, *c. Eos qui*

X *eodem*

eodem tit. in 6. quod onus est à quovis Sacerdote, in articulo mortis absolvente, imponendum absolvendo à quovis excommunicatione, à qua aliàs absolvere non posset, ut ibi, & per DD. communiter.

VI. Si percutiens sit dominus magnæ potentiæ, & ita delicatus, ut laborem accedendi ad Sedem Apostolicam non valeat sustinere. Priùs tamen est Romanus Pontifex de ejusdem statu informandus, *d. cap. Mulieres*.

VII. Si percussio, & injuria sit levis, *cap. Pervenit d. tit.*

14 An autem hujusmodi absolvendi facultas competat Capitulo, vel ejusdem Vicario, Sede vacante? videtur negandum, eò quòd prædicta jura privilegium tribuunt Episcopis. Sed contrarium est in jure expressum, *c. Episcopali de majorit. & obed. in 6.* ubi textus in terminis concedit Capitulo posse absolvere ab excommunicationis sententia, sive juris sive hominis, à qua beneficium absolutionis posset Episcopus, si viveret, impertiri. Vide Engel. *in jur. canon. lib. 5. tit. 39. num.* 148

16 Quæritur. Quis absolvat Regularem violentas manus injicientem in Clericum Sæcularem?

Resp. Nonnullis asserere placuit posse absolvi à Prælato Regulari, Generali, vel Provinciali, cujus ille est subditus. Moventur, tum propter amplissima privilegia, quæ à Sede Apostolica habent Regulares absolvendi suos subditos ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis dumtaxat, *Hæreticis relapsis, Schismaticis, & iis, qui Litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent*: ut ex Mari magno Prædicat. & Min. tum ex eo, quòd in Decreto Clement. VIII. *de cas. reser.* pro Regularibus, ut post Const. *S. Congregatio Urb. VIII.* 28. *Bullar. tom.* 4. præfigitur certus numerus casuum, quos Superiores Regulares sibi reservare possunt. Quorum septimus in ordine est: *occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ*. Atque ita, si absolutionem possunt sibi reservare, consequens est, ut ab occisione, vel percussione absolvere valeant: & cum textus loquatur, *cujusvis personæ*, non est locus excludendi illam Clerici.

16 Verùm hæc in casu non attenduntur; quia, ut expressè *cap. Cum illorum d. tit.* absolutio spectat ad Sedem Apostolicam. Vel, *ut in cap. Religioso hoc tit. in 6.* (cui standum est, tamquam altero posterius: nam primum emanavit ab Innocentio IV. & secundum edidit Bonifacius VIII.) absoluto est ab Episcopo conferenda, juxta limitationem aliorum Canonum, ut legit Glos. ibid. *ver. eo casu*; ut, si leviter percussit, vel est debilis, aut delicatus, vel est æger, aut inimicitias capitales habet, per Engel. *num.* 132. & Gonzalez *cit. cap.* 2. In quo concordat textus *in Extrav. Etsi de pœnit. & remiss. inter com.* ubi Sixtus IV. sub pœna excommunicationis, quæ Sedi Apostolicæ reservatur, inter alia prohibet, ne Regulares vigore facultatum (quas etiam Ordinibus concesserat) absolvant, qui Clericum in Sacris Constitutum occiderunt vel mutilarunt. Ac etiam obstat Decretum Saç. Congr. Episcop. declarativum *de cas. reser.* editum ex commissione Clement. VIII. 26. *Novembr.* 1602. in quo inter cætera revocatis omnibus privilegiis, etiam in mari magno, & Bulla aurea, aliisque Constitutionibus Apostolicis datis, interdicitur, nè ullus confessarius Sæcularis, vel Regularis absque licentia Sedis Apostolicæ absolvat *injicientes manus violentas in Clericum juxta Canonem, si quis suadente 17. quæst. 4. & juris dispositionem*; dispositio autem juris est, ut Regularis Clericum percutientes absolvatur ab Episcopo, juxta limitationem *ex d. cap. Religioso*. Qui injuriam condonet, & pœnam in satisfactionem definiat.

Nec obstant ex adverso producta. Nam hodie illa adeò ampla concessio Sixti IV. quoad omnia non regit. Neque enim Regulares suos subditos possunt absolvere in casibus Bullæ Cœnæ, ut dixi *cap. Superiori num.* 24.

Nec secundum. Quia quando etiam ex vi decreti *de anno* 1593. potuissent absolvere Regulares, prohibentur vigore alterius editi *anno* 1602.

Sensus autem illius dictionis *cujuscumque* est, Prælatos Regulares posse sibi reservare absolutionem percussionis factæ in quamcumque personam sibi subditam, vel etiam in personas sæculares laicas: nam harum percussores possunt absolvere. Non verò factæ in personas Clericorum Sæcularium, quia id eis per jura prohibetur. Tum quia, statim ac Regularis percussit Cleri-

cum

cum Sæcularem, ratione delicti sit de foro Episcopi. Atque ita à suo Superiore absolutionem nequit obtinere, nisi Episcopus concedat.

Quòd, si cum Diana *resol.* 78. opponatur Decretum Clementis de anno 1602. nihil de Regularibus quoad Regulares disponere, ut ipso teste S. C. respondit; dicitur id solùm procedere stando in materia uniformi, hoc est, dum agitur de delicto à Regulari in Regularem commisso, non verò de eo adversus Clericum sæcularem contra juris dispositionem, & de quorum foro Regularis propter delictum non est.

17 Ex eodem Decreto Clementis de anno 1602. habetur, Confessores ordinarios sęculares, vel Regulares extra articulum mortis non posse absolvere injicientes manus violentas in Clericum, vel Monachum, & quatenùs absolvere præsumant, absolutio est nulla, & ipsi inhabilitantur ad audiendas confessiones, & ligantur excommunicatione Papæ reservata, prout in alio Decreto ejusdem Clem. *de casib. reser.* edito *die 9. Januarii* 1601. sive percussio sit levis, sive gravis, publica, vel occulta. Nam decretum absolutè loquitur, & omnem comprehendit.

18 At petitur. An Regularis percutiens Regularem alterius Ordinis sit absolvendus à Prælato læsi, vel lædentis?

Resp. Textus *in d. cap. Cum illorum*, hæc habet; *Si verò claustralis aliquis in Religiosum alterius claustri manus injecerit violentas, per Abbatem proprium, & ejus, qui passus est injuriam, absolvatur*. Quod intelligendum, ut absolutio fiat à Prælato illius, qui offendit, præsente alterius Prælato, cui injuria fuit irrogata, ut hic ipsam injuriam condonet, & de satisfactione condigna arbitretur, ut apud Engel. *num.* 132. Limitat Diana ibid. ad casum, quòd injuria non fuerit enormis: siquidem si fuerit enormis, absolutio à Sede Apostolica est obtinenda, & ad tollendas fratrum devagationes scribendum esset, vel ad Sacram Pœnitentiariam, vel Procuratorem proprii Ordinis, ut de ea re ageret.

19 Moniales exemptæ se invicem percutientes absolvuntur, aut ab Episcopo, aut suis Prælatis Regularibus, vel ab ipsarum Confessariis de eorum commissione. Siquidem privilegia Regularibus data, Monialibus eisdem subjectis communicantur, per Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 80. *num.* 4. Piasec. *prax. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 7. *num.* 1. expressè legitur *in Bulla Aurea*, seu Constit. *Sacri Prædicatorum, & Minorum*, *la* 19. *Sixti IV. Bullar. tom.* 1.

20 Regulares pariter ejusdem Ordinis ad invicem se percutientes à Generali, vel Provinciali absolvuntur juxta indulta Sedis Apostolicæ: quæ quisque videre potest in litteris concessionis sibi factæ.

In Ordine Fratrum Prædicatorum, & Minorum, *ad text. in ipsorum respectivè mari magno*, possunt Generales, & Provinciales, ac alii, quibus ipsi commiserint, ut ibid. expressè. Et notandum, quòd restrictio facultatis ab eodem in d. Bulla Aurea ad solos Generales facta, fuit subinde ab ipso revocata in Constit. *Quoniam apud cit. Confect.* & reducta ad terminos concessionis, de qua in privilegio maris magni; ubi & Provinciales ad id fuerunt habilitati.

Nec obstat, quòd alleg. Const. *Quoniam*, emanaverit pro Frat. Ord. Prædicatorum; quia, cùm inter Prędicatorum, & Minorum Ordines specialis communicatio privilegiorum reperiatur, ut ex allegat. Mari magno, ejusdem dispositio extenditur, ut in Ordine Minorum possint etiam Provinciales ad tenorem d. Maris magni absolvere.

Verùm, licèt per allegata jura Canonica, *& c. Monachi*, *c. Canonica*, videatur Regularium facultas quoad subditos restricta ad percussionem modicam, seu levem, & gravem; tamen eorum potestatem ad qualemcumque percussionem, specialibus privilegiis inspectis, extendi notarunt Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 2. *disput.* 14. *qu.* 10. *num.* 6. Lezzana *sum. tom.* 1. *cap.* 18. *numer.* 30. Layman. *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 7. *à num.* 10. apertisque verbis Confectius *summar. privileg. mend. tit.* 14. *cap.* 9. ibi: Regulares quidem, ac etiam Moniales eisdem Regularibus subjectæ, quocumque modo se in claustro percutientes, non sunt ad Sedem Apostolicam mittendi, sed secundum juris communis dispositionem, & suorum privilegiorum formam, ab eorum Superioribus Regularibus absolvendi sunt. Quòd, si extra claustra se percutiant, ab iisdem etiam Episcopo instante, juxta dicta *cap. ult. num.*

21 An autem Superior localis possit absolvere sibi subditum in alium suæ familiæ Religiosum manus violentas injicientem?

Resp. Negativè, nisi facultas ei sit à Generali, vel Provinciali delegata, per *d. c. praced. num.* 40.

CAPUT XL.

Officialis quoad Processiones.

SUMMARIUM.

1 *Regulares ultra medium milliare non distantes à Civitate accedere tenentur ad processiones.*

2 *Ad quas processiones accedere teneantur?*

3 *Extra claustra non faciunt processiones; & distingue, usque ad n.* 8.

9 *Infra octavam Corporis Christi possunt Regulares extra claustra processiones facere, ad* 10.

11 *An autem possint Regulares in processionibus uti pluviali, & istius usus sit signum jurisdictionis in utente?*

12 *In Monialium Ecclesiis non fiunt processiones.*

13 *De licentia Ordinarii defertur Imago B. Mariæ Virginis.*

1 Tenentur Regulares ad processiones solemnes accedere, prout ex §. 3. Constit. *Dum intra* 22. *Leon. X. Bullar. tom.* 1. & facit Trid. *sess.* 25. *cap.* 13. *de Regul.* Verùm compelli debent cum moderatione edita à S. Congr. C. apud Piasec. *prax. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *à num.* 51. ut sequitur: *San. mem. Greg. XIII. decrevit, Regulares Monasterii ultra medium milliare à Civitatibus distantis, non posse ab Episcopo compelli accedere ad processiones, quæ intra Civitatem habentur.*

2 Non tenentur ad omnes, sed ad eas dumtaxat, de quibus fuit dispositum in Congreg. particulari de ordine Urbani VIII. celebrata sub die 27. Julii 1628. & 21. Augusti, ac 19. Septembr. ejusdem anni, apud Pignatell. *tom.* 1. *cons.* 121. ut infra: *Auditis Procuratoribus Ordinum, negotioque maturè discusso, unanimiter censuerunt posse Episcopos pœnis sibi benè visis compellere quoscumque Regulares recusantes, etiam Monachos, & quomodolibet exemptos, ad infrascriptas processiones accedere, atque illis interesse, exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus, & Monasteriis ultra medium milliare à Civitate distantibus; nempè in die Festo Sanctiss. Corporis Christi, in Litaniis majoribus, in Rogationibus, ac in quibuscumque aliis publicis, & consuetis, vel pro bono, causa, aut honore publico, ab Episcopis indictis processionibus; non obstantibus quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus; privilegiis tantùm Apostolicis, S. Concilio Trid. posterioribus, contrarium desuper disponentibus minimè sublatis.*

3 *Regularibus autem, & Confraternitatibus in Ecclesiis Regularium esse permissum, intra eorum Ecclesiæ claustra tantùm processiones facere, & non extra. Si verò Ecclesiæ claustris careant, eisdem Regularibus, & Confratribus licere processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem Ecclesiarum, hoc est, propè muros Ecclesiæ, & non extra dictum ambitum, nisi de licentia, & consensu cum Cruce Parochi: privilegiis pariter, ut supra, Apostolicis, contrarium disponentibus in suo robore permanentibus: quibus per hoc decretum minimè censeatur derogatum, quoad processiones faciendas per Regulares extra claustra.* Refert Donatus *prax. regul. tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 13. *qu.* 81. *num.* 6. idem fuisse dispositum à S. Congr. Rituum, *die* 28. *Februarii* 1628.

4 Non est apud Ordinarios locorum facultas compellendi Regulares ad interessendum processionibus ab iisdem indictis, non pro bono publico (ut, non ad impetrandam pacem inter Principes Christianos: ad obtinendam victoriam supra infideles: pro electione Romani Pontificis: ad placandum Deum occasione pestis, famis, belli, sterilitatis, terræmotus, & similium) sed occasione suę primę visitationis, ut notavit Peyrin. *de privil. Regul. ad Const.* 2. *Julii II.* §. 25. *n.* 66. & decrevit S. Congr. C. *in Anagnina Processionis* 9. *Decemb.* 1662. Quæ ad dubium: *An Fratres strictioris Observantiæ potuerint ab Ordinario loci compelli ad processionem indictam occasione suæ primæ visitationis?* Censuit *non potuisse*. Lantusca ver. *Processio num.* 4.

5 Similes processiones generales ad effectum obligandi Regulares ad interessendum, non sunt annuatim renovandæ, & perpetuandæ, nisi nova motiva, & causæ concurrant, ut censuit S. R. C. *in Biterten.* 29. *Januarii* 1697. à qua declaratum fuit,

Edi-

Edictum Episcopi (quo Regulares astringebantur sub pœna suspensionis, & interdicti Ecclesiæ ipso facto incurrenda ad interessendum Processioni indictæ pro obtinenda liberatione à terræmotu, semel jam factæ anno præcedenti, & posteà renovatæ) *non sustineri cum omnibus inde secutis*. Monacell. *for. par. 1. form. 7. num. 25. tit. 5.*

6 Regulares in Processionibus privatis, quas faciunt extra Claustra, egent licentia Episcopi, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, ut pluries esse resolutum à Sac. Rit. Congreg. referunt Riccius, Donatus, & Ventriglia apud d. Monacell. *num. 26.*

7 Ubi verò esset consuetudo, Episcopo sciente, præscripta, quòd Regulares in aliqua die, vel Festo, quovis anno ducerent Processionem per Civitatem, deberent licentiam petere; quæ ab Ordinario non esset deneganda, quia cùm Processio sit functio sacra, quæ continet actum Religionis, ad pietatem, & devotionem fideles excitans, absque valdè rationabili causa impediri non debet: & quatenùs licentia denegetur, recurritur ad Sedem Apostolicam, à qua vel rescribitur Episcopo, ut licentiam concedat, prout rescripsit S. C. Episc. in *Papien. 11. Maji 1696.* vel, *servetur solitum*, ut ab eadem fuit rescriptum in *Savonen. 4. Septembr. 1663.* & à S. R. Congr. in *Ferentin. 21. Novemb. 1699.* Monacell. *cit. n. 27.* Et S. Congreg. Concil. *6. Junii 1708. in Aquen.* ad 7. dubium: *An Patribus Carmelitis loci Incisæ liceat extra propria Claustra, & districtum per loca consueta facere Processionem B. M. V. de Monte Carmelo, occasione suæ Festivitatis, petita tamen licentia à Parocho, licèt non obtenta?* Respondit *Affirmativè.* Et die *27. Aprilis 1709.* reclamante Parocho, stetit *in decisis.*

8 Advertendum, quòd in locis ubi est consuetudo, quòd Regulares, quamvis distantes à Civitate ultra miliare, conveniant ad Processiones, servanda est, & tenentur accedere, prout censuit S. R. Cong. in *Nucerina Paganorum 12. Septemb. 1699.* Monacell. ibi *num. 30.*

9 Ad solemniter faciendam Processionem extra Claustra in quacumque die infrà Octavam Corporis Christi habent etiam Regulares privilegium cum amplissimus derogatoriis à Greg. XIII. Const. *Cùm interdum 10. Bull. tom. 2.* distinctis tamen horis: prout Innoc. XII. disposuit in causa vertente inter Frat. Ord. Min. & PP. Ord. Prædicat. in Indiis, Const. *Sua nobis*, & infrà, quòd in causa inter dilectos Filios PP. Dominicanos ex una, & PP. Minores de Observantia Familiæ Ultramontanæ, & Civitatis Quiten. partibus ex altera.

Cùm S. Rituum Congregat. sub die decima mensis Februarii de Anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo quinto decrevisset, & declarasset, competere PP. Dominicanis ius peragendi Processionem Sanctissimi Corporis Christi Dominica infra Octavam illius, privativè ad PP. Minores de Observantia, & signanter in Civitate Quiten. ita tamen, ut liceret eisdem Patribus Minoribus eadem die Dominica infra Octavam facere Processionem intra Claustra eorum Conventus.

Pro parte eorumdem PP. Dominicanorum Provinciæ Quiten. habitus est recursus ad san. mem. Innocentium Papam XI. prædecessorem nostrum, ad obtinendam specificam confirmationem præmemorati Decreti, quam eis idem Innocentius prædecessor benignè impertitus est, per Litteras in forma brevis, Emanavit, *incipientes, sub die vigesima sexta Martii, ejusdem anni millesimi sexcentesimi octuagesimi quinti expeditas.*

Verùm causa hujusmodi, cum juribus ex tunc ad Urbem pro Patribus Franciscanis allatis, iterùm coràm eadem Sac. Congr. ad plenum discussa, ipsamet Congregatio Decretum edidit, quo præscripsit, quid tandem observandum sit ab utraque parte circa prædictam Processionem, tenoris sequentis, videlicet: In causa Quiten. inter PP. Ordinis Minorum Familiæ Ultramontanæ, Conventus Civitatis Quiten. ex una, & PP. Dominicanos ejusdem Civitatis ex altera partibus, à dilecto Filio nostro Cardinali Pamphilio reproposita dumtaxat super dubio Processionis SS. Corporis Christi, eadem Sac. Congregat. auditis utriusque partibus, tam in voce, quàm in scriptis informantibus, censuit: recedendum à decisis, & in casu, de quo agitur, licere Patribus Franciscanis facere Processionem die Dominica infra Octavam SS. Corporis Christi: sed PP. Ordinis Prædicatorum de mane. Patribus verò Minoribus de sero: & ita decrevit, & servari mandavit, die vigesima quarta Martii, millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti.

Attamen non acquiescentibus prædictis

PP. Ord. Min. Famil. Ultramon. Conventus Quiten. hujumodi Decreto in ea tantùm parte, in qua hora peragendi processionem ipsis præscribitur, reposito ab eodem Cardinali Pamphilio in Sacr. Rituum Congregatione huiusmodi dubio, eadem Congr. PP. Dominicanis, licèt citatis, non informantibus: In decisis super negotio principali, & licere PP. Franciscanis facere Processionem, etiam de mane, distinctis tamen horis, ab Episcopo præscribendis, censuit, & ita servari mandavit, die septima Aprilis, millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti.

Sed ad huiusmodi Decreto reclamantibus PP. Dominicanis, proposita iterùm causa per præfatum Cardinalem Pamphilium, utraque parte informante, & juribus hinc inde discussis: S. Congr. prædicta rescribendum censuit: In decisis super negotio principali, & licere PP. Franciscanis facere Processionem extra claustra per loca solita, etiam de mane, distinctis tamen horis, ab Episcopo, præscribendis, & data electione horæ Patribus Dominicanis, à qua, semel electa; non liceat amplius recedere, & ita decrevit, & servari mandavit, die prima Septembris, millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti.

Verùm quia, sicut eadem petitio subjungebat, dicti Patres Franciscani dubitant, ne executio, & observatio decreti huiusmodi à dictis Patribus Dominicanis forsan impugnari possit, & in simili eventu idem Decretum suo frustretur effectu; ideò prædictus Frater Nicolaus ad Nos recurrit, humiliter supplicando, quatenus tibi, ut ad executionem dicti decreti juxta illius tenorem, & formam procedas, Apostolica auctoritate committere, aliasque sibi in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur statum, & merita causæ huiusmodi præsentibus, &c. Deinde committit Episcopo Quietensi, ut contradictores ad exequendum Decretum omnibus juris remediis, & factis compellat, ut ibi latè; *non obstantibus, &c. Romæ 5. Kal. Martii 1696.*

Unde patet, Decretum S. C. Rituum *de Anno* 1643. 9. *Aprilis* apud Flos. Nicol. *verb. process. n.* 12. disponentis *non esse permittendas in eodem loco, & eodem die duas similes Processiones*, non ampliari ad præfatas faciendas infra octavam Corporis Christi.

11 *An autem possint Regulares uti Pluviali in Processionibus, de licentia Episcopi per eos faciendi, si in ea expressus non fuerit usus præfatis resolvendum, ut infra.*

Supplicante humiliter P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Observantium Sancti, Francisci à Sac. Rituum Congregatione declarari infrascripta dubia.

Primum. An guardiani Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, Provinciarum Regni Neapolis, obtenta licentia ab Ordinariis locorum oretenùs, vel in scriptis faciendi solemnes Processiones per Civitates, vel Oppida extra limites Conventuum suæ Religionis, cum Statua, aut Reliquia alicujus Sancti possint Religiosi sui Ordinis uti pluviali, licèt in licentia obtenta non fuerit expressus usus pluvialis?

Secundùm. An usus pluvialis in Processionibus solemnibus sit testimonium & signum jurisdictionis in utente Sacerdote?

Sacra eadem Ritum Congregatio censuit respondendum.

Ad primum. Affirmativè.

Ad secundum. Negativè: *& ita declaravit die 21. Martii 1699.*

Controversias de precedentia in processionibus publicis, seu etiam inter Sæculares Clericos, & Confratres extortas componere ad Episcopum spectat, ex Trid. ibid. cui modus super ea retinendus præscribitur à Gregorio XIII. Constit. *Exposcit, ut in cap.* 37. *num.* 1. *& num.* 2. pondera etiam Urbani VIII. litteras.

12 Inter clausuram Monialium fieri non debent ab exteris Processiones, neque cum Sanctissimo Sacramento, ut S. Congr. firmavit 23. *Aprilis* 1602. apud Nicol. *allegat. num.* 18. *& num.* 19. ex Sac. Congregatione *sub die* 27. *Martii* 1602. refert, permittendum non esse, quòd Processiones Regularium transeant per Ecclesias Monialium, licèt adesset consuetudo, etiam eis subiectarum, Lezana *summ. q. regul. tom.* 4. *ver. Processio sub n.* 11.

13 De licentia Ordinarii potest in processione deferri Imago B. Mariæ Virginis cum baldachino, & intorticiis, prout Sac. Cong. apud Nicol. *cit. num.* 9. *sub* 20. *Julii* 1621. sicut de eiusdem assensu, Imagines, & Sanctorum Statuæ deferuntur, ibidem 15. *Julii* 1647.

CA-

CAPUT XLI.

Officiales quoad Professionem.

SUMMARIUM.

1 *Professio Regularis describitur.*
2 *Ætas à die nativitatis computatur.*
3 *In cujus manibus debeat professio expressa emitti?*
4 *Vicarii ministrorum Provincialium ex officio Vicariæ non possunt ad professionem recipere, benè verò de licentia ministrorum &c.*
5 *Professio, alia expressa, alia tacita.*
6 *Trid. non sustulit professionem tacitam. Et quando hæc incipiat? & quibus præsumatur?*
7 *An ex errore fidei baptismalis professus ante 16. ætatis annum, si exerceat postea actus solitos à professis fieri, censeatur tacitè professus?*
8 *Laicus validè profitetur, etiam anno ætatis 11. non exacto.*
9 *Professio timore mortis emissa, est valida.*
10 *Vir constans, metusque in virum constantem cadens, quisnam dicatur?*
11 *Metus reverentialis quid sit?*
12 *Coactio duplex, absoluta, & conditionalis.*
13 *Professio emissa per metum cadentem in virum constantem est ipso jure nulla.*
14 *Idem dicitur de emissa per metum reverentialem.*
15 *Non reclamans durante causa metus, non censetur professionem ratificare.*
16 *Quamvis Ordines Sacros suscipiat, & intra quinquennium non reclamet.*
17 *Causæ nullitatis professionis debent produci coram Ordinario, & Superiore Regulari Monasterii, in quo professio emittitur.*
18 *Quos comprehendat censura à Trid. lata in cogentes Virgines ad suscipiendum habitum Regularem, vel impedientes viros, ne habitum Regularem suscipiant.*
19 *An teneat professio emissa in manibus Superioris, sed sine consilio, vel consensu Conventus.*
20 *Consensus est necessarius, ut sit professio valida.*
21 *Receptus pro Laico, si in Novitiatu transit ad Clericatum, validè peracto anno probationis, profitetur.*
22 *De transitu à statu conversorum ad Clericatum.*
23 *Clausula* de licentia Superiorum *intelligitur copulativè de licentia Generalis, & Provincialis.*
24 *Novitii non debent ab Ordinariis ante receptionum examinari.*
25 *Transiturus de una ad aliam Religionem eget licentia à Sede Apostolica, & novum probationis annum agit.*
26 *Obtinens indultum à Sede Apostolica transeundi ad alium Ordinem cum clausula*, modò sit à Sede Apostolica approbatus, *non potest ad militarem transire.*

1 PRofessio Regularis est *contractus reciprocus obligatorius, quo profitens se obligat Religioni ad vivendum secundum Regulam ejus; & Religio obligatur Religioso ad eum retinendum, & tractandum secundum Religionis institutum.* Quæ obligatio ex parte profitentis nascitur, ex quo actualiter se tradat Religioni; & ex parte hujus, ex quo actualiter ipsum acceptet: in actuali verò traditione, & acceptatione stat solemnitas votorum, quæ in professione emittuntur. Ideò ad statum Religionis non sufficit vota obedientiæ, paupertatis, & castitatis quocumque modo emittere; sed concurrere debet illa actualis publica traditio, & acceptatio: per hoc enim ipsa vota (sicut per susceptionem Ordinis Sacri) solemnizantur, & à voto simplici distinguuntur, & vim habent dirimendi matrimonium.

Ad validitatem professionis exigitur libertas, seu consensus, non vi, & metu extortus, *c. 1. de regul.* ut inferiùs est declarandum. Deus enim voluntarios milites, & non coactos sibi eligi, *cap. non est* 15. *q.* 1. & liberum est arbitrium in vovendo, aliàs non est votum, *cap. Licet de voto.*

2 Ulterius ex datis *cap.* 34. *num.* 2. requiritur annus probationis exactus, & 16. ætatis completus, per Trid. *cap.* 15. *sess.* 25. *de regul.* quo Concilii Decreto corriguntur cætera jura, quæ aliter disponunt. Sextus autem decimus annus computatur non à die conceptionis, aut baptismi, sed nativitatis; quoniam usu receptum est, ut ætas à die nativitatis computetur; cum ętas

aliud non sit, *quàm quædam mensura temporis, à nativitate usque ad obitum decurrens*, per Bald. apud Fagnan. in 1. *ad cap. Cùm in cunctis de elect. num.* 134 Et videtur esse ad formam Decreti Sac. Congreg. A qua fuit quæsitum: *Provisus est aliquis de Canonicatu in Cathedrali, habente annexum Ordinem Presbyteratus, ad quem promoveri potest infra annum, si attendatur dies nativitatis; si autem dies baptismi, minime: à quo tempore facienda est computatio?* S. Congreg. censuit, *tempus computari à die nativitatis, non autem baptismi, ibid.*

Et hinc advertas, quòd mortaliter peccant, qui scienter recipiunt aliquem ad Professionem, non habentem d. annum 16. completum, quoniam in re gravi operantur contra dispositionem Concilii Generalis.

3 Nota item, quòd professio expressa, ut sit valida, debet emitti in manibus Superioris habentis potestatem incorporandi Religioni, vel de ejus licentia in manu alterius, *cap. Porrectum*, *cap. Ad Apostolicam de regul.* Etenim, cum professio sit contractus ultrò citroque obligatorius, fieri non potest sine consensu utriusque partit; proinde ex parte Religionis requiritur persona idonea, quæ habeat potestatem eam obligandi. Quis autem illa sit, unusquisque Constitutiones proprias inspiciat. In Ord. Min. Generalibus, & Provincialibus privativè quoad alios, recipiendi fratres licentia facta est, *ex c.2. Regulæ S.Francis. relat. in Constit. Solet Honor. III. la 5. in Bullar. tom.1.*

At petitur. An valeat professio facta in manibus Guardiani Novitiatus, inconsultis Generali, & Provinciali?

4 Resp. Negativè, quamvis accesserit major suffragiorum pars, & annus probationis præcesserit, & 16. ætatis sit completus; quoniam, ut dictum est, solis Generalibus, & Provincialibus concessa est facultas recipiendi ad Ordinem. Quod expressiùs habetur *in c. Exiit de verb. signif. in 6.§. Sed quoniam*, ibi: *Concedimus, & præsenti statuto firmamus, licere non solùm Generali, sed etiam Provincialibus ministris personas fugientes à sæculo in fratres recipere, quæ ministrorum Provincialium licentia per ipsum Generalem (sicut expedire viderit) possit arctari. Vicarii verò Provincialium ministrorum, ex officio Vicariæ licentiam hanc ex officio viderint interdictam; nisi per ministros eosdem (quibus hoc posse committere Vicariis, & aliis licere decernimus) hoc ipsis Vicariis specialiter committatur.* Et expressiùs Julius II. in Constitut. *Papalibus c. 2. part. 1.* citans Nicol. III. *cap. Exiit*, apud Sanctoro *in Statutis cap. 2. stat. 20. Quærilus 1.* ait: *Nec quacumque authoritate minor. Prælatus coram majore, etiam commissionem recipiendi ad Ordinem habente, ad Ordinem, vel professionem recipiat sine consensu talis sui majoris.*

Super textum *in d.c. Exiit*, pondera, quòd non loquitur de Vicariis Provincialibus, qui, secuta morte ministri, eliguntur; nam istis ex officio talis facultas competit: sed de Vicariis, seu commissariis Provincialium, qui in absentia dd. Provincialium relinquuntur ad Provinciarum gubernium: aperta est distinctio, si consideretur Vicarius Provincialis, sumpto *Provincialis* in casu recto; & Vicarius ministri Provincialis, sumpto *Provincialis* in casu obliquo; isto secundo modo idem est, ac commissarius Provincialis modo explicato.

5 Duplex est professio, expressa, & tacita. Illa emittitur verbo, & scripto in manibus Superioris legitimi, juxta formam cujuscumque Religionis. Ista verò, ut vox sonat, est, quæ sine voce, & scripto fit. Et dicitur præsumpta, quia ex circumstantiis præsumitur, & inducitur, per *cap. Is qui de regul. in 6.*

6 Quam non sustulit Trid. *d.c.15.* prout censuit Sac. Congreg. Conc. Nam, cùm dubitatum esset, *an tacita professio, quæ non est exclusa Decreto Concilii, inciperet decimo sexto anno, & an statim post dictum tempus emissa censeatur?* S. Congr. respondit, *tacitam professionem incipere à prima hora post perfectum decimum sextum, & finito anno decimo septimo*; qui completus esse debet ex eadem Sacra Congregatione, quæ dixit, *tacitam professionem induci post annum, & diem*, juxta text. *in c. Puella*, ibi: *At si per annum, & diem 20. q. 2.* Nec sufficit sequentem diem attigisse, sed opportet illam esse omninò absolutam, & consummatam. Atque ita ex sententia Sac. Congr. dies incœpta in hac materia non habetur pro completa, ut notavit Fagn. *in 3. ad cap. Ad nostram de regul. 20.*

7 Quæritur. Cajus, exhibita ætatis attestatione, recipitur ad Religionem; ex ea enim

enim constat, quòd, peracto probationis anno, erit constitutus supra decimum sextum suæ ætatis, tempus à Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. *de rugul.* requisitum ad validam professionem; completa probatione, bona fide professionem emittit; at temporis cursu, & post plures annos occasione perquirendi novam fidem Baptismi pro recipiendis Sacris Ordinibus reperit fidem, quam bona fide attulerat pro ingressu in Religionem, fuisse alteratam, & erroneam, quatenùs incuria Parochi fuit descriptus in libro Baptizatorum, natum esse *die* 7. *Augusti* 1680. quando reverà natus est *die* 7. *Aug.* 1679. unde facto computum ad annum emissæ professionis, reperitur eam emisisse in ætate quindecim annorum: nunc oritur dubium, an censendus sit saltem tacitè possessus?

Affirmant plures, inter quos Fagnan. *in* 3. *ad cap. Significatum de regul. n.* 19. *usque ad finem*, Antonell. *de temp. legal. lib.* 2. *cap.* 63. Ventriglia *prax. tom.* 1. *annot.* 47. *§. Unic. num.* 30. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 88. *num.* 5. *& consult.* 146. *n.* 53. aliique, repetentes pluries fuisse resolutum à S. Congr. Concilii, *ut in Romana* 28. *Maji* 1578. *In Romana* 13. *Januarii* 1618. *In Neapolitana* 3. *Aprilis* 1621. Quod probant, ex quo Cajus post emissam professionem ad plures annos habitum indistinctum cum professis gestaverit, seque in exercitio actuum, ad solos professos spectantium, occupaverit. propter quod juris præsumptione censetur professionem emissam tacitè ractificasse cum nova obligatione permanendi in Religione.

Negativa tamen videtur communior, & in puncto juris verior, ut in terminis tenuit Rota *in Mediolanen. nullitatis professionis* 3. *Martii* 1690. *coram Emerix*, *pro qua* 18. *Theologos*, *&* 17. *Juristas* cumulat, ac recenset sæpiùs fuisse ab eadem Rota resolutum.

Nam ad inducendam tacitam professionem, seu tacitam ratificationem, est necessarium, ut ratificaturus liberè consentiat, per d. *num.* 1. Siquidem agitur de subjiciendo professum novæ obligationi, contra quam in dubio fieri debet interpretatio, *leg. Arrianus*, *ff. de oblig. & act.* Verificari autem non potest de Cajo, quòd liberè consentiat in novam obligationem, cum habeat ignorantiam inculpabilem suæ professionis ortam ex præcisa incuria Parochi. Nihil enim est magis contrarium consensui, quàm ignorantia, vel error. Voluntas enim non fertur in incognitum, ut inquit Philosophus 3. *de anima comment.* 39.

Quæ scientia in expresse validè profitente, & in terminis de ratificante, & tacitè approbante, supponitur *in c. Is, qui ad Monasterium de regul. in §. Qui verò*, ut pleniùs in littera.

Ad tollenda æquivoca, & fortè concordandos DD. debet distingui is, qui professionem expressam nullam scienter emisit, ab eo, qui expressè nulliter, sed ignoranter professus est. De primo procedit, quòd, si post annum ab emissa professione perseveret in Religione, deferendo habitum indistinctū cum professis, & in actibus se exerceat ad solos professos pertinentes, censeatur per hæc priorem ratificare. Quoniam, cum sciat nullitatem professionis, & se per illam ad Religionem non obligari, jus optimè præsumit, quòd in prædictis se occupet animo tribuendi per suum consensum professioni novum valorem, ut per Sperellum *decis.* 80. *num.* 3. Etenim in eo nulla alia præsumptio locum habet, quàm voluntas profitendi. Quæ præsumptio non currit in eo, qui jam emisit professionem, sed nullam. De hoc enim præsumitur, ut habitum gestet, & alia operetur, tamquam semel validè professus, non tamquam iterum professurus, & ad implendam obligationem, quam supponit contractam, non autem ad novam contrahendam.

Tantò magis, quòd non est nostrum divinare, quid ille egisset, si nullitas professionis sibi innotuisset. Quinimò judicandum est, quòd & tunc contra validitatem reclamasset, si ei de nullitate constitisset: quoniam subinde, habita notitia, reclamavit, & pro declaratione nullitatis institit.

Ex quibus ad contraria: Jura verò, quæ possunt adduci ad concludendam professionem tacitam inductam, habent locum in suis terminis habilibus; in casu nimirum, quòd non præcesserit expressa professio nulla, vel, si præcessit, professus novit ejus nullitatem. Resolutiones autem Sacræ Congregationis aptabiles non sunt ad præsentem casum, ut ibidem Rota apud Monacell. *form. part.* 2. *in append. la* 14.

8 Quæritur. Clemens VIII. in Decretis

de

de educat. navit. præscribit, quòd conversi non recipiantur ad professionem, nisi excesserint annum vigesimum primum. Et Innocentius X. *const. Ad propagandam* apud Lantusc. *V. Novitius nu.* 4. pro Ordin. Min. de Observ. sancit, ut nullus pro Laico approbetur in Definitorio, vel recipiatur, qui 20. ætatis suæ annum non expleverit: modò quis, decimo nono anno exacto, professionem emittit; petitur, an professio sit valida?

Resp. Affirmativè, cùm sit emissa post 16. annum impletum, adeoque juxta disposita à Trident. *cap.* 15. *sess.* 25. *de regul.* Nec Clemens, aut Innocentius irritas declarant professiones aliter factas. Et in simili dubio Sac. Congreg. Concilii 2. *Augusti* 1631. *&* 24. *Aprilis* 1642. *censuit, professiones emissas juxtà dispositionem Concilii esse validas*. Barbosa *ad d. locum Trident. num.* 13. Fagn. *in* 5. *ad c. Qui Presbyterum de pœnit. n.* 85.

Nota, quòd nec in Decretis Clementis, nec in d. *const.* Innocentii prohibetur, quin excedens trigesimum ætatis annum possit ad Religionem recipi, & post annum profiteri.

9 Quæritur. Cajus, exacto probationis anno, statim ad mortem infirmatur, & timore imminentis mortis professionem emittit, censetur ne validè?

Resp. Affirmativè: nam est metus proveniens ab intrinseco, seu causis naturalibus, non incussus ad extorquendam professionem; etenim nullus eam exigit, aut ad eam impellit, sed forsàn Deus eum immittit ad conversionem peccatoris: Deus enim per flagella sæpè corripit peccatores, *cap. Nabuchodonosor* 23. *q.* 4. sed professio voluntariè eligitur à professuro, ut medium ad evadendum periculum animæ, vel corporis: unde refert Fagn. *in* 3. *ad c. si quis de regul. in fine*, fuisse à Sac. Congreg. Concilii, articulo diligenter discusso, declaratum, quod ubi quis, ut evadat ultimum supplicium ob conscientiam scelerum commissorum, aut mortem sibi timens ab inimicis Religionem profitetur, nisi aliud obstiterit, est validè professus, licèt aliàs professurus non fuisset.

Et in his terminis communi calculo DD. dicunt etiam valere votum emissum metu mortis, naufragii, pestis, terræmotus &c. Quoniam ad vovendum nullus cogit, sed liberè assumitur, ut medium ad mortem, & periculum vitandum: vovens enim voluit sic facere, quia voluit vivere, *c. Merito* 15. *q.* 1. Fagnan. *in* 1. *ad cap. Prælatum de iis, quæ vi &c. num.* 3.

Diversimodè discurritur, quando metus est ab intrinseco cum violentia. Et hìc etiam distinguitur: si metus sit in causa libera ad finem, ut quis professionem emittat, professio est irrita. Nam contra violentiam jura subveniunt, *l. & tot. tit. ff. quod met. caus.* Secus, si ad eum finem non ordinetur; quia tunc professio liberè eligitur, & nulla est connexio inter metum, & professionem, ut est casus *in d. c. Prælatum*.

10 Metus definitur *mentis trepidatio instantis, vel futuri periculi causa*, Vulpianus *in l.* 1. *ff. de eo quòd metus*. Estque duplex, justus, seu cadens in virum constantem: & levis, seu vanus, aut cadens in virum non constantem, & meticulosum. Vir constans, & fortis, est medius inter *audacem*, qui nimirum temerè, & imprudenter audet, & aggreditur, quod non debet: aut, sicut non debet: vel, quando non debet, juxta D. Thom. 2. 2. *q.* 125. *art.* 3. *&* *quæst.* 126. *art.* 1. *&* 127. *art.* 1. *&* *timidum*, qui nimirum in timendo excedit: ut, dum timet, quod non oportet: vel, quando non oportet. Quare metum cadere in constantem virum, est metum illum hominem ita movere, ac percellere, ut eum tametsi constantem, & fortem concutiat, & de proposito dimoveat, ut propter instans grave periculum, invitus aliquid agat, quod spontè non ageret: ut, si timens mortem, membrorum mutilationem, vel rerum amissionem, matrimonium contrahat, det latronibus aggredientibus pecunias, vel Religionem ingrediatur, & similia.

Quare ad hujus generis metum tria copulativè requiruntur. I. Ut incommodum, & malum, quod imminens probabiliter timetur, sit judicio prudentum, attenta qualitate personæ, grave, & præponderans. II. Ut tale malum immineat, & metus incutiatur à viro potente, ac solito minas exequi. Hujusmodi metus justus est, & in se gravis, ac talis, ut mirum non sit, si virum constantem concutiat, & à proposito dejiciat, & invictum moveat. Proinde, cùm minus est malum, & incommodum, quod ex metu timetur, dicitur metus cadere in virum inconstantem, meticulosum, & ti-

& timidum. III. Ut metus sit præsens, saltem pro futuro periculo; non enim sufficit suspicari eum inferendum, ut notavit Glos. *ad cap. Ad audientiam cit. tit. de iis &c. in verb. causa*: nam metus dicitur, quia mentem tenet de præsenti non de futuro.

Dicitur *attenta qualitate personæ*, quia, levior metus sufficit in fœmina, & puero, quàm in viro; minorque excusat fœminam, quàm masculum, Glos. *ad cap. Cum locum de sponsal. in verb. metus*. Ideò ex parte mulieris requiritur metus, qui cadat in mulierem constantem; & judicium relinquitur arbitrio Judicis; quemadmodum ejusdem arbitrio committitur, an verba, vel minæ, vel potentia hominis sint causa justi metus, qui incutitur, per Glos. *ad cap. Cùm dilectus d. tit. de iis &c.*

11 Inter metum cadentem in constantem virum enumerat Lessius apud Peyrin. *de Prælat. q. 3. c. 1. §. 2. num.* 8. metum reverentialem, quo scilicet filius ex reverentia naturali, quæ parentibus debetur, adjunctis istorum minis, timet eos offendere. Quapropter licèt justus metus explicetur per mortis timorem, bonorum amissionem, carceris diuturnitatem &c. tamen plura alia sub his terminis veniunt: ut timor reverentialis, quo filius timet patrem offendere, uxor maritum, pupillus tutorem, subditus Superiorem, Clericus Episcopum, ut post d. Lessium *lib. 2. de jure c. 17. dub. 6. nu.* 35. & dixit Sanctoro *de pœnis cap. 15. de Simon. quæst. 6.*

12 Vis, seu coactio est *maioris rei impetus, cui resisti non potest*. Alia autem dicitur coactio *vera, vel absoluta*, seu *præcisa*: & alia *conditionalis, seu modificata*. Prima, est corporalis quædam per manum attractio, vel detentio ad faciendum, quod jubetur, & petitur; & contingit, si, ligatis manibus, & pedibus, quis contradicens, & repugnans cogatur communicare cum excommunicato in lecto, vel Ecclesia; aut cum per Paganos, jusso flectere ante idolum, genua per violentiam incurvantur? vel, dum quis trahitur per violentiam in Monasterium, & habitu Regulari induitur; plura alia exempla refert Fagnan. in 1. *ad cap. Sacris num. 4. & sequen. d. tit. de iis*. Hæc coactio consensu prorsus excludit, quia absolutè coactus potiùs pati, quàm agere convincitur: & plus videtur esse, expræssè contradicere, quàm non consentire, ut advertit alleg. Fagnan. *in 3. ad cap. Maiores de Baptismo n. 12.*

Coactio verò conditionalis, seu modificata, idem est ac metus: & tunc intervenit, cùm externa violentia per minas, verba, & verbera, sine corporis absoluta attractione ad faciendum aliquid adhibetur: & ad vitandum grave incommodum, illud invitè quis agit, quod spontè, & præciso metu non ageret, juxta superiùs dicta. Quibus notatis.

13 Dico primò: professio emissa per metum cadentem in constantem virum est ipso jure nulla, *cap. Præsens Clericus 20. quæst. 3.* Ad profitendum enim requiritur voluntas omninò libera, *cap. Nullus de regul.* Coacta autem voluntas, licèt voluntas sit *d. c. Merito*; non est tamen voluntas spontanea, & omninò libera, ad votum necessaria, *cap. Prælatum cit.* Tum quia Deus coacta non acceptat, ut jura clamant, *d. cap. Prælatum, & cap. licèt de voto*: & facit Trident. *cap. 19. sess. 25. de regul.* in quo prætendentibus se per vim, & metum professionem emisisse, concedit quinquennium ad reclamandum contra validitatem professionis.

14 Dico II. Etiam professio emissa per metum reverentialem est ipso jure irrita. Quia hìc etiam non habetur consensus liber, ut requiritur; sed invitè professio emittitur. Sed est ponderandum, quòd sola reverentia parentibus, & Superioribus debita, non sit justus metus, nec pro justo metu allegari possit ad irritandam professionem; aliàs nullus contractus subsisteret inter subditum, & dominum; nec teneret professio filii emissa in præsentia parentum, quibus non audet contradicere. Sed, ut allegari possit pro justo metu ad invalidandam professionem, debent concurrere adminicula: ut periculosæ minæ, importunæ persuasiones, asperæ tractationes, & similia; nam, istis concurrentibus, in professione verè non consentitur, sed simulatur, sine autem vero consensu se obligandi Deo in statu Religioso vera professio non datur. Cæterùm semper debent ordinari ad extorquendam professionem.

Dico III. Utraque coactio professionem irritat, quod est extra dubium.

15 Sed petitur. Lælius propter graves minas

minas eorum, quibus debetur naturalis reverentie, Religionem ingreditur, & completo anno probationis, absque reclamatione professionem emittit, an ne valide?

Resp. Negativè; nam, durante causa metus, durat metus; præsumiturque semper esse, quamdiù vivit ille, qui metum incussit, ex Fagnan. *in* 1. *ad d.c. Perlatum nu.* 6. Ideò quamvis in actu externo appareat libertas, & fiant positivi actus, qui aliàs possent ractificationem professionis inferre, vel tacitam inducere; tamen, quia in eos influit causa metus, adhuc durans, præsumuntur & ii meticulosi, commentitii, ficti, & simulati, & non-spontè eliciti ad effectum professionem ratificandi, aut tacitam inducendi; & ita arguitur, quòd professionem emiserit, & in Religione permanserit ad effugendum patris, vel suorum indignationem, severas minas, inhumanas sævitias, vel contumeliosa verba, ac similia, quibus protestabantur se velle eum afficere, si è Religione egrederetur: &, dum ad sæculum rediret, nolle eum recognoscere in filium, vel fratrem, nec recipere in domum paternam, aut ei alimenta subministrare, quibus posset extra Religionem sustentari. Quarum singula, non modò adolescentem, in quo levior metus propter illius imbecillitatem requiritur, verùm & virum constantem possent movere, & perterrefacere.

Dices. Metus non excludit consensum; nam, quæ ex metu fiunt, sunt simpliciter voluntaria, quamvis sint involuntaria secundùm quid; & magis participant de voluntario, quàm de involuntario, ut est communis Doctorum opinio in projectione mercium instante naufragio, ut post D. Tho. 1. 2. *q.* 6. *art.* 6. *in corp.* notavit Fagnan. *in* 3. *ad c. majores de baptis. n.* 84. Ideò, cum professio per vim, & metum emissa, sit simpliciter voluntaria, valida censeri debet.

Resp. Negando consequentiam. Quamvis metus regulariter non excludat consensum, & ex metu facta sint simpliciter voluntaria, & ita non ipso jure nulla; non proinde sequitur, quòd professio ex metu emissa, valida sit reputanda: nam plura sunt, in quibus Sacri Canones requirunt omnimodam, & plenam libertatem, ut in sponsalibus *c. Cum locum de sponsalib.* in matrimo... *significavit de eo, qui duxit in ma... veniens de spon.* in electione, ex alibi dictis: & in terminis in professione, ex dictis *supr. num.* 1. Quare professio per metum emissa, est ipso jure nulla, *cap. Præsens Clericus* 20. *qu.* 3. & *d. cap. Perlatum*. Prædicta enim jura voluerunt occurrere infinitis malis, quæ ex actibus per metum gestis oriebantur; & forsan etiam considerarunt actum per iniuriam extortum non debere ei favere, qui vim intulit. Adducta de projectione mercium sunt vera: sed ex eis non infertur ad validitatem professionis: nam metus in proiectione concurrens est intrinsecus, & non à causa externa libera impressus; metus autem in professione esset à causa extrinseca libera illatus ad finem professionis, qui solus actum irritat, estque patienti inimicus.

16 At petitur, Tridentinum *c.* 19. *sess.* 25. *de regul.* prætendentibus nulliter esse professos, præfigit quinquennium ad deducenda jura pro nullitate professionis; Lælius id omisit tempore præfixo sed in Religione perseveravit, actus professorum exercens & Ordines Sacros suscipiens: censetur ne saltem priorem professionem ratificare, vel tacitam emittere?

Resp. Negativè, si adhuc causa metus existat. Nam cum Lælius in professionem per vim, & metum emissam à principio libere non consenserit, durante eadem causa metus, semper consensus necessarius desideratur. Et propterea nec ex lapsu etiam longissimi temporis sustineri potest eius professio ex ratione tacite, aut titulo ratificationis.

Nec obstat, quòd elapso quinquennio Ordines Sacros susceperit, & actus professorum exercuerit, officium Lectoris &c. Nam ad excludendum consensum, quantumcumque quinquennium elapsum fuerit, non obstante Ordinum susceptione, vel Officiorum exercitio, sat est, ut causa metus existat. Pleniusque excluditur ex querimoniis reclamationibus, protestationibus, etiam extraiudicialibus, ab ipso tam ante, quàm post professionem factis, quibus ostendebat se non habuisse voluntatem profitendi, sed animum aversum à Religione, ac, extincta causa metus, voluntatem reclamandi, & deducendi nullitatis causas.

Quapropter alleganti iustum impedimentum reclamandi intra quinquennium, & à S.C. approbatum, conceditur restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii, prout

prout in una *Anconitana de anno* 1664. fuit concessa, quamvis professus suscepisset Sacros Ordines in Religione, adhuc tamen durante metu. Pignatell. *tom. 9. consult.* 173. *num.* 79. & Monacell. *for. part.* 2. *form.* 4. *tit.* 13. *num.* 11.

Diversimodè discurritur, si, cessante causa metus, perseveret sine reclamatione, & pacificè in Religione, & in actibus professorum occupetur. Nam tunc negari non potest, quin ex illis concludatur omnis legitima præsumptio animi ad tacitam professionem, vel ad priorem ratificandam: perinde enim in casu esset, ac si metus non præcessisset. Maximè, si per annum completum, postquam notitiam habuit, quòd causa metus defecerit, in eorumdem actum exercitio se occupaverit: quoniam tunc præsumptione juris tacita professio inducitur, ut pluries declaravit Sac. Congregat. Conc. quæ 29. *Martii* 1578. censuit: *quòd ubi professio expressa fuerit nulla; ex quo tamen post expletum annum probationis permanserit in habitu Regulari per duos, vel tres annos, censeri fecisse tacitam professionem, & dici professum*. Pignatell. *tom.* 1. *consultat.* 88. *num.* 3. Dixi *per annum*, tamquam de mente S. Congr. Conc. quæ sæpiùs declaravit, hujusmodi tacitam professionem non fuisse à Concilio sublatam, eamque incipere à prima hora post perfectum annum 16. & finire in anno 17. Fagnan. *in* 1. *ad d. cap. Perlatum num.* 46.

17 Ordinarius, qui est adhibendus in judicio nullitatis professionis, debet esse illius loci, in quo est Conventus, ubi fuit professio emissa, nec coram alio Superiore, quàm illius, debent causæ nullitatis deduci; & ideò illud Concilii; *coram Superiore suo, & Ordinario*, intelligitur de Superiore Monasterii, non Religionis, ut decisum refert Barbos. *ad alleg. cap.* 19. *num.* 22. *in una Romana* 7. *Aprilis* 1629. Declaratoria nullitatis ex stylo Curie est de reservatis Sac. Congreg. Conc. adeout ante ipsam, licèt priùs causæ nullitatis coram Ordinario, & Superiore fuerint productæ, non dicatur legitimè, & authenticè de ipsa nullitate constare. Et proinde ad sæculum licitè redire non potest, qui prætendit se nulliter professum, nisi postquam Sac. Congreg. pronunciaverit constare de nullitato professionis. Nam, vel agitur de Religioso, qui jam causam introduxit, vel de eo, qui, elapso quinquennio, non reclamavit. Primus exire non potest, nisi causa favore nullitatis absoluta. Tempore enim, quo causa actitatur professio stat pro validitate professionis, & onus probandi est apud Religiosum. Nec secundo est licitus exitus. Nam ex quo tempore præfixo non reclamaverit, fictione, & præsumptione juris habetur pro vero professo, & quòd professionem emissam quamvis nulliter ratificaverit, & tacitam emiserit. Propterea Tridentinum *d. cap.* 19. decrevit audiendum non esse, qui intra quinquennium non reclamavit. Sed ad hoc tunc opus est, ut per Pontificem quis restituatur in integrum adversus lapsum quinquennii, ut optimè Fagnan. *in* 3. *ad cap. Si quis de regul. n.* 69.

Nota, professionem ab initio nullam propter vim, & metum, vel ætatis defectum, convalidari per solam ratificationem profitentis, absque novo consensu Religionis, ut constat ex *d. c. cum virum de regul.* ibi: *Præsertim, si ratihabitatione secuta, & si eam quandoque contradixisse constiterit*. *Et c.* 1. *eod. tit. in* 6. ibi: *Seu professionem à se priùs factam expressè ratam habeat*. Quæ jura ostendunt, professionem ratificari solo consensu professi, nec eum Religionis desiderari. Nam hujus consensus jam interfuit à principio validus, ut supponitur, & perdurare præsumitur, ut post Navar. dixit Peyrin. *de Prælat. q.* 3. *cap.* 1. §. 5. *num.* 145. Et quatenùs requireretur, tamen Summi Pontifices, tamquam suprema Ordinum Regularium capita, *ex c. Exiit*, §. *Ad hæc cum Fratres de verb. signif. in* 6. ut Religionum paci, & Religiosorum bono consulerent, voluerunt illum supplere, admittentes professionem convalidari per solam ratihabitionem professi, ut *in cit. tex.* Quam opinionem ipse Peyrin. ibid. tutissimam dixit, & tenet Fagnan. *in* 3. *ad cap. Significatum de regul. num.* 47.

18 Considera, sub dispositione Trid. *cap.* 18. *sess.* 25. *de regul.* statuentis censuram excommunicationis in cogentes mulieres ad suscipiendum habitum regularem, aut professionem emittendam, vel impedientes, ne habitum suscipiant, aut professionem emittant, comprehendi. I. Clericos sæculares cujusvis dignitatis sint. II. Regulares. III. Laicos, sive principaliter cogant, vel prohibeant, sive consilium, auxilium,

lium, vel favorem præstent. IV. Scientes eas ita coactas, & invitè habitum suscipere, & professionem emittere, si eas ad habitum, vel professionem recipiant, aut recipi mandent, & consentiant.

Quoniam verò Concilium utitur verbo *coegerint invitam*, ad solam vim coactivam restringi tradunt Barbos. *in d. locum num.* 5. Engel. *cit. lib.* 5. *tit.* 31. *nu.* 20. Pax Jordani *tom.* 2. *elucubrat. lib.* 7. *tit.* 12. *de monial. num.* 188. Proinde non videtur extendi ad vim inductivam, seu ingressum persuadere, ac ad eum allicere, ut apud eos resolutum datur. Etenim verba Concilii accipienda sunt in sensu proprio, adeòque ut significantia vim coactivam, & violentiam. Et hinc Gavantus *in manual. verb. Monial. recept. num.* 3. dixit, dispositionem Concilii non extendi ad eum, qui hæredem institueret mulierem ea lege, ut Monialis fieret; alioquin bona pervenirent ad Monasterium, vel ad alios; quia non reputatur cogere, sed allicere.

Ipsa censura est latæ sententiæ, cùm sit lata per verbum *subjicit*, adeòque incurritur ipso facto, sed non nisi sequuto effectu susceptionis habitus, vel professionis, aut istarum impedimento; nam tunc dicitur coactio consummata, & perfecta.

Censura non ligatur, qui cogit, vel impedit virum, Barbos. *d. c. num.* 6. Nam Concilium loquitur de mulieribus; nec hic sub fœminino masculinum intelligitur, *l. si ita sit scriptum* 45. *ff. de legat.* & cùm simus in materia pœnali, & odiosa, ne quidem ex identitate rationis solet fieri extensio, per *regul. jur. in* 6. *odia*. Puniri tamen potest. Nec est dubitandum, quin gravissimè peccent, qui injustè cogunt, vel impediunt masculos à Religione, propter injuriam, quam eis irrogant: & scienter eos recipientes graviter item delinquunt, quia injuriam fovent, & malo cooperantur, ex deductis à scribentibus apud Peyrin. *de Prælat. q.* 3. *c.* 1. §. 2. *n.* 78. & constat ex *c.* 1. *de regul.* ubi deciditur, quòd Religionis ingressus liber, & spontaneus esse debet.

19 Quæritur. An valida sit professio, emissa in manibus Superioribus legitimi, & potentis Ordini incorporare, contra voluntatem Conventus, Fratrum nimirum existentium de familia in Conventu Novitiatus, ad quos spectat suffragari super habilitate professuri?

Resp. Illud contra voluntatem potest habere duplicem sensum: unum, quòd ad professionem quis à Superiore non recipiatur sine consilio Conventus; alterum, quòd non recipiatur absque Conventus consensu.

Modò, ubi requiritur consilium, si, isto non requisito, Prælatus recipiat novitium ad professionem, professio est ipso jure nulla. Quoniam DD. concordant, quòd, dum ad aliquid à jure requiritur consilium, si id non adhibetur, nullius est momenti, quod fit, textus expressus *in c. Novit. & c. Quanto de his, quæ fiunt à Prælat.* ubi dicitur, quòd præcipua negotia Conventus non debet Prælatus tractare sine consilio totius, vel majoris partis Capituli.

Pariter, ubi consensus requiritur, tenetur Prælatus id exequi, quòd major pars Capituli concluserit, aliàs gesta non valent. juxta *c. Ea noscitur cit. tit.* ibi: *Quòd fiunt de collegiorum suorum assensu, sine quo non obtinent firmitatem*. Et hinc patet, quòd ubi Prælatus ad professionem admittit non requisito consilio, vel consensu majoris partis Capituli, professio non valet.

20 At petitur. An debeat expectari consilium, vel consensus Capituli?

Resp. Consensus est expectandus, juxta *c. Si ad solum de regul. in* 6. De quo dubitari non potest in Ordine Minorum de Observantia propter disposita in dicta Constitutione Innoc. X. *Ad propagandam*, ubi statuitur novitios *esse ad professionem admittendos, si per suffragia secreta à majori parte Fratrum, ter in anno recipienda, habiles fuerint inventi*. Per quæ liquet, Constitutionem interpretari non posse de solo consilio: aliàs etiam si habiles non judicarentur à majori parte Fratrum, adhuc possent ad professionem admitti; quia, ubi consilium requiritur, sola consultatio sufficit, sed Prælatus non tenetur secundum eam operari, *c. Cùm olim de arbitr.*

Neque dicas, professionem valere, quia, licèt prohibeatur aliter fieri, facta tamen non irritatur: nam *multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, cap. Ad Apostolicam de regul.* Quoniam axioma non procedit universaliter, cum non dicat omnia, *sed multa*: ideò intelligendum est de iis, pro quibus consensus non est necessarius; nam, ubi iste requiritur, & non expectatur, facta sine eo irritantur, *alleg. c. Ea noscitur*.

Sed

Sed quid si fratres per metum, & coactè consentiant?

Resp. professio vitatur: consensus enim ex parte fratrum debet esse liber; metus autem ex dictis tollit libertatem, saltem moralem.

21 Quæritur. N. receptus pro laico in novitiatu transit ad statum Clericalem, subinde, anno probationis exacto, professionem emittit: petitur, an validè?

Resp. Affirmativè, quia professio in Decretis Clementis non irritatur.

22 Sed quid de receptis ad habitum conversorum; vel Laicalem, an possint de licentia Prælatorum, ad Clericorum statum transire?

Resp. Non eodem modo discurritur. Si de illis agatur, non completo probationis anno: tunc dicimus cum Sanctoro *in Stat. cap.2.stat. 24.ver. Alia difficultas*, posse, dummodò à Provinciali, & Definitorio priùs examinentur de sufficienti literatura, cæterisque ad Clericatum requisitis: neque hoc eis à Clemente prohiberi videtur, cùm pro eo tempore non sint adhuc irrevocabiliter in statu conversorum. Proinde Pontificis verba hanc sine violentia interpretationem videntur recipere; *ut Laicus, etiam tempore novitiatus, non possit se ipso, & sine legitima authoritate eorum, ad quos spectat novitiorum examen, & receptio, ad clericatum transire*.

Si verò de illis quæstio sit, qui, peracto anno probationis, in Laicorum, vel conversorum habitu professionem emiserunt; negamus posse à Prælatis transitum concedi. Nam praxis, & stylus Curiæ est, ut dictus transitus petatur, & obtineatur à Sede Apostolica. Et fortè ponderari potest quòd cum in statu conversorum celebraverunt contractum cum Religione, debent irrevocabiliter in eo statu permanere, nisi Sedes Apostolica contractum quoad eam qualitatem rescindat, & facultatem tribuat, ut denuò sub illa Clericorum celebretur.

Sed est ne tunc necessarium, ut novum perageant probationis annum?

Pro affirmativa facit, quòd conversi in suis novitiatibus non experiantur omnes austeritates, & observantias proprias Clericorum. Sed puto, quòd tenor brevis sit inspiciendus. Et ubi Papa assumit conversum ad statum Clericorum cum clausula: *quatenùs ad id idoneus reperiatur*: requiritur, ut super doctrina, & literatura examinetur, ac experimentum habilitatis, ut Clericus, per annum in Conventu novitiatus faciat; ne minùs idonei, & prorsùs inhabiles ad Sacrum Altaris Ministerium assumantur.

23 Super quo advertas, sæpè brevia expediri solere cum clausula: *de licentia Superiorum*, quæ intelligitur copulativè de illa Generalis, & provincialis; prout ex sequentibus patet: S. C. Card. *negotiis Regularium præposita* de mandato SS. D. N. Urbani Papæ VIII. declaravit clausulam *de licentia Superiorum, in brevibus prædictis appositam, esse intelligendam de Generali Ordinis, & Provinciali; ita ut per eorundem brevium executione requiratur utriusque licentia, & consensus. 2. Augusti* 1630. vide *suprà cap.35 n.30.*

Ad extremum, nè longior sit discussio Capituli, quædam ad praxim sunt advertenda.

24 Primum, quòd dispositio Decreti Clementis VIII *Sanctissimus 19. Maii* 1602. sub constit. 28. Urbani VIII. *Bullar. tom.*4. quoad clausulam, ut in Conventibus etiam designatis, novitii ad habitum non reciperentur, nec ad professionem admitterentur, nisi prævia approbatione *Congregationis Reformationis, vel Ordinarii loci*, in quibus existerent novitiatus, fuit revocata in Decretis de Apostatis, & eiectis, editis à S.C.Conc. de facultate d.Urbani *in alleg. Constit.*28.

25 Secundum, quòd nullus potest de una ad aliam Religionem etiam strictiorem transire, sine licentia Sedis Apostolicæ: ita ex stylo Curiæ. Et cum quis de strictiori transit ad laxiorem, etiam eiusdem Ordinis, & sub eodem capite, & Regula, debet per annum in probatione stare, & per professionem Ordini incorporari, prout censuit S. C.C. quæ apud Fagnan. *in 3. ad c. Ad Apostolicam de regul. num.* 67. respondit, *transitum de licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem Religionem, etiam ejusdem Ordinis, teneri in secunda Religione novum annum probationis peragere*. Debet enim secunda Religio probare mores transeuntis, qui longè meliùs cognoscuntur tractu annali, quàm semestri, aut minori.

De transitu Reformatorum S. Francisci ad Observantes, & è contra, videatur Lantusc.

tusc. *v. transitus num.* 3. *& Constit. Urbani VIII. Religiosos Viros* 312. *Bull. tom.* 5.

26 Denique quæritur. Regularis obtinet à S. Sede licentiam transeundi ad alium quemcumque Ordinem Regularem, & in eo professione emissa, remanendi, sed cum clausula, *modo sit à S. Sede approbatus, & in eo vigeat Regularis observantia*: & in vim huius facultatis ingreditur aliquem ex Ordinibus militaribus: petitur, an licitè, & tutus sit in conscientia?

Resp. Negativè. Nam non licèt ingredi militares, nisi in indulto exprimatur, prout declaravit S.C. Episc. 7. *Novembr.* 1585. apud Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 299. Et ita ex stylo ipsius Sac. Congr. & Sac. Pœnitentiariæ in praxi omninò observatur. Propterea nulla alia admittitur interpretatio in contrarium, & quævis reputatur extorta, & violenta. Ubi enim ad militares S. Sedis transitum indulgere intendit, non tacet, sed expresse nominat. Cætera videas *cap.* 34.

CAPVT XLII.

Officialis quoad Quartam Funeralium.

SUMMARIUM.

1 *Quarta funeralis quare Parochis debeatur?*
2 *Non semper, nec ubique datur quarta pars.*
3 *Quid veniat appellatione funeralium?*
4 *Super solutione quartæ consuetudo servatur.*
5 *De candelis, quæ ad manus fratrum dantur, quarta non debetur.*
6 *Fratres Prædicatores, & Min. de Obser. privilegium habent à Sixto Quarto.*
7 *Quid sit necessarium, ut Regulares teneantur ad solutionem quartæ?*
8 *Referuntur Decreta S. S.C.C.*
Parochis incumbit probare Regulares teneri ad solutionem quartæ.
10 *Communicatio privilegiorum non extenditur ad præservandum à solutione quartæ.*
11 *An Moniales teneantur ad solvendam quartam?*
12 *Si funus transferatur Parocho debetur quarta.*
13 *Quarta solvitur Parocho, in cuius Ecclesia defunctis consuevit recipere Sacramenta.*

1 QUarta, quæ funeralis dicitur, *est* per Doctores, *quædam portio à Canonibus inducta, & approbata* (& ideò *Canonica* appellatur) *Parocho, propter Sacramentorum administrationem, debita, ex iis, quæ Regularibus obveniunt, ex quo in ipsorum Ecclesiis eligat quis sepulturam, & apud eos sepeliatur.*

Huiusmodi portio *Quarta* nominatur in Clementina *Dudum de sepulturis in* 6. §. *Verùm*, ubi disponitur à Regularibus esse præfatorum quartam partem Parocho solvendam. Et in *Extrav. Inter cunctas de privil. int. com.* ad medietatem Benedictus XI. extendit. Propterea liquet, & notavit Antonell. *de Regimine Eccles. lib.* 1. *cap.* 13. *nu.* 7. Canones in quota non concordare: in quibusdam partibus, apud Mirand. *manual. Prælat. tom.* 2. *quæst.* 48. *concl.* 2. est medietas: in aliis tertia, vel quarta pars, secundùm varia jura, & consuetudines; quibus in hac materia esse standum, nemo dubitat, & firmat Piasec. *prax. Epis. part.* 2. *cap.* 5. *artic. ultimo sub numer.* 45. *verb. Quanta*, Confect. *sum. privileg. mendic. tit.* 19. *cap.* 1. *de Sepulturis*, & expresse habetur *cap. Certificari de sepulturis*, ubi exponens Pontifex illud *Salva justitia &c.* ait: *Illa justitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem, pro locorum diversitatibus attendatur.*

2 Unde hìc Romæ datur medietas cereorum, intorticiorum, & candelarum, quæ accenduntur, cùm cadavera deferuntur ad Ecclesias, in quibus fideles sibi elegerunt sepulturam; & æquali portione inter Parochum, & alios, etiam Regulares, apud quos tumulantur, dividuntur ea item, quæ pro celebrandis Divinis Officiis, præsente corpore, & priusquam terræ tradatur, ac circa Castrum doloris, & in Altaribus accenduntur: sicut etiam arma, lectum, ornamenta, culcitra, seu pannus sericus, tabulæ, & similia. Et id propter specialem, & antiquam consuetudinem, quæ vim etiam obtinuit, ex Decreto *S.C. Visit. Apost. die* 5. *Octobris* 1620. *ab Urbano VIII. approbato*, ut refert *Pasqual. ad Lauretum de Franchis prima par. sub n.* 28.

Quæ tamen consuetudo, utpotè localis, non

non extenditur ad alia loca extra urbem, ut in terminis tradit Donat. *prax. reg. tom.* 3. *tract.* 11. *quæst.* 12. *num.* 2. & facit, quod habet Pignatell. *tom.* 1. *consultat.* 52. *num.* 5. consuetudinem non transire de loco ad locum.

3 Nomine funeralium, ad effectum detrahendi quartam favore Ecclesiæ Parochialis, ex allegata Const. Benedicti, veniunt ea, quæ cum funere deferuntur circa cadaver à domo defuncti ad Ecclesiam; & quidquid sit, an præfata fuerit revocata à Conc. Vien. ut vult Gloss. *in Clementina dict. verb. Funeralibus*, id liquet fuisse innovatum per Pium V. *Const. Et si Mendicantium*, *la* 41. *Bullar. tom.* 2. *verb. Quarta*, his verbis: *Et ubi solvi consuevit, id tantùm ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, &c. Sicque intelligi Concilii Decretum quoad quartam hujusmodi solvendam, debere decernimus.*

Et quo ad hoc non est allegata Constitutio revocata a Gregorio XIII. *in Const. incip. In tanta* 9. *ibidem*. Cùm revocatio Pianæ Constitutionis, ejusdemque reductio ad terminos Concilii per Gregorium factæ, respiciant eam quoad ea a Pio Regularibus concessa contra formam ejusdem Concilii; non verò quoad declarationes per ipsum factas circa modum solutionis quartæ; quippè cum nil specialiter de hoc Concilium disposuerit, & duntaxat decreverit quartam esse solvendam, & non expresserit, in quo hæc quarta consisteret; infertur Constitutionem Pii non esse ea parte abrogatam, qua declarat consistere in cereis circa cadaver deferre solitis. Ideò in eo subsistere est certum, utpotè declarativam, & non destructivam legis Conciliaris, prout notavit Antonel. *sub num.* 9. Rota in Licien. Quarta Funeralium 15. Januarii 1518. apud Pasqual. *ibid. cit.* Lezz. *summ. quæst. reg. tom.* 3. *ver. Quarta funeralis num.* 6. Mirand. *loc. item cit. art.* 12. *& supponitur in Const. Expositum* 47. *Pauli V. Bullar. tomo* 3. ubi Parochis sub excommunicatione reservata interdicitur, ne ab eligentibus sepulturam in Ecclesiis Fratr. Min. exigant maiorem eleemosynam ea, quæ præscribitur à Trid. *cit.* ut Pius declaravit.

4 Verùm etiam in hoc est particularis locorum consuetudo servanda, quod significat Trid. *sess.* 25. *cap.* 13. *de reform.* per hæc: *Et eadem portione, quæ antea solebat*, & firmavit S. Congr. Conc. sub die 18. Julii 1699. in una Mantuana Quartæ Funeralis, quæ in favorem Regularium adversus ejusdem Civitatis Parochos rescripsit, ut infrà: *In casu, de quo agitur, servandam esse consuetudinem solvendi quartam in medietate cereorum tantùm, quæ deferuntur per viam.*

Debitum servandæ consuetudinis est in terminis æquitatis, quia ex multorum locorum praxi, pompa funeris celebratur intra Ecclesiam, & nihil ferè defertur cum corpore defuncti; unde si in præfatis, & de solis iis, quæ cum corpore deferuntur, esset quarta solvenda relevans præjudicium Parochi reportarent.

5 Et quamvis Piasec. *loco cit. par.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *sub num.* 60. quartam funeralem asserat deberi ex omnibus, dictum limitat, excipiendo candelas, quæ ad manus Fratrum dantur; addendo, præterquàm de quibus expressè in privilegiis exemptionum cavetur, ne de iis exigatur.

6 Propterea nequit à Fratribus Minoribus exigi de dd. candelis (etiam ubi est consuetudo, ut quarta ab eis solvatur) ex concessione ipsis facta a Sixto IV. *Const. Regimini* 6. *Mare Magnum* nuncupata, *Bull. Cherub. tom.* 1. ubi §. 6. habetur: *Nec similiter aliqua portio debeatur de his, quæ ad certos determinatos usus eisdem Fratribus, vel eorum domibus in genere, aut in specie, etiam de bonis eorum, quorum cadavera apud eos contigerit sepeliri; nec etiam in casibus, in quibus per ejusdem Clementis, & aliorum Prædecessorum nostrorum specialia privilegia Fratres ipsi ab hujusmodi solutione quartæ sunt exempti; nec aliquo casu de candelis, quæ ad manus Fratrum dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur.* Cum amplissimis derogatoriis Constitutionis Bonifacii VIII. *de una, & duobus dietis, & Super Cathedram, & Clementinæ Dudum, ac aliorum in contrarium facientium.* Videri etiam potest *Const.* Clementis IV. *Virtute conspicuos* 4. *ibid.* Non minoris amplitudinis privilegia idem Sixtus *Const. Regimini*, *la* 7. *ibid.* item *Mare Magnum* nominata, Sacro Prædicatorum Ordini elargitur.

7 Ut Regulares ad quartam teneantur, necessarium est, quòd Conventus, & Monasteria fuerint erecta quadraginta annis ante Concilium, & quòd totidem annis solvere consueverint. Quod patet ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 13. *de reform.* Ideò posteà erecta non tenentur, ex declaratione Pii V. *in d. Const. Et si Mendicantium*: *Quarta autem Funeralium, de qua sess.* 25. *cap.* 13. *nequaquam solvere teneantur Monasteria, quæ à quadraginta annis citrà fundata existunt; postquàm Concilium ipsum loquitur tantùm de Monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam solvere consueverant.*

8 Et pluries firmavit Sac. Congreg. Concilii, *Ut in una Pampilonen. lib.* 43. *positionum fol.* 825. *censuit cap.* 13. *sess.* 25. *non comprehendere Monasteria ædificata à quadraginta annis citrà, aut quæ in dies ædificantur, aut in futurum ædificabuntur, præsupposito, quòd hujusmodi Monasteria ejus sint Religionis, cui à Sede Apostolica indultum sit, ut quartam funeralem solvere non teneantur. Et in una Meliten.* 2. *Augusti* 1607. *lib.* 11. *Decret. fol.* 13. *à tergo*: Sac. Congreg. *censuit, si Religioni Sancti Francisci de Observantia ante quadraginta annos ante Concilium à Sede Apostolica indultum fuit, ut quartam hujusmodi solvere non teneatur, non teneri ad solvendam eam, hanc Ecclesiam post Concilium acquisitam, tametsi antequàm Religioni prædictæ acquireretur, eam solvere dicta Ecclesia consuevisset. Et in una Hieracen. lib.* 2. *Decret. fol.* 17. *& in una Nullius* 1625. *lib.* 12. *Decret. fol.* 203. *à tergo. Et in una Ausculana lib.* 30. *Decret. fol.* 503. 2. Septembris 1679. Et alibi sæpè.

Et die 17. Novembris 1673. Sac. Congr. Episcoporum, & Regularium *censuit, Monasteria, quamvis à quadraginta annis citrà ædificata, non teneri ad quartam Parochiali Ecclesiæ præstandam, si sint ejus Religioni, cui à Sede Apostostolica ante quadraginta annos indultum fuerit, ut quartam solvere non teneatur, &c. Contrafacientes pœnis, & censuris ab eorum Ordinariis, sibi benè visis, severè esse puniendos.*

Hinc colligitur, Tridentinum ex restrictione quartæ Parochis debitæ in casu quadragenariæ consuetudinis suprà ipsum legitimè præscriptæ, supponere adhuc subsistentia, & in viridi observantia privilegia Regularium exemptiva in cæteris casibus.

Imò, si per Concilium eadem in ordine ad quartam abrogata fuissent, inutilis foret sæpè à Sacra Congregatione Concilii adhibita, & repetita distinctio inter Conventus ante, & post Concilium erectos.

Dictio, *Ante*, posita in præallegato Concilii Decreto non significat annos quadraginta esse computandos supra ejus initium, sed supra ipsius publicationem, ut in causa Oritana die 27. Februarii 1649. S. Congr. Conc. respondit, *Nimirùm Patres Cœlestinos non teneri ad solutionem quartæ funeralis, ex privilegiis eisdem concessis supra quadraginta annos ante Concilium Tridentinum publicatum.* Et notat Antonell. *loc. cit. sub num.* 9.

9 In casu verò, quo Regulares ad quartam præstandam se non teneri substineant, Parochis probare incumbit quadragenariam consuetudinem, eosque quadraginta annis supra publicationem Concilii eam solvere consuevisse, ut in terminis respondit Sac. Congregatio Concilii in causa Minorum de Observantia Provinciæ Poloniæ 14. Novembris 1682. *lib.* 32. *Decret. fol.* 476. ubi ad quæsitum: *An ad Parochos, vel potiùs ad Superiores Regulares Conventuum spectet onus probandi quartam à controversis Conventibus solvi consuevisse, vel non, per quadraginta annos ante Concilium? Sac. Congreg. respondit: ad Parochum.*

Quia verò ad firmandum in casibus particularibus privilegium exemptivum à quarta, solet in Decretis S. Congr. Concilii apponi clausula restrictiva, ut: *Si Religioni ante annos quadraginta ante Concilium à Sede Apostolica indultum sit, vel præsupposito, quod sit ejus Religionis, cui sit indultum, ut quartam funeralem solvere non teneatur.* Ideò, ut constet, quibus id fuerit concessum, videri possunt, Casarubio *compend. privileg. verb. Canonica portio*, Mirand. *loc. cit. art.* 6. Rota in Lycien. *cit.* Peyrin. *de privileg. ad Const. unicam Pyrrhi* §. 12. *num.* 54. Et plura per extensum refert satis doctum Summarium Typis R. C. A. datum, & in allegata Mantuan. Quartæ Funeralis Sac. Congreg. Concilii per Regulares exhibitum.

10 Qua-

10 Quare Monasteria fundata post publicationem Concilii, vel intra 40. annos, computandos ab ejusdem initio, tenentur ad quartam, si fuerint Religionis, cui nunquam fuerit exemptio concessa, ut tenuit Rota in Posnanien. jur. Parochialium 5. Maii 1698. coram Priolo. Nisi subindè ad Concilium obtinuerit à Sede Apostolica privilegium directè concessum. Quia per communicationem privilegium non suffragatur, ut declaravit Sac. Congreg. Conc. in Ebredunen. 18. Junii 1660. *in resp. ad* 12. Monacell. *formular. par.* 2. *form.* 1. *tit.* 14. *num.* 14. & fuerit in indulto expresse derogatum *Clement. Dudum*, *de sepultur.* & non fuerit adjecta clausula, *Salva justitia Ecclesiarum Parochialium*; quia tunc quarta puæservatur Parocho.

11 Moniales, nisi adsit in contrarium consuetudo legitima, ad quartam solvendam non tenentur, ut pluries S.C.C. declarasse, & præsertim in una Albiganen. 16. Martii 1652. *ad cap.* 13. *sess.* 25. *de reform.* refert Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 381.

12 Si postquàm corpus fuerit sub sacra reconditum gleba, contingat ad diem sequentem funus transferri, majori pompa celebrandum, debetur Parocho quarta de intorticiis, & cereis, quæ occasione illius accenduntur. Et super hoc referri à Barbosa *de offic. & potest. Parochi cap.* 25. *num.* 38. Decretum S.C. Episcop. & Regul. sub 3. Augusti 1621. tradit Donat. *tract.* 11. q. 11. *num.* 2. quia præsumitur, quòd pompa fuerit in fraudem Parochi translata in sequentem diem.

Extende etiam ad casum, quo ob fœtorem cadaveris celebrari exequiæ eodem die non possent. Præsertim etiam quia pompa exequiarum, serò, & mane facta per Remigium Scrofa, in examine ejusdem Decreti, apud Donat. *cit.* una censetur.

13 Notandum, quòd Parochus, cui quarta funeralis debeat persolvi, ille esse debet, in cujus Ecclesia defunctus solebat Sacramenta recipere, & audire Divina, ex *cap. Cùm quis*, *de sepultur. in* 6. ubi notat Glossa, quòd habens duo domicilia in duabus Parochis, ad quæ se æqualiter transferat, adeò ut sex mensibus in uno, & totidem in altero habitet, si in tertia Ecclesia sepulturam eligat, solvenda portio, est inter præfatorum Parochos dividenda. Sicut per medium tradit esse solvendam eosdem, dum quis habens domum, quæ æqualiter ab binas spectat Parochias, in tertia sepeliatur.

Ita si dimissis Ecclesia Parochiali, & Ecclesia, in qua sepulti sunt sui majores, & in qua suisset ipse sepultus, si non elegisset in alia sepulturam, quis istam in alia Ecclesia eligat, portio canonica solvi debet Parochiali, & non ei, in qua est sepultura suorum majorum; quippè ex observatione Glossæ *loc. cit.* §. *notat.* 1. sepulchrum majorum quoad hoc non prefertur Ecclesiæ Parochiali; & portio solvitur in recompensationem laborum, quos sustinuit Rector Ecclesiæ Parochialis in celebrando Divina, & administrando Sacramenta ipsi defuncto.

CAPUT XLIII.

Officialis quoad Quæstas.

SUMMARIUM.

1 *Fideles prohiberi non possunt, quin Mendicantibus eleemosynas conferant.*
2 *Extra districtus Conventus non mendicant, ex Decreto S.C.E.*
3 *Cujus dispositio est generalis.*
4 *Regulares non tenentur petere ab Ordinariis licentiam; & quando teneantur eis ostendere illam Superiorum? lege Sac. Congr. Decreta, & ibi plura, usque ad num.* 8.
9 *Decreta Sac. Congr. Conc. habent vim legis generalis, ad* 10.

1 Religiosis, præsertim ex Mendicantium Ordinibus, licitum est mendicare, seu ex eleemosynis ostiatim collectis vivere; nec prohiberi possunt fideles, quin eas præfatis conferant, prout expressè text. *in cap. Nimis prava*, *de excess. Prælat.* idque impedientes, vel aliàs consulentes, censuris submittuntur à Sixto IV. in Constit. *Sacri*, *la* 19. *Bullar. tom.* 1. *Bulla aurea nuncupata*.

2 Verùm extra proprios Conventuum districtus præfatis quæstuare legitur interdictum à Sac. Cong. Episcop. & Regul. sub die 22. Junii 1674. dum partibus auditis: *Declaravit, & decrevit, ne imposterum præfatorum Ordinum* (Conventus scilicet

Observ. & Capuccin. in Regno Corsicæ) *proprios suos districtus ad quæstuandum egrediatur, sed intra suos limites se quisque contineat, ut ab his, quibus serviunt, sustentari faciliùs possint. Nec non, ut ubi plures inveniuntur Conventus in eodem districtu, inter eosdem ratio antiquitatis, ac fundationis rationabiliter habeatur; sicque omninò observari mandavit.*

3 Quæ dispositio ex rationis identitate, & inspecta ratione finali, ac regionis sterilitate, quas S.C. indubiè ponderavit, & ad evitandas lites, adeò faciliter inter Regularium quæstores, ipsasque Religiones enascentes, ad cætera loca extendi nullus est, qui non consideret.

4 Non tenentur petere ab Ordinario licentiam quæstuandi, prout fuit sub die 6. Octobris 1596. rescriptum Episcop. Casalen. ut infrà: *Non tenentur Regulares, qui ex institutione, aut facultate S. Apostol. eleemosynas quæritare, aut mendicare possunt, petere ab Ordinariis licentiam eleemosynas per diœcesim quærendi, cùm in erectione Monasteriorum eis licentia tacitè ab Ordinariis impertita censeatur*; & idem Collectori Portugalliæ, ut sequitur: *I Vescovi per la licenza di cercar limosine non devono haver cosa alcuna, ancorche minima, e così i loro Officiali. I Mendicanti non hanno bisogno di simil licenza, la quale si presume data loro per sempre, quando fù loro permesso, che havessero Monastero nella diocesi*, Pignatell. *tom.8. consult.12.*

5 Neque debent suorum Superiorum licentiam Ordinario exhibere, dum eleemosynas quærunt in locis, ubi existunt Conventus; benè verò, si eas velint colligere extra ipsa; prout in terminis S.C. Conc. apud Piasec. *prax. Episc. par.2. cap.3. artic. 6. num. 50. An ut quæstores arceantur, possint Ordinarii facultatum à Superioribus Regularium eleemosynæ quærendæ concessarum aliquam cognitionem, & qualem habere? Congr. censuit, ex Concilio non prohiberi Regulares, quominùs eleemosynas quærant, non tamen alios eorum nomine, & authoritate quoquomodo posse quæritare; illos tamen extra locum, ubi sita sunt Monasteria, eleemosynas per eamdem diœcesim corrogantes, teneri ad ostendendam Ordinario licentiam suorum Superiorum.* Similem declarationem de anno 1621. referunt Sperell. *decis. 38. num. 27.* & Lantusca *ver. Eleemosyna num. 1.* tenoris infrascripti: *Sac. Congr. Card. Conc. Trident. interpretum censuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominùs per se ipsos in diœcesibus, ubi habent Conventus, eleemosynas quærant; sed tantùm, si extra loca, ubi Monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri Superiorum licentiam Ordinario ostendere.*

6 Cùm verò extra diœcesim, in qua erecta sunt Monasteria, quæritare intendunt, consensum debent ab Ordinario obtinere; super quo Fagnanus *in 5. cap. Tuarum n.3. de privil.* refert aliàs S.Congr. Concilii declarasse. *Fratres Mendicantes non posse quidem ab Episcopis prohiberi, quominùs per se ipsos in diœcesibus, ubi habent Conventus, eleemosynam quærant; sed tantùm si extra loca, ubi Monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere; at si extra diœcesim, teneri etiam illius consensum obtinere*; & ex eo idem integrè refert Pignatell. *cit. num. 19.*

7 Non est dubium, posse Episcopos immodicas quæstuationes impedire, per text. *in Clement. Abusionibus, de pœnit. & remiss.* Unde dixit Piasecus *ubi sup.* Regulares delinquentes circa quæstuationem posse ab Episcopo puniri. Addit ibidem Sperellus, posse Episcopos, ut fraudes in quæstuatione vitentur, mandare, ne quis Religiosus eleemosynam quærat, nisi priùs licentiam Superiorum exhibeat, & per eos recognoscatur. Quod quidem quantum ad exteros à loco, & habentes extra ipsum Conventum, est juxtà dispositionem Decreti postremò loco allegati. Ut hac via impediant, ne gravamen recipiant Regulares loci, qui in ejusdem populi, & animarum servitio occupant.

8 Quinimò idem præceptum possunt facere Regularibus ejusdem loci, non ut eos eleemosynas quærere impediant, sed ut provideant, ne fraudes committantur. Sæpè enim fit, quòd Regulares privilegio Mendicantium gaudentes, & bona in communi possidentes, qui commodè ex solitis redditibus vivere possunt, privilegio Mendicantium fraude abutantur, subtrahendo eleemosynas Regularibus, quibus vera mendicitas, & eleemosynæ dietim acquisitæ necessariam præbent

bent sustentationem, prout post Genuen. *prax. cap.* 57. *num.* 11. tenet Donat. *prax. tom.* 1. *tract.* 13. *q.* 32. *num.* 15. Monacell. *form. part.* 1. *form.* 4. *tit.* 6. *num.* 8. Unde Decretum *num.* 4. relatum procedit, dum non concurrit suspicio fraudis. Siquidem pauperum, & Monasteriorum protectio est propria Episcoporum, qui tenentur ea tueri, & defendere, *cap. Pervenit, c. Nuntiatum* 84. *dist.*

9 Hic advertendum, quòd declarationes Sac. Congr. Concilii in materia tum concernente quæstas, tum respiciente alia negotia, habent vim obligandi pro utroque foro, non solùm quoad personas, ad quarum instantiam emanarunt, vel in illo particulari casu; sed sunt leges generales in similibus omnibus, ut dixit Fagnan. *in* 1. *ad cap. Quoniam, de const. num.* 71. & Rota Romana pensionis 15. Martii 1694. coram Priolo. Nam ea est anima legis, ut comprehendat omnes similes casus. Tunc enim perindè est, ac si Patres à principio rem declarassent. Consequenter sunt in simili materia generaliter observandæ; cùm Decreta Concilii, quæ generaliter ligant omnes, habeant semper in ventre sensum, aut intellectum illum, quos S. Congreg. sua declaratione manifestat, ut magistraliter Fagnan. *ibid.*

10 Quando Sac. Congr. censet suam declarationem non posse aptari, nisi casui proposito, solet rescribere: *Negativè, vel affirmativè in casu, de quo agitur; vel ex deductis non constare; vel attentis &c. non indigere &c. vel negativè, prout jacet.*

CAPUT XLIV.

Officialis quoad redditus Ecclesiasticos.

SUMMARIUM.

1 *Bona Clericorum triplicis generis*, patrimonialia, quasi patrimonialia, & beneficialia; *& quæ sint?*
2 *Beneficiati non sunt domini reddituum beneficiorum.*
3 *Contraria sententia est communior, & vera.*
4 *Quid sint præstimonia?*
5 *Non tenentur ex justitia eleemosynas facere, benè verò ex lege charitatis.*
6 *Superflua reddituum illicitè in profanos usus impenduntur, usque ad num.* 9.
10 *Beneficiati habentes sufficiens patrimonium possunt licitè vivere de fructibus beneficii.*
11 *Trium temporum distinctio, in quibus considerantur bona Ecclesiastica.*
12 *Quid importet congrua sustentatio?*
13 *Quid sit Ecclesiasticis erga consanguineos prohibitum?*
14 *Beneficia Ecclesiastica instituta non sunt ad conservandas dignitates sæculares.*
15 *Nomine piarum causarum quid veniat?*
16 *An accipientes à Clericis superflua beneficiorum, peccent?*
17 *Empta ex superfluis beneficiorum non transeunt ad hæredes, sed spectant ad Ecclesiam.*
18 *An Religiosus assumptus ad Episcopatum sit reddituum beneficialium dominus?*
19 *In quo differant fructus beneficii à distributionibus quotidianis.*
20 *Beneficiati, ut fructus beneficii percipiant, debent personaliter residere.*
21 *Quando beneficiati absentes lucrentur distributiones, usque ad num.* 33.
34 *Recipientes distributiones in casibus à jure prohibitis tenentur ad restitutionem, usque ad num.* 39.

Bona Clericorum sunt, *vel patrimonialia, vel quasi; vel beneficialia*: *Patrimonialia* dicuntur, quæ Clerici possident hæreditate, successione, donatione, contractu, vel industria, similive ratione, non aliter, ac si non essent Clerici, sed laici: *Quasi patrimonialia* sunt, quæ Clerici acquirunt non ratione beneficii Ecclesiastici, sed quæ à fidelibus offeruntur, non ipsi Ecclesiæ approprianda, sed particulariter ipsis Ministris, tamquam operis personalis stipendium; putà ob functiones Ecclesiasticas, clebrationem Missarum, Sacramentorum administrationem, funeralia, pro concionibus, pro officio Vicarii, &c. Bona verò *beneficialia*, seu Ecclesiastica dicuntur, quæ secundùm suam originem ad ipsam Ecclesiam spectant, ipsique Ec-

clesiæ à fidelibus primitùs oblata, & incorporata sunt, ac deputata pro Clericis in beneficium, seu ad congruam eorum sustentationem, ob spirituale obsequium, & servitium ab eis præstandum, juxtà commune axioma, quòd *beneficium datur propter officium*, *cap. Quia de rescript.*

Modò DD. concordant. I. Clericos plenum jus, & dominium habere in bona patrimonialia, posseque de illis venditione, donatione, & per testamentum liberè disponere, *cap. Quia nos, de testam.* sine præjudicio justitiæ, aut alieni juris; non minùs, ac ipsi laici valent sua patrimonialia aliis donare, vel alienare. Cæterùm bona, etiam patrimonialia, seu ad quorum titulum est quis ad Sacros Ordines promotus (& propterea patrimonium dicta) alienare prohibetur absque licentia Episcopi, per Trid. *sess. 21. cap. 2. de reform.*

II. Conveniunt, Clericos esse veros dominos bonorum quasi patrimonialium; nam hæc æquiparantur patrimonialibus. Nec Ministri Ecclesiastici, dum propter Ecclesiasticas functiones stipendia à fidelibus recipiunt, debent esse deterioris conditionis, quàm alii Officiales, Judex, Prætor, Consiliarius Campanarius, &c. sed isti omnes plenum, & absolutum dominium acquirunt in stipendiis sibi ob ministeria datis; adeòque & Clerici, quibus etiam aptatur illud, 1. ad Timoth. 5. *Dignus est operarius mercede sua.* Ideò de illis disponere liberè possunt; adeòque & testari, & si ab intestato decedant, ad suos hæredes transeunt.

2 Sed variant quoad tertii generis bona. Quorundam sententia est, Clericos beneficiatos non acquirere dominium reddituum Ecclesiasticorum, sed esse solùm administratores, & dispensatores. Ita Navarr. *tract. de redditib. quæst. 2.* Parnormitanus, & Sylvest. Quod probant ex *cap. Episcopi 12. quæst. 1.* ibi: *Quidquid vero de provisione suæ Ecclesiæ fuerit de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesiæ reservare censuimus*; & aliis pluribus firmant.

Cajetanus dixit, Clericos esse veros dominos redditum beneficii quoad portionem suæ sustentationi necessariam; quoad excessum verò esse solùm dispensatores. Allegatur Ambrosius *in cap. Sicut hi, 47. dist.* & concordat *cap. Quatuor, & cap. redditib. 12. quæst. 2.*

Et inde dicti Authores concludunt. Episcopos, Clericosque beneficiatos teneri ex justitia redditus superfluos beneficiorum pauperibus erogare, vel in alios pios usus expendere, adeò ut, si in prophanos usus convertant, mortaliter peccent contra iustitiam, & ad restitutionem teneantur, invalidèque recipiantur ab iis, quibus per eos conferuntur.

3 Sed communior sententiam in praxi est, beneficiatos verum, & legitimum dominium habere de omnibus redditibus Ecclesiasticis, quos ex beneficiis percipiunt, posseque de illis in vita validè disponere, quamvis prohibeantur in morte de eisdem testari. Ita Fagnan. *in 3. ad cap. Si quis sanè, de pecul. Cleric.* Pirringh. *in compend. lib. 3. tit. 25. §. 2. & 3.* aliique plures, quos sequimur. De hoc enim clarissimè constat ex Triden. *sess. 23. cap. 1. de reform.* ubi statutum est, non residentes in suis Ecclesiis, nisi ex causis justis, pro rata temporis *absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse.* Et *sess. 24. cap. 12. de reform.* præscribitur, quòd provisi de beneficiis curam animarum habentibus & Canonicatibus, ac Dignitatibus, si non faciant professionem fidei intra duos menses à die adeptæ possessionis, *non faciat fructus suos*. Et si quolibet anno abfuerint ultrà tres menses: *primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos*; secunda vice, *privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit.* Supponit ergo Concilium, quòd si fecerint professionem, & non abfuerint, fructus suos faciant, adeòque dominium acquirant; quia non res alienas, sed proprias dominium respicit.

Idque confirmat dispositio Beati Pii V. *in Const. Et proximo 135. Bullar. tom. 2.* in qua declaratur: *Beneficiatum cum cura, vel sine, legitimo cessante impedimento, non recitantem Officium, beneficii fructus pro rata omissionis, & temporis, suos non facere.* Per quæ clarè à contrario sensu significatur, quòd beneficiati quicumque fructus suos faciant, si Officium Divinum recitent, & suo muneri satisfaciant.

Nec

Nec dicatur, Concilium, & Pontificem loqui de fructibus necessariis sustentationi, & quòd de istis sint privandi, non verò de superfluis, quorum non domini, sed administratores sunt. Nam hujusmodi interpretatio non congruit menti Pontificis, & verbis Concilii; siquidem absolutè, & sine distinctione loquuntur; affirmantque simpliciter facere *fructus suos*; quod est commune ad necessarios, & superfluos.

4 Quæ procedunt etiam quoad fructus provenientes ex præstimoniis, ex dict. Constit. Pii. Sunt autem præstimonia, quasi pensiones quædam à pinguibus beneficiis separatæ pro sustentatione pauperum Clericorum, ut in Clericatu proficiant. A pensionibus distinguuntur, quia præstimonia non sunt personalia, & vitalia, ut pensiones, sed perpetua. Et hinc non extinguuntur per mortem ea habentium, sed per Prælatum Ecclesiasticum aliis concedi possunt.

Et locum item habent, quantum ad fructus, qui ex Ecclesiasticis pensionibus percipiuntur. Nam pensionarii ex dict. Const. tenentur recitare Officium B. V. M. Proindè si id omittant, fructus suos non faciunt, iuxtà taxam in dicta Const. præfixam.

5 Ex quibus sequitur, beneficiatos ex redditibus beneficiorum posse pro se, & suis necessaria capere; sed superfluum, ac ex illis residuum teneri in pauperes, vel pias causas erogare, adeò ut si contrafaciant, peccent mortaliter contra charitatem, non contra iustitiam, nec cum debito restitutionis. Unde habent dominium, sed restrictum, & coarctatum.

6 Cæterùm, dicta obligatio non est ex sola charitatis virtute, sed etiam ex lege positiva Ecclesiæ expressa in Jure Canonico, & Triden. Quinimò, ne superflua expendantur in prophanos usus, est obligatio juris naturalis ex virtute Religionis; cùm indecens ex natura rei appareat, quòd in usus prophanos, & non pios impendantur bona, quæ sunt Dei (ut sunt Ecclesiastica, per Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. *de reform.*) & in Dei cultum à fidelibus oblata. Et hæc est principalis turpitudo hujus actionis, quòd beneficiatus tanquam Dei procurator non expendat benè iuxta veri domini intentionem.

Dices primò, Ecclesiastici prohibentur testari de redditibus beneficiorum, dicto *cap. Quia nos*, atque adeò non sunt domini.

7. Resp. Prohibentur quidem, sed non ex defectu domini; sed ex lege Ecclesiæ, ad reprimendam eorum cupiditatem in ordine ad ditandos parentes; & ut in vita faciliores sint ad erogandas eleemosynas, scientes se in morte non posse validè testari. Etiam impubes non possunt de suis bonis testari, & tamen sunt eorum domini.

Dices II. Ergo possent licitè disponere de illis bonis, ut vellent, & non tenerentur specialiter dare pauperibus.

8 Resp. negando consequentiam. Nam nec domini sæculares possunt licitè sua bona prodigere; licèt validè possent, quantum ad hoc, quòd non tenerentur ad restitutionem. Item, dictum est, in Clericis esse debitum ad impendendum superfluum reddituum in pios usus.

9 Quæritur. An beneficiati possidentes sufficiens patrimonium possint licitè vivere de fructibus beneficii, patrimonio in alios usus reservato?

Resp. affirmativè cum Fagnan. *cit. n.* 6. & Engel. *Colleg. Jur. Canonic. lib.* 3. *tit.* 25. *num.* 8. ut certum statuentibus, Episcopos, Clericosque habentes patrimonium, posse de proventibus Ecclesiæ vivere, & patrimonium cum fructibus servare, quibus volunt. Ad quod facit textus *in cap. Extirpandæ, de præbend.* ibi: *Qui Altari servit, de Altari vivere debet, cùm nemo cogatur suis stipendiis militare;* & in *cap. Cùm ex offic.* §. *Nos igitur, de præscript. Nec denario fraudari debent in vinea domini operantes*; *cap. Clerici* 1. *quæst.* 2. ibi: *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum, per ordinationem Canonum à Sacerdotibus consequantur.* In quo est ponderandum.

I. illud *Omnes*, includit tam pauperes, quàm divites, ut ibi notarunt DD. aliàs ad quid Canon dixisset, *Omnes*?

II. Considerandа est hæc clausula: *Stipendia suis laboribus debita*, per quæ significatur esse danda stipendia Clericis, non propter indigentiam, sed ob labores, quos sustinent. Et hæc sanè ratio verificabilis est tam in divitibus, quàm in pauperibus.

III. Observandum dici secundum servitii sui meritum, non autem secundùm indigentiæ qualitatem.

10 Et confirmat text. *in dicto c. Quia nos, de testam.* ubi resolutio est, posse Clericos testari de bonis propriis, vel acquisitis intuitu personæ, non verò de perceptis consideratione Ecclesiæ. Ponamus modò; Clericum donasse fructus patrimonii, vel servare velle ad diem sui obitus; certè inde sequitur, ut de fructibus beneficii sit alendus; propterea dixit Innoc. *in cap. Episcopus, num. 1. de præbend.* Non credimus, quòd qui habet beneficium, vivere debeat de patrimonio, sed de Altari.

11 Possunt jura, quæ in contrarium adducuntur, ad concordiam cum allegatis reduci per trium temporum distinctionem, prout sequitur.

Primum tempus fuit, quando Christiani omnes, sive Clerici, sive laici, initio nascentis Ecclesiæ pretia rerum ponebant ad pedes Apostolorum, & vivebant in communi. In quo & Clerici nihil proprii habebant, sed de bonis communibus vivebant, *cap. Duo sunt, cap. Quia tua, & cap. Certè 12. q. 1.*

Secundum tempus successit, in quo Apostoli videntes utilius fore, ut prædia oblata conservarentur Ecclesiis Cathedralibus, ut ex eorum fructibus posset omnibus indigentibus subveniri, statuerunt, ut bona huiusmodi non venderentur, sed conservarentur, & Episcopus haberet potestatem ea dispensandi, prout unicuique opus esset, ut expresè legitur *in c. Videntes; dict. caus. & quæst.* redditusque Ecclesiæ in quatuor partes dividebantur, iuxtà *d. cap. Quatuor, & cap. De redditibus.* Pro hoc tempore emanarunt jura nostris contraria, in quibus dispositum fuit, ut Clerici clam contra vestigia Apostolorum habentes proprium (adhuc etiam videbatur illicitum, *d. cap. Certè, ibid.*) nullo modo participarent de redditibus Ecclesiæ, etiamsi servirent, sed reservarentur pro subsidio indigentium, ut *d. cap. Sacerdos.*

Tertium tempus fuit cùm Clerici, licitè, & omni scandalo cessante, cœperunt bona propria possidere, & Ecclesiæ dotari, principaliter pro eorum Ministris, *cap. Nemo, de consecr. distin. 1. cap. Pastoralis, de iis, quæ fiunt, &c.* Itemque pro Clericis fuerunt erecti tituli beneficiales, *cap. Omnes, 22. distin.* Pro hoc tempore fuit constitutum, quòd Clerici possent licitè vivere de redditibus beneficiorum, & bona patrimonialia suis hæredibus relinquere.

Per quæ concludentissimè remanet probatus articulus, quòd Clerici, etiam habentes proprium patrimonium, possint licitè de redditibus beneficii honestam, & congruam sustentationem accipere, Fagn. *cit. num.* 14.

12 Sed petitur, quid sub congrua sustentatione comprehendatur.

Resp. Congrua sustentatio non est ad strictam vivendi rationem arctanda, sed considerari etiam debet status, dignitas, & conditio personæ. Plus enim pro honesta sustentatione competit Episcopo, quàm Decano: & huic, quàm simplici beneficiato. Ita cum Innocentius III. *in c. Cùm de multa, de præbend.* prohibuisset pluralitatem beneficiorum, in fine dixit: *Circa sublimes tamen, & litteratas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari*; & Joan. XXII. *cap. Execrabilis, eod. tit. int. com.* Cardinales, & filios Regum excipit à prohibitione retentionis plurium beneficiorum incompatibilium. Quia ipsi eminentiæ dignitatis convenit familiares apud se habere claros, non sordidos, vel obscuros; prout solent Pontifices exprimere in litteris, quibus Cardinalium fidei Abbatias commendant, ibi: *Tibi, ut tuum statum iuxta Cardinalatus sublimitatem, decentiùs tenere, & expensarum onera, quæ te iugiter de necessitate subire oportet, faciliùs perferre valeas, &c.*

13 Potest itaque beneficiatus pro se usque ad decentiam status sumere de redditibus Ecclesiæ; consanguineis verò potest dare tanquam pauperibus, ut non indigeant, D. Thom. *2. 2. quæst. 185. art. 7. ad 2.* legendum Tridentinum *sess. 25. cap. 1. de reform.*

14 Sed quid? filius Regis eligitur Cardinalis, vel Princeps natus Episcopus, & Comes in aliqua Ecclesia Canonicus, in qua simplices Nobiles, vel Doctores in Theologia locum etiam habent; poteruntne ex beneficio accipere totam congruam sustentationem juxta conditionem

nem Beneficii, cum aliquo tamen moderato excessu super alios Beneficiatos inferioris Dignitatis?

Resp. Vel talis Princeps aliunde non habet ad sustentandum statum suum juxta conditionem personæ, vel habet? Si non habet, potest ex Beneficio accipere, quantum ad id necesse est, intra limites tamen decentiæ status Ecclesiastici, & absq; abusu eorum, quæ sunt pauperum. Non enim poterit tantum ex bonis Ecclesiasticis insumere in sui sustentationem, quantum posset ex boni sæcularibus. Siquidem alia sustentatio decet Principem, vel Comitem sæcularem; aliaque, & moderatior Ecclesiasticum. Si verò habet, ex Beneficio non poterit sumere, nisi quantum sufficit ad congruam sustentationem, juxta conditionem Beneficii, instar aliorum, sed cum moderato excessu. Ratio redditur à Lugo *disp*.4. *de just. sect*.4. *num*. 61. quia Beneficia Ecclesiastica constituta non sunt ad sustinendas dignitates sæculares, & prætextu, ut tales parcant suis patrimonialibus facultatibus, easque in alias vanitates extendant nocivum enim foret Ecclesiæ alere Ministros adeò onerosos, & iis pro ministerio cæteris communi tam excessivum stipendium tribuere.

Sed quid etiam, si Beneficium sit ita tenue, ut, congrua sustentatione detracta, nil supersit ad erogandum in pias causas; an fructus Beneficii sint dividendi?

Dicendum, quòd omnes, quibus sunt Beneficia commendata, cavere debent, ne Ecclesiæ Beneficiorum decentibus supellectilibus egeant sed pro viribus debent Sponsæ providere, juxta *Const. Leonis X. Supernæ 7. §.10. Bull. tom.1*. Sperellus *dec. 67. n.4* quem sequitur Monacell. *for. p.2. form. 1. nu.28. tit.15.* tradit, onus Beneficiati esse reparationem Ecclesiæ: ad quam de jure ab Episcopi cogi potest, etiam nulla facta deductione congruæ alimentariæ; quia tunc necessaria ad vitam deducuntur, cùm Beneficium est residentiale (ex quo enim non serviat Altari, cessat ratio, ex qua, etiam in casu fabricæ detrahenda sint alimenta) vel, si Beneficiatus alimenta non potest habere aliunde; in casu etiam non residens debet habere ex Beneficio, ne cum dedecore Clericatus cogatur mendicare: & ibidem Monacellus refert, Sac. Congr. Concil. in Narnien. 24. Maji 1657. ad 4. dubium respondisse: *posse* (Episcopum, in cujus Diœcesi Beneficia erecta reparatione indigent) *ad effectum prædictæ restaurationis, necnon pro conficiendis sacris Supellectilibus, redditus eorundem Beneficiorum sequestrare*.

15 Advertas, nomine piarum causarum, in quas superflua Beneficii expendenda sunt, venire omnia pia opera, Fagnan. *d. cap. Si quis num*. 22. Ita, ad pias causas rectè distribui dicuntur, quæ insumuntur in usum Religiosorum, in fundandas Capellanias, in erectionem, vel conservationem Seminarii, & generaliter in ea omnia, quæ ad Divinum Cultum, vel ad opera misericordiæ corporalis, aut spiritualis alterius ordinantur.

16 Quæritur. An accipientes à Clericis superflua ex redditibus beneficii non expensa in pios usus peccent.

Resp. Non peccant, nisi ad donandum, vel alienandum incitent, & inducant. Nam in hoc casu sunt causa peccati in Clericis. Sed non tenentur restituere, quia validè accipiunt; nam juxta dicta Beneficiati habent plenum dominium fructuum, adeòque in vita possunt de eis disponere sine alterius iniuria. Unde Beneficiati in vita æquiparantur usufructuariis, & in morte usuariis, quia nequeunt de bonis Ecclesiæ testari, nisi eis assistat indultum Papæ.

17 Quæritur. Beneficiatus ex redditibus Beneficii emit agros, vineas, & domum, petitur, an de iis possit testari, & ad hæredes transeant?

Resp. Negativè, per text. *in d. c. Si quis sanè, de pecul. Cler.* sed spectant ad Ecclesiam, quia ex fructibus Ecclesiæ empta. Aliàs, si emptoris essent, facilè eluderetur obligatio distribuendi superflua ad pias causas; nam omnes ex superfluis emerent fundos, & prædia.

Cæterùm, si Beneficiatus haberet amplum patrimonium, & tenue Beneficium, & aliquid emeret, præsumptio esset, quòd spectaret ad Beneficiatum, eiusque hæredes, tamquam ex fructibus patrimonialibus acquisitum; nisi constaret fuisse ab eo emptum animo donandi Ecclesiæ, vel nomine Ecclesiæ.

Pariter meliorationes factæ in fundis Ecclesiæ ex fructibus Beneficii, ad Ecclesiam spectant, & solùm eis Beneficiatus uti potest;

test, dum vivit; si verò sint factæ ex fructibus patrimonialibus, debent æstimari, & pretium dictæ æstimationis transit in hæredes; nisi constet fuisse factas animo donandi Ecclesiæ.

18 Quæritur. An Religiosus ad Episcopatum assumptus (sit dominus fructuum Beneficii?

Resp. Negativè. Sed est dumtaxat administrator, cum D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. D. Bonavent. in 4. *d.* 36. Peyrin. *de sub. qu.* 1. *cap.* 10. §. *unic.* Apud quem plures concordant, Regularem per promotionem ad Episcopatum non desinere esse Religiosum, ut notavit Gl. *ad c. Quorundam in v. Mendicantium*, *de elect. in* 6. & tenetur ad ea, prout status ille patitur, quę sunt substantialia Regulæ.

Verum ampliùs non acquireret Religioni, sed propriæ Ecclesiæ. Quapropter licèt votum paupertatis substantialiter retineret, tamen non dicerentur bona alienata in præiudicium Monasterii, cuius fuit filius, sed Mensæ: atque ita ius, quod per promotionem recuperat succedendi in bonis agnatorum delatis post assumptionem, non pertinet ad Monasterium, sed ad Cathedram, ut respondit Sac. Congregat. Concil. in Neapolitana 3. Decembris 1639 apud Monacell. *for. par.* 2. *form.* 4. *tit.* 14. *num.* 17.

Verba textus *in cap. Statutum* 18. *qu.* 1. ibi: *Canonica electio à jugo regulæ Monasticæ professionis absolvit*; exponit Glos. *ibid. in verb. Absolvit*, de absolutione ab obedientia Abbatis, silentio, modo cantandi, vigiliis, & similibus, quæ cum decenti Episcopatus statu non compatiuntur.

Hoc unum est observandum, quòd licèt sit dominus, sive liber administrator, mortaliter peccat, si superflua in pios usus non expendat, ut loquitur Tambur. *tom.* 1. *lib.* 8. *tractat.* 1. *cap.* 2. §. 4. *num.* 1. vid. Fagnan. *in* 3. *ad cap. Ad audientiam*, *de Cleric. non residen.*

20 Quæritur. An obtinentes Beneficia, ut Dignitates, Canonicatus, præbendas, vel portiones in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis, teneantur in eis personaliter residere, ut percipiant fructus Beneficiorum; vel possint eos percipere, etiamsi ultra tres menses absentes sint?

Est præmittendum, fructus Beneficii in hoc differre à distributionibus quotidianis, quòd fructus sint redditus certi, ipsum corpus præbendæ constituentes; & aliàs dicuntur *fructus grossi*, *vel massæ communis*: qui dantur residentibus, non habita ratione servitii quotidiani. Distributiones verò quotidianæ sunt emolumenta ad corpus præbendæ non pertinentia, & dividuntur, ac distribuuntur pro rata servitii inter eos tantùm, qui horis Canonicis intersunt, per text. *in cap. Postulasti*, *de præbend. int. com.* §. *Licet*. Quandoque *victualia*, & aliquando *manualia* Beneficia appellantur, *cap. Consuetudinem*, *de Cler. non resid. in* 6. quatenùs traduntur de manu ad manum illis tantùm, qui singulis diebus, & horis personaliter intersunt: sicut fit pluribus in locis, ut meliùs Ecclesiæ serviatur. Super quo Fagnan. in 3. *ad cap. Licet num.* 17. *de præbend. & in* 3. *ad c. Olim num.* 42. *de verb. signific.*

Modò ad dubium, dicimus, Beneficiatos debere personaliter residere, ut fructus Beneficii percipiant, per text. *in c. Inter quatuor*, *&c. Clericos*, *de Cler. non resident. & cap. Pervenit il* 2. *de appellat.* Et verbum *residere*, accipiendum est cum effectu, hoc est, ut importat Ecclesiæ in Divinis Officiis deservire, *c. Relatum de Cler. non resident.* Nam cum Beneficia ad Divinum Cultum, & Ecclesiastica munia obeunda sint constituta, *c. Cùm ad hoc d. tit.* & Trid. *c.* 3. *sess.* 21. *de refor.* quid prodesset præsentia in loco sine interessentia Divinis Officiis? Et ita intellexit residentiam Sac. Congr. Conc. A qua cùm esset quæsitum, an verba posita in *c.* 12. *sess.* 24. *de refor.* §. *Præterea*, *prohibeant*, *ne Beneficiati absint à Choro*, *vel tantùm*, *ne à Civitate*? Ipsa censuit: *Prohibere*, *ne absint à Choro*, Fagnan. *ad d. c. Licèt num.* 41. quia Concilium *d. c.* 12 dixit: *Non licet ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse*; & non dixit à loco, vel Civitates.

21 Cæterùm licèt absentes percipere non possint fructus præbendarum, hoc tamen non ita intelligitur, ut eo ipso jure perdant; sed accipiendum; ut privandi sint, ad præscriptum Triden. *dict.* §. *Præterea cap.* 24. ubi PP. firmarunt, quod absentes ultra tempus ibi permissum (nimirum ultra tres menses) primo anno *priventur dimidia parte fructuum*. Quòd *si iterùm eadem fuerint usi negligentia*, *priventur omnibus fructibus*, *quos eodem anno lucrati fue-*

ti fuerint, *Crescente verò contumacia*, *contra eos juxta Sacrorum Canonum constitutiones procedatur*, hoc est ad privationem tituli.

22 Hinc post Trid. Beneficiatus non potest titulo privari, nisi post lapsum trium annorum, ut ipsa S. Congr. Conc. declaravit apud Fagnan. *cit. num.* 26. in primo anno non residens amittit dimidiam, in secundo omnes fructus, in tertio privatur titulo; & ita rescriptum fuit pluribus Episcopis. Et secundùm hoc correcta sunt antiqua iura in *d. c. Pervenit*, *de appellat.* Et cùm simus in odiosis, & pœnalibus, oportet dictos tres annos debere esse continuos, & non interpolatos. Legatur Fagnan. in 3. *ad c. De cætero, de Cler. non resident.* qui fuso calamo rem examinat, & *d. c. Licèt*.

23 Quæritur. An Beneficiati absentes lucrentur distributiones quotidianas, quæ juxta *d. n.* 20. distribuuntur interessentibus Divinis Officiis?

Resp. Resolutio habetur ex d. cap. Trid. ibi *Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit, Consuetudinem, quod sancta Synodus in usum revocat: non obstantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus*. Vid. etiam *sess.* 22. *c.* 3. *de reform.* & ibi Barbos. *n.* 5. Fagnan. *d. cap. Licèt*, multa quoad hoc notavit, ideò videatur.

24 Cæterùm in dicta Constit. Bonifacii tres casus excipiuntur. I. *Infirmitas*. II. *Justa, & rationabilis corporis necessitas*. III. *Evidens Ecclesiæ utilitas*. In eis, etiam non interessentes, distributiones acquirunt. Quantùm ad infirmos, isti eas lucrantur, perinde ac si inservirent: juris enim interpretatione habentur pro interessentibus, & ex sententia S. C. C. percipere etiam debent portionem accrescentem ob absentiam nonnullorum absque legitimo impedimento à Choro, Fagnan. *ad cap. Licèt*, *num.* 19. *& c. Cùm percussio*, *de Cler. ægrot. in fin.*

25 Quod procedit, etiam in laborante podagra, qui tempore infirmitatis Divinis non potest interesse. Item in cæco, qui sicut non tenetur horas Canonicas recitare, ita nec Choro interesse. Item in senio confectis; & in eo, qui absque periculo vitæ Divinis interesse non potest, per Fagnan. *ad c. Licèt*, *num.* 41. *& seq.* Item, in iniustè excommunicato, & iniustè Beneficio privato, ibid. *num.* 157.

26 Verùm, quæ de infirmo dicta sunt, locum habent, modò Canonicus infirmus, dum integra valetudine uteretur, solitus esset Divinis interesse; aliàs quotidianas distributiones non lucratur, quia morbus non est causa non residendi in eo, qui etiam sanus non resedisset, *cit. n.* 148.

27 Item, lucratur *ex rationabili, & justa corporis necessitate* impeditus, ut si Beneficiatus potionem, vel medicinam sumpsit. Item, si iniustè in carceribus detineatur, ex Decreto S. Congr. apud Fagnan. *ad d. c. Licèt*, *num.* 152. *&* 153.

28 Pariter ad acquirendum sufficit *evidens Ecclesiæ utilitas*, sed non cuiuscumque Ecclesiæ, sed in specie illius Ecclesiæ, de cuius distributionibus quæritur, ut dixit Joan. Andr. *in d. cap. num.* 3. & potest eum Fagnan. *cit. num.* 160.

29 Ad huius tertii casus intellectum plures emanarunt S. Congr. Conc. declarationes. I. Orta dubitatione: *An Archipresbytero Cathedralis absenti propter servitium curæ animarum, distributiones quotidianæ debeantur*? S. C. *censuit deberi*, *cap.* 4. Triden. *sess.* 22. *de reform.*

30 Cùm quæsitum ab eadem fuisset: *An habeantur tanquam præsentes in Choro, qui curam animarum exercent, imminentem Ecclesiæ Cathedrali*? Respondit haberi, *dum tamen sunt in actu administrandi Sacramenta, vel alia exercent, quæ spectant ad ipsam Curam*. Et aliàs responsum fuit: *Obtinentes dignitates, quibus imminet cura animarum, lucrari distributiones, dummodo per se ipsos curam actu exerceant*.

31 III. Cùm item ab ipsa peteretur: *An Pœnitentiarius sit habendus pro præsente in Choro, dum audit Confessiones in Ecclesia, sive in Confessionario, sive extra*? Respondit: *Habendum pro præsente, eo tempore, quo audit Confessiones, aliis in Choro Divina celebrantibus*, Fagnan. *d. cap. Licèt*, *num.* 170.

32 Item, obtinentes Præbendas Theologales, in diebus, quibus legunt, distributiones quotidianas lucrantur quia diebus illis habendi sunt, sicut præsentes in Choro, & interessentes; & ita esse declaratum à Greg. XIII. idem refert *ibid.* 116.

33 Quæritur. Ad quid teneatur, qui extra

extra casus, vel absque Indulto Apostolico, per quod etiam in absentia habilitetur ad quotidianas distributiones, eas receperit?

Respond. Tenetur eas restituere; nam ipsarum dominium non acquirit, nec facit suas, ut expresse Bonif. *dict. cap. Consuetudinem*.

34 Quæritur. An Beneficiatus possessor malæ fidei teneatur restituere distributiones quotidianas, quas residendo, & Divinis interessendo percepit?

Resp. Casus posset contingere; cùm quis esset in Beneficio intrusus, vel per subreptionem illud obtinuisset. Et in his terminis respondetur affirmativè; nam mala fides operatur, ut eas non faciat suas, nec dominium acquirat; ergo nullum justum titulum habet retinendi. Tum quia, qui scit, aut scire debet (hic est possessor malæ fidei) aliquid ad se non pertinere, ipsum in se, si adsit, vel, si consumptum sit, in pretio æquivalenti debet domino reddere; nam semper res pro domino clamat: nec ex facto, & culpa sua debet malæ fidei possessor locupletari cum aliena jactura.

35 Negari enim non potest, quin dictus Beneficiatus rem alienam contrectaverit, ut dicitur in *c. Dudum, il 2. de elect.* sciebat enim, aut scire debuit, quòd distributiones non erant suæ, nec sibi debitæ; ac quòd vitiosè eas percipiebat, & ad alium spectarent; indeque necessarium est, ut tanquam injustè habitas restituat.

Nec obstat, quòd distributiones contradistinguantur à fructibus præbendarum; nam aliquid sunt, cujus nec dominium acquisivit, nec suum fecit.

35 Nec repetatur, quòd correspondeant servitio personali; quia hoc non excludit, quin in casu *dict. cap. Consuetudinem*, cogatur ad restitutionem distributionum, quas suas non fecit. Ergo idem esse debet in omni casu malæ perceptionis, non considerato, quòd servivit, & laboravit. Siquidem labor attenditur ab jure in habentibus legitimum ingressum, & residentibus in casibus, locis, & temporibus permissis, non in prohibitis; aliàs præberet peccandi occasionem. Quibus addas, quòd gerens negotia mea, me invito, mercedem prætendere non potest; nec expensas repetit, licèt utiliter se gesserit, *leg. fin. Cod. de negot. gest.* Fagnan. *in 2. ad cap. Gravis, num. 91. de restit. Spoliat.*

37 Ad id, quod dici potest, distributiones nimirùm computari inter bona quasi patrimonialia, & de illis posse Beneficiatum testari. Observatur, quòd licèt id procedat in distributionibus, quæ dantur ab hominibus de bonis propriis, ut solet contingere in exequiis solemnioribus, Missis cantatis &c. quia sunt merum stipendium datum à Fidelibus pro obsequio personarum; tamen est controversia de distributionibus, quæ dantur de ipsis bonis, seu redditibus Ecclesiæ. Hujusmodi plures volunt spectare ad bona Ecclesiastica, cum onere superfluum pauperibus erogandi. Alii verò censent esse pleni juris Clericorum absq; dicto onere; & hæc videtur sententia communior apud Sperell. *dec. 96. nu. 13.* Piaf. *prax. p. 2. c. 5. art. ult. nu.* 53. Nam ab Ecclesia ex redditibus Beneficiorum ad hunc finem deductæ sunt, ut piè applicentur ad finem solvendi studiosam assistentiam Chori; quemadmodùm portio redditũum, quæ extrahitur ex redditibus Ecclesiæ, ut fit merces Sacristæ, Magistri Grammaticæ, Concionatoris &c. transit in eorum liberum dominium, & dispositionem; quia datur ut stipendium illius laboris, & obsequii. Sed quidquid sit, an Beneficiatus possit de illis testari, dum justè, & validè eas lucratur? est certum, aliter dicendum esse de malæ fidei possessore; quia eas suas non facit: & nullus de re non sua testari potest.

38 Quæritur. An distributiones lucretur, qui eo tempore, quo in Choro Divina celebrantur Officia, ipse Missam celebrat?

Resp. Negativè, nisi de jussu Superioris, vel compulsus ab eo ad quem spectat, Missam legat. Engel. *Colleg. jur. Canon. lib. 3. tit. 4. §. 3. num.* 33. & Fagnan. *ad d. c. Licèt, num.* 118.

39 Adverte, distributiones quotidianas deberi assistentibus Episcopo Pontificalia exercenti, tam in Cathedrali, quàm aliis locis Civitatis; ut decisum à S. Congreg. refert idem Fagnan. *num.* 168. apud quem alia plura videas.

CAPUT XLV.

Officialis quoad res Eccleſiarum, & Monaſteriorum non alienandas.

SUMMARIUM.

1 *Extravag. Ambitioſæ de reb. Eccl. non alienan. Summa.*
2 *Nec Laici poſſunt dictas res, ea non ſervata, alienare.*
3 *Regulares Europæ prohibentur etiam Decreto S. Congr. Concilii, de cujus licentia debent ad alienationes procedere.*
4 *Neceſſaria ad validam, & licitam alienationem ipſarum rerum, ſunt cauſa, & ſolemnitas juris.*
5 *Nec conſuetudo poteſt allegari adversùs neceſſitatem beneplaciti Apoſtolici.*
6 *Ut valeat emphyteuſis, tria ſunt neceſſaria.*
7 *Non ſemper bona ſolita dari in emphyteuſim, poſſunt iterùm concedi ſine conſenſu Papæ.*
8 *Sine conſenſu Apoſtolico poſſunt alienari bona, quæ ſervando ſervari non valent; & quæ ſint?*
9 *Locatio infra triennium non exigit dictum conſenſum, & unde triennium computetur?*
10 *Sine quo non poteſt alienari quantitas pecuniæ habita ex redemptione cenſus, vel pro dote Monialium.*
11 *Nec poteſt abſque eo concedi ad cenſum vitalitium.*
12 *Alienatio, quæ fit ex neceſſitate juris, aut ex præcepto Regulæ, non requirit conſenſum Apoſtolicum. Declaratur quoad Fratres Minores.*
13 *Poſſunt ſine aſſenſu Papæ alienari terrulæ, & vineolæ; & quæ ad id neceſſaria ſint; & quæ exigui valoris dicantur?*
14 *Quæ res inter immobilia, & quæ cum mobilibus adnumerentur.*
15 *Mobilia pretioſa Eccleſiæ nequeunt oppignorari.*
16 *Species ſub alienatione comprehenſæ, ex cap. Nulli hoc tit.*
15 *Quid de alienante cum clauſula,* reſervato aſſenſu Sedis Apoſtolicæ, nec aliter, nec alio modo?
18 *Praxis Notarii in ſtipulando alienationis contractus.*
19 *Excommunicatio, qua ligantur malè alienantes, eſt reſervata Papæ.*
20 *Recipiens rem malè alienatam, tenetur in foro conſcientiæ eam reſtituere ante ſententiam Judicis, uſque ad num. 21.*
22 *Capellas, & ſepulturas vendere prohibetur, uſque ad n. 24.*
25 *Fratres Minores Capellas, & ſepulturas nec per Syndicum poſſunt vendere, uſque ad n. 27.*
28 *Commiſſarius, cui commiſſa eſt executio Brevis,* Si in evidentem, *tenetur per concludentes probationes ſe certiorare.*
29 *Fratres Minores de Obſervantia non poſſunt ſacra ſupellectilia commodare, niſi &c.*

1 De hac re tractant DD. hoc tit. & ſatis apertè loquitur jus Canonicum, tum in Decretalibus Gregorii Noni, tum in Sexto, & Clementinis, eodem titul. & ſubinde in Extravagan. *Ambitioſæ Pauli Secundi inter commun. & in Bullar. la quinta, tom.* I. ſecundùm quam alienationes ſunt moderandæ. Quoniam verò Judices ex ſtylo Curiæ ad ipſius præſcriptum pronunciant, ideò ſummariè eam refero.

I. Itaque ſingulis prohibet, ſine conſenſu Romani Pontificis bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, Locorumque piorum alienare, ut infra: *Omnium rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum (ſcilicet immobilium, & pretioſorum mobilium (alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam, locationem, conductionem ultra triennium: nec non infeudationem, vel contractum emphiteuticum: præterquam in caſibus à jure permiſſis, ac de rebus, ac bonis in Emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis: & tunc cum Eccleſiarum evidenti utilitate; ac de fructibus, & bonis, quæ ſervando ſervari non poſſunt pro inſtantis temporis exigentia, hac perpetuò valitura Conſtitutione præſenti fieri prohibemus.*

II. Innovat Decreta, & Conſtitutio-

iones, & prohibitiones, aliàs super hoc editas.

III. Alienationes, hypothecas, locationes, conductiones, & infeudationes factas inconsulto Summo Pontifice, & contra Constitution. formam, irritat, & contractus nullos declarat.

IV. Disponit, ut bona, & res alienata liberè remittantur ad Ecclesias, Monasteria, & Loca pia, ad quæ ante alienationem pertinebant.

V. Statuit pœnas in contravenientes; quarum prima est *Excommunicatio* latę sententiæ in alienantes, & bona alienata recipientes. Secunda, *Interdictum* ingressus Ecclesiæ Episcopis, & Abbatibus: qui, si per sex menses in Interdicto, animo indurato, perseverarint, à regimine, & administratione Ecclesiæ, cui præsunt, eo ipso suspenduntur. Tertia, inferiores Prælati eo ipso sunt *privati beneficiis* sæcularibus, & regularibus cum cura, & sine cura, quorum res & bona alienarunt.

2 Et si petatur, an dicta prohibitio Laicos comprehendat?

Respond. Affirmativè, tum ratione rerum Ecclesiæ, quæ sunt sub jurisdictione Papæ, & Ecclesiæ, secundùm ea, quæ notantur *in cap. Quæ in Ecclesiarum, & in c. Ecclesia S. Mariæ, de Constitut.* & expressiùs *d. cap. Qui res de rebus Eccles. non alienan.* tum ratione peccati, quod alienando committunt: etenim cùm excommunicentur, etiam *in dict. cap. Qui res*, & excommunicatio major non feratur sine culpa mortali, *c. Nemo Episcoporum*, 11. *quæst.* 3. necessariò sequitur, ut in alienatione, non servata forma dict. Extravag. mortaliter delinquant.

3 Sed quid dicendum de Regularibus?

Resp. Et ad eos dispositio dictæ Extravagantis extenditur; nam generaliter loquitur per voculam *Si quis*: cujus natura est, ut, absolutè prolata, omnes afficiat, juxta glos. in *cap. Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. Sed hodie dubium removet decretum Sacr. Congreg. Conc. dat. Rom. 7. Septembris 1624. apud Piasec. *praxis par.* 2. *cap.* 5. *art. ultim. num.* 37. editum specificè pro Regularibus in Europa existentibus, & in consequentiam ad dictam Extravag. (à qua interpretationem recipit) circa licentiam in alienandis rebus Monasteriorum concedendam: prout infra.

Sacr. Congregat. Cardin. Conc. Triden. Interpretum, *rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium distractionibus, quas crebrò faciunt Regulares Apostolicis privilegiis innixi, ac proinde operæ pretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione compescere: speciali S. D. N. jussu, generalibus, Provincialibus Capitulis, vel Congragationibus, Abbatibus, Generalibus, quibuscunque aliis Superioribus Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti, intra fines Europæ existentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium; ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquam in casibus à jure permissis, fieri perpetuò prohibet, atque interdicit, absque ipsius Congregat. Concilii expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant: sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate, pœnis nihilominùs Apostolicarum Constitutionum, & præsertim* fel. rec. Pauli II. quæ incipit Ambitiosæ, *in suo robore permansuris. Alienationes verò, pacta, census, hypotecas, locationes, conductiones, & concessiones quascumque contra hujusmodi prohibitionem faciendas Sanct. Suæ authoritate ipso jure nullas, atque irritas decernit. Non obstantibus &c. Indultis, Privilegiis &c. quibus &c. Sanctitatis Suæ authoritate derogat.*

4 Quæritur. Quæ sint ad licitam, validamque rerum Ecclesiarum alienationem necessaria?

Respond. Debent concurrere copulativè. Primò, causa: vel *necessitatis*, ut, si debita urgeant Ecclesiam, nec possit de fructibus satisfieri, *cap. Hoc jus* 10. *quæst.* 2. Vel *pietatis*, pro redimendis captivis *c. Sacrarum* 12. *quæst.* 1. *& cap. Nullus*, cum sua Gloss. *in verb. necessitate, de ignor.* Vel *utilitatis*, ut si una res alienetur, ut melior acquiratur; vel quia res, quæ alienanda est, magis damnosa est Ecclesiæ quam

quàm utilis, *cap. Ut ſuper, hoc cit.* §. *Poſſeſſiones*.

Secundò. Solemnitas juris. Quæ includit conſenſum majoris partis Capituli, & *dict. cap. Hoc jus*, & §. *Ut ſuper*, *cap. Cùm Laicis*, ibidem, & *cap. Tua de iis, quæ fiunt à Prælat. capit. Hoc conſultiſſimum hoc titul. in ſexto*, & conſenſum Summi Pontificis, ut dict. Extravag. & ſecundùm dd. Jura. Qui eſt principalior ſolemnitas, ita de neceſſitate ſervanda, ut non valeat alienatio abſque ea, etiamſi facta ſit cum cauſa, & altera ſolemnitatis parte, de conſenſu nimirum Capituli, etiam collegialiter congregati ad effectum, ut alter alterius rationes audire poſſit.

5 At petitur. An adverſus neceſſitatem beneplaciti Apoſtolici, vel conſenſum Capituli poſſit allegari conſuetudo;

Reſpond. Negativè. Et conſuetudo in caſu proprie diceretur corruptela, utpotè Eccleſiæ oneroſa, & damnoſa, ac contra Sacros Canones, *cap. Conſuetudinem*, *de conſuet.* Omnemque conſuetudinem Eccleſiis, earumque locis præjudicialem improbat Urbanus VIII. *Conſtitut. incip. Romanus Pontifex*, *edit.* 5. *Junii* 1641. quam refert Fagnen. *in* 1. *ad d. c. Conſuetudinem*, *eodem tit. num.* 59.

Ex quibus hæc habetur regula, quòd alienatio bonorum Eccleſiæ immobilium, vel pretioſorum mobilium, hodie prohibita eſt, etiam cum cauſa, & conſenſu Capituli, ſine beneplacito Apoſtolico.

6 Cæterùm beneplacitum Apoſtolicum non requiritur in contractu emphyteutico, quia hujuſmodi contractus bonorum Eccleſiæ excipitur in d. Paulina per clauſulam, *præter quàm in caſibus à jure permiſſis*; & propterea licerè poteſt fieri, ſi tres conditiones concurrant. Prima, ut ſit de caſibus in jure permiſſis, Secunda, ut de tempore contractus conſtet de evidenti Eccleſiæ utilitate: ponderando dictionem *tunc*. Tertia, ut ſit de bonis ab antiquo in emphyteuſim dari ſolitis.

Quæ autem dicantur ſolita concedi, DD. variant. Genuenſis *prax. cap.* 75. *numer.* 5. duo exigit: quòd ſemel fuerint conceſſa ſine ſolenitate intra ſpatium quadraginta annorum; & quòd talis conſuetudo ſit utilis, & non damnoſa Eccleſiæ. Cæterùm unus actus conſuetudinem non inducit; nec de ſemel facto verificari poteſt eſſe ſolitum fieri ab antiquo; quod in Paulina exigitur.

7 Advertendum in pluribus caſibus, non poſſe res ſolitas dari iterùm in emphyteuſim ſine aſſenſu Apoſtolico, & ſolemnitate. Primò, cùm ceſſat prima cauſa conceſſionis, ut ſi res inculta data eſſet in emphypteuſim, ut reduceretur ad culturam, & poſtea redacta rediret ad Eccleſiam. Secundò, quando Eccleſia tempore primæ conceſſionis eſſet dives, modò verò eſſet depauperata. Tertiò, quando res ſolita concedi eſt incorporata Menſæ Eccleſiæ; & præſumitur incorporata, cùm id Prælatus declarat, vel expreſsè deſcribit eam inter bona Menſæ, vel tacitè, colligens fructus ipſius, prout ſolet facere de cæteris rebus incorporatis. Quartò, cùm talis conſuetudo eſt inducta per vim. Quintò, ut non poſſit concedi alterando ſolitum: ut ſi ſolet concedi maſculis, non poteſt concedi fœminis: ibidem Genuen.

8 Beneplacitum Apoſtolicum non exigitur in fructibus, & bonis, quæ ſervando ſervari non poſſunt, ut d. Paulina. Bona autem, quæ ſervando ſervari non poſſunt, dicuntur res mobiles, quæ non durant triennio: vel ſi durant, etiam ultra conſumuntur, & non fructificant; cujuſmodi ſunt Granum, Vinum, Animalia (ſingulariter) ſuperfluæ veſtes attritæ, non pretioſæ, & ſimilia, quæ ſine detrimento ſervari non poſſint, Genuen. ibidem.

9 Nec exigitur in locatione, & conductione ad triennium, prout in alleg. Paulina. Unde ultra triennium eſt neceſſarius conſenſus Apoſtolicus. Triennium computant DD. ex trium fructuum collectione; adeò ut, ſi prædium talis eſſet conditionis, ut quolibet triennio fructus tantùm perciperetur, tunc unum trienium pro uno anno eſſet computandum, & locatio fieri poſſet ad novennium, ſed non ultra ſine Sedis Apoſtolicæ conſenſu, Genuen. ibid. *n.* 10. & Fagnan. in 3. *ad c. Nulli*, *hoc tit. n.* 43.

10 Sed petitur. An poſſit ſine ſolemnitate, & conſenſu Apoſtolico alienari magna quantitas pecuniæ, convertenda in utilitatem Monaſterii per emptionem prædii, domus, & ſimilium, accepta ex dote Monialium, aut redemptione cenſus, & rei venditæ?

Reſp. Negativè cùm Genuen. *cit. nu.* 15. ubi refert fuiſſe deciſum in una Veneta nullitatis contractus 13. Novembris 1612. coram

ram Pamphylio; in qua fuit per Dominos dictum, non posse Prælatum alienare magnam quantitatem pecuniæ convertendam etiam in utilitatem Monasterii, quia potest in contractu emptionis Ecclesia decipi in pretio. Tum quia, licèt pecunia de se sit mobilis, induit tamen conditionem rei inalienabilis sine solemnitate, tanquam si esset immobilis, nam cum destinata sit emptioni rerum immobilium, inter bona immobilia computatur. Tum quia, census redemptus repræsentatur in illa pecunia, quæ pro censu substituitur. Ergo sicut census non potest alienari sine solemnitatibus, ita nec pecunia ex illo recepta, per DD. apud Pignat. *tom.* 6. *consult.* 55. *n.* 24. *&* 25. Tum quia, dos Monialium debet investiri in bonis stabilibus per *d. c.* 32. *n.* 18.

11 An autem illa pecunia absque beneplacito Apostolico possit converti in censum vitalitium?

Resp. Negativè. Quia census vitalitius non computatur inter bona immobilia, sed mobilia. Nam de sui natura non est census iste perpetuus, sed sequitur vitam, supra quam fundatur, quæ sicut non est stabilis, ita nec census super ea fundatus, sed semper est in periculo amissionis.

Nec dicatur, quòd dictus census sit emptio juris percipiendi fructus ex re fructifera. Quia semper verificatur, quòd sit alienatio pro tempore futuro, posita nimirum conditione mortis illius, super cujus vita fundatur. Et cum res sit judicanda ex eventu, ac fine, ad quem ordinatur, fundatio census vitalitii non tam est dicenda emptio, quàm alienatio pecuniæ, ac proinde prohibita.

12 Item, Beneplacitum Apostolicum non requiritur in alienatione, quæ fit ex necessitate juris illam præcipientis. Et proinde ea non egent Frat. Minor. de Observ. dum per Syndicum Apostolicum alienant res eis relicta, vel donatas: nam id faciunt ex præscripto Regulæ. Prout fuit à Sac. Congreg. Conc. resolutum: quæ respondit, ut Fagnan. refert ibidem *num.* 28. *valere legatum immobilium Fratribus Minoribus sub modo licito, nempè ut vendant; & pretium convertant in usum Fabricæ, vel Sacristiæ.* Idem, *si factum fuit simpliciter, quia sub modo licito factum intelligitur, cap. Exiit, de verb. signific.* §. *Ad hac in* 6. *&* 12. *Augusti* 1625. censuit, Fratres Minores de Observan. non comprehendi sub prohibitione alienandi immobilia, census, & annuos redditus, Nicolio *lucubrat. lib.* 2. *tit.* 1. *de alien. bon. Eccl. sub. nu.* 20. ubi idipsum tradit fuisse resolutum favore Theatinorum.

Sed quoad dd. Fratres est ponderandum, quòd ubi eis relinquitur domus, vinea &c. & statim non venduntur, sed eas locant, & fructus ac redditus, etiam semel percipiunt, nequeunt amplius sine licentia Sedis Apostolicæ illa etiam per Syndicum distrahere, ut dictum est *c.* 30. *n.* 10. *ad* 4.

13 Item, sine assensu Papæ alienari possunt *terrulæ*, *vineolæ*, *& domunculæ* Ecclesiæ. Sed tria debent copulativè concurrere, Primò, ut hujusmodi sint exigui valoris. Secundò, ut subsit necessitas alienandi. Tertiò, ut sint parùm Ecclesiæ utiles; prout hæc tria colliguntur ex *cap. Terrulas* 12. *qu.* 2. Quòd expresse habetur ex Sac. Congregat. Conc. *Quæ* 11. *Januarii* 1596. *censuit, neque Constitutionem Pauli II. neque Concil. Tridentin. Decretum derogare dispositioni d. cap. Terrulas* 12. *quæst.* 2. Et iterum, cum Episcopus Trivicanus quæsivit, *An stante Decreto Concilii cap.* 11. *sess.* 25. *de reformat. & Extravag. quæ incipit. Ambitiosæ de rebus Eccles. non alienan. authoritatem suam in alienationibus rerum Ecclesiarum ad præscriptum cap. Terrulas* 12. *qu.* 2. *interponere valeat*? S. Congreg. *censuit, ex Conc. Triden. non fuisse derogatum facultati concessæ Episcopis per c. Terrulas*, Fagnan. *cit. num.* 25. Cæterùm potest Episcopus, concurrente Ecclesiæ necessitate, evidente utilitate, incommoditate, aut pietate, facultate sibi tributa in *d. c. Terrulas*, licentiam alienandi concedere, sed non ad quamcumque summam. Unde quidam dixerunt, rem alienandam non debere excedere summam 30. scutor. Alii restrinxerunt ad scuta 37. Quidam ad vigintiquinque reduxerunt. Nonnulli voluerunt remittendum arbitrio Ordinarii, consideratis qualitate Ecclesiæ, & circumstantiis, Nicol. Flosc. *verb. Alienatio num.* 1. Monacell. *formul. part.* 2. *form.* 5. *titul.* 4. *num.* 2.

14 Advertas item, inter bona immobilia Ecclesiæ, & Monasteriorum, numerari prædia, agros, vineas, domos, census perpetuos, loca montium, redditus, jura, rationes, sylvas, præsepia armentorum, & hujusmodi alia respectivè videnda apud alleg. Piasec. *num.* 9. Donat. *prax. tom.* 1. *part.* 2. *quæst.* 57.

Anto-

Antonell. *de regim. Eccles. lib. 1. cap. 4. num.* 3. Inter verò mobilia pretiosa; ex Engel. *jur. Canon. lib. 3. tit. 13. num.* 5. ea sunt, quæ ad thesaurum Ecclesiæ spectant: Sacræ Reliquiæ, Calices, Vasa Sacra, Vestes pretiosæ, Gemmæ, Picturæ, Statuæ &c. Quæ ad decorem, & splendorem Ecclesiæ, vel ob antiquitatem, artem, & singularitatem, vel pretium conducunt. Quæ licèt mobilia sint, quia tamen servando servantur, quoad alienationem rebus immobilibus per Piasec. *nu.* 11. æquiparantur: ideò solemnitatibus omissis alienari non possunt.

Reliquiæ Sanctorum, aut illarum particulæ, quæ sunt in Ecclesia, nec per Episcopum sine assensu Apostolico concedi possunt, neque magno Principi; quia Reliquiæ sunt res Ecclesiæ pretiosissimæ, quæ servando servari possunt, ut ex Genuens. in *prax. c.* 71. *n.* 4. probat Ventriglia *prax. p.* 1. *annotat.* 1. §. 2. *n.* 27. & Piasec. *cit. num.* 12. contra Bonac. Facit *cap. Corpora dist.* 1. *de consecr.* ubi Corpora Sanctorum de loco ad locum transferri prohibentur sine licentia Principis, hoc est Pontificis, ut explicat Glos. ibi: verb. *Principis*.

15 Quæritur. An Ecclesiæ, & Monasteriorum bona mobilia pretiosa possint sine consensu Apostolico oppignorari?

Respond. Negativè, secundùm ea, quæ notantur *in cap. Nullus, de pignoribus*. Pignoratio enim est species alienationis, ut notavit Quaranta *Bullar. ver. alienat. rer. Eccles. num.* 27. nam res oppignorata alteri obligatur in securitatem debiti, ut si aliter satisfactum non fuerit, inde satisfieri possit. Differt pignus ab hypoteca, quòd pignus sit obligatio rei mobilis, dum in hypoteca res immobilis obligatur, & in ista res obligata non traditur creditori, benè verò in pignore. Et quamvis d. *c. Nullus*, excipiat casum necessitatis; tamen hac etiam interveniente, sunt necessariæ solemnitates; quæ inventæ sunt, ut excludantur alienationes inutiles justificentur utilitates, & necessitates, viténturque fraudes, & præjudicia Ecclesiarum impediantur.

16 Appellatione alienationis in casu *cap. Nulli hoc tit.* veniunt donatio, venditio, renunciatio, transactio, & compositio de re litigiosa; infeudatio, hoc est, ne fiant investituræ de bonis Ecclesiæ; contractus emphyteuticus (vulgò dictus *à livelo, ò à canone*) quo datur prædium colendum in perpetuum, vel ad tempus longum pro pensione annua, vel canone in recognitionem directi dominii: hypotheca, qua res aliqua obligatur creditori: si in securitatem creditoris omnia bona debitori obligantur, dicitur hypotheca generalis; si verò aliqua tantùm particularia, hypotheca specialis nominatur. Hæc omnia, aliaque, per quæ dominium transfertur, & præjudicium recipit Ecclesia, alienari prohibentur, ut dictum est *num.* 1.

17 Quæritur. Rector Ecclesiæ N. alienat prædium d. Ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice, sed cum clausula, *Reservato assensu Sedi Apostolicæ, nec aliter, nec alio modo*; & antequam sit impetratus assensus tradit emptori possessionem d. predii: petitur, an sit excommunicatus, & incurrat pœnas d. Extravag. Ambitiosæ?

Respon. Affirmativè, ex Genuen. ubi sup. qui testatur *cap.* 52. in illis terminis fuisse à Clement. VIII. declaratum, & ex ejusdem commissione 17. Decembris 1599. rescriptum Vicario Generali Neap. ut in utroque foro à censuris absolvere Rectorem, qui in similem alienationem processit; dummodò priùs alienationem revocaret, & reintegraret Ecclesiam in suo statu, aut saltem pro suo posse operaretur, ut d. Ecclesia reintegraretur, movendo litem in judicio, vel alia ad hunc effectum faciendo; & quòd, si prædicta ante obsolutionem exequi non posset, ad minus promitteret, & se obligaret, quamcitiùs ea præstare; ac etiam, ut cum eodem Rectore dispensaret, etiam super fructibus malè perceptis, & revalidaret titulum Beneficii. Ea enim clausula videretur contraria facto, ut dicit Bald. *in l.* 1. *C. de his quæ pœnæ num.* 56.

18 Notabis, quòd Notarius requisitus, ut conficiat instrumentum, contractum, vel testamentum, tenetur; aliàs posset puniri; quia postquam est creatus Notarius, est effectus servus publicus, per Bar. Bal. Afflict. ibid. à Genuen. in adnotat. allegatos. Sed dum rogatur, ut conficiat contractum conditionalem alienationis rei Ecclesiæ, *si Papa consenserit, nec aliter, nec alio modo*, potest resistere, & non tenetur conficere, quia quod fieri non potest sine authoritate Principis, censetur impossibile. Propterea praxis Notariorum esse debet, ut non conficiant instrumenta alienationis rerum Ecclesiarum, nisi impetrato priùs in scriptis assensu Papæ, quia tales contractus solét in præju-

diciales Ecclesiæ, cùm ut plurimum in damnum Ecclesiæ, & animarum perniciem soleat tradi possessio, & non impetrari assensus Papæ.

19 Si autem quæratur, an excommunicatio, qua ligantur alienantes res Ecclesiæ absque beneplacito Apostolico, sit reservata?

Resp. Quòd licèt in d. Etravagenti *Ambitiosæ* reservata non videatur, tamen alienantes non possunt à Confessario ordinario absolvi. Quoniam scienter alienantes sine beneplacito Apostolico non solùm incurrunt pœnas d. Extravag. sed etiam excommunicationem Papæ reservatam in *cap.* 11. Trid. *sess.* 22. *de ref.* ita Gallemart. collect. in Conc. Trid. *d. cap. n.* 2.

Quæ sententia robur accepit à S. Congr. Conc. quæ pluries eam probavit; ut refert Leo in *Thes. for. Eccles. par.* 1. *cap.* 13. *numer.* 53. *Et in una Neapolitana* 24. *Januarii* 1632. *Sac. Congr. &c. dubio maturè discusso, censuit, permutationem inter duas Ecclesias absque solemnitatibus factam, effectuatam minimè sustineri; & Rectores ipsarum Ecclesiarum incidisse in pœnas cap.* 11. *sess.* 22. *de reformat. & Extravagan. Ambitiosæ de rebus Eccles. non alienan. contentas; sed agendum cum Sanctissimo pro absolutione, & dispensatione ab irregularitate, si quam contraxerunt, lib.* 14. *Decret. pag.* 564. apud Monacell. *for. par.* 2. *form.* 4. *num.* 10. *&* 11. *tit.* 14.

Nec excusari quis potest, quòd d. Extravagans non sit usu recepta; vel recepta non quoad pœnas, sed solùm quo ad rescissionem contractus. Quoniam, quòd alicubi non sit usu recepta, probari non potest; cùm quotidie in Romana Curia practicetur, & pro ea judicetur, ut notat Pia sec. *ubi supra num.* 15. Et in contingentia facti ea est praxis Sac. Congregat. Conc. quæ in una Florentina 10. Aprilis 1693. declaravit, Capellanum, qui ad vitam locaverat bona Capellaniæ, incurrisse censuras d. Paulinæ. Et in alia Segnen. 15. Martii 1692. declaravit, Provincialem N. qui sine beneplacito alienaverat Calices, & Patenas antiquatas, & usui quotidiano non accomodas, incidisse in pœnas dict. Extravag. & Sacrorum Canonum, & pro absolutione esse supplicandum Sanctissimo. Et in alia Tropien. 11. Januarii 1692. rescripsit: *Detur facultas Archiepiscopo Sanctæ Severinæ absolvendi, & confirmandi contractus, quatenùs sint utiles.* Causa agebatur de Abbate Ordinis Cisterciensis, qui cum licentia Definitorii vigore *cap. Terrulas*, alienaverat diversa prædiola cum utilitate Monasterii.

Ad incurrendam censuram non est opus, ut præcedat declaratio, ut respondit Sacr. Congr. Conc. in Romana pro Cisterciensibus 1. Septembris 1657. *ad* 2. Monacell. *cit. num.* 16.

20 Queritur. An recipiens rem Ecclesiasticam sine solemnitatibus alienatam, teneatur eam in foro conscientiæ ante sententiam Judicis restituere?

Plures negant, antequam contractus in foro externo resci ndatur. Verùm statim restituenda est: ideò.

Resp. Affirmativè: quia ad valorem actus, etiam pro foro interno, duo requiruntur, voluntas, & potentia, per text. in *c. Cùm super de offic. delegat.* & ita de necessitate, ut quamvis contrahentes velint, effectus non habeatur, si potestas id faciendi, jure prohibente, non fuit. Tum quia in Extravagan. etiam recipiens res Ecclesiæ sine solemnitate alienatas excommunicatur: quod fieri non posset, si accipiens in conscientia non peccaret; si quidem excommunicatio major non nisi ob peccatum mortale incurritur. Tum quia Pontifex vult alienationes, aliàs factas, nullius esse roboris: ergo recipiens nullum titulum habet ad retinendum; quoniam contractus fuit invalidus. Tum quia ibid. statuitur, res malè alienatas esse liberè revertendas ad loca, ad quæ pertinebant: ergo nequit pro impedimento allegari, quòd Judex non pronunciaverit super nullitate contractus.

21 Quæritur. An emptor Prædii Ecclesiæ alienati sine solemnitatibus, teneatur prædium cum fructibus restituere?

Resp. Regula est. I. Quòd fructus bonorum Ecclesiæ nulliter alienatorum ob defectum solemnitatum, debent restitui à die alienationis.

II. Quòd, quando fuit erratum in facto, fructus debentur à die motæ litis.

III. Quòd bonæ fidei possessor facit fructus suos ante motam litem.

IV. Quòd fructus sunt restituendi, deductis expensis factis in illis recolligendis. Apud Panimoll. *disp.* 54. *adnot.* 3.

V. Quòd si res Ecclesiæ nulliter alie-

nata contra formam beneplaciti Apoſtolici, fuerit meliorata, æſtimatio debet fieri juxtà valorem rei tempore venditionis. S. Congreg. Epiſcop. in una Bitecten. 5. Martii 1693. Ponderatum enim fuit, quòd Eccleſia, quæ eſt pia mater, & cultrix juſtitiæ, non poteſt locupletari cum aliena jactura, Monacell. *form. par.* 1. *form.* 15. *n.* 16. *tit.* 5.

22 Quæritur. An ſine ſolemnitate juris poſſint alienari capellæ, & ſepulturæ eas vendendo, vel transferendo in jus, & proprietatem.

Reſp. Negativè; nam hujuſmodi venditio, & traditio eſt ſpecies alienationis prohibitæ in d. Extravag. *Ambitioſæ*. Quinimò venditio prohibetur, *cap. Abolendæ, de ſepult.* Et quamvis ibi ſolum diſpoſitio ſit de ſepulturis, eadem ratio videtur de capellis, ut notavit Genuen. *prax. cap.* 41. *num.* 16. in utraq; enim conceſſione fit quædam translatio jurium Eccleſiæ.

23 Cæterum DD. diſtinguunt hæc duo. I. Terram cœmeteriatam, deputatam authoritate Epiſcopi; & officium, quod crica funus impenditur; locumque Deo Sacrum, & benedictum, in quo conſtruenda eſt ſepultura. II. Digniorem, & meliorem locum in Eccleſia. Prima per eos vendi non poſſunt, quia ſpiritualia, vel ſpiritialibus annexa. Pro ſecundis autem aliquid poſſe accipi, ac vendi teſtantur; nam ſpiritualia non videntur.

24 Quorum diſtinctio potiùs ſpeculativa, quàm in praxi tuta eſt dicenda; ideò nec aliquid, etiam ratione loci, poteſt exigi; nam *d. cap. Abolendæ*, abſolutè prohibet aliquid accipi pro loco ſepulturæ, pro terra nimirùm, in qua quis ſepeliendus eſt, ut ibi text. Nec diſtinguit, an in meliori ſitu, vel alio ſepultura eligatur, ſeu conſtruatur. Ergo per regulam communem, nec nos diſtinguere debemus. Et ita teſtes Genuenſe ſervandum eſt; nam hoc pacto ceſſat ſcandalum, ſuſpicio avaritiæ, & ſimoniæ, quæ frequentiſſimè tali titulo palliatur. Et ita conceſſio ſepulchri, vel capellæ debet fieri gratis, & patroni poterunt ſpontè capellas dotare, vel aliquid in eleemoſynam tradere; quod non prohibetur, juxta text. *in c. Ad Apoſtolicam, de ſimon.*

Quare praxis Notariorum in conficiendis inſtrumentis debet eſſe, ut teſtentur de ſpontanea conceſſione loci ex parte Eccleſiæ, & de ſpontanea dotatione capellæ ex parte recipientis, ac conceſſione juris honorifici, fabricandi, ornandi &c. Hoc enim non eſt alienare, ſed potiùs acquirere Eccleſiæ. Nam dominium non conceditur, cum non dominus non poſſit illud in alium transferre, ſed conceditur ſolùm uſus facti.

25 Quæritur. An Fratres Min. de Obſerv. poſſint alienare capellas, & ſepulturas, eaſque vendere?

Reſp. Negativè, ex ſententia Sac. Cong. ab Urbano VIII. conſult. *Fratr. Min. præpoſita in Bullar. tom.* 4. *ad Conſt. Sacroſanctum, la* 49. mandantis obſervantiam ordinationum, prout in text. ibi: §. *Cum aſſeratis, v. Item ſtatuitur*, ibi: *Item ſtatuitur, ut deinceps nulla inſtrumenta publica fiant à Fratribus capitulariter congregatis, nec quocumque alio modo ſe habentibus, in quibus transferatur dominium, & proprietas alicujus capellæ, ſive ſepulturæ, cum hoc omninò ſit contra Regulam, & repugnet noſtro Inſtituto; nam quomodo aliquis dat, quod non habet? Si tamen occaſio ſe obtulerit, in qua oporteat ſatisfacere devotæ fidelium voluntati, id fiat per modos noſtræ Regulæ, & Inſtituto congruentes.* In venditione enim de meo fit tuum, quod pronomen Fratri Minori non convenit, ut obſervavit Gloſſ. ad *c. Exiit, de verb. ſignif. in* 6. *verſ. Quia ibi.*

26 At petitur. Quinam cenſendus ſit modus Regulæ congruens?

Reſp. Hujuſmodi ſanè reputatur, ſi in conceſſione capellæ, vel ſepulturæ non intercedat mercatus, vel venditio, nec aliqua ſolutio pro illis deducatur in pactum, neque aliqua civilis obligatio ſuperveniat, ſed concedatur dumtaxat titulus honorificus, & uſus facti, fabricandi, ornandi, illuminandi, & ſe, ſuoſque ibi ſepeliendi. Tunc enim non verificatur, quod capella, aut ſepultura ſint alienatæ; nam dominium ipſarum, & proprietas non transfertur; nec perſona, cui conceduntur, poterit cenſeri domina, ut notavit Ameno *de pœn. tit.* 3. §. *Alienatio bonorum n.* 52.

27 Sed an ſaltem id poſſint per ipſorum Syndicum ſine beneplacito Apoſtolico?

Reſp. Negativè contra Portel. *dub. regul. verb. Capella Monaſteriorum*, Sannig. *ſchol. canon. tom.* 2. *lib.* 3. *tit.* 3. *cap.* 4. *n.* 2. Quoniam ex *dict. cap. Exiit*, §. *Ac illa liberè: Eccleſiæ, Oratoria, Cœmeteria Fratrum*

trum Minorum sunt in jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ. Ergo Romanæ Ecclesiæ licentia exigitur, aliàs invito domino alienarentur, & haberent locum pœnæ d. Extravag. *Ambitiosæ*.

Posset tamen Syndicus, tanquam œconomus Sedis Apostolicæ, per modum eleemosynæ recipere, quidquid liberè daret is, cui fuissent prædicta concessa, idem Sannig. ibid.

28 Quæritur. An Commissarius, cui committitur executio Brevis Apostolici, *Si in evidentem*, teneatur super evidenti utilitate Ecclesiæ examinare testes, & citare partes?

Resp. Debet evidenter per testes, & alias legitimas probationes constare de utilitate Ecclesiæ, aliter alienatio nulla judicabitur, ex textu in *cap. Dudum hoc tit. in 6.* Nec sufficit, quòd in instrumento alienationis rei Ecclesiasticæ narretur utilitas, vel subsit necessitas alienandi; sed Commissario debet id legitimè constare, & in instrumento concludenter apparere. Et multò magis id procedit, attento stylo hodierno, & ubi in Brevi ponitur clausula: *Si tibi legitime constiterit*: quæ denotat causæ cognitionem, & citationem partium, juxta intellectum Glos. *in Clement. præsenti de censib. in ver. Constiterit*. Et in Clemen. *Nullorum de pœnis eod. vers.* Et expresè habetur in Constitut. Pauli II. *Cum in omnibus la 2. in Bull. tom. 2.*

An autem Commissarius possit alteri committere, ut super utilitate cognoscat?

Respond. Affirmativè. Nam jura sunt expressa, ut Delegatus Principis possit subdelegare, *cap. Si pro debilitate*, *cap. Quamvis*, *cap. Cum causam de offic. deleg.* quoties non sit electa industria personæ. Clausula autem: *Si tibi constiterit*; vel: *Conscientiam tuam oneramus*, hoc non importat, ut benè probat Rosa *de execut. Litter. Apostolic. part. 2. cap. 5.* Alias dicendum, si adsit clausula; *Ut decidas secundum tuam conscientiam*: videtur tunc esse electa industria personæ, & facta commissio personalis. Videas *d. c. 31. n. 25. & 26.*

29 Advertendum est, ab Innocentio XI. Constit. incip. *Alias 16. Septembris 1685.* confirmari Decretum editum à S. C. Episc. sub die 14. Martii 1680. circa supelectilia Ecclesiastica à Fratribus Minor. de Observantia aliis non commodanda, nisi aliquibus servatis, ut infra: Sac. Congreg. &c. *injungendum censuit; prout præsentis* Decreti *tenore injūgit omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus, Provincialibus, Localibus, eorumque subditis, sub pœna privationis officiorum Ordinis immediatè incurrenda, ne ullo unquam tempore, quavis occasione, vel prætextu, ad instantiam, & preces cujusvis indulgeant, aut consentiant supellectiles, vasa, ornamenta, vestes, atque omnis generis res, spectantes aliquo modo ad eorum Ecclesias, Capellas, Altaria, Oratoria, Sacristias, extra illa ad usum, vel officium cæterorum distrahi, asportari, seu aliis ab ipsis Minoribus Observantibus commodari, quin priùs accesserit consensus saltem ultra duas partes totius Capituli cujuslibet respectivè Conventus per secreta suffragia, singulis vicibus præstandus, nec non à Patre Ministro Provinciæ authenticè confirmatus: & ita servari mandat.*

CAPUT XLVI.

Officialis quoad Sacramentorum administrationem.

SUMMARIUM.

1 *Tempus ab Eugenio IV. præfinitum, in quo potest satisfieri præcepto de communione Paschali.*
2 *Qui confitetur Regularibus approbatis satisfacit præcepto Canonis de annua Confessione.*
3 *Probat Juvenin debere Fideles saltem semel in anno confiteri Parocho, vel alii de ejus licentia.*
4 *Impugnatur.*
5 *Respondetur objectis à Juvenin.*
6 *Advenis sæcularibus, qui infirmantur in Conventibus Religiosorum, Parochus ministrat Viaticum, & Extremam Unctionem.*
7 *Regulares ea Sacramenta non administrant, nec Sponsam, & Sponsum benedicunt, nisi de licentia Parochi.*
8 *Religioso infirmo extra Conventum, vel hospitium, Parochus præbet Viaticum, & Oleum Sanctum.*
9 *Resoluta à S. C. C. pro asservatione SS. Sacramenti in Ecclesia non Parochiali.*

10 Re-

10 *Regulares à die Palmarum usque ad Dominicam in Albis possunt Confessiones sæcularium audire.*

11 *Communicantes in Ecclesiis Regularium non satisfaciunt præcepto Ecclesiastico.*

UT Regulares super proposito titulo non errent, nevè jura Parochorum violent, attendere debent Constit. Leonis X. *Dum intra*, 22. *Bullar. tom.* 1. Gregor. XV. *Inscrutabili*, 18. *tom.* 3. & Clemen. X. *Superna* 7. *tom.* 5. ad quas ipsos remitto; & ponderabunt illam Innocentii X. *Cùm sicut*, relatam *cap.* 16. *num.* 40. præsertim ad IX. X. XI. XVII. & ad IV. exhibitum pro parte PP. Societatis, quibus hæc superadduntur.

1 Itaque res est certa, quòd ad satisfaciendum præcepto imposito in *c. Omnes utriusque sexus de pœnit. & remiss.* sufficit Eucharistiam sumere in hebdomada sancta, vel infra octavam Paschæ Resurrectionis, prout declaravit Eugenius IV. Const. *Fide digna*, *la* 20. *Bull. tom.* 1. reprobans errorem dicentium, Fideles sub culpa mortali teneri ad communicandum præcisè in die Resurrectionis Dominicæ. Sed sumenda est in propria Ecclesia Parochiali.

2 Pariter extra controversiam esse debet, quòd qui etiam tempore Paschali confitetur Regularibus approbatis, satisfacit præcepto dict. Canonis de annua Confessione, ut expressè Clemens X. in allegat. Constitut. *Superna*, in qua §. 5. hæc sunt; *Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit, Omnis utriusque sexus, quoad Confessionem dumtaxat satisfecisse censendos.*

3 Juvenin *comment. histor. de Sacramen. dissert.* 6. *qu.* 5. *de confess.* §. 2. multa infarcinans, dicit, & probat Fideles non satisfacere Canoni, nisi saltem semel in anno, Parocho, utpotè proprio Sacerdoti, vel alteri de ipsius licentia confiteantur, per text. in dict. cap. ubi considerat. I. Quòd Sixtus IV. *cap. Vices illius, de tregua, & pac. inter commun.* mandat, *ut Mendicantes desistent prædicare, quòd Parochiani non sint obligati saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti, quia de jure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.* II. Quòd privilegia Regularibus concessa in Gallia non sunt recepta. III. Quòd nec ibi Constit. Clementis est promulgata: absque publicatione autem obligatio Legis non sustinetur. Ita Tridentinum quoad disciplinæ decreta, ipso teste, vim in Gallia non habet, quia ibi non fuerunt promulgata. IV. Quòd d. Constitutio est subreptitia, quia detrahit potestati Episcoporum.

4 Sed juribus iura opponuntur. I. Benedictus XI. *c. Inter cunctas, de privileg. inter com.* declaravit, confessos Fratribus de Prædic. & Minor. non teneri iterùm confiteri proprio Sacerdoti; præceptum verò Conc. *in d. cap. Omnis*, esse sano modo intelligendum, ita scilicet, ut obliget omnes ad confitendum proprio Sacerdoti aut alii de eius licentia, qui neglexerunt pro absolutione recurrere ad alios habentes iurisdictionem absolvendi.

II. Leo X. *in alleg. Const. Dum intra*, edita in Concilio Lateran. decrevit, confessos Fratribus ab Ordinariis approbatis, quoad confessionem satisfacere Constitut. *Omnis utriusque sexus.*

Contra quem pariter facit, per proprium Sacerdotem *in d. cap. Omnis*, non intelligi Parochos tantùm, aliàs ipsemet Pontifex Maximus, & Episcopi non possent illi præcepto satisfacere; cum certum sit, eos non habere Parochos supra se, quibus confiteri teneantur. Quinimò, si quis confiteretur Summò Pontifici, censeretur tunc præceptum non implere, quod est apertissimè falsum. Quare appellatione *proprii Sacerdotis* venit, qui ex officio, & absque delegatione alterius potest Confessiones audire. Atque ita in tota Ecclesia universali venit Pontifex (qui est proprius Sacerdos omnium Fidelium, cujus Diœcesis est Orbis, *cap. Cuncta per Mundum, quæst.* 93.) Episcopus in propria Diœcesi, & Parochus in propria Parochia. Propterea, qui confitetur Regularibus habentibus à Summo Pontifice licentiam, & privilegia audiendi Confessiones, satisfaciunt præcepto de Confessione annua, cum confiteantur aliis de licentia proprii Sacerdotis, ut optimè Fagnan. *in* 5. *ad c. Omnis, de pœnit. & remiss. n.* 57. & Poncius Theol. *disp.* 46. *qu.* 9. *num.* 115. Quòd si dixeris, Pontificem non posse facultatem concedere, & dispensare, ut quis proprio Parocho saltem semel in anno non confiteatur: scias hujusmodi errorem fuisse in Joanne de Poliaco proscriptum *in c. Vas ele-*

ctionis de Haret. int. com. Similia etiam cogitare est injuriosum supremæ auctoritati Pontificis.

Quapropter ex adverso producta non concludunt. Non primum: quia tempore Sixti IV. Pontifices generaliter non exemerant Fideles à debito confitendi semel in anno propriis Parochis. cùm adhuc non concessissent Regularibus privilegium, ut is, qui illis confiteretur, illi præcepto satisfaceret. Quod subinde factum est in d. Conc. Lateran. sub Leone X. & in d. Const. Clem.

5 Nec secundum: quia de natura privilegii est, ut ab iis acceptetur, in quorum favorem cedit; nec est necesse, ut ab aliis recipiatur: aliàs hac ratione omnia impugnarentur. Hujusmodi autem fuit à Religiosis, & pœnitentibus acceptatum, quorum favore fuit datum. Nec dicendum, quòd Conc. Lateranen. sub Leone non fuerit in Gallia receptum, cùm in eo transactum sit, & concordatum inter Leonem X. & Franciscum. I.

6 Nec tertium: quoniam juxta regulam inter DD. receptam apud Gonzalez. *in* 1. *tit.* 2. *de cunst. num.* 12. ut les obliget, desideratur utique promulgatio, sed sufficit, ut in Curia Principis, vel Pontificis promulgetur, & hoc non ignoretur, per *c. Ad hæc, de postulat. Prælat.* Ita Pius IV. *Const. Sicut la* 80. *Bull. tom.* 2. declaravit, Trid. quoad capita respicientia reformationem, & jus positivum, cœpisse post tres Menses à publicatione, & confirmatione in Curia facta omnes obligare, nec post eos ignorantia allegari poterat. Quòd si apud aliquos quoad ea non sit in praxi, ideò excusantur, quia Pontifex sciens tolerat, & consentit, ut per Fagnan in 1. *ad c. Treguas, de tregua, & pac. num.* 58. Constitutio autem Clementis fuit Romæ solemniter promulgata, & ad hunc effectum locis solitis affixa, ut in d. *Bull.*

Nec quartum: nam Constitutio fuit edita matura deliberatione, & ex certa scientia, ac de consilio nonnullorum DD. Ecclesię Cardinalium, ac Prælatorum Romanæ Curiæ, quibus à surreptione preservatur. Et tãtùm abest, quòd authoritati Episcoporum deroget, ut potiùs plura eis, ut Sedis Apostolicæ delegatis, in Regulares committat, ut expressè textus. Imò ea ratione videtur Juvenin asserere in Pontifice non esse potestatem privilegiandi aliquos: quod non est Catholici viri asserere.

7 Non possunt Regulares advenis Sæcularibus, qui in eorum Monasteriis infirmantur, ministrare Sacramenta, ut ex S. Songr. Concil. quæ in una Monopolitana 27. Septembris 1670. *libr.* 26. *decret. fol.* 444. *Censuit non licere Fratribus absque licentia Episcopi, vel Parochi administrare Sacramenta iis, qui in eorum Conventibus infirmantur: & si decedant, non posse sepeliri in eorum Ecclesiis.* Intellige de Viatico, & Extrema-Unctione. Et dum Regulares quoad administrationem dd. Sacramentorum circa Advenas, & Peregrinos privilegia allegant, videndum est, an hujusmodi privilegia fuerint post Tidentinum obtenta, quia antea recepta, Concilium revocavit, *sess.* 24. *cap.* 13. *de reform.* ibi, *Et à quo solo* (Parocho) *licitè Sacramenta suscipiant.*

Egent itaque, si privilegiis non protegantur, consensu Parochorum, ut Sæcularibus omnibus possint ea Sacramenta ministrare, & sponsum, ac sponsam benedicere; aliàs ligantur excommunicatione Apostolicæ Sedi reservata, ex Clem. *Religio de privil.*

8 Item, ægrotis Religiosis, extra Monasterium, & Hospitia, Parochus Viaticum, & Extremam-Unctionem ministrat; nisi iste consentiat, ut per Regulares fiat, Donat. *prax. regul. tom.* 3. *tract.* 10. *q.* 9. *n.* 6.

9 Quæritur. An Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum possit asservari de licentia Episcopi in Ecclesia non Parochiali?

Respond. Negativè, ex Sacr. Congreg. Concilii Decreto de anno 1609. apud Genuen. *prax. c.* 110. A qua petebatur declarari. Primò. *An Episcopus posit concedere Ecclesiæ non Parochiali, ut in ea retineatur Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, solùm pro adoratione, vel requiratur authoritas Papæ?*

Secundò. *Præsupposito, quòd Episcopus concesserit licentiam asservandi Sanctissimum in Ecclesia non Parochiali pro adoratione, an possit Episcopus Successor dictam licentiam revocare?* S. Congr. respondit. *Ad primum. Id non posse concedi ab Ordinario, sed requiri licentiam Sedis Apostolicæ.*

Ad secundum. *Hujusmodi licentiam fuisse nullam, ac propterea ei non esse deferendum, nec esse necessariam revocationem.* Requiritur itaque privilegium Papæ, ut Regularibus datum fuit; & pro indulto recurritur ad Sanctam Sedem, ad quam recursum habuerunt Sorores Tertii Ordinis S. Francisci, existen-

ſtentes Lucæ, & viventes collegialiter abſque obligatione clauſuræ, ad effectum obtinendi facultatem retinendi in propria Eccleſia Sanctiſſimum Sacramentum. Exhibitiſque precibus S. Congr. Epiſcoporum: hæc ſub die 16. Novembr. 1708. d. facultatem conceſſit arbitrio Eminentiſſimi Epiſcopi ſine præiudicio iurium Parochialium, ac cum clauſulis, & reſtrictivis per Eminentiam Suam præſcribendis?

10 Regulares à Palmarum die uſque ad Dominicam in Albis Sæcularium Confeſſiones valent audire, ex S. Congreg. Conc. Decreto ſub die 9. Julii 1644. tenoris, qui ſequitur, S. Congr. &c. *poſt maturam diſcuſſionem cenſuit, Archiepiſcopum Burdigalenſem non poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè adminiſtrare non valeant Sacramentum Confeſſionis; poſſe tamen eiſdem prohibere, ut perſonis Sæcularibus in die Paſcatis non adminiſtrent Sanctiſſimæ Eucharistiæ Sacramentum, etiamſi dictæ perſonæ Sæculares alia die ſatisfecerint præcepto Eccleſiæ*. Quam determinationem ſub die 7. Februarii 1645. *Conſt. Exponi nobis*, relatam per Poncium *curſu Theol. diſp. 46. q. 9. num.* 121. confirmavit Innocentius X.

11 Et nedum tempore in decreto expreſſo Sæcularium Confeſſiones audire, verùm etiam iiſdem pro eodem, excepto die Paſchatis, valent Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare, prout propoſito dubio in cauſa Mechlinen. Miniſtrationis SS. Euchariſtiæ Sacramenti, an Patres Societatis, aliique Regulares poſſint miniſtrare SS. Euchariſtiæ Sacramentum perſonis ſæcularibus à Dominica Palmarum uſque per totam Dominicam in Albis? eadem S. Congr. Conc. die 31. Januarii 1682. *Reſpondit affirmativè, excepto die Paſchatis: ita tamen, ut Sæculares, ſumentes Euchariſtiam in Eccleſiis Regularium, in aliis diebus à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſivè, non ſatisfaciant præcepto Eccleſiaſtico*. Limita, niſi ſint Parochiæ, & tunc ſoli Parochiani.

CAPUT XLVII.

Officialis quoad Sanctorum Canonizationem.

SUMMARIUM.

1 *Beatificatio, & Canonizatio ſunt de reſervatis Romano Pontifici.*
2 *Quid ſit Canonizare.*
3 *Pontifex eſt infallibilis, tam in Canonizatione, quàm Beatificatione.*
4 *Sanctitas vitæ, & miracula ſunt neceſſaria in Beatificandis, & Canonizandis.*
5 *Virtutibus Theologicis Deus colitur.*
6 *Dilectio charitatis ſupponit Fidem, & Spem, nec excludit mercedem.*
7 *Actus virtutum moralium debent à charitate imperari: & eſſe in gradu heroico, & quid hoc ſit?*
8 *Quibus heroicitas probetur?*
9 *In heroicis gradus admittuntur.*
10 *Juſti ſentiunt motus fomitis.*
11 *Nec abſque extraordinario privilegio vitare poſſunt collectivè omnia venialia.*
12 *Conſtare debet de donis Spiritus Sancti, & fama Sanctitatis.*
13 *Miracula non efficiunt, ſed præmonſtrant Sanctitatem.*
14 *Agitur de natura miraculi, ejuſque diviſione.*
15 *Neceſſaria ad judicium formandum de opere miraculoſo.*
16 *Miracula teſtibus juratis ſunt probanda.*
17 *Debent ſeparatim examinari.*
18 *Teſtes debent eſſe de viſu.*
19 *Ut teſtes ſint conteſtes, quid neceſſe ſit?*
20 *Teſtes ſingulares non probant.*
21 *Nec teſtes de auditu alieno.*
22 *Morbi alii intrinſeci, alii extrinſeci?*
23 *Quando inſtrumentum naturæ miraculum impediat.*
24 *Cùm plures invocantur Sancti, cuinam tribuendum miraculum?*
25 *Martyrium eſt probandum per teſtes de viſu.*
26 *Martyrium dicitur teſtis Fidei.*
27 *Duplex eſt cauſa Martyrii.*

28 *Martyrium delet peccata, pœnamque remittit.*

29 *Hæretici non sustinent mortem pro Fide Christi.*

30 *Probato Martyrio, constare debet de miraculis pro canonizando tanquam Martyre.*

31 *Quæ corporis incorruptibilitas sit Sanctitatis indicium?*

32 *Fragantia odoris an sit Sanctitatis indicium?*

33 *Duo miracula sufficiunt ad Beatificationem.*

34 *Quando censendum sit constare aliquem libros scripsisse.*

35 *Historiæ fidem humanam faciunt.*

36 *Quibus probetur esse Historicis tamquam fide dignis credendum?*

37 *Benignè interpretantur Catholicorum scripta, ubi de malitia expressè non constat.*

38 *Protestatio Libro adjecta Authorem præservat ab errore contra fidem, modò error non sit manifestus.*

1 NEmini licere publico cultu, & veneratione in Ecclesia absque Apostolicæ Sedis auctoritate aliquem honorare, dixit textus *in cap. Audivimus, de reliq. & venerat. Sanctorum*: decrevit Tridentin. *sess. 25. in decret. de invocat. venerat. &c.* & est sensus communis Ecclesiæ. Inde patet, beatificationem, & canonizationem esse de reservatis Sedi Apostolicæ, Romano nimirùm Pontifici, qui sedet in Apostolica Sede; in quo est plenitudo potestatis à nullo homine recepta; & propterea baculo Pastorali non utitur, nec unquam usus est, ut probat Gonzalez in 1. *tit. 15. cap. 1. num.* 38. quo de alterius manu recepto utuntur Episcopi: per quod denotatur ipsos ab alio accipere jurisdictionem: cujus curvitate exprimitur jurisdictionem Episcopi esse limitatam, apud eundem *numer. 42.* Ad Pontificem proinde majores Ecclesiæ causæ referendæ sunt, *cap. Majores, de baptism.* Nec dubium esse potest, quòd illa beatificationis, & canonizationis sit de illarum numero; in qua tanta maturitate, & consilio Apostolica Sedes procedit.

Nec obstat, quòd sæpè Episcopi Martyres, & Confessores in propriis Diœcesibus publicæ venerationi exposuerint, ut testatur Ivo Carnoten. *part. 2. Decret. can.* 54. Nam id factum est tacita saltem approbatione Romani Pontificis, ut dixit Lezana *tom. 4. controvers. 2. numer.* 4. apud Petram *tom. 1. Comment. ad Const. Apost. ad 1. Eugenii III. num.* 28. & aliquando ipsorum cultum specialis Pontificis Constitutio ad universalem Ecclesiam ampliavit, decernendo publicè colendos, Gonzalez *in 3. tit. 45. caput. 1. num. 7.*

2 Beatificatio, & Canonizatio confundi non debent, cùm sint diversæ, quia diversa formula in eis Pontifex procedit: siquidem Beatorum cultum permittit, indulget, vel concedit uni loco, Regno, vel Provinciæ, prout expressè in Brevibus concessionis: Sanctorum verò venerationem pro Ecclesia universali (quæ tenetur Pontifici obedire) decernit, & definit: hinc canonizare est, *Pontificem aliquem sanctum Catalogo Sanctorum adscribere, & publicè, & solemniter declarare, & definire, ac statuere, ut tamquam Sanctus ab omnibus habeatur*, Fagnan. *in 3. ad cap. Audivimus, citat. tit. num.* 2. Diana *Coord. tom. 9. tract. 5. resolut. 15. num.* 5.

3 Qui & in beatificatione est infallibilis, cùm Pontifex infallibilis sit, & errare non possit in rebus spectantibus etiam ad cultum, & Religionem; res est omninò certa. Et præter dicta *c. 29. §. 4.* considerandum est etiam, quòd Ecclesia errare non potest, quia est *columna, & firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 3. Securitas verò non errandi, quam habet Ecclesia, fundatur in securitate non errandi, quam habet Pontifex; quoniam, ne corpus Ecclesiæ circa res Fidei, & morum, ac Religionis erraret, promissio facta est, & securitas non errandi priùs est data Capiti, & Magistro, ex cujus securitate resultat securitas in Ecclesiam (ex securitate enim fundamenti pendet illa ædificii) dicente Domino, Matth. 16. *Supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: hoc est, firmitas Ecclesię in ipsa firmitate Petri innitetur; ut ex Cano scripsit Cardenas *Cris. Theolog. p. 1. tract. 1. disp. 9. c. 6. art. 2. n. 63.* & facit textus *in Constitut. Redemptionem, Jo. XXII. la 11. Bull. tom.* 1. ibi: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: dumque pro Petro Christus rogat, pro ejus Ecclesia intercedit.*

Nec obstat dicere, quòd beatificatus non proponitur toti Ecclesiæ colendus, sed

ſed ſolùm alicui Regno particulari, Provinciæ, vel Ordini; & ideò non ſequitur, quod tota Eccleſia erraret, ſi Papa in beatificatione erraret. Nam ut benè obſervavit Diana *reſolut.* 17. *num.* 5. talis propoſitio etiam facta particulari Ordini, vel Regno, eſt res pertinens ad Religionem, & cultum, in qua Pontifex errare non poteſt. Tum quia, licèt Officium, & Miſſa pro tali Beato non concedatur omnibus, omnibus tamen in Eccleſia licet ſe illius precibus etiam publicè commendare, eumque Beatum colere, & pro tali reputare; atque ita Pontifex non poteſt cultum ut licitum probare, quia aliàs licitus non ſit; nec concedere, & indulgere, ut tanquam Beatus honorari poſſit is, qui Beatus non ſit, alias Eccleſia exponeretur periculo errandi, quod omninò repugnat, cum ſit fundata ſupra firmam petram; ut *loc. cit.* plenè probat Diana.

Apud quem *reſol.* 20. *num.* 6. Arriaga notavit, tam per canonizationem, quàm beatificationem cognoſci fidelem defunctum eſſe in gloria; per canonizationem quidem in forma expreſsè declarativa, & pronunciativa; per beatificationem verò in forma indultiva, & conceſſiva; & proindè nullus Catholicorum dubitat de ſanctitate illius, qui à Romano Pontifice eſt beatificatus, & canonizatus. Videantur Matta *de Canonizat. Sanct. par.* 4. *cap.* 1. *nu.* 1. & Lauræa *de fid. diſp.* 6. *art.* 3. §. 1.

4 Quæritur. *Quæ debeant concurrere ad hoc, ut aliquis à Romano Pontifice titulo Beati decoretur; & in Sanctorum numero, ac cathalogo adſcribatur?*

Reſp. Id expreſſit Gregorius IX. in canonizatione S. Antonii de Padua Conſtit. *Cum dicat Dominus*, la 4. *Bullar. tom.* 1. ibi §. 3. *Nos attendentes, quod licèt ad hoc, ut aliquis Sanctus ſit apud Dominum in Eccleſia triumphante, ſola ſufficiat finalis perſeverantia, juxta illud. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Ad hoc tamen, ut Sanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria*, virtus morum, *&* veritas ſignorum: *merita, videlicet, & miracula, ut hæc, & illa ſibi ad invicem conteſtentur, cum nec merita ſine miraculis plenè ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitatis, ſed cum merita ſana præcedunt miracula, certum præbent judicium ſanctitatis, ut nos ad illius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & ſigni ſubſequentibus exhibet venerandum*. Quæ duo ex verbis Euangeliſtæ pleniùs colliguntur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*.

Canonizari itaque is tantùm poteſt, de cujus excellentia vitæ, & miraculis, per probationem pleniſſimè conſtat, ad text. *in cap. Venerabili, de teſtib.* Nec ſufficit excellentia in unica virtute, ſed quantum ad omnes eſſe debet, ſecundum ea, quæ notantur *in cap. Quærendum, de pœn. diſt.* 2. Et inquirendum eſt, an ei, de quo canonizando agitur, anteacta vita teſtimonium præbeat *pro laboribus multis, pro moribus caſtis, pro actibus ſtrenuis, cap. Miramur 61. diſt.*

5 Primò autem conſtare debet de virtutibus theologicis, fide, ſpe, & charitate, quibus Deus colitur, per Auguſtinum *in Enchiridion cap.* 3. Fides enim nititur divinæ revelationi, firmiſſimè credendo vera eſſe, quæ Deus dixit, & Eccleſia proponit Deum dixiſſe: propter quod recognoſcitur prima, & ſumma Veritas, ac tantæ perfectionis, ut nec ipſe falli, nec alios fallere poſſit. Spe verò ab ejus miſericordia, & omnipotentia certò expectatur beatitudo cum cæteris bonis, tum ſupernaturalibus, tum etiam temporalibus, prout hæc ad vitam æternam conducunt. Et hac fiducia ipſum tamquam omnium bonorum auctorem, & miſericordem, ac omnipotentem fatemur. Charitate tandem Deus maximè colitur, ipſum ſuper omnia bona creata diligendo, ejuſque amicitiam cæteris bonis præferendò. Qua ratione proteſtamur, & eum recognoſcimus ſummum, & infinitum bonum, propter ſe ſuper omnia diligibile, & diligendum.

Et debent eſſe in gradu heroico, & excellentiſſimo, ut poſt alios probat Matta *cit. par.* 4. *cap.* 6. Atque à charitate fides, & ſpes debent eſſe formatæ. Nam charitas eſt cæterarum virtutum forma, & perfectio: unde Auguſtinus *ibid. cap.* 117. dixit: *Qui rectè amat, proculdubio rectè credit, & ſperat; qui verò non amat, inaniter credit, etiamſi vera ſint, quæ credit; inaniter ſperat, etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere, quæ ſperat.*

6 Di-

6 Dilectio verò charitatis fidem, & spem supponit, ut expressè Augustinus *tract.* 83. *in Jan.* ibi : *Ubi est dilectio, ibi necessario fides, & spes*. Et inde ex ejusdem sententia *serm.* 140. *de sanctis*, amor Dei gratuitus spem mercedis non tollit; ut expressè *serm.* 334. ibi : *Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari*; & *ser.* 91. *cap.* 3. ibi : *Amare Deum gratis, pietas est; nec sibi extra illum ponere mercedem, quam expectet ex illo*. In Psalm. 72. ibi : *Factum est cor castum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium; qui aliud præmium petit à Deo, & propterea vult servire Deo, cariùs facit, quod vult accipere, quam ipsum, à quo vult accipere. Quid ergo nullum præmium Dei? nullum præter ipsum. Præmium Dei, ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit; si aliud dilexerit, non erit castus amor. Recedis ab igne immortali, frigesces, corrumperis*. Et in Psalm. 134. ibi : *In ærumna, in laboribus, in vulneribus, in egestate constituti* (sancti, & justi) *laudaverunt Deum; non enim displicuit nec torquens. Hoc est gratis amare, non quasi proposita acceptione mercedis; quia ipsa merces tua summa, Deus ipse erit, quem gratis diligis; & sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet*. Quæ adnotari debuerunt adversùs nullas propositiones ab Innoc. XII. Const. *Cùm aliàs*, sub die 12. Martii 1699. damnatas, quæ à viris perfectis excludebant omnes actus, tum timoris, tum spei, tum proprii interesse, tamquam incompossibiles cum perfectorum statu.

Secundò, debet constare de virtutibus moralibus, seu Cardinalibus, aliisque eisdem annexis. De quibus D. August. *lib.* 83. *qq. quæst.* 31. Lauræa *tit. de virtutibus*, Matta *cit. par.* 2. *cap.* 1. & *seqq.* Pascuc. *tom.* 1. *de Canonizat. Sanctor.* Poncius *theol. disp.* 35. *q.* 1. *usque ad* 11. Contenson. *theolog. ment. & cord. tom.* 5. *lib.* 7.

7 Debentque esse charitate patriter formatæ; ipsarumque actus in Deum per charitatem referri, vel à charitate imperari, aliàs non essent meritorii de condigno; quia ad hoc necessarium à Theologis asseritur imperium ad minùs virtuale charitatis, hoc importans, quòd ipsi producantur virtute alicuius actus charitatis, qui eos præcedenter imperaverit, Poncius *theolgo. disp.* 36. *quæst.* 7. *num.* 9.

Quinimò debet comprobari eas fuisse in gradu excellenti, & heroico. Quoniam tam pro Beatificandis, quàm Canonizandis requiruntur virtutes Christianæ, non ordinariæ, & communes, sed quæ à Theologis vocantur heroicæ, seu in gradu heroico, per quas justus in Ecclesia militante ita se reddit illustrem, ut ad Dei gloriam, & aliorum exemplum, & incitamentum, fit dignus honore beatificationis, & canonizationis, ut per Matta *par.* 4. *cap.* 6. *num.* 49. In quo gradu reputantur esse cùm homo perfectè per charitatem Deo, & divinis stabiliter adhærens, cum adjutorio divinæ gratiæ operatur, cum prefecto dominio suarum passionum, refrænando, & superando motus inordinatos; nec deliberatè consentit alicui morali imperfectioni, cui insit ratio aliqua peccati, etiam levissimi, ut in terminis Esparza *theol. tom.* 1. *lib.* 6. *de virt. moral. q.* 5. §. *Infertur art.* 21. Postquem Pascucc. *cit.* dixit, per id Christianam virtutem in gradu heroico constitui, per quod ita in ratione virtutis pura, & defæcata redditur, ut nec ratione objecti, finis, vel circumstantiarum, quidquam mundanæ cupiditatis admixtum habeat. Et proindè prorumpit in actum superantem communem modum operandi hominum.

Observandum tamen est, heroicitatem in actibus non consistere in indivisibili, sed habere gradus, & latitudinem, ac suscipere magis, & minùs; adeòut detur major, vel minor actuum hæroicitas. Et ad constituendum heroem, sat, est quòd ejus operationes fuerint in gradu heroicitatis, & supra communem hominum virtuosè operantium conditionem operatus fuerit, ita Matta *ibid. sub num.* 7. Exemplificari potest illo Matth. 13. ubi de semine, quod cecidit in terram bonam, dicitur fecisse fructum, aliud *trigesimum*, aliud *sexagesimum*, aliud *centesimum*.

8 Heroicitatis indicia refert ipse *ibid. num.* 5. & *par.* 2. *cap.* 15. *numer.* 67. & *seqq.* Probaturque I. Ex perfecta subjectione ad Sanctam Romanam Ecclesiam, credendo, quæ proponit, & observando exactè Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, atque Conciliorum Decreta.

II. Ex frequentia Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & orationis.

III.

III. Ex assidua carnis maceratione, pœnisque corporis afflictivis, quibus frænatur carnis concupiscentia, & reprimuntur passiones iræ, quæ ultionem quærit: cupiditatis, quæ opes desiderat: & libidinis, quæ ad carnis illecebras allicit.

IV. Ex tolerantia persecutionum, tribulationum, & adversitatum propter Deum, ex *cap. Vide* 1.*q.*1. Nam *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam*.

V. Ex continuo exercitio virtutum, etiam in minimis erga illa præcepta: *Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, &c.*

VI. Ex charitate, & zelo erga proximum.

VII. Ex humilitate, quia Deus *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Jacob. 4.

VIII. Ex miraculis à Deo patratis propter meritum, & intercessionem suorum heroum, ante, vel post obitum ipsorum. Sunt enim hæc ex doctrina Esparzæ *cit. art.* 26. de supremo genere signorum sensibilium, per quæ tollitur totalis suspicio occultæ hypocrisis, atque finalis perseverantiæ, & sanctitatis dubietas.

9 Cæterùm in definiendis gradibus heroicitatis actuum virtutum servorum Dei, est respiciendum ad statum, sexum, circumstantias, & conditionem illius, de cujus beatificatione, vel canonizatione agitur. Quod enim in uno est heroicum, in alio propter circumstantias non erit: ut patet ex facto illo viduæ, quæ duo tantùm minuta misit in gazophilacium; in quo, ex testimonio Christi Lucæ 21. fuit excellens, & in gradu heroico, cùm dederit, quod habuit. Quod sanè ad heroicitatem non reputatur diviti, & abundanti.

10 Nec heroicitas in hoc est ponenda, quòd quis ita virtuosè operetur, ut motus appetitus sensitivi non sentiat, ut notatur à Matta *d. cap. 6. num.* 4. Quoniam justi (excipio B. Virginem, nunquam ad talem perfectionem sanctitatis perveniunt, ut totaliter fomitem extinguant, ex testimonio Pauli, qui licèt heroicæ sanctitatis fuerit, tamen liber, & immunis non fuit à fomite, & motibus inordinatis concupiscentiæ; ut loquitur ad Roman. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*; & 2. ad Corinth. 12. *Datus est mihi stimulus carnis meæ*. Et Augustinus *serm.* 151. *de verb. Apost. cap.* 5. dixit. *Semper gaudendum est, quia ipsa concupiscentia, cum qua nati sumus, finiri non potest, quamdiù vivimus: quotidiè minui potest, finiri non potest*. Et Trid. *sess.* 5. *de decret. peccat. origin.* decrevit. *Concupiscentiam, vel fomitem manere in baptizatis; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet*. Quare fuit error Michaelis de Molinos, proscriptus ab Innoc. XI. de anno 1687. in ejusdem propositione 56. in qua extinctionem fomitis pro suis pseudo-perfectis asseruit.

11 Nec in hoc constituitur, quòd justi absque privilegio extraordinario possint vitare omnia venialia collectivè; quod fuisse B. Virgini concessum tenet Ecclesia. Trid. *sess.6. can.*23. *de justif. & cap.* 11. dixit: *Homines quantumvis sanctos quandoque in venialia cadere*. Proindè tametsi cum auxiliis ordinariis gratiæ possint vitare omnia, quæ sunt venialia ex genere suo, ut est mendacium jocosum; aut ex levitate materiæ, ut est furtum unius quadrantis; nequeunt tamen absq; dicto privilegio vitare collectivè omnia venialia, quæ dicuntur ex subreptione, non plena advertentia, & non perfecta deliberatione. Unde sciendum hominem circa motus inordinatos concupiscentiæ triplici modo posse se habere; sine peccato, si nullo modo consentiat; cùm peccato mortali, si deliberatè consentiat; & cum veniali, si cum semiplena deliberatione consensum præstet, Abelly *medull. par.* 1. *tom.* 2. *cap.* 2. *sect.* 3. *num.* 4.

12 Tertiò. Constare debet de donis Spiritus Sancti, apud *cit.*

Quartò. De fama publica sanctitatis vitæ, iuxtà illud: *Oportet enim hoc præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ praconiis non taceri, cap. Quatuor* 12.*q.*2.

13 Quintò. De miraculis, quæ quidem sanctitatem non efficiunt, sed ostendunt, simulque manifestant Deum velle, ut in Ecclesia militanti publica veneratione colantur, qui propter excellentiam vitæ celebres fuerunt. Non enim omnes iustos vult Deus tali cultu decorare, sed eos dumtaxat, ad quorum merita, maximè post ipsorum mortem, miracula facit: prout habetur ex Const. *Mira. Greg. IX. la.* 1. *pro Canonizatione Sancti Francisci*

Bul.

Bullar. tom. 1. ibi . *Sanè licèt ejus vita tam sancta, quàm strenua, & praclara, sibi sufficeret ad obtinendum consortium Ecclesiæ triumphantis, quia tamen militans, quæ solummodò videt in facie, non præsumit de his, quæ de suo foro non sunt, auctoritate propria judicare, ut illos pro vita tantùm venerandos assumat; præsertim quia non nunquam Angelus Sathanæ in lucis Angelum se transformat; misericors Deus, &c. vitam ejus fuisse acceptam, & ipsius memoriam esse a militanti Ecclesia venerandam multis, & præclaris miraculis declaravit.*

Nec unquam in Albo Sanctorum Sedes Apostolica aliquem scribit, nisi miracula post illius obitum Deus patraverit in sanctitatis suffragium, & divinæ voluntatis manifestationem, ut notavit alleg. Esparza *ibid.*

14 Est autem miraculum, *Opus excedens vires totius naturæ creatæ agentis*; ut communiter DD. Auguft. *lib. de utilit. credendi cap.* 16. scribens ibi . *Miraculum voco, quidquid arduum, aut insolitum supra spem, vel facultatem mirantis apparet*. Triplici verò modo potest aliquod esse supra vires naturæ. Primò, *vel quantum ad substantiam facti, vel id, quod fit*; ut si Sol stet, corpus in via glorificetur, &c. Ad hæc enim natura vires non habet. Et ad primum genus miraculorum spectant.

Secundò. *Vel quantum ad subjectum, vel id; in quo fit*; ut est suscitatio mortuorum, illuminatio cœcorum, claudorum erectio, &c. Potest sanè natura vitam dare, sed non mortuo; visum, sed non cœco; rectitudinem, sed non claudo. Hæc secundum genus miraculorum constituunt.

Tertiò. *Vel quantum ad modum, vel tempus faciendi*; ut si subitò maris tempestas cesset, sanitas infirmo reddatur, &c. Nihil magis frequens est, quàm quòd ventus, & fluxus maris quiescant; sed non subitò omnes, sed successivè. Potest natura medicamentis, & crysibus morbos expellere, & causas infirmitatum removere, sed non in instanti; cùm natura in tempore, & per alterationes agendo procedat. De huiusmodi sanationum natura, ut sint miraculosæ, est, ut fiant in instanti, prout obvia exempla refert Scriptura; & D. Augustinus *loc. cit.* dixit: *Si quis autem gravi, & desperato morbo affectus, mox, ut jussum fuerit, convalescat, admirationem sanitatis suæ, sanitatis etiam charitate superabit*. Vide d. divisionem miraculi *in Bulla Canonizationis S. Leopoldi Austriaci, ut in Const. Sacrosanctam, la* 19. §. 6. *Innoc. VIII. Bullar. tom.* 1.

15 Plura autem ex observatis à Zacchia *quæst. Medicoleg. lib.* 4. *tit.* 1. *qu.* 3. sunt necessaria, ut opus sit verè miraculosum.

I. Ut juxta qualitatem miraculi appareat esse supra vires naturæ creatæ.

II. Quòd fiat sola divina virtute, non ex arte diabolica. Sed adverte, quòd quæ diabolica arte fiunt, non sunt vera miracula, licèt mira quædam, & ardua videantur, fallentia sensum; sed magica præstigia, ut legitur *cap. Nec mirum* 26. *q.* 1. D. August. *lib.* 83. *qq. q.* 79.

III. Quòd ex merito hominum, & non ex vi verborum contingat, quomodo panis, & vinum virtute verborum consecrationis transubstantiantur in Corpus, & Sanguinem Christi, *cap. Quia corpus, de consecr. dist.* 2.

IV. Quòd effectus sit evidens sub sensu, aliàs de eo non possent testes legitimè deponere, nec reddere causam scientiæ.

V. Ut fiat ab corroborationem fidei, hominum salutem, & Dei gloriam. Nam herba hominum ministerio transit in vitrum, nec per hoc fides roboratur, ut ex Hostien. notavit Peyrin. *de privil. ad Const.* 17. *Leonis X.*

VI. Quòd ipse effectus in his, quæ naturaliter fieri possunt (ut sunt, v. g. sanationes) fiat in instanti ad invocationem Servi Dei, vel applicationem Reliquiæ. Ita Scriptura, dum de istis loquitur, utitur clausulis. *Illicò, statim, subitò, confestim.* Patet in sanatione Socrus Simonis à febri. *Marci* 1. De sanatione Mulieris à sanguinis profluvio. *Mar.* 5. De salute reddita Paralytico. *Lucæ* 5. De rectitudine data Claudo. *Actor.* 3. & mille aliis.

VII. Ut effectus sit absque dolore; sed hoc exemplis rejicitur à Laurea *t.* 4. *disp.* 20. *art.* 21. *num.* 896. modò concurrant cætera requisita ad miraculum.

VIII. Ut concludentissimè probetur utrumque extremum; causa exempli, in illis primi generis, ver. gr. *defectus frumenti, & ejusdem multiplicatio*; in aliis secundi generi: *mors, & subsequens vita*; *cæcitas, & subquens visu*; & in eis tertii gene-

generis: *Morbi gravitas, insanabilitas, & inutilis remediorum applicatio, ac instantanea sanatio.*

IX. Quòd effectus sit undequaque perfectus, non mancus, ita nimirum, ut mortuus resuscitatus, non statim itèrum moriatur; nec cæcus, visu recepto, illicò visione privetur; neque à febri maligna sanatus, in quartanam decidat. Quia sanari non dicitur morbus, qui alterum morbum facit, per Galen. *lib. 6. de aphor.* 26. Ratio est, quia cum miraculum fit à Deo, ut causa supernaturali, & perfectissima, perfectum omninò esse debet.

X. Quòd in sanationibus miraculosis antiqua valetudo cum totali virium restauratione reddatur: ex debilitate enim, quæ remaneret, præsumptio esset, quod sanitas fuisset à natura, facta aliqua crysi à circumstantibus non observata; ita Scriptura in socru Simonis liberatione à febri annectit totalium virium recuperationem, Lucæ 4. illis verbis: *Et continuò surgens ministrabat illis*; quasi non fuisset infirma.

16 Debent miracula probari per testes juratos, tactis sacris Euangeliis (exceptis Episcopis, & Cardinalibus; ad quorum juramentum sufficit, ut fiat tacto pectore, ut in litteris remissorialibus, Matta *p. 5. c. 2. n. 59.*) aliàs non probant, *c. Nuper, de testib. & cap. Qualiter, & quando, il 1. §. Formam verò, de accusat.* Quia in juramento consistit substantia depositionis, ut ex Thusco, Rosa *de execut. lit. Apostolic. pro canonizat. cap. unic. num. 96.* Adeòut non sufficiat Crucem tangere, esset enim contra formam, ibidem.

Nec est necesse, quòd jurent ante, sed sufficit jurare in actu examinis, antequam testis deponat, ibid. Rosa *num.* 267. Præstationem autem juramenti debent judices remissoriales subscribere, & de ea Notarius debet facere publicum rogitum.

17 Sunt testes examinandi seorsim, & sigillatim, ad text. *in cap. Venerabili, de testib.* ubi Gloss. *verb. Examinare*, reddit rationem, quia alioquin unus alium instrueret, & sequeretur dictum alterius; & ita non posset falsitas eorum facilè deprehendi. Adeòut processus sit nullus, si contrarium practicetur; de quo hodie non est dubitandum, cum ponatur de forma in litteris remissorialibus, quod sigillatim, & separatim examinentur, ut ibidem Rosa notavit *num.* 113.

18 Et debent examinari testes de visu; quibus dumtaxat miracula probantur. Ubi majus est periculum, ubi cautius est agendum, per Gloss. *in cap. Venerabili, ver. Diligentia.* In miraculis enim tria probari debent: ægritudo, vel mors: invocatio, & sanitas subitò obtenta, vel vita; quæ aliter probari non possunt, quàm per visum; & tunc testes possunt reddere causam scientiæ.

Et sufficiunt duo testes contestes, quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum, *cap. In omni, de testib.*

19 Ut autem sint contestes, debent concordare in omnibus pertinentibus ad substantiam facti, & essentiam miraculi; licèt varient in aliquo accidentali; ut si unus dixerit sanationem evenisse de manè, & alter de vesperè, modò de infirmitate invalidi, de invocatione, & instantanea perfecta sanatione deponant. Nam quid facilius, quàm temporis differentiam è memoria hominum excidere, Laur. *art.* 25. §. 2. *n.* 1084. & 1099.

Et adverte, quòd dictum unius testis nihil probat, quamvis sit cujusvis excellentis personæ, ad text. *in cap. Veniens, de testib.* & in casu procedit vulgatum axioma: *Dictum unius, dictum nullius.*

20 Nec etiam in hac materia probant testes singulares, quia eorum dicta ex factorum diversitate separationem recipiunt, & ad probandum non conjunguntur, ut *in cap. Licèt causam, de probat.* & ibi Gloss. *verb. Singularis.* Ratio est, quia cum sint soli, unius dictum non coadjuvat dictum alterius, & ideò remanet dubium, & potest esse, & non esse, quapropter non potest judex formare certum judicium, quod ad sententiam requiritur: qua parte verò sunt contestes, dictum unius ab altero confirmatur, excluditurque dubietas, ut judex possit ad sententiam venire. Et procedit non modò, quando singularitas est obstativa, in qua testes repugnantia, & contraria deponunt; sed etiam in singularitate diversificativa, in qua diversa deponunt. Nec sufficit singularitas adminiculativa, quia hæc solùm semiplenam probationem aliquando inducit. Quinam verò testes dicantur singulares, refert Gonzalez in 2. *tit.* 20. *ad d. cap. Veniens, de testib. num.* 5. Sousa *aphoris. lib.* 2. *c.* 15.

21 Ne-

21 Neque probationem de miraculis faciunt testes de auditu alieno; quia in auditu alieno non potest haberi ratio scientiæ, quam reddere debet testis, ut dictum suum plenè probet; & ita non haberetur veritas, sed solùm quædam relatio veritatis, quæ probationem non facit; solum possunt deservire pro adminiculis. In testibus enim de auditu alieno illud potest procedere: *Fama crescit eundo, sed per mendacia*.

Sed quæritur. An medici possint judicare opus miraculosum, cùm ab aliis de morbo, & sanatione relationem accipiunt, non tamen ipsi observarunt, & ita de auditu alieno discurrunt?

22 Distinguitur. Vel sumus in morbis intrinsecis, quorum causa, & origo nota non sit videntibus ægrotum, vel in morbis extrinsecis, in quibus de origine, causa, & radice morbi extrinsecus, & intuitivè per sensus clarè, & patenter constat: in primo casu negatur, tametsi sanationes contingant in instanti, & videantur miraculosæ, quia intellectus non potest esse certus, quòd sint miracula: in secundò verò potest affirmari, quia testes possunt deponere, quòd infirmus laborabat tali infirmitate cum talibus symptomatibus; quod medicamenta fuerunt inutilia, & posteà, invocato aliquo servo Dei, vel applicata Reliquia, est absque medicamento humano, vel crysi naturæ, statim perfectè sanatus, nulla etiam debilitate remanente. Per quæ videtur posse medicum arbitrari de miraculo. Nam sicut in absentia hujus conditionis morbos posset ad informationem testium remediis curare; ita potest de miraculo concludere. Etenim natura in instanti operari non potest, sed per alterationes procedit, quæ fiunt in tempore. Verùm cautum judicium esse debet propter periculum erroris ob imperitiam deponentium. Videatur Matta *d.par.*4.*cap.*12.*num.* 26. Rosa *cit.num.*236.

23 Sed inquiritur. An ministerium, & instrumentum naturæ excludat essentiam miraculi?

Resp. Negativè, si instrumentum non sit potens, sed potiùs improportionata causa ad effectum miraculosum producendum; quidquid dixerit Matta *d. par. cap.*9. *num.* 2. Id enim videtur expressum in Bulla Canonizationis Sancti Francisci de Paula, ut in *Const. Excelsus, la* 28. Leonis X. *Bullar. tom.* 1. in qua ut miraculosæ fuerunt judicatæ quædam sanationes, licèt fuerint simplicia instrumenta adhibita, ut ibi §.17. 20. & 23 Laur. *art.* 21. *n.* 893.

Nec minùs rationi miraculi videtur officere effectus, qui ad sanationem sequitur. ut si ægrotus in actu sanationis sudet, sputet, &c. quia hæc verissimè censeri debent effectus potiùs miraculi, & non remedium, maximè si in miraculis tertii generis, juxtà dicta, nulla remaneat in patiente lassitudo, & membrorum debilitas.

24 Sed quid, si testes deponerent, in actu sanationis fuisse plures Sanctos invocatos, cui miraculum tribuendum?

Resp. Sunt in casu attendenda, finis operis, complementum, & devotio patientis, vel parentum ejusdem. Est indubitatum, accessum ad capellam, vel sepulchrum, aut applicationem Reliquię unius servi Dei prę alio specificare intentionem, eamque ad unum potiùs, quàm ad alium dirigere; atque ita operantur, quod miraculum à Deo factum sit ad intercessionem illius, erga quem major est fervor devotionis, ut dixit Laur. *cit. art.* 25. §. 1. *n.* 1063.

25 Quæritur. De quibus constare debet, cum agitur de canonizandis viris in Martyrio mortuis?

Resp. Debet plenè per testes de visu constare de Martyrio, etiamsi Martyrium fuerit notorium, ut probat Matta *par.* 4. *c.* 21. *n.* 6. & Rosa *cit. n.* 260.

26 Item, omninò constare debet de causa Martyrii, nimirùm quòd mors ab extrinseco violēter illata fuerit, & cum alacritate ob fidem Catholicam, & veritatem Christianam patienter suscepta. Martyr enim, per Augustinum *ad cap.* 39. in Job, dicitur, *Intrepidus, & alacer testis fidei*; & Martyrium est *opus externum, per quod patiens est testis fidei. & Christianæ veritatis*. Quod quidem Martyrium ex parte mortem inferentis est delictum peccaminosum, & punibile; ex parte verò patientis est actus perfectissimæ charitatis, juxtà illud Joan. 15. *Majorem hac charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Quare in Martyrio commendatur charitas, quia ejus motivum est dilectio, cum propter amorem Dei super omnia, etiam supra nostram vitam, mors eligatur. Finis verò est fides, quia propter fidei veritatem mors suscipitur. Spes etiam in

in eo elucet, quia propter retributionem æternam, etiam propria vita negligitur; est opus fortitudinis, quia propter bonum virtutis voluntariè mors sustinetur: *Martyres enim non repugnando, sed moriendo vicerunt*, August. *lib. 22. de Civit. Dei cap. 9.*

27 Duplex autem est causa martyrii, una extrinseca, & finalis, & hæc est confessio fidei Catholicæ: & alia intrinseca, & meritoria, & hæc est charitas perfectissima, à qua imperatur. Constito autem de utraque causa, non est opus probare virtutes, quia jam constat de perfectissima charitate, quæ est cæterarum virtutum forma, & perfectio; indeque aliæ virtutes videntur probatæ, ut ex Rosa *n.* 261. & Matta *par. 2. cap. 14. num. 22.* dixit, virtutes omnes in Sanctis fuisse, licèt quoad actum in omnibus non resplenduerint; aliquosque laudari præ aliis propter excellentem promptitudinem ad actum potiùs unius virtutis, quàm alterius; ita Martyres specialiter propter martyrium laudantur. Sic Virgines, quas Ecclesias colit, omnibus, & singulis virtutibus dixit fuisse præditas, aliàs non colerentur; cùm castitas sine bonis operibus magna non sit, ut loquitur Div. Gregorius *hom. 13. in Evangel. Luc.*

28 Est tanta prærogativa martyrii, ut ex opere operato omnia peccata, etiam originale, remittat, & pœnam eis debitam deleat, *cap. Baptismi vicem, c. Cathecumenam, de consecr. dist. 4.* & dixit Augustin. *de anim. & ejus orig. lib. 1. cap. 9. & lib. 2. cap. 12.* Verùm in adultis requiritur voluntas, & intentio patiendi, ne passio remaneat indeterminata, sed ad finem supernaturalem ordinetur; formalisque de peccatis personalibus dolor, si ad ea advertatur.

Cùm verò causa, & non pœna veros Martires faciat, ex eodem *serm. 285. de Sanct. in Natal. Cast. & Æmil. & Deus non nostris cruciatibus, sed nostra justitia delectetur*, ut ibid. Sanctus Doctor; sequitur iis non prodesse, qui non ex motivo charitatis illud eligunt, quia à charitate martyrium robur accipit, ut in *Psalm. 47.* ipse loquitur: *Et si charitas deest, nil passio prodest, lib. 4. de baptism. contra Donatistas cap. 17.* Et facit illud Pauli I. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Nec iis prodest, qui sunt extra Ecclesiam Catholicam, ut idem S. Doctor. *serm. ad Cæsarcensis Ecclesiæ plebem*; extra quam non est salus, ad text. *in cap. Unam sanctam, de majorit. & obedient. inter com.*

29 Dices. Hæretici sæpè martyrium subeunt propter fidem Christi.

Resp. Hæreticos non pro fide Christi mortem subire, sed ex abundantia sui sensus, & pertinacia ad suos errores, ad text. August. *serm. 328. in Natal. Martyr.* ibi: *Omnes hæretici etiam pro falsitate patiuntur, non pro veritate, quia mentiuntur contra ipsum Christum.* Nec ipsi credunt fide supernaturali, cùm ad ita credendum necesse sit credere propter revelationem Dei ab Ecclesia infallibiliter propositam; propositionem autem Ecclesiæ heretici non recipiunt, aliàs adæquatè susciperent, & crederent omnia, quæ Ecclesia proponit esse à Deo revelata; quòd non agunt; ideò solùm fide naturali credunt, & mentiuntur Christo, quia non credunt quidquid ipse revelavit, & credendum ab Ecclesia proponitur. Consequenter nec charitate in Deum ad patiendum moventur, quia charitas supernaturalis fidem supernaturalem prærequirit, qua obiectum proponatur: *Fides enim est radix, & fundamentum justificationis* Triden. *sess. 6. cap. 8. de justific.* Augustinus *epist. 194. ad Sixtum cap. 2.* dixit, *à fide omnem justitiam initium sumere.*

30 An etiam, probato plenè martyrio, debeat omninò constare de miraculis?

Affirmatur. Non quòd miracula sint necessaria ad essentiam martirii, sed vel ut per ea signa sensibilia Deus Ecclesiam certificet, quòd opus martyrii fuit excellentissimæ charitatis, non ob alium finem, quàm charitatis supernaturalis assumptum; vel etiam ut eisdem Ecclesia cognoscat Deum velle, quòd Martyres ab Ecclesia publico cultu honorentur. Vide Matta *par. 4. cap. 7. num. 12.* Petra *tom. 2. ad constit. Alexander III. num. 15.*

31 Non quævis incorruptibilitas corporis defuncti præbet judicium sanctitatis, ut pluribus probat Matta *par. 3. cap. 14.* Quia etiam naturaliter corporum integritas, & incorruptibilitas contingere potest. Sed tunc solum, cùm probata excellentia vitæ, corpus incorruptum invenitur; maximè si sit molle, flexibile, & incorruptum

non

non modò secundùm solidiores, & siccio res partes, verùm etiam quoad molliores, & humidiores, easque, quæ sunt ad putrefactionem magis aptæ.

32 Pariter non quævis fragrantia, & odoris suavitas, quæ percipitur in aperitione arcæ, urnæ, vel sepulchri, in quo sit corpus servi Dei, est sanctitatis argumentum; de quo Matta *dict. par. cap.* 15. *num.*7. sed tunc solùm supernaturalis est judicanda (repræsentas effectum gratiæ qua sicut bono odore plenus fuit) cùm jam fuit plenè probata morum integritas, & sanctitas vitæ; nec miraculo adscribitur, nisi priùs probetur negativa, hoc est, quòd non potuerit provenire ex aliqua causa naturali in arca, vel capella secretò reposita; super quo adhibenda est diligentia etiam exacta; tunc certè odor miraculosus, & supernaturalis censendus erit; præsertim si ex peritorum, & percipientium testimonio talis conditionis fuerit, ut excesserit quemcumque odorem naturalem, & nullis sit similis; fueritque non modò naribus suavis, sed etiam manus, vel vestes ita affecerit, ut per plures horas, vel dies permanserit; & concludentiùs, si eo percepto, aliquis fuerit illico sanitati restitutus.

33 De numero miraculorum sufficienti ad beatificationem, & canonizationem, scripsit Matta *par.* 4. *cap.* 7. *num.*9. *& seqq.* & ibi testatur de praxi, quòd duo ad beatificationem sint satis, & alia duo de necessitate requirantur ad docendum continuationem miraculorum post indultam Beato venerationem. De quibus plenissimè constare debet, esse supra vires naturæ, saltem quoad modum.

34 Tandem cum Decretis generalibus Urbani VIII. §. *Pretereà*, apud Mattam *cit.* hæc sint: *Illud etiam diligentissimè indagandum est, an ille, vel illa, pro cujus canonizatione istatur, scripserit aliquos libros, tractatus, opuscula, meditationes vel quid simile; nam si scripsisse constiterit, non priùs est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quàm tales libri diligenter* in Sacra Congregatione *examinentur, utrùm contineant errores contra fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, & peregrinam, atque à communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine alienam;* oritur difficultas, quando sit verificabile illud; *si scripsisse constiterit*?

Resp. Quando habetur concludens, & plena probatio, non autem præsumptiva. Non enim potest dici verè constare de eo, quod solùm ex conjecturis, & præsumptionibus constat, ad text. *in c. Lucius, ff. de condit. & demonstr.* apud Sperellum *decis.* 101. *num.* 25. Apud quem Farinac. *cons.* 76. firmavit, probationem per præsumptionem, & conjecturas non esse veram probationem, prout de clausula, *constito*; requirere veras, & concludentes probationes, affirmat Rosa *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. *cit.* Barbosa, & Rota.

Sed adhuc est dubium, quando dici debeat plenè, & concludenter constare?

Resp. Cùm talia producuntur, ut prudens dubium tollatur, animusque judicis moveri possit ad prudenter pronunciandum *scripsisse*; quod pluribus potest præstari.

I. Si manuscripta fuerint conservata in archivio habent requisita necessaria ad conciliandam fidem scripturis in eo asservatis, ex dictis *cap.* 28. *num.*30.

II. Si in Codice habeatur subscriptio Notarii, & reddentis testimonium, vel quòd Auctor propria manu scripserit, aut amanuensi dictaverit.

III. Si per collationem à peritis factam ad alias litteras, à servo Dei ad aliquem missas, & adhuc existentes, identitas characteris dubia non sit, vel stylus dictaturæ concordet.

35 IV. Si scriptores contemporanei cum servo Dei referant opuscula ab eodem esse edita. Etenim cum simus in antiquis, plurimùm ad probationem conducunt veterum historiæ, & rerum gestarum Chronicæ, & hæc documenta fidem humanam facere, dixit Gonzalez *in* 2. *tit.* 19. *cap.* 13. *num.* 4. *de probat.* Ad quæ recurrimus pro habenda rerum veterum notitia, eisque adjuvamur, ex sententia Augustini *lib.* 2. *c.* 28. *de doctrin. Christ.* ibi: *Quidquid de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur historia, plurimùm nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos.* Et infrà: *Historia facta narrat fideliter, atque utiliter.*

36 Quid autem opus sit ad judicandum, quòd aliquis historicus non sit fide dignus? habetur ex Juvenin. *tom.* 1. *instit. theolog. dissert.* 4. *quæst.* 8. Et primò videndum.

dum, an sit coetaneus rei, quam enarrat: non enim fidem meretur, si multis post annis eam evulgat. Quo etiam titulo rejici debet narratio de Joanna Papissa, quam Marianus Scotus ducentis, & amplius annis, postquam contigisse fabulatur, evulgavit apud Spondan. *Epit. ad ann.* 853. *num.* 5.

Secundò. An ejus fides sit suspecta, ex quo sæpè in factorum relatione deceptus reperiatur, vel falsa narrasse.

Tertiò. An ipsius intersit facta sic extitisse, quemadmodum ab eo referuntur. Propter quod fides Eusebii Cæsariensis in rebus, quæ ad Arianos spectant, dubia est: dum Arianismo, & ipso tactus creditur. Spondanus ad an. 340. *num.* 12.

Quartò. Si in narratione facti graves, & probati Historici contradicant. Lege etiam Augustinum relatum *in cap. Ego solis 9. dist.* Et memoriæ retineas regulam: *Multa juncta juvant, quæ singula non prosunt.*

37 Constito autem opuscula, & codices fuisse à servo Dei elucubratos, procedendum est ad examen doctrinæ. At ubi dubium aliquod occurit, benigna interpretatio de viris aliàs doctissimis, & in unitate Ecclesiæ, ac fama sanctitatis defunctis, est facienda, secundùm monitum D. Thomæ 2.2. *quæst.* 60. *art.* 4. *in corp.* ibi: *Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est.* Id enim solitum est prudentiæ, & pietatis Catholicæ, ut dixit Juvenin ubi suprà *quæst.* 7. *cap.* 2.

38 Verùm, auctor à quavis suspicione erroris in fide, censura, & macula præservatur à protestatione libro adjecta, qua se ipsum, & scripta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio, & auctoritati submittit. Qua probatur, ejus intentionis non fuisse (quando etiam fortè aliquid per errorem scripserit) pertinacia defendere, ad text. *in cap. Damnamus de Summa Trinitate cap. Hæc est fides 24. quæst. 1. cap. Dixit Apostolus dicto cap.* 93. & docuit Augustinus *Epistola* 43. *ad Glorium, & Eleusium cap.* 1. ibi, *Sed qui sententiam suam, quamvis falsam, atque periculosam, nulla pertinaci animositate defendunt; & præsertim, quam non audacia præsumptiones suæ pepererunt: sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt; quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint: nequaquam sunt inter hæreticos reputandi.*

Cæterùm protestatio excusat solùm in obscuris, & adhuc non definitis per Ecclesiam; non verò in manifestis, & quæ jam definita reperiuntur: præsertim, si liber, & protestatio opus sit viri docti, cùm de eo præsumptio sit, quòd definitionem Ecclesiæ non ignoret. Sousa *Aphorism. lib.* 1. *c.* 14. *num.* 5. Tunc enim protestatio esset contraria facto.

CAPUT XLVIII.

Officialis quoad Sepulturas.

SUMMARIUM.

1 *Regulares habent jus sepulturæ in propriis Ecclesiis.*

2 *An Regulares possint dicto jure renunciare. Distinguas de Conventu construendo, vel constructo.*

3 *Transactio non semper obligat successores.*

4 *In Ecclesiis Monialium nequent sepeliri corpora defunctorum; ubi de licentia S. Congr. quantùm ad Ecclesias exteriores.*

5 *Sepulturæ non possunt supra Altare, nec sub Altaris prædella esse.*

6 *Corpora defunctorum ponenda sunt subtus terram.*

7 *Est prærogativa solius Romani Pontificis, quòd in locis supra terram sepeliatur.*

8 *Parochi non possunt plus petere ob sepulturas electas apud Regulares, quàm exigerent, si corpora defunctorum sepelirentur in Parochiali.*

9 *De loco, quo sunt sepeliendi Eminentissimi Cardinales.*

10 *Cardinales sunt successores Apostolorum.*

11 *Agitur de loco sepulturæ Episcopi, & beneficiatorum.*

12 *Et de sepultura peregrinorum, & exterorum.*

13 *Et de illa habentis domum in Civitate, & in rure.*

14 *Hospites decedentes in Monasteriis Regularium, quo sepeliantur?*

15 *Oblati, habentes requisita, sepeliuntur in Ecclesiis Regularium.*
16 *Regularis decedens extra Conventum non semper sepelitur in Monasterio.*
17 *An Dominicanus hospes ad Minores, apud istos sepeliri debeat?*
18 *Expensæ in funere faciendæ sunt à Conventu Religiosi defuncti.*
19 *Religiosus expulsus sepelitur in Parochia, si alibi sepulturam non elegerit.*
20 *Confratres Confraternitatum existentium in Ecclesiis Regularium sepeliuntur in Parochia, si inelecta sepultura decedant.*
21 *Etiam si in illis adesset sepultura pro Confratribus.*
22 *Filii impuberes non possunt sepulturam eligere; & de eorum sepultura.*
23 *Quodnam dicatur sepulchrum majorum.*
24 *Pater eligere potest filiis impuberibus sepulturam.*
25 *Et etiam mater, ubi est consuetudo.*
26 *Uxor sepelitur in sepulchro mariti; vide limitationes.*
27 *An valeat electio sepulturæ facta à commissario.*
28 *Pœnæ contra Clericos, & Regulares inducentes voto &c. ad eligendam sepulturam in propriis Ecclesiis.*
29 *Incurritur excommunicatio Papæ reservata.*
30 *Pluribus probatur electio sepulturæ.*
31 *Responsa S.C.C. ad dubia excitata super electione sepulturæ.*
32 *Agitur de sepultura Cordigerorum Sancti Francisci.*

1 QUamvis olim non possent Regulares in suis Ecclesiis Sæculares sepelire, nisi de licentia Parochi, ut ex D. Greg. notavit Gonzalez *in* 3. *Decretal. tit.* 28. *cap.* 3. *num.* 4. *de sepult.* tamen posteà à Sede Apostolica obtinuerunt privilegia, quibus eis fuit absolutè concessum jus sepulturæ, vel privilegium sepeliendi in suis Ecclesiis corpora eorum, qui in eis sepulturam elegissent. Textus expressus *in Clement. Dudum §. Verum ne Parochiales de sepult.* quoad Ecclesias Frat. de Ord. Prædicat. & Minor. & generaliter pro omnibus Regularibus præsupponitur à Leone X. Const. *Dum intra* 22. *Bull. tom.* 2. in qua §. 10. conceditur non degentibus in claustris posse sepeliri cum ipsorum habitu in eorumdem Ecclesiis. Si tamen aliqua Ecclesia jus sepeliendi non habeat, ut sunt Ecclesiæ Monialium, & Capuccinorum, & in ea quis eligat sepulturam, corpus est sepeliendum in Parochia, quæ de jure habet jus sepeliendi, ut tradit Monacell. *form. part.* 2. *tit.* 13. *form.* 1. *num.* 90.

2 At petitur: an possint Regulares dicto juri sepeliendi renunciare?

Resp. Distinguendum est: vel agitur de Ecclesia Regulari Conventus jam erecti: & est certum, quòd nec Generalis possit, sed est necessarium Beneplacitum Apostolicum, & solemnitas copulativè requisita in alienatione, etiam jurium Ecclesiæ. Quoniam textus *in c. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan. inter com.* procedit verbis amplissimis, & comprehendentibus etiam jura. Nam utitur verbo *rerum*, quo vocabulo intelliguntur etiam jura, & actiones, *l. rei appellat.* 23. *ff. de verb. signif.* Maximè, stante dictione universali *omnium*, quæ est universalissima, per Barbos. *dict.* 241. & nihil excludit.

Et cùm dicitur *ex cap. Antigonus de pact.* quòd pacto potest privilegio derogari: verum est, si concurrat causa, & solemnitas ab jure requisita; & maximè hæc sunt necessaria, ubi agitur de jure quæsito, prout in casu, in quo in fundatione Ecclesia acquisivit jus sepulturæ, & populus liberam facultatem ibi sepulturam eligendi.

Vel dubium procedit de Ecclesia, & Conventu fundando; & tunc, si in limine fundationis præcesserit concordia cum Parocho de non recipiendis ad sepulturam illius Parochianos, vel nisi de ejus expressa licentia, est omninò servanda, ad text. *in d. cap. Antigonus, & ibi glos. in verb. pacta*, ubi dixit, pacta legitima, quæ neque dolo, neque adversus leges, neque aliqua fraude facta sunt, esse custodienda. Maximè, quia hìc agitur de jure quærendo, & proinde non habet locum text. *in d. cap. Ambitiosæ*, cum dici non possit, quòd alienetur jus Ecclesiæ; & sicut Parochus debet audiri, & propter præjudicium sibi inferendum potest erectione novi Conventus impedire; ita potest concordia, & pacto hujusmodi præjudicio ante erectionem providere, ut sæpiùs tenuit Rota apud Petram *tom.* 2. *Comment. ad Constitut. Apost. Const.* 3. *Cœlestini III. sect.* 5. *num.* 23. Et simi-

similia pacta videntur transire sub approbatione Sedis Apostolicæ, quæ facultatem non facit erigendi Conventus de novo, nisi auditio Ordinario, & constet de partium consensu.

Major difficultas est. *An orta lite post constructionem Conventus inter Regulares, & Parochum super jure sepeliendi, & funeralibus, sustineatur concordia facta per viam transactionis, vel compensationis?*

Videtur sustineri: maximè, si facta sit ad vitanda scandala, & tollendas dissentiones; at necessè est decretum Episcopi, causa cognita, Petra *cit. tom.* 1. *Constit.* 1. *Paschalis II. sect.* 2.

Sed hìc videtur ponderandum, quòd d. Paulina *Ambitiosæ*, annullat omne pactum alienationis: transactio autem species alienationis dicitur, per Fagnan. *in* 1. *ad cap. contingit de arbitr. num.* 32. de cuius substantia est, ut aliquid utrinque detur, aut remittatur; nec tenet, nisi fiat super re dubia, & lite incerta, apud eundem *ibid. ad cap. Veniens de transactionib. num.* 13. & 16. Ideò ad validitatem videtur necessarium Beneplacitum Apostolicum; præsertim, ut obliget successores, ad text. *in d. cap. Veniens*, sine quo præsumitur transigentes voluisse personali transigere, & alios non ligare. Et sicut Parocho successori est liberum adversùs transactionem absque Beneplacito Apostolico celebratam insurgere, & contradicere; ita possunt Regulares, ut æqualitas hinc inde servetur, vid. *allegat. Petram*.

4 Petitur etiam. An Moniales possent uti privilegio tumulandi corpora defunctorum in propriis Ecclesiis, posita electione sepulturæ?

Videtur ex eo affirmandum, quòd privilegia concessa Religiosis dicantur concessa Monialibus eiusdem Ordinis, adeout illis gaudeant. Et præsertim procedit de Monialibus Ordinum Mendicantium, quorum privilegia Monialibus communicavit Leo X. *const. Dudum per nos la* 32. *Bullar. tom.* 1. Hocque jus tumulandi in Ecclesiis Monialium Ordinis S. Francisci præsupponit Paulus V. Constit. *Expositum* 47. *Bull. to.* 1. modò Ecclesia sit exterior. Unde concludit Samuelius *de sepult. tract.* 1. *disp.* 6. *controv.* 11. *conclus.* 7. cum Murga, non posse eligi sepulturam in Ecclesia interiori Monialium; benè verò in exteriori.

Cæterùm, contrarium est tenendum; nam tumulatio defunctorum in Ecclesiis Monialium, etiam exterioribus, repugnat statui, & quieti ipsarum; quod legitur expressè resolutum à S. C. Episc. *in Maceraten.* 8. *Novembr.* 1652. *in specie, quòd corpora Laicorum, sive virorum, sive mulierum nequeant sepeliri in Ecclesia exteriori Monialium, licet solvere vellent pœnam Synodalem*. Ad quem effectum est necessaria licentia S. C. & consensus Monialium, ut in *Feretrana* 21. *Novemb.* 1603. etiam pro ibi fabricando sepulchro, *in Ferarien.* 12. *Julii* 1604. Nicol. *flosc. ver. Sepultura num.* 5. Pignatel. *tom.* 4. *consult.* 177. Vide quæ dixi *cap.* 32. *n.* 8. & 9.

Adducta in oppositum concludunt, dumtaxat Moniales per communicationem participare de privilegiis Religiosorum sui Ordinis, si non repugnent proprio statui, nec propterea turbanda sit eorum quies religiosa; prout necessariò sequitur ex officio in funeralibus faciendo. Sed quidquid sit in puncto juris, juxta quod procedit Paulina, in facto vidimus obstare resolutiones Sac. Congr.

Posito autem, quòd alicui cum debita licentia sit danda sepultura in Ecclesia exteriori Monialium Regularibus subjectarum: oritur difficultas, *à quo sit officium peragendum, à Parocho, an à Regularibus?*

Resp. A Confessario: quia Ecclesiæ Monialium exemptarum non sunt de territorio Parochorum. Proinde in casu ipsi debent officium facere usque ad portam Ecclesiæ, ut censuit S. C. 5. *Julii* 1615. apud Nicol. *num.* 5. Nec habent jus interveniendi sepulturæ Monialium. Sac. Congreg. 7. *Januarii* 1603. *apud eundem v. Parochus num.* 15.

Quo verò loco sepeliri debeat, qui, electa sepultura in Ecclesia Monialium, in ea sepeliri non potest?

Resp. In Parochiali, quæ videtur solùm conditionaliter exclusa, in casu nimirum, quòd sepeliretur in Ecclesia electa; sed cessante dispositione hominis, remanet dispositio juris, quod assistit Parocho, qui habet intentionem fundatam sepeliendi in sua Ecclesia omnes, qui decedunt intra limites suæ Parochiæ. Maximè quia in defectum Ecclesiæ prædictę pręsumitur ex Sacramentorum administratione dilecta Ecclesia Parochialis, ut post Passerin. *de stat. hom.*

tom.2. quaest. 187. *art.*4. *num.* 260. dixit Petra *loco cit.t.*2. *in fin.*

5 Quaeritur. Quo loco sepulturae aedificari possint, & debeant?

Resp. Vel in coemeteriis, vel in porticu, aut intra Ecclesias. Numquam tamen debent suprà, vel juxta Altare, *c. Percipiendum, c. non oportet de consecrat. dist.* 2. Sed debent ita esse ab Altaribus remotae, ut Sacerdos dum Missam celebrat, non cogatur pedibus insistere supra defunctorum corpora, ut per Gonzalez *cit. num.* 5. & trium cubitorum intercapedo inter Altaris praedellam, & sepulchri ostium mediare debet, per Pignatell. *tom.*4. *consult.* 32. Quare S. C. Episc. *in Interamnen.* 13. *Septembr.* 1593. declaravit, *Altaria, sub quorum praedellis cadavera sunt sepulta, licèt propterea consecrationem non amittant, tamen debent interdici, donec dicta cadavera, vel Altaria ipsa in alium deferantur locum.* Et sub 8. *Februarii* 1599. rescripsit Episcopo: *Che non permettesse, che sotto gli Altari, e per quanto circonda la pradella, siano cadaveri, nè sepolture, etiam sotterranee, & essendovene le facesse empir di muro; essendo così ordine della Riforma, e dispositione de' Sacri Canoni. Et in Messanen.* 2. *Maii* 1601. *All' Arcivescovo: Quanto à gli Altari, sotto i quali, ò nel mezzo sono sepeliti Prelati, ò Laici, non pare, che in modo alcuno si habbia da tolerare, che vi si celebri per l' avvenire, onde voi ci provederete*, nisi ossibus amotis sepulchrum terra repleatur, Petra *cit.num.*12. quod etiam in Ecclesiis Regularium est observandum.

6 Quare sepulturae sunt construendae infra terram, & ita, ut remaneant planae, & solo aequatae cadaverumque conditoria collocari debent in tumulis profundis, quorum operimenta aequalia sint cum plano Ecclesiae, ex constit. *B. Pii V.* incip. *Cùm primum la* 5. *Bullar. tom.*2.

7 Est enim praerogativa Romanorum Pontificum dumtaxat, quòd eorum corpora sepeliantur in conditoriis elevatis supra terram, & in parietibus affixis. Verùm permittuntur constructiones sepulchrorum cum inscriptionibus modestis, & accomodatis loco Ecclesiae.

8 An autem *Parochus possit plus exigere ab heredibus defunctorum, qui sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, quàm acciperet, si in Parochiali sepelirentur?* De hac re dixi *cap.*20. ubi videas. Et hìc observa, quòd Clem. VIII. Const. *Expositum la 96. Bullar. tom.*3. id sub poena excommunicationis Pontifici reservata prohibuit Parochis Indiarum Occidentialium. Quod subinde resolvit Paulus V. Const. *Expositum la* 32. *ibid.* cum extensione, & inhibitione ad Parochus Indiarum Orientalium, quibus injungitur observantia Trid. *sess.* 25. *cap.*13. *de reform.* juxta expositionem factam à B. Pio V. Constit. *Et si mendicantium la* 41. §. *Quartam partem tom.*2. & infrà idem Paulus Constit. 47. Quod generaliter posteà Urbanus VIII. Constit. *Cùm licèt la* 244. *Bullar. tom.* 5. omnibus Parochis inhibuit ibi: *Ordinariis locorum committimus, ut provideant omninò, ne diutiùs huiusmodi abusus tollerentur; & decernunt, nè Parochi plus percipere possint in sepulturis, quae fiunt in Ecclesiis Regularium, quàm in eis, quae fiunt in propriis, seu aliorum Clericorum.* Hac enim praetentione impeditur libertas electionis sepulturae in Ecclesiis Regularium, cum avertantur fideles à sepulturae electione propter duplicatas, vel majores expensas.

9 Quaeritur. Quo loco sunt sepeliendi EE. DD. Cardinales?

Resp. in Ecclesia, in qua eligunt sepulturam, vel in qua habent sepulchrum majorum. Quòd si nec illam eligant, nec habeant aliam, & moriantur extra Urbem, sepeliri debent in Ecclesia majori loci, per quem transeunt, quia haec ratione dignitatis supponitur eorum Parochia, & attenta dignitate praesumitur de ipsorum voluntate. Et procedit, nisi in vita specialiter recognoverint aliquam Parochiam, prout dixit D. Petra *d.tom.*2. *Constit.*2. *Honorii III. nu.* 34. & tunc debetur quarta funeralis Parochiali ratione administrationis Sacramentorum; prout debetur, si quis decedat sine electione sepulturae, & sepeliatur in sepulchro maiorum, vel in Cathedrali, *ibid. num.*35. & Antonell. *de Reg. Eccles. lib.*1. *cap.*12. §.1. *n.*30. & dixit *cap.* 42.

Si verò decedant in Urbe, nec elegerint sepulturam, nec alicubi sit sepulchrum majorum, tunc sepeliri debent non in Parochia, sed in Ecclesiis proprii tituli, ut, articulo examinato firmavit Rota *in Romana juris tumulandi* 20. *Februar.* 1702. & 5. *Martii* 1703. coram Priolo in causa sepulturae corporis bon. mem. Obitii Card. Palla-

vici-

vicini, quæ in urbe ab intestato decessit anno 1700. in Parochia S. Andreæ de Fractis: & , cùm tunc impedita esset Ecclesia Parochialis, functiones exequiarum peractæ fuerunt in titulari S. Martini ad Montes, & in hac corpus sepultum; pro quo posteà institit Parochia, contra quem titulus prævaluit,& DD. dixerunt,corpora Cardinalium in urbe decedentium, quando alibi non habent, vel non eligunt sepulturam, deferenda, & sepelienda esse in Ecclesiis titularibus.

Sub quo tempore de anno 1702. in Parochia S. Marcelli evenit mors Cardinalis Radolovich, titularis S. Bartholomæi in Insula,qui suum corpus reliquit esse tradendum sepulturæ in Ecclesia, prout *de jure*. Propter quod, me Guardiano, Parochia, & titulus, certarunt: interim fuit depositum in Parochia, à qua postea sub anno 1703. editis dictis decisionibus, & me instante, redditum fuit Ecclesiæ titulari,& in ejus solo tumulatum.

In quo favore tituli fuit ponderatum, Cardinales in propriis titulis habere mansionem, & locum proprium, ad text. *in Constit. Religiosa la* 55. *Sixti V. Bullar. tom.* 2. qui titulos Cardinalium divisit. In quibus exercent jurisdictionem quasi Episcopalem, debentque Ecclesias regere, & gubernare, & circa Cultum Divinum visitare. Unde quoad jurisdictionalia habentur loco Episcoporum, per Fagnan. *in* 1. *ad c. His quæ num.* 26. *de majorit. & obed.* Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 117. *num.* 19. Et utuntur Episcoporum insigniis; elevant Baldachinum, incedunt rocchetto discooperto, admittunt Clerum ad manus osculum, solemniter populo benedicunt, ut tenuit Rotâ, ubi supra *decis.* 2. §. *An autem*. Quare sicut Episcopi, Canonici, Parochi, & beneficiati, licèt decedant extra limites suæ Ecclesiæ, sunt ad eam deferendi, quia sunt in ea intitulati, & respectivè conjuncti; ita corpora Cardinalium in eo casu sunt ad Ecclesias tituli deferenda, quia in eis habent titulum, qui per ejus obitum vacat, per Fagnan. *ad d. cap. num.* 27. & sunt magis conjuncti cum sua Ecclesia, quàm Canonici, & beneficiati; cùm Cardinalibus sint Ecclesię commissæ tam in spiritualibus, quàm temporalibus, ut ex text. *d. Constit. Sixti*. Et, ut in eis residere dicantur, sufficit, quòd sint Romæ,ubi degit Papa,cujus Consiliarii,& Collaterales sunt, eorumque consiliis ipse juvatur in regimine Ecclesiæ, ut in d. Sixtina, & dixit Annato *apparat. ad Theol. posit. lib.* 3. *art.* 2. Et inde patet,quòd Cardinalis ratione sui tituli eximitur à jure sepulturæ, quod habet Parochia; & quatenùs titulum non haberet, & non electa sepultura decederet, deberet sepeliri in Ecclesia S. Joannis Lateranensis, quæ succedit in defectum tituli ad exclusionem Parochiæ: siquidem Cardinales ratione dignitatis eximuntur à vinculo legis universalis, quæ assistit Parochiæ. Vide Petram, & apud eum plures *n.* 31. Et Pitonium *tom.* 2. *Eccles. discept. post discept.* 51.

Est enim tanta præeminentia, & dignitas DD. Cardinalium, ut alios quoscumque antecellant Ecclesiæ Prælatos. Eos Eugenius VI. Constit. *Non mediocri la* 15. *Bullar. tom.* 1. appellat partes corporis Pontificum. A Sixto V. Constit. *Postquam la* 50. *Bullar. tom.* 2. dicuntur *veri Cardines, & clarissima lumina Ecclesiæ: Consiliarii, & Coadjutores, assistentes Papæ, quasi oculi, & aures, ac nobilissimæ Sacri Capitis partes &c. repræsentantes personas SS. Apostolorum, dum Christo humanæ salutis mysterium operanti ministrarent*.

11 Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ in eorum Ecclesiis Cathedralibus sepeliuntur propter spirituale conjugium cum ipsis; nisi in alia sepulturam elegerint, vel habeant illam majorum. Et quatenùs extra Diœcesim decedant, si possunt commodè, deferri debent ad proprias Cathedrales,quę sunt ipsorum sponsæ; si verò non possint, debent tumulari in Cathedrali loci, vel Ecclesia majori, quia de ea ratione dignitatis eorum præsumitur voluntas, Petra *cit. nu.* 36. Antonell. ubi supra. 28. & Sperellus *decis.* 87. *n.* 12.

Canonici, non electa sepultura, sepeliri debent in Cathedrali, quando adsit pro illis sepulchrum, S. C. Concilii apud Pignatell. *tom.* 5. *cons.* 5. *n.* 6. Quod fuit renovatum in *Narnien.* 26. *Septembr.* 1699. Monacell. *form. p.* 1. *form.* 4. *n.* 17. *tit.* 2. Quod privilegium competit omnibus aliis Clericis, non attento sepulchro majorum,S. C. Episc. *in Foro sempronien.* 1. *Sept.* 1690. *apud eund.*

Verùm si Clerici beneficia non habent, vel sint Capellani tantùm amovibiles, in Parochiis sepeliuntur, arg. *ex c. Cum quis de sepult. in* 6. Idem dicitur, si dignitati, vel

beneficio resignaverint, Pignatell. *cit. num.* 32.

12 Quæritur. Quo loco sepeliantur advenæ, peregrini, & exteri?

Distinguendum est inter exteros in loco habentes habitationem, & peregrinos pertranseuntes, ut primi debeant sepeliri in Parochiali, in qua inhabitant, nisi sepulturam elegerint alibi; quia in dignoscenda Parochia, quantùm ad jus sepulturæ, non attenditur domicilium, sed locus præsentis habitationis ad tempus considerabile, ut scripsit Sperellus *cit. n.* 11. ubi firmat, quòd Parochus infantis à matre, vel tutore ad aliam Parochiam translati, is sit, in cujus Parochia moratur. Secundi verò in Cathedrali, quæ est generalis Parochia totius Civitatis, & Diœcesis. Quod Sperell. *ibid. n.* 14. comprobat resolutione Sac. Congr. Episc. Quæ 5. *Julii* 1592. rescripsit Episcopo Fulginaten. *Etiam circumscripta consuetudine, advenas, & pertranseuntes in Cathedralibus, & reliquos in Parochia, intra cujus fines obierint, si per aliquod tempus habitaverunt, esse sepeliendos*. Verùm, si pertranseuntes Sacramenta à Parocho recepissent, in Parochia sepeliri deberent, quia jus sepulturæ plurimùm dependet ab administratione Sacramentorum, ut communiter apud Sperellum *n.* 8. Quam limitationem recipiunt Doctores; juxta quam procedit enunciata S. C. Declaratio. Cæterùm si adesset consuetudo, tam favore Cathedralis, quàm Parochi, servari deberet, ut ipsi concordant DD. apud cit. Sperell. *n.* 14.

13 Sed quid de eo, *qui habet domum hyemalem in Civitate, & æstivam in rure, & sic æquali tempore modò in una, modò in altera moratur?*

Resp. Tunc, cùm efficiatur utriusque Parochiæ Parochianus, in ea sepeliendus est, in qua decidit. Parificatur enim cum eo, qui in duobus locis æquè principale domicilium habet. Casus est prorsus diversus ab eo, de quo text. *in c. Is, qui de sepult. in 6.* quia ibi est sermo de eo, qui habitat ruri non animo permanendi, sed recreationis causa, vel ut ruralia exerceat, ad urbem posteà reversurus; & propositus, est de eo, qui æquè principaliter in rure, & in Civitate habitat.

14 Quæritur. Quonam loco sepeliri debeant advenæ, aliique casu decedentes in Regularium Conventibus?

Resp. Inspecto jure communi, & particularibus resolutionibus Sac. Congr. dicitur debere sepeliri in Parochiali. Ita S. Congr. Conc. *in Ravennaten.* 20. *Januarii* 1674. censuit: *Spectare ad Parochos sepelire, & ad proprias Parochias deferre cadavera eorum, qui in Monasterio recepti, sepultura non electa decesserint. Et in Ripana* 3. *Novembr.* 1652. *Non licere Regularibus, commoranti per aliquos dies in eorum Conventu, ibique defuncto, omnia Sacramenta ministrare, & in eorum Ecclesia dare sepulturam sine licentia Parochi, cui* 4. *funeralis debetur*. Et iterùm *die* 3. *Febr.* 1694. in sequenti casu declaravit: Expugnato à Gallis præsidio de Roses, Didacus de Fonseca vulnus læthale accepit, propter quod hospitii causa coactus fuit se conferre ad Conventum S. Dominici Gerundæ, ubi Ecclesiasticis Sacramentis, Parocho irrequisito, refectus decessit: qua de re proposito dubio: *An dicto militi Fonsecæ potuerint Religiosi, irrequisito Parocho, Sacramenta ministrare, & corpus deponere?* Respondit, *detur decretum in nullius* 19. *Septembr.* 1637. tenoris sequentis: *Quidam miles occasiones infirmitatis divertit in monasterium Regularium, ibique ab eisdem Sacramentum Eucharistiæ pro Viatico, & Extremam Unctionem recepit, & ex inde obiit, Parocho, intra cujus finem Monasterium existit, reluctante*. Quæritur: *An administratio hujusmodi Regularibus esset permissa?* S. Congr. Concilii respondit, *non esse permissam*. Unde dixit Antonellus ubi suprà *num.* 22. *infer.* 3. eos etiam, qui hospitii causa recipiuntur in Conventu Regularium, ibique infirmantur, & moriuntur, in Parochiali Ecclesia sepeliendos esse. Quod ex eo excripsit Petra *cit. num.* 47. & 49.

Propterea, viatores, & Peregrini in Monasteriis decedentes, ut laici, æquè habentur, ac si in illis non adessent, nec illa accidentalis habitatio jus aliquod tribuit Monasterio, ut discurrit Passerinus *de stat. hom. tom.* 2. *qu.* 185. *art.* 4. *num.* 229. & 230. sicut nec tribueret alteri Parochiæ. Nam mutatio habitationis non solvit subjectionem à propria Parochia, quantùm ad sepulturam, nisi vel corpus ad primam non possit commodè transportari, vel habitatio fuerit talis, ut inducat jus in nova Parochia; ut si in ista translatum sit domicilium, vel habitatio fuerit considerabilis. Eo vel maximè,

ximè, quòd Regularibus semper fuit prohibitum se ingerere in juribus Parochialibus: inter quæ annumeratur sepultura, ad quam in suis Ecclesiis nequeunt laicos admittere, nisi in eis sepulturam eligant, vel habeant illam majorum.

15 Sepeliri debent in Ecclesia Regulari oblati, quatenùs habeant requisita veræ oblationis, vitæ scilicet in claustro sub obedientia Superioris cum mutatione habitus, & se ipsos, ac bona omnia Monasterio obtulerint. Nec ad hoc requiritur votum, sed sat est tradere personas, & sua bona, ac habitum mutare. Tunc enim intelliguntur se donasse vivos, & mortuos. De quo Antonellus ubi supra *n.*24. & Petra *num.*43. *& ad Const.*3. *Gregor. IX. n.*33.

Idem dicitur de iis, qui Monasterio inserviunt, & degunt intra claustra, & sunt continui commensales, juxta ea, quæ dixi *cap.6.n.*10.

16 Quæritur, quo loco sepeliri debeat Regularis decedens extra Conventum?

Resp. Casus videtur expressus in *cap. Religiosi de sepult. in* 6. ibi: *Religiosi, nisi à propriis Monasteriis adeò forsitan sint remoti, quòd ad ea, cùm moriuntur, commodè portari non possint, nequeunt* (cùm velle, vel nolle non habeant) *sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua Monasteria tumulandi.* Ex quo DD. concludunt, quòd, si Religiosus moriatur extra Conventum, in loco tamen, ubi est Conventus, sepeliri debet in Ecclesia Conventus, qui ratione subiectionis Religiosorum Parochia dicitur. Et quidem sine licentia Parochi, qui nullam superioritatem habet in Religiosum. Quod in terminis fuit resolutum à Sac. Congr. Concilii 2. *Julii* 1620. *in responsione ad* 10. ut dixi *cap.* 7. *n.*24. *ad* 10. Ita tamen ut asportatio fiat de nocte sine Cruce, & processione, ac modo privato; prout in casu fuit hìc Romæ observatum cum Religioso de isto Conventu Aracœlitano, defuncto in Hospitali invalidorum, dicto *de Pazzarelli.*

Nec obstat, quòd Rituale Romanum *in rubr. de exequiis* prohibeat, ne corpora defunctorum sine solitis ritibus deferantur, & S. Congr. Episcop. *in Cajetana* 28. *Januarii* 1650. dixerit, *non esse permittendum abusum sepeliendi defunctos privatim sine lumine, Cruce, & Parocho; nec debere tolerari, quod mortui in curru clauso ad Ecclesiam deferantur, ut in Mutinen.* 15. *Febr.* 1658. prout refert Pignatell. *tom.*4. *consult.*199. *num.*10. Nam hæc procedunt regulariter, non verò in casu extraordinario, in quo usus obtinuit, etiam in urbe, ut in certis casibus corpora privatim deferantur ad Ecclesiam, in qua facienda sunt funeralia. Quæ circumstantia concurrit etiam in casu ad removendam admirationem à populo.

Cæterùm, si cum pompa, & processionaliter corpus ad Conventum asportaretur, esset necessaria assistentia Parochi, si vellet interesse, quia consuetudo est, ut extra Monasterium processionaliter causa exequiarum Regulares sine Parocho non procedant, ut apud *cit.* Petram *n.*11. Servetur tamen consuetudo.

Neque item obstat, quòd ad Parochum spectet ministrare Religioso infirmo extra Monasterium Viaticum, & Extremam Unctionem; atque ita debeat corpus sepelire. Nam discrimen est manifestum ex eo, quòd administratio Sacramentorum respicit jurisdictionem localem in tali loco, in quo Regularis eam non habet, sed Parochus; sepultura verò respicit Superioritatem respectu personæ, quæ exempta est à Parocho, & subiecta Superiori Regulari, etiam extra Monasterium.

Dum tamen, stante incommoditate, non posset ad proprium Conventum transferri, textus ibidem permittit Regulari electionem sepulturæ; vel est sepeliendus in Parochia, prout ibidem Glos. notavit.

Sed petitur, quando locus dicatur esse à Monasterio remotus, vel possit Regularis sibi sepulturam eligere, vel sit in Parochia tumulandus?

Resp. Hoc relinquitur judicio prudentis viri, super quo deberet Ordinarius judicare. Nisi dicas cùm Bordon. *tom.*2. *resolut.* 51. *num.*161. apud Petram, *n.*31. quòd in casu locus remotus ille dicitur, qui ita distat à Conventu, ut per unicum diem corpus deferri non possit.

17 Sed quid dicendum. *Si Dominicanus v. g. per transitum infirmetur in Monasterio Frat. Min. in quo decedit, & in loco, nec vicino, reperiatur Dominicanorum Conventus?*

Resp. Est sepeliendus in Parochia, quando sibi non elegerit sepulturam in Ecclesia Minorum, apud quos est hospes, & non ejusdem Religionis, sicut sunt Fratres Reformati

mati D.Francisci, qui eidem Ministro Generali subduntur.

18 At petitur, cuius expensis debeant exequiæ fieri, quando Religiosus extra claustra defunctus, vel sepelitur in Parochia; vel eligit sepulturam alibi?

Resp. Expensis Monasterii, cuius est filius, vel in quo erat de familia: nam eidem acquirit in vita: ergo ipsum in morte debet onus sentire. Tum quia tenetur ad ministranda Fratribus necessaria, inter quæ est traditio sepulturæ.

19 Sed quid dicendum de Religioso expulso, & ejecto à Religione?

Resp. Iste, tamquam à Religione derelictus, est sepeliendus in Parochia, si sepulturam sibi non elegerit; ad quod habet facultatem. Nam statim ac eum Religio expellit, videtur nolle ejus corpus cùm illis Religiosorum sociari, adeoque facultatem relaxare eligendi sepulturam in alio loco, ne sepultura careat.

Expensæ verò in funere faciendæ essent de ejus peculio; & quatenùs eo careret, ex bonis parentum: & in casu paupertatis, gratis Parochus debere tumulare, sicut corpora cuiusvis pauperis; de quo Sacr. Congregat. Episcop. in una Cassanen. 5. *Maii* 1617. Nicol. Flosc. *verb. Sepult. numer.* 21.

20 Quæritur, quo loco sepeliri debeant Confratres Confraternitatum existentium in Ecclesiis Regularium?

Resp. In Parochia, nisi alibi elegerint sepulturam. Ipsi enim non gaudent privilegiis Regularium. Quod in terminis declaravit Sac. Congregat. Conc. *prout in const. Innocentii X. incip. Ex injuncto la 9. Bullar. tom.4.§.6.* ibi, *An liceat Regularibus sepelire in suis Ecclesiis Confratres Laicos, qui sepulturam non elegerunt.* Respondit, *Confratres Laicos, si non præcedat eorum electio sepulturæ, sepeliendos esse in eorum propria Parochiali Ecclesia.*

21 Sed quid, si adesset sepultura pro Confratribus?

Resp. Nec tunc posset apud Regulares sepeliri, nisi sepulturam elegerint, juxta resoluta à Sac. Congr. Conc. *in responsione ad 7. ut infrà n.31. ad 7.*

Cæterum quantùm ad sepulturam Cordigerorum utriusque sexus, Sac. Congregat. Episcop. *in una Senogallien.* 22. *Novembr.* 1580. sic observari mandavit, *Quod ubi adest sepultura communis pro Cordigeris in Ecclesia Fratrum Minorum, ubi est erecta Confraternitas, sepeliantur in ea; ubi verò non est talis sepultura, moderentur, sicut cæteri sæculares, & sepeliantur in Parochiali Ecclesia, si non sibi elegerint aliunde sepulturam.* Lantusc. Theat. *Regul. v. Confraternitas n.*12.

22 Quæritur. An pater possit eligere sepulturam filio impuberi, qui scilicet non compleverit ætatis annum 14. necessarium in viris, ut puberes esse dicantur; sicut in fœminis exigitur annus 12. per Glos. *ad cap. Licèt de sepultur. in 6. verb. Pubertatis.*

Tamquam certum habetur, filios impuberes propter consilii imbecillitatem, & quia habent sensus sopitos, non posse sibi eligere sepulturam, ut scribentes concordant, Sperellus *dec.* 89. *num.*2. Ventriglia *praxis tom.*1. *annot.*5. 2. §. *Cui num.* 11. Petra *cit. ad const.* 2. *Honor. III. sect. unic. nu.* 3. Proinde, si decedant, sepeliendi sunt in Parochia, vel in alia Ecclesia, in qua sit sepulchrum Maiorum, quoad quidem præfertur Parochiæ, juxta doctrinam Sperelli *dec.*88. *n.*4. A quo in fine decisionis refertur Sac. Congr. Episcop. *in una Asculana* 21. *Octobr.* 1616. *resolvisse, Cadaver. cuiusdam puellæ restituendum esse Fratribus Conventualibus Sancti Francisci, in quorum Ecclesia Majorum sepulchrum existebat* Et S. R. Cong. *iu una Ariminen.* 26. *Novembr.* 1629. puerum in majorum sepulchro esse sepeliendum.

23 dicitur sepulchrum maiorem, hoc est, in quo pater, & avus sepulti sunt, quòd si in diversis sepulti sint, attendendum est sepulchrum patris; modò pater non casu, vel ex accidenti ibi fuerit positus, ut ibidem Ventriglia *num.* 24. & Sperell. *num* 9. nec fuerit sepultus in sepulchro extraneo, quia tunc sepeliri debent in illo avi.

Sicut, si in eadem Ecclesia sit sepulchrum gentilitium, seu familiare, & hæreditarium, attendendum est primum, & postea secundum: cum & istud dicatur aliquo modo maiorum, ex observatis à Petra *num.* 25.

Prædicta autem regula, quòd decedens sine electione sepulturę sepeliendus sit in sepulchro maiorum, non procedit è converso, adeout si moriatur pater, vel avus, debeat sepeliri in sepulchro filii, vel nepotis,

quia

quia ascendentes non sequuntur sepulchrum descendentium, nec transversales sepulchrum transversalium, nisi sint hæredes & sepultura hæreditaria, nec sit ibi facta electio, per *cit.* Ventrigl.

Quòd sepultura maiorum sit familiaris, vel hæreditaria probatur inscriptionibus, quæ in illa juxta praxim communiter receptam apponi solent.

In casu verò, quo non esset sepulchrum majorum de ascendentibus paternis, videtur illud de maternis dari in subsidium, per Petram *num.* 25.

24 Modò ad quæsitum, videtur affirmandum (considerando tamen, quòd si filius impubes non decedat tempore impubertatis, sed ex infirmitate convalescens fiat pubes, non potest ampliùs sepeliri in sepultura à patre ipsi electa, nisi ipse factus pubes ratum id habeat,) juxta Decretum Sac. Congregat. Regular. *sub* 20. *Januar.* 1640. apud Peyrin. *de privileg. Regul. in fin. tit. Decret. novis. Sac. Congregat. Et* 5. *Julii* 1675. *in una Vercellen. decrevit licere parentibus in quacumque Ecclesia voluerint, etiam Regularium eorum, filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint eligere sepulturam; nec à Parochis locorum impediri posse, aut debere præsertim verò, si in dictis Ecclesiis sepeliri consueverint, vel in eis habeant sepulchrum maiorum.*

25 Verùm id non est adeò absolutè resolvendum, ut dixit Sperellus *d. decis.* 89. *n.* 3., & post eum Petra à *num.* 9. Sed cùm limitatione, hoc est, patrem id posse, si consuetudo loci id habeat, ut in terminis loquitur text. *in c. Licèt*. Et ad consuetudinem recipiens S. Congreg. Concil. *in Placentina* 27. *Novembr.* 1649. ad primum respondit: *Patrem, si consuetudo loci id non habeat, eligere non posse. Et aliàs, prout in d. const. Innoc. X.* ad dubium, *An mater pro filius impuberis possit eligere sepulturam?* Respondit, *non licere matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitima consuetudine.* Quare ubi hæc non reperitur, nec patri, nec matri ea facultas conceditur. Proinde tale jus competit patri ratione consuetudinis, non verò ratione Patriæ potestatis, quæ cùm sit de jure civili introducta, non extenditur ad electionem sepulturæ, quæ est quid spirituale, *per cap. Quæst.* 13. *quæstion.* 2.

Et cùm dicta consuetudo patri permittatur ab jure, *d. cap. Licèt*, & *cap. de Uxore* §. *de sepult.* dicitur rationabilis (ut notavit Sperell. *decis.* 69. *num.* 8. Verùm debet esse legitimè præscripta; & quoniam patri assistit jus ad eligdam sepulturam filio impuberi, sufficit consuetudo spatio decem annorum præscripta. In matre verò, cui jus non assistit, requiritur tempus quadraginta annorum ad præscribendum, per Sperellum *num.* 20.

An autem possit *Pater etiam post mortem filii*? Petra negat, quia tunc non est ampliùs sub patria potestate: sed tu attende consuetudinem.

Nec obstant Doctores, & resolutiones in contrarium, quia, ut notavit Nicol. ubi *suprà verb. Pater à n.* 5. §. *Hodie circumfertur*, dictæ resolutiones nihil diversum habent textui *in. cit. c. Licèt*, in quo consuetudo consideratur. Quare dicto illa *præsertim* accipitur pro conditionali *si*, adeòut sensus sit: tunc pater potest eligere sepulturam, si sit consuetudo. Et refert id fuisse declaratum à Sac. Congr. Episcop. 19. *Junii* 1648. Quatenùs autem in Ecclesia Regularium sit sepulchrum maiorem, etiam præcisa consuetudine, licèt pater non elegerit debent ibi impuberes sepeliri, ex resolutis à Sac. Congr. Concil. *in Novarien. funerum* 15. *Martii* 1704. Ad primum *respondit affirmativè quoad secundam partem*. Nam tunc non pater, sed jus elegit sepulturam, mandans, ut tam pubes, quàm impubes sepeliantur in sepulchro majorum, si, in electa sepultura, decedant, Glos. *in cit. cap. Licèt verb. in Parochiali. Vide cap.* 33. *num.* 15.

26 Nota, quòd uxor sepelitur cùm viro: & quæ habuit plures maritos, sepelitur in sepulchro ultimi, per *cap. Is, qui* §. *Mulier de sepult. in* 6.

Limitatur I. Nisi uxor elegerit sibi sepulturam diversam. Quod & sine viri licentia potest facere, quia, etsi in aliis sit viro subordinata, in hoc est sui juris, nec tenetur in morte virum sequi, sicut tenetur in vita Sperellus *d. dec.* 88. *n.* 18.

Limitatur II. In casu, quo uxor non fuerit à viro cognita, nec traducta, quia tunc non acquisivit domicilium, nec viri cognomen.

Limitatur III. In casu, quo divortium ob ipsius uxoris adulterium fuit celebratum.

tum. Nam tunc viri domicilium amisit, apud *alleg.* Sperell.*n.*17.

Item observa, quòd, si mulier moriatur prægnans, fœtus in ventre mortuus, & non extractus tamquam pars ventris sepelitur unà cum matre in cæmeterio, vel Ecclesia. Si verò extractus sit, ipse, utpote non baptizatus, extra locum sacrum, & Mater in Ecclesia, vel cœmeterio sepeliri debet.

27 An autem electio sepulturæ possit committi voluntati alterius? Dubitant DD. Sed tenendum cùm Ventrigl. *num.* 39. non valere commissionem, seu mandatum de eligenda sepultura, quia agitur de præjudicio Parochialis Ecclesiæ: nisi commissarius eligat, vivente, & sciente principali. Cum quo transit Petra *cit.num.*43. putans opiniones posse conciliari dicendo, commissionem posse dari ad eligendum unum locum sepulturæ præ alio in Ecclesia; quod potest fieri, etiam post mortem, cum jam supponatur in vita facta electio sepulturæ in tali Ecclesia.

De sepultura mulierum tertii Ordinis; *vid. cap.*52.

28 In subsidium libertatis electionis sepulturæ est Clericis, & Religiosis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ prohibitum, *ne aliquos medio voto, vel juramento, aut pacto, seu promissione inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent, c. Animarum de Sepult. in 6.* sub pœna nullitatis electionis, aliisque, prout in *text.*

Neque est dubium sic inducentes mortaliter peccare peccato inobedientiæ, quod est gravissimum; cùm omnes teneantur obedire Summo Pontifici. Obligationemque sub mortali firmat adjecta *pœna maledictionis æterna*, per quam non excommunicatio, sed pœna æterna comminatur pro peccato mortali transgressionis huius præcepti: ex observatis à Ventrigl.*cit.n.*36

29 Propter quod etiam incurritur ipso facto excommunicatio Papæ reservata, ut expresse *text.in Clement.Cupientes* §. *Sanè de pœnis*. Quæ excommunicatio incurritur, licèt effectus sepulturæ non sit subsequutus, modò sequatur effectus immediatus inductionis, hoc est electio per juramentum, votum, vel pactum; ideò non sufficit promissio de eligendo, ut dicatur inductio facta, per Sylvestrum *sum. verb. excommunicatio n.* 49. contra Bonac. *tom.* 3.*de excomm.in par. disp.*2. *quæst.* 5. *punct.* 4. *num.*2. *vers. Secundò ex alleg.* Ventriglia *num.*37.

Advertendum tamen, prædictas pęnas non procedere contra inducentes ad eligendam sepulturam in aliena Ecclesia; sed de necessitate exigitur, ut quis inducat ad sepulturam in Ecclesia ad se pertinentem, quod probat evidenter textus *in d. cap.* & *Clement.* ibi: *Ut apud eorum Ecclesiam sepulturam eligant.*

Nec locum habent contra ignorantes prohibitionem, dummodò ignorantia non sit affectata; sed inducto debet esse facta scienter, & cum temeritate, quæ scientiam legis supponit. Nam Clement. habet ibi: *Sanè temerarios violatores.*

30 Cum electio sepulturæ sit quid facti, probari debet, & non præsumitur. Probatur autem, vel testamento, & codicillo, vel signis, aut per Confessarii dictum, Genuen. *prax. c.*76. *num.*8. Et sufficiunt probationes per duos testes singulares: modò non sint singulares singularitate obstativa *alleg.* Petra *num.*21. Nec dicitur electio probata, si probetur propositum: ut si testes deponant infirmum dixisse: *Desidero sepeliri in tali Ecclesia*: quia desiderium, seu propositum eligendi, non est eligere, sicut propositum vovendi, non est vovere, ut, pluribus citatis scripsit Ventriglia ubi supra *nu.* 45. Et in materia electionis sepulturæ notes responsa Sacr. Congr. Conc. ad infrascripta dubia.

I. An sit valida electio sepulturæ, quam quis, sive sanus, sive infirmus, coram Parocho elegerit?

II. An ad validitatem electionis sepulturæ requiratur testamentum in ultima infirmitate, vel sufficiat, quod eligatur anteà per alium actum publicum, qui testamentum non sit?

III. An sit nulla electio sepulturæ, quando ipsa eligitur per testamentum factum in vita, & non in morte?

IV. An, qui habet Cappellam suæ familiæ cum propria sepultura, aut Capellam erexerit cum sepultura propria, moriens absque sepulturæ electione sepeliendus sit in Cathedrali?

V. An validè eligatur sepultura coram duobus testibus?

VI. An

VI. An electio sepulturæ per nutus, & signa in casu, quo quis loqui non possit, sit valida?

VII. An Confratres sodalitatum, non electa sepultura, possint sepeliri in sepulchro suæ Ecclesiæ?

VIII. An electiones sepulturæ, quæ jure præsumuntur, sicut uxoris respectu mariti, filii respectu patris, eorumque majorum, ac servorum respectu dominorum, sint validæ?

IX. An, qui post mortem mandat suum corpus indui habitu tertiariorum, sit sepeliendus in Ecclesia Regulari?

Ad quæ sub die 13. *Februarii* 1666. respondens, declaravit, censuit, & decrevit, ut sequitur.

Ad primum. Censuit esse validam; dummodò Parochus non testetur ad proprium commodum.

Ad secundum. Censuit non requiri necessariò testamentum.

Ad tertium. Censuit non esse nullam.

Ad quartum. Non esse sepeliendum in Cathedrali.

Ad quintum. Esse validam.

Ad sextum. Esse validam; dummodò sufficienter constet de voluntate eligentis.

Ad septimum Negativè.

Ad octavum. Censuit, quatenùs electa non fuerit sepultura, uxorem in sepulchro ultimi viri sepeliendam, filios verò in sepulchro majorum, servos autem in Parochia.

Ad nonum. Censuit negativè. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 17.

Sed necesse est, ut in ea sepulturam eligat, ut sub die 23. *Novembris* 1582. Sac. Congr. Episc. & Regul. rescripsit Episcopo Novariensi, Pignatell. *tom.* 1. *consult. n.* 20. & non esse de necessitate in eorumdem Ecclesiis sepeliendum, habetur §.8. *Const. Dum intra Leonis X.* 22. *Bull. tom.* 1.

31 De sepultura tertiariorum lege Decret. *alleg. cap.* 52. *& ex §.* 2. *&* 5. *inferas.* Quoad illam Cordigerorum vide *sup. n.* 21.

CAPUT XLIX.

Officialis quoad Simoniam in Beneficiis.

SUMMARIUM.

1 *Inordinatio, & deformitas simoniæ, ex triplici oritur capite.*

2 *Simonia describitur.*

3 *Alia est Simonia jure divino prohibita, & alia Constitutione Ecclesiastica inducta.*

4 *Non potest pro assequendis beneficiis aliquid pretio æstimabili dari, promitti, vel recipi.*

5 *Beneficiorum Ecclesiasticorum membra, usque ad n.* 6.

7 *Beneficii Ecclesiastici descriptio, & ejus à pensione distinctio.*

8 *Parochiæ, etiam pleno jure Monasteriis unitæ, habent curatos amovibiles.*

9 *Finis institutionis beneficiorum Ecclesiasticorum.*

10 *Beneficia Ecclesiastica dantur propter officium.*

11 *Tria considerantur in beneficio Ecclesiastico.*

12 *An fructus beneficii vendi possint?*

13 *Beneficium debet Ecclesiastica authoritate institui.*

14 *Beneficium Ecclesiasticum prærequirit Clericatum, vel primam tonsuram in providendo.*

15 *Et debet à persona Ecclesiastica conferri.*

16 *Permutare propria authoritate beneficia est simoniacum.*

17 *Forma resignandi beneficia.*

18 *Præfinita à B. Pio V. circa resignationes beneficiorum.*

19 *Excessus in pinguiori beneficio non potest pecunia compensari, usque ad num.* 24.

25 *Committitur Simonia dando pro beneficio temporale, quamvis detur, non ut pretium, sed ut motivum, vel etiam ut gratuita compensatio.*

26 *Beneficium obtentum interventu pecuniæ, etiam ignorantibus collatore, & proviso, est simoniacè adeptum.*

27 *Examinatores ad beneficia simoniacè recipiunt, quæ occasione examinis accipiunt.*

28 *Pra-*

28 *Pravæ consuetudines recipiendi aliquid pro beneficiis damnantur à Trid.*
29 *Episcopi ab ordinatis non possunt recipere nisi cereum.*
30 *Fundans beneficium hoc pacto, ut sibi conferatur, simoniacè accipit, dum ei confertur.*
31 *Conditiones in jure expressæ in beneficialibus Simoniam non inducunt.*
32 *An Confessarius committat Simoniam, si neget absolutionem pœnitenti, qui renuit sibi rem injustè ablatam restituere?*
33 *Quando preces non inducant Simoniam?*
34 *Episcopatum non licet appetere: & distingue.*
35 *Confidentia beneficialis prohibetur. Et quot modis possit evenire?*
36 *Pecunia in dispensationibus matrimonialibus non recipitur ut dispensationis pretium.*
37 *Annatæ à Camera Apostolica licitè recipiuntur; & quid sit annata? & ibi plura videantur.*
38 *Pœnæ Simoniacis statutæ in materia beneficiorum, usque ad 43.*
44 *Pecunia per Simoniam recepta, est restituenda, etiam ante sententiam Judicis.*
45 *Restituendi sunt fructus beneficii Simoniacè scienter acquisiti.*
46 *In Simoniæ crimine non datur parvitas materiæ.*
47 *Beneficiatus intendens primariò redditus temporales committit simoniam mentalem.*
48 *Decreta S. Congr. Conc. super axactionibus prohibitis Episcopis, eorumque Officialibus.*

1 AUctor Simoniæ in novo Testamento fuit Simon Magus, qui, cùm *Actor.* 8. vellet emere Spiritus Sancti gratiam, à Petro audivit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Est species sacrilegii, & execrabile vitium: cujus malitia consistit in irreligiosa, & indigna tractatione rei sacræ, vel spiritualis, dum ita vilis putatur, ut venire possit in commutationem rerum temporalium; vel quòd dona spiritualia existimantur esse in potestate, & commercio hominum. In quo inordinatio, & deformitas habetur ex triplici titulo. Primò, per ordinem ad Deum, cui atrox injuria infertur, ut in *c. Eos* 1. *q.* 1. Secundò, ex parte rei, quæ venditur, quæ, cùm longè sit excellentior omni pretio temporali, *c. Illud*, *c. Solitæ* §. *prætereà de majorit. & obedien.* iniquè emitur, & venditur, ac in pactum deducitur. Tertiò, ex parte ejus, qui vendit, & paciscitur, qui, cùm non sit dominus rei spiritualis, *c. Fraternitatem de donationib.* non potest etiam licitè vendere, & de ea pacisci. Et potest conjungi cum hæresi: ut, si quis putet dona Dei, & res spirituales posse pretio comparari, & in pactum humanum venire. Et ideò Simonia hæresis vocatur, *c. Quoties de simon.* quatenùs origine sua in Simone fuit hæresis, & hodie esse potest, si ille error interveniat.

2 Simonia *est studiosa voluntas, sive actus deliberatus cum advertentia ad malum, emendi, aut vendendi spiritualia, aut spiritualibus annexa.* Emptio, & venditio includunt omnem contractum, in quo res temporalis pro spirituali datur. Item conventiones, & pacta, sive nominata, ut sunt *permutatio, transactio, locatio &c*, sive innominata, *ut do, ut des: facio, ut facias: facio, ut des.* Atque ita ad Simoniam tria concurrunt. I. Res spiritualis, seu spirituali annexa. II. Pretium temporale. III. Pactum implicitum, aut explicitum.

Appellatione spiritualis hìc venit quodcumque supernaturale, seu, quod procedit à Deo, ut est author gratiæ, & ad finem supernaturalem conducit. Id enim dicitur spirituale, sive sit in se spirituale, ut sunt fides, spes, charitas, dona Spiritus Sancti &c. sive sit spirituale ut causa, ut Sacramenta, quæ causant gratiam sanctificantem; & Ordo confert etiam potestatem ad consecrandum & absolvendum: sive ut effectus, qui à spirituali potestate procedunt, ut est administratio Sacramentorum, consecrationes Virginum, vasorum, locorum, concionari, dispensare in votis, vel in impedimentis matrimonii, super irregularitate, functiones Ordinum exercere, & similia.

3 Duplex est genus Simoniæ: aliud divino jure prohibitæ, & aliud Ecclesiastica Constitutione inductæ. Hinc sequitur, ut quædam sint prohibita, quia Simoniaca, & quædam Simoniaca, quia prohibita. Prohibita, quia Simoniaca, sunt vendere gratiam, Sacramenta, impositionem manuum, con

consecrationes, actus Ordinum, absolutionem &c. Quod prohibentur utriusque testamenti authoritatibus; nam sicut gratis sunt accepta ita gratis debent dari, ut dicitur Matthei *c.10.* & patet ex adducto *Actor.*8. Inter simoniaca verò, quia prohibita, annumerantur, vendere officium œconomi Ecclesiæ, *c. Salvator 1. q. 1.* item, permutare beneficia, vel ea resignare cum pacto, ut pensiones solvantur, *c. Quæsitum cum sua glos. de rer. permut. c. Sicut unire de excessib. Prælat. c. Prohibemus de censibus*: de qua re vide Fagnan. *in 1. ad c. Cum pridem de pactis* & hinc nota nonnullorum dubiorum resolutiones.

4 Quæritur. An possit absque simonia recipi, dari, vel promitti pecunia, vel aliquid pretio æstimabile pro collatione, præsentatione nominatione, institutione, confirmatione, possessione, vel receptione beneficii Ecclesiastici?

Resp. Negativè. *cap. Pactiones de Pactis cap. Super eo de transactionibus, cap. Ut nostrum, ut Ecclesiast. benefic. sine diminut. &c. c. Tua de simon.* & Trid. *sess. 24. cap. 14. de reform.* Ratio est, quia licèt redditus beneficii sint temporales; titulus tamen beneficii, seu jus illud, ex quo percipiuntur redditus, est res spiritualis, vel spirituali annexa consequenter, aut dependenter. Et ita, dum illud jus venditur, aut pro eo aliquid recipitur, censetur propter connexionem vendi id, cui adnectitur, & pro ea recipitur.

5 I. nonnulla hic sunt prænotanda, ad beneficiorum Ecclesiasticorum notitiam conferentia. Beneficia alia sunt *curata*, alia *Simplicia*. *Curata*, quædam sunt propriè curata: quæ nimirum curam animarum pro foro interno, & Sacramentali habent, ut Episcopatus, & Parochiæ; & quædam minus propriè curata nominantur, quibus jurisdictio spiritualis quoad forum externum adnectitur: propter quod beneficiatus potest causas Ecclesiasticas tractare, inquirere, corrigere, censuras ferre, absolvere &c. *Simplicia* sunt, quæ curam animarum annexam non habent: ut sunt Capellaniæ, & similia beneficia habentia obligationem dumtaxat recitandi divinum Officium; legendi Missas &c.

6 Dubitari posset de Canonicatibus, an sint beneficia simplicia? Ad quod videtur ex titulo, quòd curam animarum non habent affirmandum esse. Cæterùm, quia personalem residentiam requirunt, à beneficiis simplicibus censentur esse diversa, arg. *ex cap. Quamvis il 1. de præbend. in 6.*

II. Beneficia quædam sunt *manualia*; ut, quæ conferuntur revocabiliter ad nutum Superioris. Quædam *non manualia*, quæ conferuntur in perpetuum huiusmodi sunt verè, & propriè beneficia.

III. Quædam sunt *collativa*; & sunt, quæ authoritate Episcopi eriguntur, & Ecclesiasticis conferuntur. Quædam *non collativa* (& propriùs dicuntur Capellaniæ,) & sunt ea in cuius erectione nulla intervenit auctoritas Episcopi; sed consistunt in assignatione determinata salarii pro celebratione, & servitio præstando; & ita non sunt beneficium, nec obligant ad divinum Officium, nec dant titulum ad Ordines; neque pactum, si intercedit, facit simoniam, quia non sunt beneficia Ecclesiastica, sed solùm pia legata.

IV. Quædam sunt *Patronatus*, quæ ad præsentationem patroni à Prælato Ecclesiastico conferuntur. Et quædam *Electiva*, ad quæ quis per viam electionis assumitur.

V. Alia sunt beneficia *Sæcularia*, alia *Regularia*. Sæcularia dicuntur, quæ ex fundatione, vel succedente præscriptione Clericis sæcularibus tantùm conferri debent; Regularia verò, quæ, vel ex fundatione, præscriptione, aut Summi Pontificis privilegio, Regularibus tantùm sunt conferenda, *c. Cùm de beneficio d. tit. in 6. cap. Inter quatuor de Religiós. domib.*

7 Beneficium itaque Ecclesiasticum describitur: *Est jus ad percipiendos redditus Ecclesiasticos ratione spiritualis Officii, vel ministerii; Ecclesiastica institutione perpetuum, & persona Eccesiastica ab Ecclesiastica persona collatum. Dicitur jus perpetuum:* per quod differt à pensione Ecclesiastica, quæ solùm est jus percipiendi certam portionem ex aliqua mensa, vel beneficio, ex causa ad tempus, non in perpetuum, ab authoritatem habente separatam, quę ad mortem pensionarii extinguitur, & non vacat; beneficiũ verò non exst inguitur, sed ad mortem beneficiati vacat, quia auctoritate Ecclesiastica institutum est, ut sit perpetuum.

8 Dices. Parochiæ pleno jure unitæ, & incorporate Monasteriis, sunt vera beneficia, & tamen nulli conferuntur in perpetuum,

tuum, sed solùm Vicariis, qui ad nutum Superioris removeri possunt, per dicta *cap.36. num.16.*

Resp. Illa incorporatio succedit loco collationis perpetuæ cum titulus beneficii sit penes Monasterium, & superior Monasterii est principalis rector, ac beneficiatus talis Parochiæ. Qui verò Episcopo præsentantur, ut actu curam animarum exerceant, sunt tantùm Vicarii temporales, & habent beneficia manualia. Et propterea dicuntur pleno jure Monasteriis unitæ, quia præter jus percipiendi temporales redditus, etiam administratio spiritualium scilicet cura animarum, translata est in Monasterium. Cæterum ubi aliquis Vicarius perpetuus, seu, ut loquuntur DD. investitus, per text. *in cap. Sanctorum 70. dist.* constituerentur, talis verum beneficium habere censeretur, quia Vicaria perpetua venit appellatione beneficii, *cap. Postulasti de rescript.*

9 Dicitur *ad percipiendos redditus Ecclesiasticos*. Quia beneficia ad Divinum Cultum, & Ecclesiastica munia obeunda sunt instituta, ex Trid. *c.3. de ref. sess.* 21. Adeòque & ad sustentationem Ministrorum, per quos Divina Officia debent peragi, ut non obscurè ibid. textus significat. Ad quem effectum beneficiorum fundatores sua bona Ecclesiis, locisve piis pro Ecclesiasticis functionibus peragendis tradiderunt.

10 Dicitur, *Ratione spiritualis officii*. Quia beneficium datur propter officium vel ministerium spirituale, *c. Quia per ambitionem de rescript. in 6. & à Glos. in ver. datur ibid.* dicitur sequela officii: & proinde privatus officio, privatus beneficio intelligitur, d. Glos. *ibid. & cap. Pastoralis de appell.* Diciturque annexum rei spirituali consequenter, & à spiritualibus dependens Quinimo jus stipendii in Clericis divinis officiis deputatis spirituale esse videtur; siquidem statim, ac illis mancipantur, ex jure divino jus habent, ut ab Ecclesia sustententur, *c. Clerici 1. q.2. Dignus est enim operarius mercede sua, 1. ad Thimot. 5. & qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede, c. Cùm secundum de præbend.* &, ut dicitur *1. ad Corinth. 9. qui Altari deserviunt, cum Altari participant.*

Et quoniam beneficium datur propter officium, ideò beneficiatus tenetur legere Breviarium, etiam ex Const. Leonis X. *Superna 7. Bullar. tom.* 1. ubi §. 38. statuitur, quòd obtinens beneficium cum cura, vel sine, teneatur post sex menses ad recitandas horas Canonicas; quatenùs verò, legitimo impedimento cessante, eas non legit, fructus beneficii pro rata omissionis recitationis suos non facit, & tenetur eos, tamquam injustè perceptos, erogare, vel in fabricam Ecclesiæ dd. beneficiorum, vel in pauperum eleemosynas. Quod subinde innovavit B. Pius V. Constit. *Ex proximo* 135. *Bul. tom.* 2. addita taxa restitutionis faciendæ ad ratam omissionis recitationis.

Nec est expectanda sententia Judicis, ut pessimè dixit Author 20. *propositionis* inter alias proscriptæ ab Alex. VII. 24. *Septemb.* 1665. sed obligatione conscientiæ ante eam tenetur beneficiatus restituere. Onus restitutiones hìc oritur ex justitia comutativa læsa; quoniam inter Ecclesiam, & beneficiatum celebratur contractus, utrinque obligatorius; Ecclesia se obligat ad præbendam sustentationem, & mercedem laboris beneficiato; hic verò se obstringit Ecclesiæ ad exhibendum servitium & obsequium in Officio, & Ministeriis Sacris; cui obligationi non respondet, cùm horas Canonicas omittit recitare: & ideò ex non observato contractu restituere tenetur.

11 Hinc in beneficiis Ecclesiasticis tria considerantur. Primò, officium spirituale, seu deputatio ad Divinum Cultum, in recitatione horarum, Missæ, administratione Sacramentorum &c. Secundò, jus percipiendi redditus. Tertiò, ipsi redditus in mercedem laboris, & substentationem beneficiati.

Primum est spirituale, importans rerum spiritualium exercitium, & executionem: estque principale in beneficio, & propterea omninò invendibile, ipsumque vendere est prohibitum, quia in se simoniacum.

Secundum pariter est invendibile propter connexionem, & necessariam dependentiam à re spirituali, seu sequelam ad officium, & ministerium spirituale, in quo fundatur, & sine quo non provenit, consequenter ipsum vendens, & officium vendere censetur, per *cap. Si quis objeserit 1. q. 3.* ibi: *Quis horum alterum vendi, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

12 Tertium, hoc est fructus, est certum

tum ab ipso collatore, vel nominante ad beneficium non posse beneficiato vendi: tum ex quo ii non possint vendi à non domino, *l. 1. C. de usucap. pro empt.* collator autem non est dominus fructuum percipiendorum; proinde vendendo committit injustitiam, quia vendit, quod suum non est: tum quia conferre alicui Clerico beneficium, & vendere illi fructus percipiendos, aliud non est, quàm vendere illi executionem proprii, & spiritualis juris; proinde venditio est simoniaca.

An autem possint vendi ab ipso beneficiato? Videndus Fagnan. in 1. *ad cap. Cum pridem de pact. num.* 110. Id autem videtur repugnare obligationi, quæ est in beneficiatis ad eroganda superflua ad honestam sustentationem in pios usus, ut dixi *cap.* 44. *n.* 5. ac esse contra *c. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan. inter comm.*

13 Dicitur, *Ecclesiastica institutione perpetuum*: institutum nimirum, ut sit perpetuum. Per quod constat, quòd ubi relinqueretur redditus, etiam in perpetuum, ad effectum, ut in tali Capella legerentur Missæ, nisi accederet authoritas, & approbatio Episcopi, vel Sedis Apostolicæ, non diceretur beneficium Ecclesiasticum fundari, sed solùm pium legatum institui: quoniam *ex cap. Nemo dist. 1. de consecrat.* beneficium Ecclesiasticum exigit erectionem canonicam.

14 Dicitur, *persona Ecclesiastica*. Quia Laicus non est capax Ecclesiastici beneficii: quod requirit Clericatum in eo, cui est conferendum, vel saltem Clericali tonsura esse initiatum, *c. ex Litteris de transact.* & facit *const.* Sixti V. Cùm Sacrosanctum 92. *Bull. tom.* 2. ubi §. 2. *&* 3. *Statuitur, ut Clerici obtinentes pensiones debeant* tonsuram, & habitum Clericalem *deferre, alioquin illis ipso facto privantur; & in futurum, non nisi actu Clericis in habitu Clericali, & tonsura incedentibus, pensiones Ecclesiasticæ reserventur*. Et inde dictum eos habere pensiones, ut Clericos. Qua propter prius est esse Clericum, quàm beneficiatum.

15 Tandem dicitur: *Ab Ecclesiastica persona collatum*: nimirum à Summo Pontifice, vel Episcopo juxta conditionem beneficii: nunquam tamen à Laico conferri debet, aut potest, *cap. Ex frequentibus de instit tut.*

Præmissis nonnulli casus subnectuntur, in quibus secundùm Canonica jura, Apostolicaque rescripta, simonia in beneficiis committitur, remisso lectore ad Authores quoad cœteros.

16 Committitur itaque simonia in permutatione, & resignatione beneficii, in quibus pecunia, vel aliud temporale intervenit *c. Super hoc de renunciat. c. Exhibita de rerum permutat*, *& c. Querelam de Simon.* ibi: *Sicut emi non potest, ita nec redimi.*

17 Et procedit etiam, ubi agitur de permutatione beneficii cum alio beneficio, ut expressè textus *in cap. Cum universorum de rer. per mutat.* & ibi Glos. *verb. definitur* dixit: nulli possunt de iure sua auctoritate ad invicem permutare. In permutatione purgatur vitium simoniæ à Superiore, Papa nimirùm, vel Episcopo (quoad beneficia de sua collatione.) Tunc enim permutantes non obtinent beneficia vi particularis pactionis, sed vigore novæ collationis. Nam ea resignante in manu superioris, qui propter causas sibi benè visas, eis de novo beneficia commutando confert: ut per Gonzal. *in* 1. *tit.* 35. *c.* 8. *n.* 4.

18 Quæcumque resignatio beneficii facta sub conditione, ut detur tertiæ personæ, est invalida, & simoniaca, si fiat coram Ordinariis, & quibuscumque aliis Prælatis, inferioribus Romano Pontifice. Unde Ordinarii similes resignationes acceptare non possunt, per *const.* Beati Pii V. *Quanta* 58. *Bular. tom.* 2.

In qua tamen §. 3. eis conceditur, ut valeant beneficiorum permutationes admittere, quæ Canonicis Sanctionibus, & Apostolicis Constitutionibus permittuntur. Pluresque casus enumerantur, in quibus possunt resignationes beneficiorum recipere; sed nunquam debent, nisi resignantes ostendant se aliundè habere, quo possint commodè sustentari. Quibus interdicitur, ne cùm resignantibus de successore in beneficio conveniant, vel paciscantur, prout §. 4. *& seq.* §. prohibentur beneficia resignanda suis, vel resignantium consanguineis, affinibus, vel familiaribus conferre. Deinde pœnas apponit, ibi videndas.

Negotium admissionis, resignationis, & provisionis intra mensem debent absolvere juxta *const.* Greg. VIII. *Humano* 85. *ibid.* in qua præfinitur forma publicandi resignationes beneficiorum.

Cæterùm, licèt regulariter ad permutatio-

tationem requiratur semper consensus partium, tamen aliquando Episcopus potest Clericum cogere, ut suum beneficium cùm altero permutet, si minùs idoneus sit ad administrandum, vel causaverit scandalum, aut similis causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ subsit, *c. Quæsitum de rer. permutat.* & ad formam Decreti Concil. Trident. *cap. 6. sess. 21. de reform.*

19 Item committitur simonia, dum, posito etiam, quòd legitima authoritate permutentur, tamen habens beneficium pinguius, & cùm majoribus redditibus, vult, ut ab altero excessus, pecunia, vel alia re temporali compensetur. Nam, cùm in casu fiat permutatio quoad titulum beneficii, & jus percipiendi fructus, pecunia intelligi tur data non pro fundis, & agris, quorum beneficiati non sunt domini, sed pro titulo spirituali, vel saltem spirituali annexo, aut jure percipiendi ampliores redditus: aliàs absolutè beneficia vendi possent, si venditor diceret se titulum beneficii alteri donare, & tantùm annuos redditus vendere; quod quidem absurdum est, & reprobatur *in d. c. Si quis objecerit*, *& cap. Ut nostrum §. omnibus, ut Eccles. Benef. &c.* ibi: *Ecclesiastica beneficia sine diminutione debent conferri.*

Textus autem *in cap. Ad quæstiones de rer. permutat.* in quo videtur concessum, quòd pro beneficio minùs valente pretium suppleatur, procedit dumtaxat, ubi agitur, si duo Monasteria velint Parochias, aut beneficia sibi unita inter se permutare (subintellecta semper authoritate Superioris) est tunc licitum, excessum reddituum pecunia compensare; quia pecunia datur pro ipsis agris, & fundis, qui temporales sunt, & per unionem reputantur inter alia temporalia Monasteriorum bona. Quod non potest verificari in casu permutationis beneficiorum, quia in eo permutatio non cadit super fundis, & agris, qui non sunt de dominio beneficiati, sed principaliter super titulo, & jure percipiendi redditus; & hinc pecunia non potest intelligi data pro ipsis fundis, sed pro titulo, ex dictis suprà. Quinimmò in primo casu Pontifex respondet duos contractus esse celebrandos: unus contractus debet esse de Ecclesiis Parochialibus per se: & alius contractus per se de possessionibus, ut etiam Glos. *in notabil.* ponderavit.

20 Item committitur, dum quis legitima authoritate resignat suum beneficium in favorem alterius, si ab eo recipiat expensas factas in illo obtinendo, *cap. Cum pridem de pactis*. Pecunia enim, quæ datur, recipitur pro re spirituali, quæ resignatur, per Glos. *ibidem verb. non duximus*. Unde fit generalis regula, quòd in spiritualibus nulla pactio illicita est facienda, nec aliquid dandum, etiam pro expensis.

21 Committitur per transactionem in lite beneficiaria: ut, dum per compositionem adversario traditur pecunia, ut specialiter desistat: textus apertus *in cap. Constitutus de transact.* ibi: *hujusmodi transactiones speciem continent simoniæ.*

Dices. Concordant DD. licitum esse conferre pecunias ad redimendam litis vexationem, seu molestiam ab alio injustè illatam.

Maxima DD. juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 100. *art.* 2. *ad* 5. procedit de eo, qui in beneficio habet jus acquisitum, completum, & indubitatum per electionem, & collationem, ipsum pleno jure possidendo. Nam in casu, non datur pecunia ad acquirendum ius spirituale, quod iam supponitur completè acquisitum, sed solùm ad tollendum injustum impedimentum, quo quis in possessione beneficii vexatur. Sicut daretur prædoni, ut quis de suis manibus liberaretur.

22 Quæ non sunt aptabilia ad casum, in quo quis habet solùm jus ad beneficium, acquisitum per concursum, electionem, vel præsentationem; sed adhuc eget confirmatione, & collatione. In casu, quando vexatio apponitur ab his, qui aliquo modo possunt concurrere ad conferendum beneficium, non licet ab eis pecunia vexationem, & molestiam redimere, *per c. Matthæus*, *c. Sicut tua de simonia*. Nam hoc esset sibi pretio viam ad rem spiritualem parare; collatio enim pecuniæ, vel esset ipsa juris spiritualis acquisitio, vel ex ea hæc sequeretur infallibiliter ab habentibus influxum in collationem beneficii.

Item committitur, dum apud Principem, vel Judicem interponuntur preces, laudes, vel commendationes pro causa, vel negotio illius, qui beneficium confert, vel pro mediatore, ut beneficium conferatur. Nam in casu datur munus à *lingua* pre-

pretio beneficii, quod apud prudentes est pretio æstimabile.

23 Item committitur, dum Episcopo, vel Prælato exhibentur servitia, & obsequia ad effectum, ut beneficium exhibenti, vel alteri conferant. Quoniam hìc habetur munus ab *obsequio*; quod nullus negabit esse pretio æstimabile. Hinc si Clericus suum famulatum præstet Prælato eo fine, ut ipsum moveat, & alliciat ad beneficim sibi, vel alteri conferendum, est simoniacus per munus ab *obsequio;* quamvis ut finem minùs principalem intenderet beneficium, & principaliter gratiam Prælati. Nam illa exhibitio servitii est æquivalenter emptio.

Pariter, si Prælatus famulatum Clerici, quem debet compensare mercede, velit compensare beneficio, erit simoniacus; quia hìc habetur virtualis commutatio beneficii pro obsequio; adeòque aliquid pretio æstimabile pro re spirituali.

24 Est advertendum, quòd ut plurimùm hac in re intervenit pactum implicitum, quod satis est ad simoniam inducendam; & præsumitur, ubi Prælatus patitur aliquem famulum, vel gratis, vel pro medio prætio sibi inservire, sub spe recompensandi excessum obsequii per collationem beneficii, vel famulus obsequium sine stipendio exhibet, spe obtinendi beneficium, vel movendi Prælatum ad collationem. Propter quod sequitur, ut beneficia non juxta merita personarum, sed secundùm privatas obligationes, & affectus distribuantur. In quo Prælati debent esse cauti, & audire Apostolum ad Thessalon. 5. dicentem: *Non tantum abstinendum à malo, sed etiam à specie mali*. De illo triplici pretio, seu mumere simoniaco, videas *in cap. Salvator*, §. *Quamvis* 1. *q.* 3.

25 Item committitur, dando temporale pro spirituali, etiamsi temporale non detur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam, quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra; juxtà Decretum Innocentii XI. à quo sub die 2. Martii 1679. damnatæ fuerunt 65. propositiones, quarum 45. oppositum in expressis terminis continet. Tunc enim illa compensatio habet rationem commutationis, & est æquivalenter solutio pro beneficio.

Unde consultus super sequenti dubio: Cajus promittit familiari Episcopi triginta aureos, si ejus opera beneficium ab Episcopo obtineat. Familiaris negat se posse ea in re auxilium præstare, cùm similes conventiones, & promissiones sint simoniacę; sed interim apud Episcopum operatur, & beneficium in favorem Caii assequitur. Quod referens Cajo, is statim vult triginta aureos numerare; at familiaris respondet, se non posse eos recipere, aliàs collatio foret simoniaca. Quo audito, Cajus eos familiari præbet his verbis: *Celebres semel pro me*; & sub hoc onere à familiari recipiuntur. Dixi, beneficium esse simoniacè obtentum: considerans.

I. Quòd ex parte Caii datur pactum, & promissio expressa rei temporalis pro assecutione beneficii, cui familiaris tacitè consentit, & spe recipiendi dd. aureos beneficium in favorem Caii apud Episcopum assequitur; ejusdem autem responsa sunt ad palliandam simoniam, & verba simulata facto contraria; ejusdemq; diligentiæ præsumuntur correlativæ, & in consequentiam ad promissionem.

II. Quòd Cajus conservavit semper intentionem de stando promissis, prout ex subita numeratione fit evidens.

III. Quòd dict. aureorum summa est stipendium iliberaliter datum pro sacrificio celebrando. Et cum sit nimis excessivum, reputatur conferri, vel pro pretio beneficii, vel pro gratuita compensatione rei spiritualis; quod Innocentius prohibet. Tum quia provisus pecunia sibi viam paravit ad beneficium, & diligentiæ aulici ordinatæ fuerunt ad collationem.

26 Committitur, dum etiam Episscopo, & proviso ignorantibus, pecunia pro benefiio assequendo confertur, ut expresè *in cap. de Regularibus*, *cap. Ex insinuatione*, *cap. Nobis*, *de simonia*. Ignorantia solùm probat Episcopum, & provisum non pecasse, nec teneri pœnis in simoniacos præfinitis; sed non legitimat actum aliàs invalidum, ut per allegata jura. Et habita notitia, tenetur provisus, vel nullo interposito tempore recurrere ad S. Pœnitentiariam, exponendo casum, ut juxtà suas facultates provideat, vel beneficium dimittere; aliàs dd. pœnis ligabitur. Et ulteriùs debet etiam ante sententiam judicis restituere fructus perceptos,

ceptos, cùm in eos ab initio nil juris habuerit. Et in casu, quòd non extent, id, in quo factus est ditior, juxtà debitum, & privilegium, quod respectivè habent ii, qui fuerunt bonæ fidei possessores.

27 Committitur, si examinatores ad beneficia Ecclesiastica aliquid ante, vel post occasione examinis accipiant, ut Trid. *sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.*

28 Item committitur, si ex prava consuetudine, aut constitutionibus Ecclesiarum, pro præsentatione, nominatione, institutione, collatione; vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus beneficii, deducantur ex fructibus solutiones, promissiones, & compensationes illicitæ, ut expressè Trident. *dict. sess. cap.* 14. & Beatus Pius V. *const. Durum nimis, la* 64. *Bullar. tom.* 2. Deductiones illicitæ dicuntur, quæ cedunt in Canonicorum, vel exigentium utilitatem; secùs si in utilitatem Ecclesiæ, vel alios pios usus convertantur; modò non pro ingressu ipso, & admissione, sed ad alium pium usum recipiantur, ut de communi testatur Barbos. *ad d. loc. Trid. num.* 6.

Sed est ponderandum, Trid. non tantùm reprobare solutiones, & deductiones fructuum, quæ fiunt in actu provisionis beneficii, seu tempore ingressus, seu receptionis, quæ verè sunt simoniacæ; verùm etiam, quæ simoniæ, & avaritiæ suspicionem inducunt. Quam suspicionem propter circumstantiam temporis semper præseferunt ea, quæ tunc dantur, quamvis liberaliter, & sine ulla conditione, & pacto conferantur. Nam præsumptio simoniæ non evanescit, dum aliquid tempore prohibitio, licèt sub aliquo prætexu datur, *cap. Si quis in ægritudine* 57. *dist. & cap. Talia* 8. *quæst.* 3. & notat. Gloss. *in cap. Quàm pio, in verb. Subsidii* 1. *quæst.* 2.

29 Quapropter idem Trident. *sess.* 21. *cap.* 1. *de reform.* ad removendam omnem avaritiæ, & simoniæ suspicionem prohibuit Episcopis, eorumque Ministris, aliquid etiam spontè oblatum accipere pro collatione Ordinum, aut pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, aut pro sigillo, vel alia quacumque de causa. Sed tantùm cereum posse ab Ordinatore recipi, refert decisum à Sacra Congreg. Conc. Piasecus *prax. Episcop. par.* 1. *c.* 1. *artic.* 9. *num.* 9. Et eadem Sacr. Congreg. apud Fagnan. *in* 5. *ad cap. In ordinando num.* 12. *de simon.* censuit, consuetudinem etiam immemorabilem percipiendi ab ordinatis ad primam tonsuram, forfices, pectines, & mappas, præter faculas, pariterque mappas à Præsbyteris, intelligi perindè ac corruptelam revocatam, nullamque in ea functione oblationem percipi posse, præter eam, quam quis, dum Sacris Ordinibus initiatur, Pontifice Romano permittente, consuevit offerre.

Quo decreto corrigitur, tum sententia DD. dicentium posse accipi id, quod non principaliter, & pro ipsa re spirituali, sed ex charitate spontè datur; tum text. *in cap. Et si quæstiones, & in cap. Dilectus, il secondo de simon.* ibi: *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.* Nam Sancta Synodus ad omnem suspicionem tollendam sustulit etiam spontè oblatum. Quod dum reciperetur, non propterea simoniam induceret, si omnis abesset pactio etiam implicita; sed dantes, & recipientes inciderent in pœnas eodem decreto inflictas, ut scripsit Fagnan. *ibid. num.* 11.

30 Item committitur, si beneficium à fundatore fundetur, vel dotetur eo pacto, ut sibi conferatur, aut in erectione beneficii ab eodem conditio addijciatur præsentandi se ipsum, ut expressè text. in *c. Tua de simon.* quia in adipiscendis spiritualibus nulla conditio, vel pactum debet intervenire, ut ibi Gloss. *in notabilib.* Aliàs simonia inducitur, *dict. cap. Cùm pridem, &c. Pactiones, de pactis*, & sæpè alibi.

Dices. Valet collatio beneficii sub conditione, *Si resederis, cap. Ex parte, il* 2. *de Clerico non residente*; & facta eo pacto, ut, provisus solvat pensionem antiquam, vel impositam, ut patet per Doctores; atque ita pactum in spiritualibus simoniam non inducit.

31 Communior responsio, est; apud Fagnan. *in* 1. *ad cap. Audientiam, il* 2. *de rescript. num.* 13. quòd ea, quæ præcipiuntur ab jure, vel de jure insunt, ut est obligatio residendi, possunt in pactum deduci. Quod repetit *in* 5. *ad c. Tua nos n.* 18. *de simon.* ubi dat concordantes, apud quos nulla conditio à jure approbata reddit actum simoniacum ex *d. cap. Ex parte*, & notavit Gloss. *in d. cap. Ad audientiam*,

verb.

verb. Renunciantes, *in cap. Significasti*, *in verb. Conditione*, *de elect. & in cap. Olim*, *il primo in verb. Conditione*, *de restitutione spoliator*. Habetur ex *cap. Eleutherius* 18. *quæst.* 2. & facit Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. *de reform.*

32 Communiterque recipitur, quòd si pœnitens in Confessione confiteatur se aliquid furto subtraxisse ipsi Confessario, nulla sit simonia, si Sacerdos Pęnitenti, potenti restituere, dicat: *Nolo te absolvere*, *nisi restituas*. Quia illa restitutio præcipitur ab jure; cùm non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, *cap. Si res aliena* 14. *q.* 6. *cap. Quamquam*, *de usur. in* 6. *& reg.* 4. *juris in* 6. *Peccatum*, & ibi Gloss. *Vel etiam potest intelligi*. Et ratio naturalis dictat Sancta esse sanctè tractanda, ac rectè Sacramenta administranda, & indispositos non esse absolvendos; potens autem restituere, & resistens, est indispositus ad accipiendum absolutionis Sacramentalis beneficium. Tum quia bona illa sunt Confessario debita, tum civiliter, & per sententiam judicis, quia furto fuerunt ablata; tum naturaliter, quia res semper pro domino clamat. Ideò Confessarius in casu simoniam non committit. Nam restitutio est sub juris præcepto, & tacitè inest, ut dixit Fagnan. *in* 1. *ad d. cap. Audientiam n.* 19. repetens, simoniam esse dare aliquod spirituale suo debitori, si res creditori non sit debita omnibus modis, & ita naturaliter, & civiliter.

33 Cæterùm, si fundator humiliter rogaret, ut sibi beneficium conferretur, simonia non induceretur, modò dignus esset, prout *in dict. cap. Tua*, ibi: *Si verò pure*, *& sine pacto*, *vel conditione qualibet offerat rogans humiliter*, *ut in Canonicum admittatur*, *& bona sua retinere sibi liceat pro præbenda*, *& Clerici ejusdem Ecclesiæ purè consentiant*, *hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis*. Concordat *cap. Proponit*, *de Cleric. excom. ministr. & cap. Tuam*, *de ætat. & qualit.* & notanda est doctrina Gloss. *ibid. in verb. Nullum*, ibi: *Si preces quis pro se porrigat*, *ut in Prælatum eligatur*, *ambitiosæ sunt*, *& illicitæ*, *cap. Nullus itaque* 1. *quæst.* 1. *Si verò precibus alienis promovetur*; *aut preces sunt spirituales*, *aut carnales*. *Si sunt carnales*, *& fiunt pro indigno*, *simonia committitur*, *cap. In ordinationibus* 1. *q.* 1. *Si verò sunt spirituales* (ut si commendetur dignus, & qui judicatur utilis servitio Ecclesiastico) *admitti possunt*, *nec inducunt simoniam*, *cap. Lectorem* 1. *q.* 1. *sed omne pactum*, *& conventio debet abesse*, *& respiciendum est ad merita*, *& qualitatem commendati*, *& non ad preces*.

34 Dicta distinctio non procedit in Episcopatu, quia Episcopatum non licet appetere, nec pro eo adipiscendo preces porrigere; unde dixit Augustinus *lib.* 19. *de Civit. Dei cap.* 19. ibi: *Locus superior*, *sine quo populus regi non potest*, *etsi administretur*, *ut decet*, *tamen indecenter appetitur*. *Opus quidem desiderare bonum*, *bonum est*, *primatum autem honoris concupiscere*, *vanitas est*. Ut egregiè probat Div. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 3.

35 Item committitur, dum quis beneficium cum cura, vel sine cura alicui procurat, dat, aut cedit in confidentiam, pacto expresso, aut tacito, ut post aliquod tempus illud resignet sibi, vel alteri, v.g. suo nepoti, amico, &c. vel cum onere, ut pensionem aliquam, seu fructus in totum, vel in partem solvat ipsi danti, cedenti, procuranti, aut alteri ad suum libitum. Huiusmodi confidentialis simonia reprobatur à Pio IV. *const. Romanum* 85. *Bullar. tom.* 2. & B. Pio V. *constit. Intolerabilis* 85. *ibid.* In ista ponuntur regulæ, & præsumptiones ad dignoscendum pro foro interno huiusmodi delictum.

Hæc confidentia contingere potest per accessum, ingressum, regressum, concessionem fructuum, & solutionem pensionis.

Per *Accessum* evenit, dum quis alteri beneficium procurat, vel confert cum conditione, vel lege tacita, vel expressa, quòd posteà per resignationem faciendam à proviso, ad idem beneficium ipse conferens, vel procurans, aut alius ab eo designatus accedet.

Per *Ingressum* contingit, ubi quis post collationem beneficii illud ante possessionem alteri renunciat cum spe, & pacto, ut hic posteà eidem, vel alteri ab eo designando, ad idem beneficium ingressum aperiat dimittendo illud.

Per *Regressum* contingit, ubi quis adepto beneficio, alteri resignat cum conditione, quòd deinde per resignationem ab accipiente factam, ad idem beneficium ipse, vel alius à se designatus redibit.

Per concessionem fructuum, vel solutionem pensionis contingit, cum quis alteri confert, vel resignat beneficium cum pacto, ut accipiens sibi, vel alteri à se designando concedat omnes, vel partem fructuum beneficii, vel solvat pentionem, ut expresse text. *in d. const.* B. Pii V. Layman. *theol. moral. lib.* 4. *tract.* 10. *c. ult.*

An autem in venditione pensionum Clericalium simonia committatur? habes *cap.* 39. *n.* 15.

Contra dicta in superioribus duo oponuntur. Primò, quòd ex stylo Romanæ Curiæ dispensationes matrimoniales sine pecunia non conceduntur, & tamen concernunt aliquod spirituale, nec propterea simonia committitur.

Secundò, quòd absque simonia licitè in Romana Curia annatæ exiguntur ab eis, quibus conferuntur beneficia; ergo in collatione beneficii Ecclesiastici licet aliquid recipere.

36 Resp. Ad primum. Pecunia in dispensationibus non solvitur, nec recipitur, ut pretium ipsarum, sed vel in substentationem Officialium, & Ministrorum, arg. ex *c. Statutum* §. *Assessorem*, *de rescript. in* 6. ubi judex potest à partibus salarium pro assessore petere, quamvis ipse teneatur gratis justitiam administrare; vel ad deterrendos homines ad illas petendas, vel in subsidium pauperum. Et sæpè solutio pecuniæ imponitur in pœnam delicti, quando istud concurrit, ut dixit Engel. *Coll. jur. Canon. lib.* 5. *tit.* 3. §. 4. *n.* 20.

37 Ad secundum; ideò annatæ licitè per Pontifices exiguntur à provisis, quia exactio nullo modo fit pro ipsa collatione, seu beneficiorum provisione, nec pro aliquo spirituali, aut spiritualibus annexo, sed pro fructibus merè temporalibus, ad eos legitimè pertinentibus. Nam annata aliud non importat, quàm *fructus primi anni beneficiorum Pontificibus dandos*. Nefas enim esset negare. Pontifices pro plenissima sua in beneficiis potestate non posse pro suis, & Romanæ Ecclesiæ necessitatibus de fructibus beneficiorum tempore collationis sibi aliquam partem reservare, vel aliquid à provisis pro primis fructibus petere. Et ita iniquè asseritur, solutionem annatarum, quas exigit Camera Apostolica, simoniam continere, no tamque turpis lucri præseferre. Quid impius, quàm Sedem Apostolicam ipsas exigentem injustitiæ, & impietatis insimulare? Hoc hæreticorum est proprium, quòd invidentes Romanæ Sedis Dignitati, & Primatui, de ipsa pro viribus obloquantur; & hinc mirum non est, quòd contra annatas insaniant. De quarum justitia, & licito usui nteger articulus doctissimè examinatur à Fagnan. *in* 5. *ad cap. Præterea*, *ne Prælati vices suas*; ubi in contrarium objecta resolvit, illudque quod ex Basileensi Concilio *sess.* 22. *in tit. de annatis*, adversus istas opponitur, retundit; ac in oppositum adducta ex Pragmatica Sanctione refellit; nam dict. Pragmatica tamquam Schismatica reprobatur, & abrogatur in Conc. Lateranen. à Leone X. Constit. *Pastor æternus*, *la* 20. §. 5. *Bullar*, *tom.* 1. Affirmatque institutionem annatarum adeò antiquam esse, ut de illius initio non extet memoria.

Circa annatarum solutiones, quamplures pro diversis temporibus à Romanis Pontificibus Constitutiones emanarunt. Extant Constitutiones Pauli II. *Decet* 6. *Bullar. tom.* 1. Innoc. VIII. *Apostolicæ* 3. Julii II. *Romani* 4. Clement. VII. *Cum sicut* 33. Julii III. *Cupientes* 20. *ibid.* Pauli IV. *Incumbentia* 11. & alia *Decens* 171. Beati Pii V. *Apostolicæ* 38. *Bullar. tom.* 2. Sixti V. *Cameræ* 33. *ibid.* De quibus etiam mentio fit in Conc. Viennen. in Constantien. *sess.* 40. ac in Extravag. Joannis XXII. *Cum nonnullæ Ecclesiasticæ*, *de præbend. la* 1. *&* 2. *inter comm.*

Præfatus Fagnan. *ibid. num.* 10. observat, quòd ante tempora Bonifacii IX. pro annata solvebantur per triennium ex integro fructus primi anni beneficiorum, tertia pars pro quolibet anno; sed ipse Bonif. reduxit solutionem annatæ ad medietatem valoris annui fructus primi anni, cum onere tamen, ut provisus anticipatè de propriis pecuniis in relaxatione, & expeditione suarum litterarum eam solveret. Et hinc patet, non ideò talem dictam esse annatam, quòd complectatur omnes primi anni fructus, sed quia solvitur ratione medietatis fructuum primi anni, ut d. Const. *Decet* Pauli II. §. 4.

38 Quæritur. Quænam sint pœnæ simoniacis taxatæ in materia beneficiorum?

Nota est distinctio simoniæ *in mentalem*, *conventionalem*, *& realem*. *Mentalis*

lis est, quæ sola mente committitur, & in actum exteriorem non prodit. *Conventionalis*, quæ in pactum externè à partibus deducta est, adhuc non tradita re spirituali, & pretio, *Realis* verò, ubi ultrà pactum, etiam traditio rei spiritualis, & pretii accedit; ideò ad istam tria requiruntur: Primò, pactio: Secundò, receptio rei sacræ: Tertiò, solutio pretii, saltem secundùm partem. Modò, simonia mentalis per DD. pœnas non infert, quantum ad forum externum Ecclesiæ; quia quæ in terminis præcisè internæ voluntatis continentur, ultioni Ecclesiæ non subjiciuntur; (ideò concordant, hæresim merè internam excommunicationem non inducere) sed necessè est, ut aliquod externè superaddatur, pactum nimirùm expressum, vel tacitum. Quoniam Ecclesia non judicat de occultis, & merè internis, *cap. Sicut*, §. *Illos*, *de simon.*

Dicitur, *quantum ad externum forum Ecclesiæ*; quia quantum ad Deum, & forum conscientiæ, per solum voluntatis propositum, & deliberationem, etiam exteriùs non manifestatam simonia peccaminosa mortaliter committitur.

39 Advertas, cùm dicimus juxtà allegata jura Ecclesiam non judicare de merè internis, & occultis, nostrum non esse cum eis concordare, qui dixerant, Ecclesiam non posse actus merè internos præcipere. Nam eos reprobavimus *lib. 2. cautel. Confess. cap. 31. num. 22.* Et iterùm constanter fatemur, Ecclesiam actus internos præcipere posse. Nam Papæ a Christo fuit illimitatè communicata potestas supra omnes, & non restricta ad actus externos. Tum quia ad ipsum spectat dirigere in viam salutis æternæ, & curare de mediis ad eam conducentibus, qualia non sunt solùm actus externi, sed etiam interni. Quapropter Alex. VII. & Innoc. XI. plures propositiones damnarunt, easque prohibent ad praxim deduci, inter quas plures spectant ad solos actus merè internos, ut sunt prima propositio ab Alex. dam. *de actu fidei, spei, & charitatis*. V. VI. & VII. ab Innoc. *de actu dilectionis Dei*. Et X. & XI. *de actu amoris proximi*, *&c.* Trid. *sess. 13. in Decr. de Venerab. Euchar. Sacr.* interdicit: *Ne de Sanctissima Eucharistia aliter credatur, quàm ut est in Decreto definitum, & explicatum*; credere autem est actus intellectus, purè internus. Et hinc patet esse in Ecclesia potestatem legislativam directam in actus merè internos.

40 At petitur, an beneficium collatum, & pretium receptum simoniacè simonia purè mentali, illud sit dimittendum, & aliud restituendum.

Resp. DD. ex *cap. Mandato*, *de simon.* negant. Sed eos, & text. intelligo ratione legis Ecclesiasticæ, non verò ratione juris naturalis, quod dictat dimittendum esse, quod iniustè possidetur, & esse restituendum, quod iniustè accipitur; constat autem pretium fuisse iniustè acceptum, quia pro re invendibili; & venditum esse beneficium, quod vendi non potest, ut dixi *d. lib. 2. caut. cap. 26. num. 45.*

41 Ex quibus colligas, simoniam mentalem committi, dum verè traditur res temporalis pro spirituali, aut è contra, sine pacto, & conventione tacita, vel expressa inter partes, sed sola intentione emendi, vel vendendi spirituale. At non negamus, quin etiam desiderans rem spiritualem emere, vel vendere, quamvis nil det, vel recipiat, mortaliter peccet, peccato habente malitiam simoniæ.

42 De simonia conventionali Doctores conveniunt non habere pœnam, quæ ipso iure incurratur (licèt partes peccent) quia Canones taxantes pœnas simoniacis, non de sola conventione, sed de actuali traditione, & receptione loquuntur, ut manifestum est ex Decreto Sacr. Congreg. Episcop. 26. Novembris 1602. in quo Summo Pontifici reservatur: *Simonia realis scienter contracta, & confidentia beneficialis*. Posset tamen simonia purè conventionalis ab Judice Ecclesiastico arbitrariè puniri.

43 Simonia realis excommunicationem Papæ reservatam ipso iure inducit, ex *cap. Cùm detestabile*, *de simon. inter com.* ibi: *Qui quomodolibet dando, vel recipiendo simoniam commiserint, aut quòd illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint.*

Simonia confidentialis pariter plures pœnas infert.

I. Annullantur collationes, & resignationes.

II. Provisio beneficiorum reservatur Sedi Apostolicæ.

III. Provisi fructus, nec pensiones suas faciunt.

IV. Cardinalibus, & Episcopis interdicitur ingressus Ecclesiæ.

V. Inferiores excommunicatione Papæ reservata ligantur.

VI. Qui beneficium, & pensiones hoc confidentiæ vitio recepit, aliis etiam beneficiis, & pensionibus priùs obtentis, privatur, & ad alia redditur inhabilis, ex dd. Constit. Pii IV. & V.

44 An autem restituenda sit pecunia recepta occasione conferendi, præstandi, vel procurandi beneficium? Est extra dubium; sed non debet restitui ei, qui dedit, quia contra justitiam dedit; nec qui recepit, potest eam retinere, quia contra iustitiam recepit, D.Thom. 2.2. *quæst.*32. *art.*8. Restituenda itaque est Ecclesiæ, cui fuit iniuria irrogata, vel pauperibus, *cap. De hoc, de simon.*

Estque restituenda ante sententiam iudicis. Quoniam titulus hic restitutionis nascitur ex nullitate contractus emptionis, & venditionis; atque ita restitutio non solùm est pœna culpæ, sed etiam effectus iniustæ acquisitionis, cùm fuerit recepta pro re invendibili, & contra voluntatem Domini, qui ordinavit, ut spiritualia gratis dentur. Matth. 10.

45 Quid etiam observandum sit ab eo, qui beneficium sciens, & volens per simoniam obtinuit?

Resp. Fructus omnes restituere tenetur, non solùm extantes, sed etiam consumptos, deductis expensis factis causa fructuum, iisque exceptis expensis in utilitatem Ecclesiæ beneficii, D. Thom. *cit. quæst.*110. *artic.*6. *ad* 3.

46 Pondera, in simonia non dari parvitatem materiæ; quod est idem, ac asserere, simoniam ex parvitate materiæ non posse esse peccatum veniale, quia sive unum *Ave* sive totum *Psalterium*, quis conetur vendere, semper rei spirituali, & Deo gravis iniuria irrogatur. Et procedit, etiam si pro re spirituali detur unus obolus, sive centum aurei. Quinimò in primo casu videtur maior irreverentia; quia quò minori pretio res venditur, eò minoris videtur æstimari, ut dixi *dict. lib.*2. *cap.*26. *num.*37. A mortali itaque in hac materia potest solùm excusare inconsideratio, & ignorantia inculpabilis.

47 Quæritur. Provisus legitimè de beneficio, primariò, & principaliter non intendit cultum Divinum, & laudes Deo persolvere, sed redditus temporales, quod est secundarium in beneficio; petitur, an committat simoniam?

Responsio patet ex doctrina Divi Thomæ, *quodlib.*8. *quæst.*6. *art.* 1. Apud Natal. Alex. *theolog. moral. tom.* 2. *art.* 5. *reg.* 40. *de simon.* ibi: *Celebrare divinum officium in Ecclesia est actus spiritualis ex parte principii; competit enim alicui ex hoc, quod est Clericus. Et ideò simoniam committit, qui hujusmodi actum vendere intendit; in qualibet enim venditione pretium accipitur, quasi finis. Si enim hujusmodi distributiones recipit, quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit; & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundariò, non quasi finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quòd non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio distributionum non erit causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed propriè hujusmodi determinationis, quare nunc vadat, & non alia vice.* Hæc Sanctus Doctor. Quæ aptari possunt accipientibus stipendia pro Missis, Concionibus, &c. Quapropter si primariò, & principaliter intendantur, de simonia mentali non dubitatur, videatur Fagnan. *in* 5. *ad* 5. *cap. Olim, de verb. signific. num.* 43.

48 Huc tandem refero, ex Fagnan. *ibid. ad cap. In ordinando, de simon. num.* 32. Decreta Sacr. Congr. Conc. edita 7. Februarii 1602. in quibus plura ad materiam beneficialem pertinentia, resoluta dantur, ut infrà.

Capitulum Vicense obtulit Sac. Congregationi Concilii supplicem libellum, quo conquerebatur, tam Episcopum Vicensem, quàm ejus Notarios, & scribas pro diversis scripturis negotiorum ad ejus jurisdictionem pertinentium, non modicam pecuniarum quantitatem exigere, petebatque mandari Episcopo, ut ab ejusmodi exactionibus abstineret, atque Notarios, & scribas coerceret, ne plus debita mercede reciperent.

Scripturæ autem negotiorum, atque actuum prædictorum à Capitulo singillatim expressæ, hæ fuerunt.

Col-

Collationum, institutionum, seu provisionum per obitum, vel resignationem, etiam ex causa permutationis, vel aliàs.

Dimissoriarum, seu testimonialium, quæ conceduntur Presbyteris, seu Clericis ad alienas diœceses transituris.

Licentiarum recipiendi Ordines ab aliis Episcopis.

Licentiarum bis in die celebrandi.

Licentiarum dicendi Missam.

Licentiarum dicendi Missas matutino tempore, quas matutinales vocant, diebus Dominicis, & festivis.

Licentiarum audiendi Confessiones.

Licentiarum administrandi Sacramenta.

Licentiarum deserviendi beneficiis curatis.

Licentiarum deserviendi benefiiis simplicibus.

Licentiarum ordinandi se ad titulum patrimonii, seu approbationum hujusmodi titulorum.

Licentiarum absentandi se ab Ecclesiis, vel beneficiis.

Licentiarum quæstuandi.

Licentiarum sepeliendi cadavera intùs Ecclesiam.

Mandatorum de publicando in Ecclesia initiandos sacris, vel Minoribus Ordinibus, vel tonsura Clericali.

Dispensationum ad duo beneficia, etiam similia, sub eodem tecto.

Approbationum concurrentium ad vacantes Parochiales in mensibus reservatis, quæ ad Curiam Romanam transmittuntur.

Approbationum jurispatronatus ex fundatione, vel dotatione.

Creationum Notariorum in Parochialibus, & commissionum regiminis scribarum earumdem vacan.

Deputationum œconomorum, dum beneficia vacant.

Executionum litterarum Apostolicarum gratiam seu justitiam concernentium.

Die septima Februarii 1602. proposito in Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hoc supplici libello, Patres primùm mirati sunt aliqua ex suppositis Capitulis aliquo modo etiam absque ulla mercede concedi; nempè licentiam tum bis in die, tum etiam matutino tempore Missas celebrandi, & proindè mandarunt Episcopo significari, num hæc ipse concedat, quemadmodum proponitur?

Deindè quod ad pecuniæ, seu mercedis exactionem, ac solutionem pertinet, responderunt: Episcopo quidem in nullo ex supradictorum capitum licere quidquam accipere, vel percipere directè, vel indirectè. Notario, vel Cancellario nihil etiam licere accipere in plurimis ex iisdem capitibus, nempè propter approbationem ad audiendas confessiones; propter licentiam administrandi Sacramenta; ob licentiam deserviendi benficiis; ob licentiam sepeliendi defunctorum corpora in Ecclesia; ob licentiam celebrandi Missas; ob licentiam colligendi eleemosynas; ob mandata publicandi in Ecclesia eos, qui primam tonsuram, vel Minores, Sacrosve Ordines suscipere voluerint; adeòut in nullo supradictorum casuum, neque ratione scripturæ, nec sigilli, nec laboris, nec alio titulo aliquid à quopiam percipere queat, sed gratis hæc omnia, his quorum interest, debeant præstari. Verùm quoad alia capita, ita demùm Notarium, vel Cancellarium posse aliquid percipere, si nullum sibi salarium, vel stipendium sit constitutum, eumque congruam tantùm sui laboris mercedem, quæ quoad litteras collationis, vel institutionis curatarum Ecclesiarum, vel deputationis Vicariorum in illis, unum aurum, & quoad litteras dimissorias, aut testimoniales, decimam unius auri partem nunquam excedat. Videri etiam potest taxa edita sub 1. Octobris 1678. & 8. ejusdem men. & ann. de mandato Innoc. XI. à Sac. Congr. Conc. ad omnes locorum Ordinarios pro observantia transmissa.

CAPUT L.

Officialis quoad simoniam in Electionibus.

SUMMARIUM.

1 *Simonia committi potest in electionibus ad Prælaturas, & officia Ecclesiastica Regularia.*
2 *Simonia committi potest etiam in assecutione definitoriatus, & custodiatus.*
3 *Est simoniaca electio, in qua tribuitur aliquid ellectoribus pro suffragio, usque ad 7.*
8 *Et electio, pro qua, etiam electo igno-*

rante, datur, vel promittitur pretium.

9 *Quinam sint defectus intrinseci electionis, usque ad 12.*

13 *Ignorantia simoniæ excusat electum à culpa, & pœna, sed non legitimat actum.*

14 *Provisus simoniacè per ignorantiam beneficium, vel Prælaturam tenetur dimittere.*

15 *Quid dicendum, ubi pecunia fuerit promissa, vel data in fraudem electionis.*

16 *Fraus unde probetur.*

17 *Non potest dari pecunia, ut reconcilientur animi ad favorem personæ determinatæ.*

18 *Simoniam simonia non licet emendare.*

19 *Importunæ preces, aliæque insolitæ artes à Præside adhibitæ simoniam inferunt.*

20 *Est simonia, pro suffragio condonare culpam, & pœnam remittere.*

21 *An commutatio unius rei spiritualis cum spirituali sit simonia?*

22 *Non potest absque simonia pacisci de electionis commodo.*

23 *Non possunt duo Guardiani propria authoritate inter se Guardianatus commutare.*

24 *Agitur de redemptione vexationis, usque ad 26.*

27 *Quid dicendum, dum electores sunt determinati ad eligendum indignum.*

28 *Absque simonia non potest pecunia offerri, & dari pro electione Abbatissæ.*

29 *Est in Abbatissa potestas, & jurisdictio spiritualis in ordine ad subditas; non quæ dependeat ab Ordine, & spectet ad claves.*

30 *Etiam in postulatione potest simonia committi.*

31 *Unde simonia, & qua ratione in electionibus probetur?*

De electione egimus *cap.* 18. Hìc itaque agendum est de simonia, quæ ea in re committi potest.

1 Quæritur. An simonia committi possit in electionibus ad Prælaturas Regulares, v. gr. dando pecuniam pro Generalatu, Provincialatu, Guardianatu, &c.

[illegible]. Affirmativè cum Diana *coord. resolut.* 10. Peyrin. *de subd. quæst.* 1. *cap.* 31. *dico* 21. Pignatello *tom.* 10. *consult.* 44. Consideratur enim, quòd cum in dd. electionibus detur pecunia, vel aliud pretio æstimabile, verificatur emptio, & venditio rei spiritualis, aut alicuius, quod sit spirituali adnexum. Prætacti enim Prælati habent curam animarum, *cap. Cùm in cunctis, de elect.* & Gloss. *ad cap. Cùm ab Ecclesiarum, verb. Ecclesiastici, de Offic. ordin.* Cura autem animarum importat exercitium actuum dependentium à potestate spirituali, quibus ipsorum subditi diriguntur ad salutem, & finem supernaturalem.

Adnotatur etiam ex Fagn. *in* 1. *ad c. Cùm pridem, de pactis num.* 88. quòd unusquisque ex electoribus in sua voce causat electionem, & concurrit ad collationem iuris spiritualis, quod per electionem acquiritur electo; qui electione posita ius habet ad Prælaturam etiam ante confirmationem, per *cap. Cùm inter Canonicos, de elect.* Per confirmationem enim nihil novi iuris electo acquiritur, sed solum exercitium iurisdictionis, *cap. Pastoralis, de rescript.* Ideò qui aliquid confert electoribus pro electione, illud tradit pro iurisdictione, quæ electo acquiritur per electionem; quæ cum sit spiritualis, vel ad spiritualia ordinetur, pro re spirituali pretium dat.

2 Dubitatur. An etiam simonia committi possit in electionibus definitorum, & custodum?

Resp. Affirmativè. Nam definitores habent iurisdictionem ordinatam ad munera spiritualia, & ius habent ad eligendos Prælatos. Ita in Ordine Minorum recipiunt Novitios ad Religionem, eligunt Provincialem, & Guardianos, concurrunt ad deputandos Confessarios Monialium, instituendos Concionatores, & similia.

Nec obstat, quòd prænunciata ex non adiuncta utilitate reddituum dici propriè non possint beneficia Ecclesiastica; nam per Cabasut. *prax. jur. Canon. lib.* 1. *cap.* 8. non impropriè inter ea beneficia computantur. Et sunt quasi beneficia propter jurisdictionem spiritualem, ut notavit Lezana *summ. tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 8. & Hasbensis *summ. verb. Electio num.* 85. Quinimò inter Mendicantes, ex Peyrino *cit.* nomine beneficii intelliguntur officia Generalatus, Guardianatus, &c. Quæ licèt non sint beneficia, sunt tamen officia Ec-

Ecclesiastica, quæ beneficiis æquiparari videntur. Unde Urbanus IV. *cap. Cum detestabile de simon. inter. com.* nullius roboris declarat electiones per simoniam factas, electosque simoniacè nullum jus in Ecclesiis, & Monasteriis habere ad *dignitates, personatus, officia Ecclesiastica, & quævis beneficia*. Ubi ponderandum, quòd illud *officia*, tamquam quid diversum à beneficiis ponitur.

Quibus suppositis, nonnulli casus particulares referuntur, quibus in materia electionis potest simonia committi, delegando Lectorem ad DD. ut de reliquis instruatur.

3 Itaque I. Simonia committitur, & electio secundùm Canonica jura est simoniaca, si ab eligendo, vel de ejus voluntate ab aliis tribuatur pecunia suffragantibus in electione, ut pro se vel suo amico suffragium ferant, ex *cap. Matthæus, de simonia*. Nam hìc pecunia aliquod spirituale acquiritur.

Et procedit non tantùm, nisi simonia fuerit realis ab utraque parte completa, sed etiam si fuerit conventionalis, adeò ut pecunia sit electoribus promissa, sed non soluta; per text. *in cap. Nobis, de simonia*, ibi *Promiserunt se pecuniam soluturos*. Concordat. *cap. Veniens ibid.* & tenet Diana *coord. tom. 5. tract. 7. resolut.* 27. Pari enim passu currunt promissio, & solutio; nam utraque respicit electionem, per quam datur jus ad spiritualia. Et ita reprobatur opinio eorum, qui dixerunt, electionem simoniacè factam esse nullam solùm, si simonia sit realis ab utraque parte completa; secùs si sit conventionalis; nam in contrarium est apertè *d. cap. Nobis* Licèt eam ibid. Diana vocaverint probabilem, & in praxi tutam.

4 Procedit etiam, si uni tantùm ex electoribus data, vel promissa sit pecunia; nam quoad vitium electionis nihil interest, an simonia commissa fuerit cum omnibus eligentibus, vel cum uno tantùm; ut est textus apertus *in dict. cap. Nobis*, ibi: *Uni, vel omnibus eligentium promiserunt se pecuniam soluturos*.

5 Item procedit etiam, si ille, cui data, vel promissa est pecunia, existeret extra numerum majoris partis, ejusque votum non esset necessarium ad integrandam electionem, sed superabundaret, eò quòd electus, etiam voto illo non computato, habuisse majorem suffragiorum partem nam ad nullitatem electionis satis est, ut simonia sit commissa cum uno ex electoribus. Aliàs possent electiones simoniacè celebrari; quippe is, cui esset data, vel promissa pecunia, posset allegare suum votum non fuisse ad electionem necessarium: *& hic utile per inutile vitiatur*.

6 Procedit pariter, etiamsi ille, cui esset solutum, vel promissum pretium, affirmaret se non fuisse pecunia motum ad eligendum, quia aliàs electurus erat; ut tenet Glos. *ad d. c. Nobis verb. Interveniente*; nam constat solutionem, vel promissionem intervenisse ante electionem, à qua omnis pactio, & promissio abesse debet, qualiscumque fuerit intentio eligentis, arg. ex *d. cap. Veniens, & cap. Novit* 100. *dist.*

7 Nec est credendum eligenti in facto suo de sua intentione deponenti. Alioquin facile esset cuique per pecuniam eligenti asserere, se fuisse aliàs electurum.

8 II. Simonia committitur, & electio simoniaca dicitur, cùm alicui ex electoribus, etiam electo ignorante, per alium solvitur, vel promittitur pecunia; text. expressus in *d. c. Nobis, §. Quia.* Et est ipso jure nulla, ut significant verba illa textus, *est penitùs reprobanda*: ponderando dictionem *penitus*, quæ importat nullitatem ipso jure, ut Scribentes firmant. Et ad hanc partem ducuntur jura, quæ statuunt promotos per simoniam, ipsis ignorantibus commissam, teneri Ecclesias ipso facto, habita notitia, dimittere, juxta text. *in c. Litteras, de concess. præb. & cap. de Regularibus, c. Ex insinuatione, & c. Sicut tuis, de simon.*

9 Consideratur, quosdam defectus esse intrinscos electioni, qui ab intrinseco directè, & per se inficiunt naturalia electionis principia. Cujus generis sunt, defectus potestatis, eo quòd electio facta sit à non vocalibus: vel à minori numero, quàm requisito. Item defectus rei, vel materiæ: ut si fuerit celebrata ad Ecclesiam, vel Prælaturam non vacantem. Item defectus personæ electæ: ut quia est Hæreticus, Judæus, Paganus, & Censuratus; tametsi iste postremus dicatur extrinsecùs proveniens ex constitutione Ecclesiastica. Item defectus formæ electionis: ut quia non intervenit consensus eligentium, juxta *cap. In his, de verbor. signif.* Item defectus libertatis in consensu.

ut

ut *c. In nomine Domini*, §. *Quòd si pravorum*, *&* §. *Quòd si quis 23. dist. &c. Si quis pecunia 79. dist.* Propter quos, vel aliquem ex dd. defectibus, electio redditur ipso jure nulla; quia defectus principiorum naturalium, super quibus fundatur essentia rei ipsam tollit, *capit. Veniens de Presbyter. non bapt.*

10 Modò, simonia realis, vel conventionalis in electione Canonica interveniens, videtur esse defectus intrinsecus, animum eligentium ab intra vulnerans, & inficiens: quoniam, qui pro aliquo eligendo pecuniam, vel promissionem recipit, libertatem consensus ligat; & ita inficitur forma electionis: quia ut dicitur *c. Ubi periculum*, §. *Cæterùm, de elect. in 6. cùm arbitrium, vel inordinatus captivat affectus, vel ad certum aliquem obligationis cujusque necessitas adigit, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi*; & propterea Innoc. *in c. Quod sicut de elect. n.*8. dixit, electionem esse nullam de ure naturali, quando quis est intrusus, aut Simoniacè electus.

11 Posito autem, quòd defectus simoniç sit intrinsecus ex naturalibus principiis, inde resultat, ut electio sit nulla, etiamsi electus ignoraverit simoniam à pluribus, vel uno ex eligentibus fuisse commissam; à simili de electione facta per metum, vel sine consensu majoris partis vocalium, quæ non sustinetur propter ignorantiam electi: ambo enim æquè sunt defectus intrinseci.

12 Potest etiam ponderari, quòd hìc intenditur venditio rei invendibilis; nam electio est res spiritualis, vel spirituali annexa; adeòque titulo emptionis acquiri non potest, sed gratis debet dari, juxta illud Math. 10. *Gratis accepistis, gratis date*: & cùm res non sit vendibilis, parum refert, an emptor emerit scienter, vel ignoranter, an bona, vel mala fide, per D. Thom. 2. 2. q. 100. *art. 9. in corp.*

13 Ignorantia solùm excludit delictum, & excusat electum à pœna, & culpa, sed non legitimat actum aliàs invalidum; nam licèt promotus non sit simoniacus, est tamen simoniacè electus.

14 Et statim, habita notitia simoniæ, tenetur electus Prælaturam, vel officium dimttere, quia est in ipsis intrusus, & nullum jus habet, per *cap. Regularibus*, *capit. Ex insinuatione*, *&* *cap. Sicut tuis*, *de simon.* In odium enim simoniæ aliquando punitur quis sine culpa, per Glos. *ad d.c. Ex insinuatione, verb. resignasti*. Aliàs, nisi jus taliter puniret, nimis frequentatum esset hoc crimen.

Nec potest ad Prælaturam dimissam iterùm eligi, quinimò nec ad alias: quia est ipso jure inhabilis ad quascumque, *ex Const. Cùm primum B. Pii V. la 5. Bullar. tom. 2. ibi* §. 8.

15 Excipitur casus, quo pecunia data fuisset malitiosè in odium eligendi, & fraudem electionis, ut est text. *in d. c. Nobis*, *&* *cap. Sicut tuis*, §. *Quamvis*, ibi: *Et sic de fraude sua commodum reportaret*: malitiis namque hominum non est indulgendum, *cap. Significante, qui matrimon. accus. poss.* nec quisquam prægravari potest alterius odio: ut jura sunt clara.

16 De qua fraude constare posset ex conjecturis: ut si ab inimicis data esset pecunia eis, ad quos pertinet de electione. Fraus enim per conjecturas probatur. *c. Si te præbendam, de renunc. in 6.*

Dices. Interventus unius excommunicati ad electionem ignoranter admissi, non vitiat electionem, prout notatur *cap. Illa*, *de elect.* Adeòque nec electio celebrata in plena concordia inficitur propter simoniæ vitium à pluribus, vel uno ex eligentibus commissum, electo ignorante.

Negata consequentia, datur discrimen, ex Fagnan. in 5. *ad cap. Nobis, de simon. num.* 4. quòd suffragium excommunicati non est nullum propter delictum circa electionem perpetratum; & proinde in eam non influit, nec ignorantibus nocet: votum autem simoniaci est infectum propter vitium, quod intrinsecè inest electioni, cujus est pars. Et hinc mirum non est, si suffragium, etiam unius pecunia venditum, & corruptum, totam massam electionis corrumpat, arg. ex *c. Per inquisitionem, de elect.*

Dices. Potest pecunia dari, non ut electores eligant, sed ut eorum animi concilientur ad favorem determinatæ personæ. Quòd autem posteà eligant, vel non, remanet in ipsorum libertate. Procurare autem reconciliationem naturalem non est materia simoniæ, sed est objectum moraliter bonum. Et si inde sequatur electio, per accidens est. Nam sit pactum non ut Titius eligatur, sed ut electores deponant malum animum erga illum.

17 Nec

17 Nec in casu negari potest, quòd conferens pecuniam id non faciat intuitu electionis consequendæ; hic est finis ultimus talis reconciliationis, alias benevolentia non procuraretur. Adeòque primariò emitur electio, quia emitur id, sine quo electio hujus personæ non sequeretur. Et proinde electio non est per accidens, sed primò, & per se intenditur. Siquidem primum est illud, ad quod media diriguntur, & sine cujus motione media quiescunt, & non assumuntur. Attendendum est, simoniam non consistere in solo munere, sed in eo dato cum intenione ordinata immediatè, vel mediatè ad electionem, vel beneficium. Ergo si emitur benevolentia, ut posteà hæc inclinet electorem ad eligendum, est simonia.

18 III. Committitur simonia, si detur pecunia electori, quem novi corruptum à meo competitore. Nam hoc est clavum clavo trudere, & nundinari in materia simoniæ. Certum enim est, quòd finis dandi pecuniam sit removere impedimentum ab adversario positum, ut in me, vel meos amicos cadat electio. Nec alius finis assignari potest. Et ita emendabitur simoniaca emptio per aliam simoniam, quod fieri nullo modo potest: quemadmodum nec maleficio potest maleficium toli, quia hoc est intrinsecè malum.

19 IV. Est simonia, si Præses Capituli volens Titium, & non Cajum eligi, videns electores inclinare in Cajum, ut Cajum excludat, agit cum isto, ut quamvis aliàs dignus, à concursu desistat, & adhibet minas, aliisque artibus utitur, quæ possunt animum Caji à concursu retrahere, idque obtinet, Nam hìc preces adhibentur, & metus incutitur ad effectum, ut eligatur Titius; consequenter est æquivalenter pretium electionis, ad quam desistentia Caji dirigitur, Sanctor. *de pœnis c.* 15. *q.* 8.

Quod procedit etiam, dum Superiores volentes, ut unus præ alio eligatur, ad hunc effectum importunas præces cum electoribus adhibent, vel negant se dispensationes cum aliquibus dare, nisi ille eligatur, & promittunt conferre, ubi de ipsius electione concluditur. Nam dd. preces, minæ, & promissiones electionem intendunt, adeòque in emptionem rei spiritualis diriguntur.

20. V. Est simoniacus Provincialis remittens alicui ex vocalibus pœnam privationis vocis, quam propter delictum meretur, dicens: *Possum te privare suffragio in Capitulo, sed parco, si promittas in eo ad meam intentionem suffragari*: & ita in facti contingentia privandus exequitur, ut expressè *c. Nemo Præsbyterorum, de simon.* Ratio est, quia timorem gravem in illum incutit, per quem ad suffragandum movetur. Et hac gravi comminatione, & remissione pœnæ conatur emere suffragium illius, actumque jurisdictionis spiritualis, quem exercere debet, pro suffragio vendere.

VI. Simoniaca est illa electio, ubi Electores conveniunt: *Si dederis mihi tuum votum in hac electione, ego dabo tibi meum in illa*, vel si ad effectum electionis promittatur Guardianatus, Definitoratus *&c.* Nam quodlibet pactum in Beneficiis, & Officiis Ecclesiasticis prohibetur, & simoniam inducit, *cap. Cum pridem, cap. Pactiones, de pact.* & expressè *cap. De hoc autem, de simon.* Quia in dd. conventionibus promittitur jus spirituale cum onere, ut fiat aliquid, quasi pro pretio rei spiritualis, vel ut causa mediata eam habendi. Vide Dian. *ubi sup. tom.* 5. *tract.* 7. *resol.* 11. & Peyrin. *dict. loc.* §. 9. *dico* 2.

Dices. In casu commutatur res spiritualis pro spirituali, quarum commutatio non videtur simoniaca: ita una Reliquia potest absque simonia cum alia commutari. Propter quod plures apud Dian. *citat. resolut.* 12. dixerunt, commutationem Prælaturarum, & Officiorum Regularium non esse simoniacam.

Resp. Gonzalez in 3. *tit.* 19. *cap. ult. num.* 3. Mayol. *summ.* 1. *part.* 3. *precept. de simon. art.* 3. §. 3. Duhamel. *Theol. moral. tom.* 2. *in Decalog. differ.* 2. *cap.* 7. *num.* 9. *ex cap. Exhibita*, in illis verbis: *Cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur*, tradunt, posse res purè spirituales inter se permutari. Nam cum non commutetur spirituale pro temporali, nulla est suspicio simoniæ; quam Sacri Canones considerarunt in Beneficiis, & Officiis Ecclesiasticis, & ideò circa ipsa permutationes privata auctoritate prohibuerunt, *c. Quæsitum d. tit. c. Super eo de transact.*

De commutatione unius Reliquiæ cum alia agit Layman *Theol. moral. lib.* 4. *tract.* 10. *cap. ultim.* §. 5. *num.* 57. Campion. *instr. par.* 2. *cap.* 37. *num.* 23. ubi dicit, non esse illi-

illicitum permutare unam reliquiam cum alia. Sed vide quæ dixi *c.* 45. *n.* 14. Et attende, quod circa spiritualia, propter reverentiam eis debitam, etiam nundinationes sunt vitandæ. Legas Dian. *cit. & resol.* 10. *nu.* 3. & Portel. *dub. regul. ver. Simon. num.* 4. ubi priores illas conventiones ut simoniacas damnant.

Observandum, quòd dum duo Sacerdotes conveniunt: *Celebra hic pro me, & ego illuc pro te celebrabo*: conventio non cadit super spirituale, sed solùm super laborem præstandum, & servitium extrinsecum celebrationis, celebrando in hoc loco in favorem alterius; pro quo servitio, tanquam stipendium, confertur ab alio Sacerdote aliud servitium præstandum celebratione in alio loco.

VI. Committitur simonia, dum ad Prælaturam, vel Officium Ecclesiasticum quis promovetur hac conditione: *Dabo tibi meum suffragium; sed nollem te esse mihi ingratum.* Nam reperitur contractus *do, ut des*: & palliatur simonia: semper enim intenditur lucrum titulo gratitudinis dandum, vel recipiendum pro spirituali. Pro qua si detur temporale, etiam ut motivum, & gratuita compensatio, simonia committitur; quia compensatio est virtualis commutatio, & in re intenditur ponere æqualitatem, & solvere, Natal. Alex. *Theol. moral. tom.* 2. *tract.* 2. *de simon. c.* 7. *art.* 5. *reg.* 23.

22 Hinc observa, cautè esse legendos, qui dixerunt, posse absque simonia pacisci non de substantia, sed de commodo electionis; ut si unus elector commodum ex una electione percipiat, & alter ex alia; ut esset gratificare amicum, vel constituere aliquem in officio, qui rationes electoris promovebit, eique favebit; nam temporale intenditur, & tale commodum conjungitur cum electione, tanquam effectus cum sua causa, qui haberi non potest, nisi per positionem causæ, electionis nimirum; ideò paciscens de tali commodo implicitè paciscitur de electione. Propterea tale pactum est illicitum, quia venit in contractum ipsa electio, quæ ea parte, qua ex pacto præcedenti fieret, & qua pro commodo temporali venderetur, jure simoniaca diceretur, per Donat. *prax. tom.* 2. *tract.* 1. *q.* 22. *num.* 10. Pignatelli *ibid. num.* 32. Sanctoro *de pœn. cap.* 15. *quæst.* 8. *ver. Respondeo*, cum Villal. ponderante hujusmodi metaphysicis abstractionibus Sacros Canones eludi. Nam posset quis dicere: *Emo, vel vendo in Beneficio non jus spirituale, sed commodum redditum: vel moveor à commodo, non à spiritualitate ad emendum, vel vendendum Beneficium*; & ita aditus simoniis aperiretur: quod omninò est cavendum.

Quare ad Prælaturam eligens, vel eam recipiens cum conditione obsequii præstandi, etiamsi videatur pium (ad quod tamen de jure, & electione præcisa, electus non tenetur) simoniam committit, quia intervenit munus ab obsequio.

23 Advertendum, non posse sine labe simoniæ duos Superiores locales propria authoritate, Conventus, quibus per electionem præsunt, ad invicem permutare, & unus alteri suum cedere, se mutuò ad alium transferentes; sed opus est, ut concurrente justa necessitate publicæ utilitatis? fiat resignatio in manu Superioris, etiam extra Capitulum, & Congregationes, juxta text. *in d. cap. Quæsitum*, §. *si autem*, à quo per novas patentes debent Conventibus deputari.

Appellatione Superioris veniunt Generalis, & Provinciales, qui habent authoritatem quasi Episcopalem; sed translatio per Provincialem non est facienda in Ord. Min. de Observ. nisi definitorum judicio ad præscriptum Statutorum Cap. Gen. Vallisolet. 1593. *tit. Guardiani quales sint &c.* §. *Si quis autem*.

24 VII. Simonia committitur, dum quis alteri pecuniam, aut munus à lingua, vel ab obsequio confert, ne denuncietur, tamquam *spurius, excommunicatus &c.* ut hac via tollatur impedimentum propriæ electionis, per text. *in cap. Nemo, de simon. cum sua Gloss. ver. celet.* Nam simonia committitur etiam, dum pro aliquo temporali peccatum, vel defectus celatur ab eo, qui ex officio denunciare tenetur. Consideratur enim, quòd tunc pretio parat sibi viam ad jus spirituale obtinendum.

Dices. Est communis DD. opinio, posse absque simonia vexationem redimi: & nil plus ille operaretur, quàm vexationem redimere.

25 Quantùm ad hæc, videnda sunt dicta *superiori capitulo numer.* 21. & hìc servata proportione aptentur. Consideretur distinctio de jure plenè, & completè acquisito,

ac

ac acquirendo. An molestia sit justa, & procedat ab eo, qui de jure potest se electioni opponere, & confirmationem impugnare; vel sit ab alio, ad quem id non pertinet, atque ita injustè, & illegitimè vexet. Quando jus ad Prælaturam non est completum, nec ipsa pleno jure possidetur, non potest vexatio redimi ab eo, ad quem de electione pertinet, per *cap. Matthæus, de simon.* Consequenter electus à maiori parte Capituli, sed uno contradicente, non potest huic dare pecuniam, ut à contra dictione cesset, ut ibi textus. Per electionem enim non habetur ius plenum ad Prælaturas (in illis, in quibus est necessaria confirmatio distincta) per ea, quæ notantur in *cap. Avaritiæ, de elect. in 6.* Ubi verò Prælatura fuit plenè acquisita, vexatio redimi potest. Siquidem tunc pecunia confertur solùm ad redimendam moram executionis officii iniustè impeditæ, Provinciæ nocivam, Peyrin. *cit. dico 8. & 9.*

26 Quæritur. An sit simonia offerre, & dare pecuniam electoribus, ne eligant indignum, ad quem eligendum sunt determinati?

Resp. Negativè. Nam hoc est redimere vexationem Ecclesiæ, quæ ius habet, ut non eligantur indigni; ergo redimi potest iniusta eius vexatio, quod honestum utique est, cùm honestum sit impedire malum, quoad fieri potest, omnibus mediis, quæ in sua natura non sunt mala; neque hìc aliquid spirituale compensatur pecunia, sed datur, ne aliquod malum fiat, Peyrin. *cit. dico 5.*

27 Verùm cum electores determinati sunt ad eligendum indignum, aut minùs dignum, non licet offerre pecuniam, ut eligant aliquem dignum determinatè. Quinimò cum plures digni sunt, non licet id facere in favorem dignissimi, quia directè tribueretur pecunia pro ipsa electione, & ita spirituale compensaretur pretio. Ulteriùs consideratur, quòd non potest licitè intendi, quòd onus determinatè ex pluribus eligatur, nisi intendatur electio ipsius determinatè, & ita pecunia offertur pro ipsa electione determinatè; nam offertur pro eo, quod intenditur, ut cum alleg. Peyrin. & Pignatell. *num.* 37. DD. concordant.

28 Quæritur, An electio Abbatissæ, vel Priorissæ facta interventu pecuniæ, sit simoniaca?

Plures negant, & deducunt, ex quo Abbatissæ non competat potestas spiritualis in subditas, quia cùm sit fœmina, est incapax potestatis, & iurisdictionis spiritualis; consequenter non potest præcipere *in virtute sanctæ obedientiæ, in virtute Spiritus sancti*, nec præcepta *spiritualia Monialibus imponere*, hoc est, ordinata ad finem spiritualem, seu supernaturalem, aut quatenùs profectum spiritualem subditarum concernunt, quia hoc importat usum jurisdictionis spiritualis, qua fœmina caret. Solùm ei competit potestas civilis, politica, œconomica, & domestica, ut Matrifamilias: & maior, quàm matres habeant respectu filiorum; siquidem ei convenit vigore Regulæ, & subiectionis à Sede Apostolica approbatæ. Et ita potest imponere præcepta spectantia ad domesticam gubernationem, obligantia ad culpam gravem, aut levem, ne pax, disciplina, observantia, & conservatio familiæ depereat, Pelizarius *de Monial. cap. 4. sect. 3.* Diana *coord. tom. 7. tractat. 1. resolut.* 332.

Respond. tamen affirmativè contra Dianam, & Pelizarium locis allegatis. Nam Abbatissatus est Officium Ecclesiasticum tribuens ius etiam spirituale. Quod supponitur *in cap. Indemnitatibus, de elect. in 6. in princip.* ibi: *Indemnitatibus Monasteriorum Monialium, quæ frequenter propter electiones in discordia celebratas, in ipsis grandia in spiritualibus, & temporalibus dispendia patiuntur.* Nec potest convenire, nisi professis, per text. ibidem, & ex Tridentin. *sess. 25. cap. 7. de regul.* & per electionem Canonicam, seu reservata forma Canonis, *in cap. Quia propter, de elect.* & Tridentin. *cap. 6. cit.* Adeòque est saltem spiritualibus annexus, seu in sequelam ad rem spiritualem, professionem nimirùm, per quam quis Deo consecratur. Quod satis est, ut simoniaca sit electio, si pretio comparetur.

29 Abbatissæ enim convenit iurisdictio, & potestas spiritualis, non quæcumque, sed solùm præceptiva, & correctiva, quæ non spectat ad Claves, nec dependet ab Ordine. Nam iurisdictionis spiritualis, sive pro foro interno, sive externo, cuius usus est usus Clavium, & Ordinem supponit, est incapax, cum capax non sit recipiendi Ordinem Clericalé. Et ita non potest absolvere à peccatis, vel censuris, nec excom-

excommunicare, consecrationes & benedictiones Ecclesiasticas conficere, vel similia operari, quæ ab Ordine pendent, ut expressè *c. Nova, de pœnit. & remiss.* Qua ratione intelligendi sunt negantes Abbatissis jurisdictionem spiritualem.

Habet itaque solùm jurisdictionem spiritualem in sibi subditas, quæ dicitur præceptiva, & correctiva, non utcumque, sed in ordine ad finem supernaturalem, nec à clavibus dependet, sed solùm ex electione Canonica superioritati connexa. Quod constat ex eo, quòd Abbatissa sit non solùm Mater-familias, sed etiam Superiorissa Monialium: qua Mater-familias habet in subditas potestatem temporalem, qua potest præcipere, & prohibere, quæ ad rectam, & domesticam gubernationem Monasterii spectant: qua verò Superiorissa potestatem, & iurisdictionem spiritualem pręceptivam, & correctivam retinet, qua potest plura præcipere, & aliqua operari ob finem etiam spiritualem Monialium, & ad spiritualem profectũ ipsarum. Nam subditæ spiritualiter, & moraliter in re gravi obligantur sub gravi culpa Abbatissę obedire: etenim in eius manibus professionem emittunt, per quam spiritualiter, & moraliter adstringuntur ad Regulę observantiam: atque ita debet, esse qui talis professionis observantiam exigat, & zelet; ed nullus alius cum maiori proprietate, quàm Abbatissa, quę est Superiorissa immediata, & localis Monialium; adeòque Abbatissa potest spiritualiter, & moraliter Moniales cogere ad observantiam, & obedientiam regularem, in ordine ad profectum spiritualem ipsarum. Nam hic est finis magis principalis, qui in emissione professionis, & in institutione Religionum utriusque sexus intenditur.

Quapropter ipsa in spiritualem profectum Monialium potest per sanctam obedientiam præcipere auditionem Missæ, iubere frequentiam confessionis prohibere accessum ad collocutoria, & ut proprietarias corrigere, & punire, quæ contra votum paupertatis delinquunt; & similia agere, quæ ordinantur ad vitam spiritualem Monialium, & votorum observantiam. Videantur Sanctoro *comment. c. 11. stat. 7. verb. dico decimo primo*, & Felix *to. 1. examen confess. p. 1. c. 2. quæres 5. n. 208.*

30 Quæritur. An sit simonia conferre, vel promittere pecuniam, ut quis postuletur pro Beneficio, vel Ecclesiastica Prælatura?

Resp. Affirmativè. Nam postulatio ordinatur ad jus spirituale, consideratur enim, quòd sicut per electionem acquiritur ius petendi confirmationem, *c. Postquam, cap. Nihil, de elect.* ita ut, publicato scrutinio, non liceat electoribus variare, *c. Publicato, eod. tit.* ita postulato acquiritur ius ex postulatione, postquam hęc fuerit Superiori præsentata, adeò ut non liceat postulantibus ab ea recedere, ut expressè text. *in c. Bonæ memoriæ il 2. de postul.* ne videlicet *Sedi Apostolicæ illudatur, & ejus judicium ex aliorum pendeat arbitrio*, ut ibi text. Quod patet item ex *d. c. Cum detestabile*, ubi etiam postulatione simoniacè factæ, nullius roboris declarantur. Postulatio autem describitur: est *quadam gratiæ* petitio Superiori facta de promovendo aliquem ad Prælaturam, ad quam de iure communi propter impedimentum aliquod, vel defectum, eligi, seu promoveri non poterat. Itaque qui postulatur, est ineligibilis, non propter vitium, sed vel quia est extraneus, laicus, & illegitimus: criminosus enim est impostulabilis, per iura, & Fagnan. *cit. n. 74.* De convenientia, & differentia electionis à postulatione, agit Fagnan. ad *d. c. Bonæ memoriæ il 1. d. tit. nu. 40. & 53.*

De pœnis simoniacis taxatis dictum est supra *c. priori n. 38.* viderique possunt etiam *in d. Extravag. Cum detestabile.*

31 Quæritur. Quibus probetur, & legitimè constet, simoniam fuisse commissam?

Resp. Crimen simonię non dicitur plenè, & concludenter probatum: nisi pactio, & conventio probetur, quæ utrinque inducant obligationem, & præcedant electionem, quæ simoniaca prætenditur, desumitur ex *c. Cum pridem, de pact. & c. Quæsitum §. generaliter de rer. permut.* Pactum enim, & conventio est forma, qua constituitur simonia; ideò secluso pacto, excluditur constitutivum simoniæ: nam eo præciso, non esset emptio, vel venditio.

32 Et ita non sufficit solus tractatus, nisi pactum, vel conclusio pacti probetur, ut dixit Rota *dec. 534. p. 4. tom. 3.* Quod est adeò certum, ut nec probetur ex actibus subsequutis post perfectam electionem nisi etiam probetur, quòd in vim pacti, & præcedentis conventionis subsequantur, ut observavit Gl. ad *c. Tua de simon. verb. purè consentiant.*

33 Mi-

33 Minusque simonia concludenter probatur per testes, qui deponant, vel ex auditu, vel de credulitate, nam nec plenè, nec semiplenè probant, per text. *in c. Tam litteris de testib.* ubi dicitur, testes de auditu, & fama sufficienter non probare, sed redduntur suspecti, maximè si à quo audierint, non deponant: vel si deponant, nec ille vivit, nec fuit judicialiter examinatus; vel sint singulares: non sola fama judicium præbet, sed solùm aliàs legitimas probationes coadjuvat, cùm testes de illa deponentes idonei sunt, & omni exceptione majores, per Farin. *qu.* 47. *num.* 210. & tunc dicitur esse in probationis subsidium.

34 Quamobrem plena, & concludentissima probatio simoniæ consurgit per vehementes, & indubitatas præsumptiones, ac depositiones testium, qui deponant de scientia, & non de credulitate: sintque idonei, & contestes, & non singulares; ac jurati; quia testis non juratus non probat, *c. Nuper de testib.* & necesse est, ut deponant.

35 I. Vel quòd pecunia sit soluta, aut promissa, vel tamquam prætium, vel ut motivum electionis. Videas *c. super. n.* 25.

II. Vel quod præcesserit pactum, vel conventio expressa, aut tacita.

36 III. Vel quòd temporale sit datum, vel promissum, ut gratuita compensatio pro spirituali. Nam compensatio in re tollit titulum gratitudinis, & est virtualis commutatio, cum ponat æqualitatem, quæ est actus justitiæ; & ita dum per actum gratitudinis intenditur compensare, in re intenditur ponere æqualitatem: & en pretium, & justitia. Videas *prop.* 45. *&* 46. ab Innocentio XI. proscriptas.

IV. Vel quòd gratitudo sit deducta in pactum; ut *eligo te in Provincialem, si fueris mihi gratus*: aut, *si ex gratitudine dederis mihi centum in recognitionem*; quia pactum imponit obligationem justitiæ, & consequenter inducens debitum dandi tollit titulum gratitudinis, & liberalitatis, adeòque simoniam infert; sicut est usura in mutuo exigere ultra sortem aliquid tamquam ex gratitudine, & benevolentia debitum; ut *do tibi mutuum cum pacto, ut postea sis mihi gratus ad remutuandum, vel ex benevolentia aliquid des in recognitionem Beneficii*. Nam pactum imponit debitum ex justitia, eoque mutuatarius gravatur onere, & obligatione, ad quam ex vi mutui non tenetur. Legatur *prop.* 42. *ab eod. Innoc. damnat.* & quod dixi *lib.* 2. *caut. Confess. c.* 24.

37 V. Vel quòd pactum fuerit de commutando spirituale pro spirituali: quia simonia non solùm dicit, quòd spirituale commutetur pro temporali, sed etiam quòd spirituale deducatur in pactum, & ita vile reputetur, ut subjiciatur contractui humano. juxta *c. Quæsitum de rer. permut.* Et proinde in *c. Pactiones, de pact.* damnatur, ut illicitum, omne pactum, & omnis conventio circa spirituale, ex sæpè dictis.

38 VI. Ad probandam simoniam sufficiens est, quòd in cella electoris reperiantur litteræ promissionis, & conventionis. Nam tunc legitimè præsumitur fuisse ab eo receptas, ex regula *leg. si filius familias patre absente, ff. Macedonian.* Et hæc præsumptio debet esse validum argumentum Superiori ad non confirmandam electionem; & electo, forsan ignoranti, motivum, ne d. electionem acceptet, juxta *cap. Matthæus de simon.*

39 VII. Probatur etiam concludenter, & indubitata præsumptio, vehemensque conjectura reputatur, si apud electorem reperiatur syngrapha bancharia, qua electus, vel de ejus voluntate alii electoribus ad certam pecuniæ summam, confecta electione, solvendam se adstringunt. Cætera his similia videantur apud Authores.

40 Et intereà notetur: Primò. Quòd ubi crimen simoniæ esset notorium, deberet Judex ex officio procedere, nemine accusante, *c. Evidentia de accusat.*

41 Secundò. Quòd licèt pro foro exteriori allegari sæpè non possit, ad justificandum crimen simoniæ fuisse commissum, aliqua vehemens præsumptio, & plena probatio (adeòque in eo nequeat contra electum, vel electorem criminaliter procedi) tamen pro foro interiori (in quo secundum conscientiam res judicantur) nec electus Prælaturam, vel officium Ecclesiasticum, nec elector prætium receptum retinere possunt, sed ille Prælaturam tenetur dimittere, etiam ante sententiam Judicis: quia nunquam in eam legitimum jus habuit, & alter pretium, suum nunquam fecit, ex defectu contractus nulliter celebrari, ex *d. c. Cum detestabile, & ex cit. c. n.* 44.

CA-

CAPUT LI.

Officialis quoad Syndicos Apostolicos.

SUMMARIUM.

1 *Syndici Apostolici nominantur a Generali, & Provincialibus.*
2 *Gaudent privilegio fori.*
3 *Varia Decreta SS. CC. super exemptione Syndicorum, ab Innoc. XI. confirmata.*
4 *Syndici Conveniuntur coram Judice Conservatore.*
5 *Sunt exempti à represaliis.*
6 *An gaudeant exemptione ab oneribus communitativis.*
7 *Unus tantùm pro unoquoque Conventu gaudet privilegiis.*
8 *An possint Conventus præter Syndicum habere Substitutum?*
9 *An Ecclesiastici assumpti in Syndicos exempti sint ab jurisdictione Ordinarii, & sint solùm de illa Conservatoris privilegiorum.*

1 SYndicus Apostolicus pro toto Ordine Minor. à Generali, & Provincialibus pro Provinciis, & Conventibus nominatur, juxta dispositionem Pauli IV. Constitut. ex Clement. 1. *la* 1. *Bullar. tom.* 1. vel etiam à Guardianis de præfatorum licentia, ut expresse textus; ad effectum, ut ipse nomine Romanæ Ecclesiæ, eleemosynas Fratribus Minoribus à fidelibus elargitas recipiat,& administret, eorum providendo necessitatibus,per *d. c.* 17. *num.* 24. *& seq.*

Etiam Procurator, & Commissarius Generalis Romanæ Curiæ possunt Syndicos pro ipsorum respectivè officio constituere, ut probat Sanctor. *Comment. c.* 8. *stat.* 37. *in fin.* Quia sine Syndicorum usu non possunt, absque transgressione Regulæ proprium officium exercere, cum debeant aliquas contributiones à Provinciis pro expensis recipere,super quo *cap.* 4. *stat.* 4. *in princ.* refert concessionem Eugen. IV. 4. Kal. Maji 1432. ibi: *Quod possint etiam facere Provinciales in Provinciis, & Procuratores Ordinis in Romana Curia.*

Hujusmodi Procurator, & Commissarium Capitulo Generali de sexennio in sexennium eliguntur per vota secreta à vocalibus respectivè Familiæ Cismontanæ, & Ultramontanæ, Constit. *Sacrosancti* Innocentii XII. 42. *Bull. Firmani*: ita pariter Procurator Generalis Reformatorum à Reformatis eligitur, Constit. *Cum nos ibid. la* 41. Et electio non fit per schedulas, sed per ballottationes,juxta praxim à principio hujus provisionis introductam.

2 Syndicos intuitu laborum, quos continuò in Fratrum beneficium sustinent, S. Sedes spiritualibus favoribus decoravit: ipsis Clemens VII. concessit privilegium fori in causis civilibus, criminalibus, & mixtis, motis, & movendis, Const. *Dum* 19. *Bull. tom.* 1. ut infra

Dum desideramus assiduos labores, & vigilias, quos dilecti Filii Syndici, & Procuratores Domorum, & Monasteriorum Fratrum Minorum S. Francisci Regularis Observantiæ, & Monialium Sanctæ Claræ, Conceptionis, & Annunciationis Ordinum; & Sororum Tertiæ Regulæ S. Francisci, sustinere non cessant, meritò nos obligant, ut animarum suarum saluti consulamus, ipsosque à quibusvis molestiis, & injuriis, sibi pro tempore illatis, quantum cum Deo *possumus, relevemus.*

Idcircò uni Syndico, & Procuratori hujusmodi, cum illius Uxores, & liberis, præsenti, & futuro, singulæ Domui, & Monasterio prædictis pro tempore servientibus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ipsi & eorum quilibet omnibus, & singulis indulgentiis, & peccatorum remissionibus, favoribus, & gratiis, quibus Fratres Ordinis Observantiæ prædictorum utuntur, potiuntur, & gaudent, seu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti potiri, & gaudere possint, & valeant.

Et insuper in quibusvis causis, & rebus ipsos Syndicum, & Procuratorem concernentibus, civilibus, criminalibus, & mixtis, nonnisi coram Judicibus Conservatoribus Domorum illarum, quarum ipse Syndicus, & Procurator fuerit, de justitia respondere teneatur, auctoritate Apostolica concedimus, & indulgemus.

Inhibendo sub excommunicationis latæ sententiæ pœna universis, & singulis Judicibus, Commissariis Ecclesiasticis, & Sæcularibus, quacumque auctoritate fulgentibus, ne de causis contra dictos Syndicos, & Procuratores, & motis, & movendis, directè, vel indire-

directè, quovis quæsito colore, seu prætextu, se intromittere quomodolibet de cætero audeant vel præsumant. Decernentes quoscumque processus contra dicto Syndicos, & Procuratores, per alios, quam dictos Conservatores, in causis dumtaxat contra eos motis, & movendis, habendos, & sententias ferendas, nullos, & invalidos, nulliusque roboris, vel momenti fuisse, & esse, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus &c. Romæ 16. Aprilis 1526.

Ab Innocentio XI. confirmantur in forma specifica Decreta variarum SS. Congr. emanata super exemptione, & privilegiis præfatorum Syndicorum.

Aliàs pro parte dilecti filii Francisci Mariæ Tagliaferri, Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, de Observantia nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcop. & Regular. præpositæ, exposito, quòd dudum nonnulli Romani Pontifices, & præsertim fel. record. Nicolaus III. & Nicolaus IV. Martinus V. & Eugenius IV. Prædecessores Nostri, ut vera observantia, Regulæque puritas in Ordine prædicto vigeret, & magis augeretur, Fratresque ipsius Ordinis ab omni dominio, & proprietate alieni conservarentur, statuerant, & ordinaverant, ut unicuique Conventui dicti Ordinis assignaretur unus Procurator, sive Syndicus Apostolicus, qui omnes eleemosynas tam pecuniarias, quàm aliarum rerum colligere, illasque solus in necessitates Fratrum præfatorum applicare deberet.

§. I. *Et subinde recol. mem. Clemens Papa VII. etiam Prædecessor Noster, intuitu laborum, quos ejusmodi Syndici in beneficio dictorum Fratrum, quocumque tempore, & quavis occasione assiduè substinebant, eosdem Syndicos à foro sæculari exemerat, volens, ut in causis, tam civilibus, quàm criminalibus, & mixtis, nonnisi coram Judicibus Conservatoribus eorundem Fratrum Minorum de Observantia de justitia respondere tenerentur, & aliàs prout in ipsius Clementis Prædecessoris Litteris, desuper in simili forma Brevis die 16. Aprilis 1526. expeditis, pleniùs dicitus contineri.*

§. II. *Ac in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli dicerent, privilegium hujusmodi in aliqua sui parte ampliùs in usu non esse; alii verò prætenderent, illud Syndicis prædictis, ratione eorum officii tantùm, non autem uti talibus personis, competere; unde fiebat, ut Fratres prædicti non sine Paupertatis, & Regulæ, quam profitentur, suarumque conscientiarum detrimento, neminem ampliùs reperire possent, qui eorum Syndici, sive Procuratoris munus in se suscipere, eumque laborem assumere vellent.*

§. III. *Ideòque pro parte præfati Francisci Mariæ Procuratoris Generalis dictæ Congregationis Cardinalium supplicato, ut non solùm auctoritate Apostolica confirmaretur dictum privilegium, sed etiam illud Syndicis, sive Procuratoribus hujusmodi, uti talibus personis competere declararetur.*

§. IV. *Emanavit ab eadem Congregat. Cardinalium Decretum tenoris sequentis, videlicet: Sacra Congregatio EE. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta remissione libelli per SS. D. Nostrum facta, referente Eminentissimo Norfolch, censuit danda esse Oratori Decreta aliàs edita: nempe super præmissis servandam esse præfatam Constitutionem sa. mem. Clementis VII. prout præsentis Decreti tenore omnino servari mandat, & præcipit. Romæ 28. Martii 1686.*

§. V. *Porrò cùm dictus Franciscus Maria Procurator Generalis prænarrata pariter exposuisset Congregationi etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium, super Immunitate Ecclesiastica, & controversiis jurisdictionalibus deputatorum: hac Congregatio censuit, danda esse Decreta anteriora tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio super Immunitate Ecclesiastica, & controversiis jurisdictionalibus, habita sub hac die Martii 1686. circa exposita in præsenti supplici libello. dixit, danda esse Decreta, ut infra, die 31. Maji 1639. Fanen. Provincialis Fratrum Minorum Observant. S. Francisci, Sacra &c. censuit, respondendum Episcopo, ut quoad exemptionem Syndici Fratrum Min. de Obser. loci de Cartoceto faciat Bullam Clem. VII. observari, si in eo concurrant requisita ejusdem Bullæ.*

§. VI. *Die 17. Novembris 1642. Perusina, Fratres Sancti Francisci Minor. Observ. Sacra &c. censuit servandam esse Bul-*

Bullam Clem. VII. circa privilegium fori, & exemptionis Syndicorum, & Procuratorum Ordinis Fratrum Minor. S. Francisci de Observantia.

§. *VII. Die 4. Augusti 1654. Fanen. Episcopus: An Syndicus Fratrum Minorum de Observantia Sancti Francisci gaudere debeat privilegio fori? Sacra &c. censuit, hujusmodi Syndicum gaudere privilegio fori, juxta Constitutionem Clem. VII.*

§. *VIII. Die 23. Maji 1645. Romana. Pater Commissarius Generalis Curiæ quærit: An Syndici, & Procuratores Apostolici Conventuum suæ Religionis gaudeant privilegio fori, etiam in causis, tam civilibus, quàm criminalibus, & mixtis, motis ante institutionem officiorum, virtute Bullæ Clem. fel. record. Papæ VII. Sacra Congr. respondit, Syndicos Conventuum Ordinis Fratrum Minorum de Observant. S. Francisci ex Bulla fel. recor. Clem. VII. gaudere privilegio fori, tam in causis civilibus, quàm criminalibus, & mixtis, etiam motis ante eorum deputationem, seu institutionem in officium Syndicatus.*

§. *IX. Die 23. Maji 1645. Recinaten. An Syndicus Monialium Sanctæ Claræ gaudeat privilegio fori, prout gaudent Syndici Fratrum Minorum de Observantia? Sacra &c. censuit, hujusmodi Syndicum gaudere debere privilegio fori, in quorum fidem &c. Datum Romæ sub hac die 20. Aprilis 1686.*

§. *X. Cùm autem &c. Nos &c. Decreta præinserta à memoratis Congregationibus Cardinalium respectivè emanata, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate earundem respectivè Congregationum Cardinalium.* Decernentes &c. sicque in præmissis &c. irritum, & inane &c. non obstantibus &c. *Romæ 19. Junii 1686.*

Syndici hujusmodi non possunt compelli ad exercenda munia publica Communitatis, nec conveniri, nisi coram Judice Conservatore.

4 *Ita reperitur in libro Deceretorum Sac. Congregationis super Immunitate Ecclesiarum & controversiis jurisdictionalibus, sub die* 10. *Maji* 1669. videlicet: *Sacra Congregat. inhærendo Declarationibus aliàs factis censuit, Procuratorem, & Syndicum Fratrum Minorum de Observantia ex Bull. fel. record. Clemen. VII. gaudere privilegio fori, tam in causis civilibus, quàm in criminalibus, & mixtis; & insuper non posse compelli ad exercenda munia publica Communitatis, neque à quoquam posse molestari, nisi coram legitimo Conservatore. Romæ hac die 7. Januarii 1699.*

Et sub die 9. Augusti 1701. Sacra Consulta in favorem Syndici Conventus Terræ Fabriani, extracti ad effectum, ut exerceret munus Communitatis, rescripsit: *extrahi alium*; & iterum proposita causa, & instante loci gubernatore, sub die 19. eiusdem mensis, & anni respondit: *in decesis*.

Syndici gaudentes privilegio fori, sunt exempti à Repræsaliis.

SPOLETANA.

5 *Instantibus Monialibus Monasteriorum Sanctissimæ Trinitatis, S. Pontiani, & Sanctæ Catharinæ, pro declaratione, Agentes dictorum Monasteriorum esse exemptos à Repræsaliis: Sacr. Congr. super Immunitate Ecclesiastica, & controversiis jurisdictionalibus habita sub die 14. Januarii 1698. censuit, Syndicos tantùm gaudentes provilegio fori esse exemptos à Repræsaliis. Romæ hac die 7. Januarii 1699.*

6 Sac. Congregat. Immunit. in una Feretrana 19. Maii 1703. respondit, Syndicum non teneri ad solvendas collectas pro oneribus Communitatis. Et revera in facti contingentia consuevit S. C. Boni Regiminis committere locorum Gubernatoribus, ut privilegium exemptionis à talibus oneribus, Syndicis Conventuum Fratrum præservarent; ut fuit communiter practicatum, ut ex Regestis eiusdem S. C. Verùm in præsenti d. privilegium fuit ad instantiam quarumdam Communitatum ab eadem S. C. revocatum: quæ partibus auditis, sub 19. Julii 1704. censuit, *Syndicos Apostolicos teneri ad onera communitativa.*

7 Sicut autem non potest legitimè constitui pro quovis Conventu nisi unus Syndicus, ita nonnisi unus canonicè institutus fruitur privilegiis, quibus à Sancta Sede fuerunt Syndici Fratrum Minor. decorati, pro-

pront pluries rescripsit Sacr. Congregat. Boni Regiminis, & in Pisaurien. 24. Januarii 1699. & patet ex allegata Constitut. Clementis.

8 Quæritur. *An possint Conventus præter Syndicum habere substitutum?*

Respond. Affirmativè, juxta Constitutionem Innocent. XI. *Militantis*, editam 22. Novembris 1669. & disposita post constitutionem Urbani VIII. *Sacrosanctum* la 50. *Bullar. tom.* 4. ac in statutis Ordinis *capit.* 4. §. 1. Substitutus autem nominandus, & deputandus est ab ipsomet Syndico, ubi viderit se non posse in totum per se ipsum munus implere; cùm enim Syndicus sit Oeconomus, vel Procurator Sedis Apostolicæ, potest alium subdelegare, juxta regulam Canonicam, prout in *cap. Si pro debilitate, & cap. Prætereà, de offic. delegat.* ubi disponitur, quòd Delegatus à Papa; vel Principe, potest subdelegare. Unde Fratribus est interdictum substitutos nominare; non enim Generales, & Provinciales privilegiati sunt ad nominandos substitutos, sed syndicos dumtaxat, prout id *dict. Constit. Pauli IV. Ex clementi*. Nec substituti dicuntur substituti Fratrum, sed Syndici. Fratres solùm possunt Syndicum monere de assumenda persona apta, & idonea, eamque eidem proponere, ut eam assumat, si sibi placeat.

Debet autem substitutus pecunias nomine syndici recipere, easque ejus authoritate in Fratrum necessitates expendere, & ei rationem reddere, non verò Fratribus.

9 Quæritur. *An Ecclesiastici assumpti in syndicos exempti sint ab jurisdictione Ordinarii, & sint solùm de illa Conservatoris privilegiorum?*

Respond. Negativè, in vim allegatæ Constitutionis Clementis VII. In ea enim dispositio videtur restricta ad solos Laicos, cum loquatur: *Det uni syndico, & Procuratori cum illius uxore, & liberis.*

CAPUT LII.

Officialis quoad Tertiarios.

SUMMARIUM.

1 *Assignantur genera Tertiariorum.*
2 *Votum solemne Religionis non includitur in voto simplicis Castitatis.*
3 *Sacra Congreg. multa præscribit quoad Tertiarias.*
4 *Mulieres de Tertio Ordine habentes qualitates gaudent privilegio fori.*
5 *Proteguntur etiam à privilegio Canonis.*
6 *Dubitatur de illis, qui in Congregatione vivunt, propter Const. B. Pii V. Circa Pastoralis.*
7 *Agitur de professione, quæ à viris de Tertio Ordine emittitur, usque ad num.* 10.
11 *Et de iis, qui eisdem habitum concedere possunt.*

1 Varii sunt Tertiariorum, seu eorum, qui de Tertio Ordine nuncupantur, status, quorum (omissis iis, utpotè verè Claustralibus, & Religiosis, quibus Leo X. *Const. Inter cætera* 13. *Bullar. to.* 1. aptavit Regulam, à S. Francisco pro Secularibus institutam, & Nicolao IV. *Const. Supra montem* 2. *ibid.* approbatam, & auctam) idem Leo *Const. Dum intra* 22. *edita in Conc. Lateranensi, eod. tom.* meminit, & plura circa eos disponit, prout sequitur: *Fratres autem, & Sorores Tertii Ordinis; nec non Mantellati, Corrigeati, Pizochare, Cordellati, & alii quocumque nomine nuncupati, in propriis domibus habitantes, sepulturam, ubi voluerint, eligere valeant. Sed die Paschatis tantùm Eucharistiam, nec non Extremam Unctionem, cæteraque Ecclesiastica Sacramenta (Pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote recipere, & onera, quæ Laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro Sæculari coram Judicibus Sæcularibus conveniri possint. Collegialiter autem viventes, seu cum Claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu cœlibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum gestant, gaudere debeant.*

2 *Et Const. Nuper, etiam in Sacro Lateranensi Concilio sub eadem, & infra, Nos ad tollendum omne dubium, motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie decernimus, & declaramus, quòd in præmissis de voto solemni Religionis minimè intelligi debeat; ita ut Mulieres virginalem, seu cœlibem vitam simpliciter voventes, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, & privilegiis, & immunitatibus prædictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.*

3 Quibus sub die 20. Decembris 1616. accessit decretum Sacræ Congregrationis Episcoporum, & Regularium, apud Lantusc. *verb. Tertiariæ*, & Peyrin. *ad Constit. 3. Sixti IV. §.7. num.39.* Nicol. Frosc. *verb. Tertiariæ num.* 2. infrascripti tenoris: *Ad tollendas omnes contentiones inter Episcopos, & Superiores Regulares super immunitate, & exemptione Tertiariarum, quæ in domibus privatis degunt, vulgò* Bizzoche, *seu alio quovis nomine nuncupatarum: inprimis, & ante omnia in memoriam revocat ea, quæ S. Congreg. Conc. in eadem sententia respondit, videlicet.*

§. I. *Sacr. Congregat. Concilii sæpiùs respondit, minimè posse Sacerdotes Regulares Mulierum Tertii Ordinis, quas de pœnitentia, vel Bizzochas uocant, Confessiones Sacramentales audire, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad Confessiones personarum sæcularium audiendas: quemadmodum nec posse illis Sacrosanctam Eucharistiæ Sacramentum administrare in die Paschatis Resurrectionis S. D. N. Jesu Christi.*

§. II. *Verum quoad sepulturam, atque alia Privilegia, Fratres Tertiarios; Mantellatos, Corrigeatos, aliosque similes, ita demum Ordinis, cujus Tertiò Regulæ habitum assumpserunt, privilegiis potiri, & ab Ordinarii jurisdictione exemptos esse, si viri collegialiter vivant, aut cum Claustralibus habitent, Mulieres virginalem, seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub habitu, uitam traduxerint, quemadmodum cavetur Constit. Conc. Lateranen. sub Leone X. quæ habetur sess. 21. in fin.*

§. III. *Hoc autem uoto Mulierum alia duo, scilicet, Paupertatis, & Obedientiæ, nequaquam includi: quinimò hujusmodi Mulieres, si uirginalem, aut cœlibem simpliciter, & expresse uouerint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, supradictis privilegiis Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptioneque ab Ordinarii jurisdictione frui debere, ut idem Leo postea declaravit Constitut. edita die 1. Martii 1518.*

§. IV. *An autem prædictæ qualitates in hujusmodi Tertiariis concurrant? Ordinarii loci esse judicium.*

§. V. *Praterea si contingat aliquas ea prædictis Tertiariis sine sepulturæ electione decedere, eas sic decedentes, ita demum in Ecclesiis Ordinis, cujus habitum assumpserunt, si in ipsis earum communis sepultura reperiatur; sin minùs, in Ecclesiis Parochialibus sepeliendas esse decernit.*

Superioribus autem Regularibus sufficienti facultate ad id à Sancta Sede Apostolica suffultis (Capuccinis exceptis) liberè Mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere; non autem ad habitum admittendas, & recipiendas esse, nisi probata vita, ac bonis moribus præditas, ac in ætate, saltem quadraginta annorum, constitutas, quæ de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint: & non cum aliis viris, quàm cum consanguineis, vel affinibus in primo tantùm gradu sibi conjunctis cohabitent, & ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis, prævio examine diligenti, sibi constiterit.

§. VI. *Verùm in hujusmodi habitu concedendo, & respectivo deferendo, omninò à velo supra caput, quod* superjectum *vocant, & à pectorali, quòd vulgò dicitur* Sottogola, *& à patientia, abstinendum esse; quinimo eas, quæ supradicta tria, vel aliquod ipsorum deferre comprehensæ fuerint, illa dimittere, etiam per censuras Ecclesiasticas, ab Ordinariis locorum compellendas esse decernit.*

§. VII. *Supradictis verò Decretis Mulieres Tertii Ordinis, quæ collegialiter vivunt, non comprehendi; quinimò eas dispositioni Constitutionis Pii V. editæ Romæ anni 1596. 4. Kalen. Julii, quæ incipit, Circa Pastoralis &c. penitus subjacere, expressè declarat, non obstantibus &c.*

Unde priusquam Episcopus concedat mulieribus licentiam assumendi habitum, debet sibi, vel eius Vicario constare legitimè de singulis requisitis expressis in dicto Decreto.

Ter-

Tertiariæ autem prædictis requisitis munitæ gaudent privilegio fori, & exemptione à Laica jurisdictione, & gabellis, ut sæpiùs censuit Sacr. Congregat. Immunitatis in Interamnen. 10. Novembris 1638. apud Monacell. *form. par. 1. form. 14. titul. 6. num. 1.*

4 Per quæ patet dd. Tertiarias ad tenorem Decreti. I. Gaudere privilegio fori, & exemptas esse à Laica jurisdictione, ex modò dictis. Quo tamen non gaudent viri tertiarii in propriis domibus, sicut cæteri Sæculares, habitantes, ex eadem Sac. Congregat. Immunit. in Tricaricen. 7. Septembr. 1638. ac ex Sac. Congreg. Concilii apud Fagnan. in 2. *ad c. Nullus, de for. compet. num. 71.*

II. Exemptas esse ab jurisdictione Ordinarii, ut §. 3. *decreti*. Unde conveniri debent coram Judice Conservatore illius Religionis, cujus habitum deferunt.

5 III. Proteguntur à privilegio Canonis, *si quis suadente*. Annumerantur enim quoad hoc personis Ecclesiasticis; ut per Fagn. *cit. n. 65.* Nam se Deo dedicarunt, & consecrarunt per expressum simplex castitatis votum, & propositum observandi Regulam de Tertio Ordine à S. Sede approbatam, in habitu, prævio examine Episcopi, à legitimo Superiore suscepto.

6 Controversia est de Mulieribus Tertiariis, quæ in Congregatione extra Clausuram vivunt. Sed resolvitur eas allegatis privilegiis non potiri. Nam in decreto relinquuntur sub dispositione Constitut. *Circa Pastoralis* 8. Beati Pii V. *Bullar. tom.* 2. Quarum professiones, & receptiones B. Pontifex irritat, ac annullat. Et tales hoc tempore posse prohiberi, ne in communitate maneant, nisi professionem ad formam dictæ Pianæ emittant, rescripsit X Sac. Congregat. Episcopo Lucen. 22. Januarii 1596. apud Piasec. *prax. par. 2. cap. 3. artic. 7. num. 13.* quare sunt de jurisdictione Ordinarii.

7 Ipsi Viri de Tertio Ordine habitantes in propriis domibus, sicut alii Laici privilegio nedum fori, & exemptione ab jurisdictione Laica, sed à gabellis non gaudent, ut rescripsit Sacr. Congregat. Immunitatis in allegat. Tricaricen. ex Sacr. Congregat. Concilii apud Fagnan. in 2. *ubi supra de for. compet.*

8 Post annum à receptione habitus professionem emittunt, ut ex Constitutione *Ad fructus* Pauli III. *Directorium trium Ordin. part. 1. artic. 2. num. 13.* continente statuta specificè edita pro Tertiariis proprias domus inhabitantibus, ubi *cap. 2. Fratres, & Sorores, postquam per unum integrum annum, habitum probationis detulerint, si conversatio laudabilis fuerit, per habentem facultatem Ministri Generalis, recipiendi ad hunc tertium statum, solummodo, & non per alios, ad Professionem recipiantur.* Et novissimè observavit P. Petrus de Almandrelio Escudo Seraphico *articul. 7. pag. mihi* 515.

Formula Professionis à Consodalibus in manibus Prælati, seu Visitatoris facienda.

9 *Io Frà N. prometto à Dio Onnipotente, & alla B. Maria semper Vergine, & al B. S. Francesco, & à tutti i Santi del Cielo, e à voi Padre, d'osservare tutto il tempo di mia vita la Regola de' Frati di Penitenza, instituita dal P. San Francesco, e per Papa Nicolao IV. confermata: & i Comandamenti di Dio, e di sodisfare, come conviene, per le trasgressioni, che cometerò contro questo modo di vivere, ogni volta, che sarò dimandato dal mio Visitatore.*

Quæ formula est ad tenorem dispositionis Capitis secundi ejusdem Regulæ approbatæ à Nicolao IV. dict. Constitut. *Supra montem.*

10 Sed dubitatur. An per eam promissionem inducatur nova obligatio ad observanda Præcepta Divina; adeò ut si aliquod ex eis Professus transgrediatur, committat duplex peccatum, alterum causa præcepti transgressi, & alterum ratione voti violati; & de hac promissionis circumstantia teneatur se accusare, ubi sua approbato Confessori manifestaverit peccata?

Videtur affirmativè resolvendum. Quippè cum sit promissio Deo facta, voti obligationem inducit; consequenter contra eam peccatum mortale committitur qualificatum circumstantia sacrilegii, utpotè contra Religionem; aperienda ideò in Confessione, ex quo novam speciem malitiæ contineat.

Negativa tamen est verior, & communior, per Lez. *summ. p. 2. cap. 14.* Peyrin. *de privileg. ad Constit. 18. Julii II. §. 2.* Donat. *Prax. Reg. tom. 2. par. 2. tractat. 16. quæst. 8.*

Official. Cur. Eccl. Cc 3 Et

x Bened. XIII Const. Paterna an. 1725 supponit etiam Tertiarias posse collegialiter vivere extra claustra.

Et ad tenorem *cap.* 20. *Regulæ à Nicolao IV.* in dicta Constitutione confirmatæ, ubi ipse Pontifex firmat: „ Cæterùm in præmissis omnibus, ad quæ Fratres vestri Ordinis, non ex Divinis Præceptis, vel Statutis tenentur Ecclesiæ, nullum ipsorum ad mortalem culpam volumus obligare; sed impositam sibi pœnitentiam pro transgressionis excessu, prompta humilitate recipiat, & efficaciter studeat adimplere Et sub iisdem terminis repetit Paulus III. *cit. cap.* 10.

Ideò ad rationem in contrarium, & allegatis dicitur, illud *Promitto*, quo profitentes utuntur, votum non significare, sed purum propositum, per quod solum, ex observatis à Thoma Tambur. *explicatione Decalog. lib.* 3. *cap.* 11. votum non constituitur, etiam si millies firmissimè repetatur, ex Gobat. *tom.* 3. *Oper. Moral.* 1. *part. cas.* 1. *num.* 7.

Unde monet Almandrelius, quòd priusquam professionem emittant, debent à Prelatis instrui, ut sciant, præfatos Pontifices noluisse eos ex vi Professionis, & Regulæ obligare ad culpam mortalem, vel venialem, ne propter ignorantiam, & errorem existiment, se ad promissa in vim promissionis sub culpa obligari.

Nec obstat, quòd Nicolaus culpam venialem taceat; quia in d. Const. Leonis 13. hæc sunt: *Omnia, & singula in præsenti Regula contenta, sunt consilia ad faciliùs salvandas animas Viatorum: & nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, nisi humano, vel Divino jure aliquis aliàs esset obligatus. Obligantur tamen Fratres, & Sorores facere pœnitentias sibi à Superioribus impositas, quando super hoc requiruntur; ad tria vota essentialia; & tenentur ad clausuram illæ, quæ ipsam expressè servare voverint*, prout ibi clarè.

× 10 Capuccinis est absolutè à Sede Apostolica hujusmodi habitus interdicta collatio, ut sub die 20. Decembris 1616. rescripsit S. C. C. Et quamquam sub die 31. Januarii 1620. obtinuerint favorabile Decretum, id tamen non aliter, quam cum clausula. *Dummodò Mulieres ad Tertiariarum Capuccinarum habitum admittendæ, ad formalem, materialemque ejusdem Religionis habitum, servato in reliquis omnibus Decreto, admittantur.* Quia tamen nunquam ad Sacræ Congregationis notitiam adduxerunt privilegia, quæ offendi, & restringi priori Decreto asserebant, revocata iterum lite ad examen, sub die 29. Novembr. 1653. eadem S. C. decrevit: *Non licere eisdem Capuccinis Mulieres ad habitum Tertiariarum recipere; sed id competere Fratribus Tertii Ordinis* (cum quibus lis erat.) Et appellatione per Capuccinos interposita, contra eos decretum huius tenoris emanavit; *In causa Galliæ inter Fratres Tertii Ordinis S. Francisci ex una, & Capuccinos ex altera, die* 15. *Maji* 1655. S. Cong. Conc. omnibus maturè perpensis, censuit servandum esse Decretum S. Congr. editum die 20. Decembris 1616.

Et cùm iterum conquererentur Capuccini prædictum Decretum adversari posteriori edito 1620. Die 5. Junii 1665. S. C. censuit standum esse in Decreto sub die 15. Maii præteriti. Quod sub die 30. Junii 1655. confirmavit Alex. VII. *Const. Emanavit nuper*. Et sub die 9. Julii 1656. S. C. Episc. & Regul. præfatis Capuccinis præcepit esse servanda, & Breve Alexandri, & S. C. Conc. Decreta.

Tandem, cùm tot Apostolicis Decretis patere renuerent, sub die 20. Martii 1672. iterùm eis strictè percipitur, ut à munere admittendi ad Tertii Ordinis habitum, præsertim mulieres, easque spiritualiter dirigendi, imposterùm omninò abstinerent: quibus sub die 10. Octobris 1672. accessit confirmatio Clem. X. Constit. *Exponi Nobis*, qui in terminis disponit, ut infra: *Præfatis Fratribus Minoribus Capuccinis nuncupatis, ne imposterùm in admittendis Mulieribus ad habitum Tertii Ordinis Sancti Francisci, sive in ipsis dirigendis, se ingerant, authoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus, ac prædictis Fratribus Capuccinis perpetuum super præmissis silentium imponimus.* Orb. Seraph. *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 107.

11 Cęterùm, Tertiarii Claustrales impedire nec prætendere possunt, ut Fratres Minor. de Observantia habitum Tertii Ordinis Sæcularibus non præstent. Ad quos Minores potiùs ipsum conferre spectat, ut dixit Rota in Ulysiponen. Juris conferendi habitum 27. Junii 1636. coram Merlino, apud Tamburin. *de jur. Abbatissar. dec.* 9. & expressè habetur in Constit. Sixti IV. *Romani Pontificis apud Confect. part.* 1. *de privileg. Mendic.* in qua pleno iure Fratres de Ter-

× Si haec etiam de viris affirmentur, certe hodie falsa sunt; imo nec nunc sinunt hic dicta de mulieribus, ni fallor, quia haec scripta erant ante Bened. XIII. De caetero, Pius IX Capuccinis facultatem confirmavit? Quidquid sit de controversia [illegible], anno 1725, 24 maii, Ratio Apostolici ministerii, Bened. XIII confirmavit jus Capucc[illegible] [illegible] quod jam declaraverat [illegible] XI an. 1701 [illegible]

Tertio Ordine exclusis etiam locorum Ordinariis subjiciuntur Generali, & Provincialibus Ordin. Minor. de Observ. vel Conventualium, cum facultate per se, vel per alios suos Fratres visitandi, & corrigendi, *etiam per ablationem habitus, & illum exibendi volentibus Ordini aggregari, ac constituendi Visitatorem Religiosum moribus, & ætate idoneum*.

Nec Conventuales prætendere possunt, ut Minor. de Observant. conferant habitum, & cingulum materialem, & formalem propriæ Religionis, ut contra eosdem Conventuales resolvit Sacr. Congregat. Episcop. in una Reatina 12. Augusti 1689. *ut in regest.* 27. *cur. Cismont. Aracœlit.* & pronunciatum est coram Petra A. C. in Sarnen. 27. Martii 1700. ut in Actis Belli Notar.

Legenda est Const. *Exponi nobis*, Alexan. VII. 28. Julii 1657. in qua d. Litteræ Sixti confirmantur, & observantia jungitur: quæ emanavit ad reprimendam audaciam cujusdam Laici, vulgò Ministri (sed propriùs Administratoris (Congregationis Tertii Ordinis Sæcularis erectæ in Ecclesia Conventus Fratr. Min. de Obser. Urbis Mexicanæ: qui usurpata sibi potestatis plenitudine, & authoritatis independentia, admittebat ad habitum, & professionem, habituque privabat eos, qui tanquam verum spiritualem Superiorem recognovissent Religiosum à Superiore Generali, & Provinciali, Visitatorem deputatum.

CAPUT LIII.

Officialis quoad Testamenta.

SUMMARIUM.

1 *Testamentum unde dictum; Quid sit, & ejus efficacia.*

2 *Requisita de jure civili ad testamenta.*

3 *Natura Testamenti clausi, & nuncupativi.*

4 *Discrimen Testamenti à Fideicommisso.*

5 *Testamentum aliud est ad pias causas, & aliud profanum.*

6 *De jure Canonico valet testamentum ad causas non pias, factum coram Parocho, & duobus testibus.*

7 *In testamento ad pias causas sufficiunt duo testes.*

8 *Præsentia Parochi, & testium, sunt de solemnitate probatoria.*

9 *Cùm de mente Testatoris etiam puris verbis constat, est implenda dispositio.*

10 *Testamentum conditum absque solemnitatibus juris valet etiam quoad Legata profana.*

11 *Infirmato testamento ad causas profanas, adhuc Legata pia sunt implenda.*

12 *Legata ad pias causas impleri debent, licèt testamentum non sit perfectum, usque ad n.* 14.

15 *Quid sit Falcidia.*

16 *Falcidia à Legatis piis non detrahitur, ad num.* 19.

20 *Est liberum hæredi acceptare hæreditatem, vel non.*

21 *Ecclesia hæres instituta, non conficiens inventarium, non tenetur supra vires hæreditatis, ad n.* 24.

25 *Legatum relictum pro monachandis, non potest dari puellis ingredientibus Collegium Tertiariarum, usque ad num.* 27.

28 *Quibus Legata in genere relicta sint distribuenda? usque ad numer.* 30.

31 *Quid sit Trebellianica?*

32 *Quid & quotuplex sit fideicommissum? ubi de substitutione, usque ad num.* 37.

28 *Filii naturales non excludunt substitutum; & an possint esse hæredes bonorum Patris?*

39 *An per Professionem hæredis in Religione capaci bonorum in communi excludatur substitutus fideicommissarius, usque ad n.* 40.

41 *Pacta, ut Ecclesia non possit retinere bona sibi à Testatoribus relicta, non tenent, usque ad n.* 42.

43 *Legata Missarum à Testatoribus relicta, & acceptata absque licentia Superiorum, sunt adimplenda.*

44 *Episcopi compellunt executores ultimarum voluntatum ad exequendas Testatorum dispositiones, usque ad numer.* 45.

46 *Regulares tenentur reddere rationem Episcopo de commissione extra con-*

fessionem à Testatore recepta, usque ad num. 49.

50 *Judex Ecclesiasticus pronunciat in litibus emergentibus circa testamenta ad pias causas; & in subsidium sæpe se ingerit circa profana, usque ad num.* 52.

53 *Fratres Minor. non possunt esse executores testamentorum, nec hæredes institui.*

54 *Religiosi non possunt condere testamenta, usque ad n.* 55.

56 *Nec Equites vulgo dicti* di Malta.

57 *Quid autem dicendum sit de Clericis? videas.*

58 *Tempus non est de necessitate testamenti ad pias causas.*

59 *Productis duobus testamentis, judicatur illud esse posterius, quod continet Legata ad piam causam.*

60 *Secundum testamentum rumpit primum.*

61 *An testamentum vitietur per mutationem syllabæ, vel rasuræ, usque ad num.* 62.

§. Unicus.

CODICILLUS.

1 *Codicillus describitur.*

2 *Codicilli possunt etiam viva voce fieri.*

3 *Et tam à testato, quàm intestato decedente.*

4 *Plures possunt fieri, qui subsistant, nisi contrarientur.*

5 *Sensus clausulæ Codicillaris:* si hæc mea dispositio non valeat vi Codicilli.

6 *Quid importet hæc alia;* valeat omni meliori modo?

1 TEstamentum, quasi testis mentis, per Gloss. *ad cap. Quamquam, verb. aliter de usur. in* 6. *Est ultimæ voluntatis dispositio, seu ordinatio, directaque hæredis institutio.* Appellatione *ultimæ voluntatis*, venit volitio habitualiter usque ad mortem perseverans, post eam executioni mandanda, ut per Polmanum *Breviar. Theolog. p.* 2. *num.*516. Ea enim, quæ in testamento disponuntur, eo animo relinquuntur, ut post mortem habeant effectum, Gonzalez in 3. *tit.* 26. *cap.*1. *num.* 3. Morte enim testamentum confirmatur, nec ante testantis mortem datur hæreditas. Unde est illud Pauli ad Hebræos: *Ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris.* Illud, *directaque hæredis institutio*, significat Testatorem directè, & immediatè sua dispositione hæredem nominare per verbum *lascio, voglio, e dichiaro, che sia erede N.* in quem, morte sequuta, transfert jus ad hæreditatem sine alterius ministerio. Hæredis enim institutio est caput, & fundamentum totius Testamenti, ut notavit Fagnanus in 3. ad *c. Cùm esses, num.* 2. *de testament. & in cap. Relatum, ibid. nu.*6. dixit; testamentum est, in quo hæres instituitur, adeòut sit nullum, si hæres non instituatur, Sperellus *dec.* 145. *num.* 6.

2 Ad solemnitatem quinimò, & validitatem Testamenti, jure civili inspecto, requirunt septem testes, *leg. cum tabula, ff. de bonor. possess. & leg. Hac consultissima, de testament.* vel saltem quinque, si rusticus testetur, ad text. *in leg. final. in Cod. hoc tit.* De qua re agunt Fagnan. *citat. numer.* 6. & Gonzalez *ubi supra, numer.* 5. & *in* 1. *titul.* 4. *capit.* 2. *numer.* 4. ubi tradit usum, & potestatem testandi jure gentium esse introductum, quia apud omnes gentes hic usus invaluit; quantum verò ad solemnitatem, esse iuris civilis, Sperellus *dec.*150. *num.*15.

3 Testamentum solemne aliud dicitur *in scriptis, & clausum*, & aliud *nuncupativum*.

Illud in scriptis est, quod Testator sua manu conscriptum, septem testibus, masculis, puberibus, liberis, & ad id rogatis, omnibus simul præsentibus, ipsumque Testatorem videntibus, offert, asserendo esse suum Testamentum. Deinde omnes testes subscribunt, & sigillum apponunt. Praxis quibusdam in locis est, ut consignetur Notario. Si testator sua manu Testamentum, vel Codicillum confecit, non est opus propria subscriptione. Si verò alter ipsum scripserit, & Testator sit ad scribendum ineptus, alter pro eo octavus testis, sive subscriptor adhibendus est, Layman *Theol. Moral. lib.* 3. *tr.*5. *c.*1. *de ult. volunt.*

Nuncupativum verò dicitur, quando Testator viva voce coram septem testibus nominat, & voluntatem suam declarat, *d. l. Hac consultissima.* Hujus generis testamen-

tum

tum tunc ut plurimùm contigit, ut fiat, cùm inſtans periculum mortis non permittit, ut ſolemni ſcriptura voluntas declaretur. Regulariter enim teſtatores non ſunt adeò faciles ad aperiendam ſuam voluntatem hæredibus, & legatariis, ne cupiditate acquirendorum bonorum mortem ipſorum optent, aut eam perditi homines procurent.

4 Differt teſtamentum à fideicommiſſo, quia in hoc teſtator diſponit, & fidei ſui hæredis committit, ut alteri tradat hæreditatem, vel partem, aut quid aliud, ibid. Polman. *num.* 521.

5 Item teſtamentum, aut conditum eſt ad pias cauſas, aut profanum, & ad cauſam non piam. Ad pias cauſas conditum dicitur, cùm hæres inſtituitur cauſa pia, Eccleſia nimirùm, Monaſterium, vel alius locus pius; aut ad ipſa via ſubſtitutionis hæreditas devenit, Diana *coord. tom.* 6. *tract.* 8. *reſolut.* 1. Monacell. *form. par.* 1. *tit.* 10. *form.* 19. *num.* 38. Profanum verò, & ad cauſam non piam illud eſt, cum non cauſa pia, ſed perſona laica, filius, aut alius teſtatoris conſanguineus, aut amicus, hæres inſtituitur; licèt contineat quædam pia legata relicta favore animæ, & intuitu pietatis, tradenda vel pauperibus, aut pro conſtructione, & ornamento Eccleſiæ, pro celebratione Miſſarum, pro dotandis puellis, aut in ſuſtentationem Religioſorum. Niſi legata pia majorem partem hæreditatis abſorberent, quia tunc ex Monacello *ibid.* diceretur conditum ad pias cauſas.

Utrumque teſtamentum ut validum ſuſtinetur, licèt in eis non ſerventur ſolemnitates juris civilis de numero ſeptem teſtium, dummodò concurrant requiſita de Jure Canonico.

6 Ita teſtamentum ad cauſas non pias valet, ſi ſit factum coram Parocho, & duobus, aut tribus teſtibus, textus expreſſus *in cap. Cùm eſſes, de teſtament.* & ibi: Fagnan. concordant DD. Petra *tom.* 2. *comment. ad Conſt.* 10. *Innoc. III. ſect.* 3. *numer.* 20. Monacell. *cit. num.* 39. Natal. Alex. *theolog. moral. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. *reg.* 13. *de Extrema unct.* quia ſecundùm Divinum Oraculum, *In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum.* Atque ita teſtamentum impugnari non poteſt ex defectu ſeptem teſtium. Nam ſecundùm dict. Decretalem ſufficiunt duo teſtes, & Parochus; ubi enim jus civile contradicit Juri Canonico, iſtud prævalet, per Gloſſ. *in dict. cap. Cùm eſſes in notabilib.* Imò valet, ſi loco Parochi adhibeatur Confeſſarius ordinarius teſtatoris, vel Parochus alienæ Parochiæ, aut ſubſtitus Parochialis, quia præſentia Sacerdotis excludit omnem præſumptionem falſitatis, ut pluribus cumulatis tradit Monacellus *num.* 31.

7 In teſtamento verò ad pias cauſas ſufficiunt duo teſtes, ut expreſsè *cap. Relatum, il* 1. *hoc tit.* in quo admittitur etiam teſtimonium mulieris, per Fagnan. *ad d. c. Cùm eſſes num.* 35. *& in d. cap. Relatum nu.* 74. Monacell. *numer.* 40. Ventriglia *prax. tom.* 2. *annot.* 28. §. 2. *num.* 30. *&* 31. Ubi enim mulier deponit ad favorem cauſæ pię, eſt teſtis integer, ut probat Sperellus *deciſ.* 81. *num.* 42. Nam in diſpoſitione favore piæ cauſæ facta non attenditur ulla ſolemnitas juris poſitivi civilis, ſed ſolùm jus naturale, à quo jure mulieres non prohibentur teſtificari, quæ proindè admitti etiam debent ad probandum contractum Eccleſiæ *ibid. num.* 43.

8 At dubitari ſolet, an in teſtamento ad pias cauſas præſentia duorum teſtium, & in illius ad cauſas non pias, etiam illa Parochi ſit de ſubſtantia teſtamenti, vel tantùm de probatione?

Sunt ſolùm de ſolemnitate non ſubſtantiali, ſed probatoria pro foro externo, & hoc intendunt allegatæ Decretales, Fagnan. *d. c. Relatum num.* 8. Petra *numer.* 18. Engel. *Colleg. jur. Canon. lib.* 3. *tit.* 26. *num.* 14. *&* 18. Quod poteſt per ęquipollens ſuppleri, per Petram *num.* 17. & Fagnan. *nu.* 9. Propterea dum conſtat de ſubſtantia, & voluntate diſpoſitiva teſtatoris legitimè probata, non eſt curandum, an teſtes intervenerint, necne. Neque enim eſt opus probatione, quando de veritate conſtat. Ideò in foro conſcientiæ eſt diſpoſitio teſtatoris executioni mandanda, ſive id appareat per ſcripturam, manu propria teſtatoris nota, & indubitata exaratam, ſive per teſtes, etiam non rogatos; quia hęc formalitas eſt de jure civili; ſive per confeſſionem adverſarii, aut ex relatione Confeſſarii, de cujus vero ſimilitudine propter adminicula ſæpè non dubitatur. Ex quo patet, quòd præſentia Parochi, & teſtium non ſit de forma ſubſtantiali, ſed tantùm

tùm de probatione necessaria pro foro externo.

9 Unde D. Antoninus 3. *par. tit.* 10. *cap.* 3. §. 14. apud alleg. Natal. Alex. dixit: *Quod cum quis sanus, vel infirmus, qui est sanæ mentis, ultimò disponit de bonis suis, de quibus potest disponere per simplicem scripturam, vel verba solùm, non violentatus, vel circumventus, sed liberè sine Notario, & testibus deditis, standum est ejus tali dispositioni in foro conscientiæ, & hæredes, quibus hoc constat certitudinaliter, tenentur ad observandum illud.* In quo concordat Sylvester *in summ. verb. Legatum* 4. §. 10. Et Lessius, Clavis regia, Salas, & Molfesius apud Cabasut. *prax. jur. Canon. lib.* 6. *c.* 3. *n.* 4. docent, hæredem ab intestato, qui certus sit, vel esse debeat de testatoris voluntate in testamento, aut codicillis expressa, solemnitatibus juris nudatis, teneri sub mortali ex juris naturalis obligatione restituere hæreditatem, & solvere legata secundùm mentem testatoris. Ad quod facit text. *in cap. Ultima* 13. *quæst.* 2. ibi: *Ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debet, & cap. Indicante hoc tit.* ubi disponitur deberi legatum, quamvis nudis verbis relictum.

10 Petitur. An testamentum principaliter ad pias causas absque solemnitate conditum valeat etiam quoad legata non pia?

Resp. Affirmativè cum Laym. *theol. moral. cit. c.* 2. *nu.* 10. Engel. *n.* 19. Est enim juris axioma, quòd principale trahit ad se accessorium. Atque adeò, subsistente principali quoad hæredis institutionem, aut majorem partem bonorum, convenit, ut subsistat etiam minùs principale.

11 Sed quid, si testamentum conditum principaliter ad causam profanam, ex non servatis solemnitatibus ex jure necessariis infirmetur, aut quia hæres certus non fuit institutus, vel institutus hæreditatem non adeat; an saltem sint debita legata pia in eodem relicta?

Resp. Affirmativè. Nam in relictis ad pias causas nulla solemnitas juris positivi est necessaria; sed dispositio regulatur secundùm ius naturale, & gentium, adeòut sit exequenda, cùm plenè, & liquidis probationibus constat de consensu libero testatoris, per Laym. *num.* 2. Nec obstat regula, quòd corruente principali, corruat accessorium. Quoniam id solùm regulariter procedit, nisi adsit specialis ratio, ob quam accessorium sustineatur. Quæ in casu supponitur, Engel. *num.* 20.

Pia enim causa est adeò privilegiata, ut in testamento, in quo pro ea disponitur, nulla omninò iuris civilis solemnitas, aut conditio requiratur; sed relinquitur dispositioni iuris naturalis, divini, & gentium. Unde quod attinet ad causas pias, tam in testamento, quàm in legatis, etiam nutibus fieri possunt, aut ad interrogationem alterius, per Gloss. *in cap. Cum tibi, verb. Dispositionem, de testam.* Petra *num.* 40. Et valere testamentum ad pias causas per signa à muto conditum, dum sufficienter suam voluntatem potest manifestare, tradit Laym. *num.* 3. Et validitas alterius conditi à cæco, plenissimè probatur à Fagnan. *in dict. cap. Cùm esses à num.* 77. *ad* 156. Quibus dispositionibus sufficit, ut habeant formulam naturalis probationis per duos, aut tres testes.

12 Quæritur. An legata ad pias causas sint exequenda, si testator testamentum, vel codicillum non perficit; sed instituto hærede, & adiecta dispositione unius legati circa celebrationem Missarum, infirmitate gravatus Notarium alloquitur: *Notaro per oggi basta questo, mi favorisca tornar domani, che con l' ajuto di Dio lo finiremo, perche per ora non posso più, & in questo mentre penserò meglio, se mi occorrerà altro*; quibus peractis, post tres horas infirmus decessit?

Affirmatur in præsenti facti specie. Nam hìc voluntas testatoris quoad hæredis institutionem, & dispositionem dicti legati est perfecta, licèt non sit completa quoad alia, quæ voluit cogitare, vel addere; quæ ab eo addita non fuerunt, quia morte præventus, Laym. *num.* 6. Petra *n.* 491. Nec obstat, quòd potuerit voluntatem suam mutare; nam de mutatione non constat.

13 Ita si testator confecisset testamentum scriptum, & subscriptum, sed non publicatum, neque stipulatum, & Notario dixisset: *O aggiustate le cose mie*; altera verò die redeunti Notario pro stipulatione, prout ipse rogaverat, repeteret: *Non ne voglio far altro, sino che non ne parli con il Signore;* voluntas testatoris reputaretur perfecta, ut tenuit Rota *in dec.* 108. *par.* 7. *recent. per tot.* Etenim verba illa, *Non ne voglio far altro, &c.* referuntur ad stipula-

tio-

tionem Notarii. Per quæ animum deliberatum testatoris probari, dixit de Luca *observ. ad Ventrigl. cit. num.* 15. Apud quem hæc formula, *Voglio, che la Chiesa N. sia il mio erede.* importat voluntatem perfectam. Secùs si diceret, *Voglio istituire la Chiesa N. mio erede, quando ritornerò*. Hæc enim importat voluntatem imperfectam, connotantem potentiam, & velleitatem, ac dispositionem non factam, quam destinaverat facere ut optimè idem de Luca *cit.* Rubeo *de testam. cap. 6. num.* 196.

14 Cæterùm, quia hæc verba, *Voglio lasciare il mio à N.* possunt importare actum de futuro, ut advertit Card. de Luca *de testam. disc.* 13. in facto attendendæ sunt circumstantiæ, & ex illis discurrendum, an testator tantùm propositum habuerit, an verò consummatam voluntatem, & dispositionem de præsenti, per Engel. *cit. à num.* 20.

An autem ex legatis ad pias causa detrahi possit falcidia in casu, quo legata pia à testatore relicta totam hæreditatem absorbeant, ita ut hæredi quarta pars hereditatis non remaneat, prout ei jure debetur?

15 Supponitur, quòd *falcidia* est quarta pars hæreditatis, quam hæres potest detrahere à legatis à testatore relictis beneficio legis Falcidiæ, *tit. ff. & C. ad legem Falcidiam*.

16 Quo supposito. Resolvitur negativè. Quoniam privilegium hæredis, ad text. *d. legis*, ad detrahendam partem quartam ex bonis hæreditatis non procedit, quando agitur de implendis relictis ad pias causas, ex quibus falcidia non deducitur, per Fagnan. *ad d. cap. Tua nobis hoc tit. n.* 7. Detractio enim falcidiæ provenit ex jure civili, quod ex defectu potestatis Ecclesias, & pia loca non ligat, neque eis præjudicium aliquod valet afferre, prout DD. Petra *n.* 77. Laym. *cap.* 2. *in fin.* Joan. de la Cruz *direct. consc. precept. part.* 1. *art.* 3 §. *Circa testam. num.* 8. *conc.* 3. Atque adeò falcidia ex remanentibus bonis testatoris deducitur, solutis ex integro non solùm causis piis, verùm & debitis, ac expensis funeris, testamenti, codicilli, & inventarii, ut ex Laym. & de la Cruz; quæ omnia comparativè ad legata æri alieno æquiparantur.

37 Falcidia non deducitur, si testator specialiter præceperit, ut non deducatur; vel si institutione hæredis dixerit, *Salvis superius expressis*, Per hęc enim regulariter prohibetur; ne per hæredem deducatur falcidia, cùm legata salva esse non possint, si diminuatur hæreditas, ex qua debeant impleri, ut per Bartol. aliosque alleg. à Petra *num.* 83.

18 Cæterùm filiùs (qui est hæres necessarius) etiam ex legatis ad pias causas potest legitimam deducere, quando aliàs ex hæreditate sibi quarta pars non remanéret, per Sperellum *decis.* 32. *num.* 7. Nam liberis ex pręmortui patris bonis debetur legitima, Fatinell. *resp. jur. resp.* 27. *num.* 13. Quę est debitum necessarium, & parificatur cum ære alieno, ut post alios dixit idem Sperellus *num.* 8. Etiamsi patri ab intestato succederet, ad text. *in cap. Raynutius hoc tit.* Quę minuenda non est ex voluntaria institutione etiam Ecclesię, ut ibidem Sperellus.

19 An autem portio legitima filiorum sit de jure naturali, aut lege positiva introducta? Videatur Gonzalez *in* 3. *cit. cap.* 16. *num.* 15. & Sperellus *num.* 3. retinentes distinctionem, quòd inspecta secundum substantiam, sit iuris naturalis; quantum verò ad quotam, & taxam, iuris positivi.

20 Est in hæredis potestate hæreditatem acceptare, vel non. Quatenùs verò non acceptat, nullam obligationem contrahit, per Laym. *num.* 6. At ubi hæres, sive ab intestato, aut ex testamento succedens, hæreditatem acceptavit, succedit in commoda, & iura defuncti, atque ita & in onera realia, teneturque solvere omnia ipsius debita; hæres enim, & defunctus reputantur in jure una, eademque persona; per *leg. Hæres, ff. de usucapion.* & notatur à Cabassut. *cap.* 20. *num.* 3. Interim tamen habet privilegium, quòd si intra triginta dies, postquam hæreditatem ad se delatam cognovit, inventarium per Notarium coram testibus conficere cœperit omnium facultatum hæreditatis, & intra alios 79. dies compleverit, ut apud D. de la Cruz, indemnitati suæ consulat, adeòut creditoribus defuncti obligatus non sit solvere supra vires hæreditatis. Quatenùs verò id omiserit, compellendus est in foro externo ad integram satisfactionem de bonis propriis ultrà vires hæreditatis, *leg. fin. Cod. de jur. delib.* apud Cabasut. *cit.* Nec potest uti beneficio legis Falcidiæ, per text. *in cap. Raynaldus cum sua Gloss. verb. Inventarium*

hoc

hoc tit. sibique imputet, si medium legale omisit, aut à Pontifice non petiit restitutionem in integrum adversus lapsum temporis ab jure præfixi ad conficiendum inventarium.

Dicitur *in foro externo*, quia pro foro conscientiæ, etiam non facto inventario, non tenetur supra vires hæreditatis, dummodò fraus absit, in cujus præsumptione fundatur jus civile, Laym. *cit.* & Petra *sect.* 4. *num.* 11. Præsumptio enim cedit veritati.

21 Sed quid, si Ecclesia instituatur hæres, & inventarium non conficiat?

Resp. Non tenetur supra vires hæreditatis, ut allegat. Laym. & Petrà *sect.* 4. *num.* 2. Ecclesia enim quantum ad hoc non debet esse minùs privilegiata, quàm fiscus, qui ultrà vires hæreditatis non adstringitur, Peregrinus *de jure fisci lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 3. Sperellus *decis.* 135. *num.* 19.

22 Consideratur in casu, quòd aut obligatio hæredis non conficientis inventarium est pœna à lege civili inducta, vel præsumptio legis, quòd bona fuerint occultata. Neutrum autem in Ecclesia potest verificari. Non primum, quia lex civilis ex defectu potestatis Ecclesias non obstringit, ut dixit *cap.* 8. *num.* 16. *&* *cap.* 22. *&* 23. Nec secundùm ex defectu verosimilis fundamenti. Siquidem est inverosimile Ministros velle absque propria utilitate defraudare; quinimò quævis cessat occultationis conjectura propter diligentias legitimas, quæ circa administrationem adhibentur. Præterquam quòd absque Beneplacito Apostolico, iuxtà text. in Extravag. *Ambitiosæ*, & dixi *cap.* 45. non possunt bona propria Ecclesiæ alicui obligari, vel distrahi.

23 An autem præfinita quoad Ecclesias procedant in Clericis, & aliis Ecclesiasticis hæredibus? Distinguitur, vel Clericus recipit hæreditatem nomine Ecclesiæ; & tunc utitur privilegio Ecclesiæ, cuius est hæreditas, quam ipse administrat. Vel ex propria persona est hæres institutus; & tunc cum in hoc non reperiatur specialiter privilegiatus, tenetur ultrà vires hæreditatis, si inventarium non conficiat iuxtà dispositionem iuris civilis. Quod in hoc casu de inventario non reprobatur ab iure Canonico, ut ex *d. cap. Raynaldus*, & facit Gloss. *in cap. Quorumdam*, *verb. Patiaris*.

24 Quare cum in Clerico non procedant motiva verificabilia in Ecclesia de non præsumpta occultatione, & præjudicio non recipiendo per Ministros, ac impotentia obligandi bona propria absque beneplacito Apostolico, cessat privilegium, adeò ut, si adeat hæreditatem absque beneficio inventarii, teneatur de propriis supra hæreditatis facultates, ut per Sperell. *cit. num.* 21. & Petra *num.* 10.

25 Quæritur. An legatum relictum pro dote puellarum: *Quando si monacheranno*, aut solvendum: *Quando faranno Professione*, distribui possit puellis ingredientibus Collegium Tertiariarum, in quo sub observantia Regulæ cum voto simplici castitatis, & in communi vivitur, sed absque obligatione clausuræ?

Resp. Negativè. Nam in Tertiariis prædictis non concurrunt requisita à testatore. Hujusmodi enim Tertiariæ non sunt Moniales; & ita voluntas testatoris non impleretur, prout respondit Sacra Congreg. Episcop. in Æsina 8. Junii 1696. apud Monacellum *cit. num.* 7.

26 An autem legatum relictum pro monachandis, dari, & distribui possit puellis maritandis?

Resp. Negativè, ut censuit Sac. Congreg. Concilii in Romana subsidiorum 30. Maii 1699. & Sac. Congregatio Visitationis Apostolicæ quinque Cardinalium deputata ab Innocentio XII. super reformatione distributionum subsidiorum dotalium Sanctissimæ Annunciationis de Urbe, 16. Januarii 1696. *apud alleg. num.* 9.

27 Legatum verò relictum pro dote nubendarum posse distribui puellis, quæ statum Religionis assumunt, tenent plures ab eodem *cit.* cum sit res favorabilis matrimonio spirituali.

28 Quæritur. Testator instituit hęredem Ecclesiam indeterminatè, vel legata pauperibus in genere reliquit; petitur, cui nam Ecclesiæ sit hęreditas adjudicanda, aut quibus pauperibus sint legata distribuenda; an illis de patria testatoris, vel aliis alterius loci.

Quamvis de iure civili hæredis incerti institutio vitiet testamentum, & certa persona, vel locus nominandus, & specificandus sit, ut valeat; tamen aliter res se habet in testamento ad pias causas; ut ponderavit Petra *dict. sect.* 3. *num.* 42. & Engel. *num.* 22. hac speciali ratione, quòd in testa-

stamento ad pias causas ipse Deus principaliter hæres institui censetur, atque ita hæres nunquam incertus est.

29 Quare in casu, quo Ecclesia in genere instituta sit, videndum, an in loco sit aliqua, quam ipse vivens prædilexerit, & erga quam maiori devotione affectus fuerit; & tunc illam instituisse præsumitur: vel resolvendum est pro Parochia, in qua suscepit Sacramenta; quatenùs verò in diversis Ecclesiis ea suscepisset, tunc verisimile est eum illam aliis prętulisse, in qua sepulturam elegit; quòd si nullibi eam specialiter elegerit, arbitrio Episcopi relinquitur, qui consideratis circumstantiis, coniecturis, & necessitatibus, relicta defuncti applicet Ecclesiæ, cui magis congruere iudicaverit, ut post Panormitanum, & Covaruviam scripsit Engel. *ibid.*

30 Legata verò pauperibus relicta, distribuenda sunt pauperibus loci proprii domicilii testatoris, per Gloss. *in cap. Si pater*, *verb. Pauperes hoc tit. in 6.* Quibus iuxtà Ordinem charitatis præferendi sunt consanguinei testatoris, si pauperes fuerint, quia in dubio præsumitur potiùs de istis cogitasse, quàm de cæteris; illis verò deficientibus, pauperes loci, in quo vixit, debent anteponi aliis pauperibus eiusdem, & isti præferri exteris, Monacell. *cit. num.* 15. & Engel. *ubi sup.*

31 Quæritur. Testator, instituto Caio hærede eum aggravavit, ut si sine liberis decederet, hæreditatem piæ causæ restitueret: petitur, an Caius possit ex hæreditate detrahere Trebellianicam?

Resolutioni præmittitur, quòd Trebellianica est hæreditatis quarta pars, quam à fideicommissis potest detrahere hæres, cui est facta substitutio fideicommissaria, Polman. *cit. n.* 535. Quæ pars Trebellianica dicitur à S. C. Trebelliano, & locum habet in substitutionibus fideicommissariis.

32 Consideratur. *Quòd* fideicommissum activè acceptum, *est dispositio ultimæ voluntatis, qua testator hæredis fidei committit aliquid, quod alteri sit traditurus, v. gr. hæreditatem, vel illius partem absolutè, vel aliqua sub conditione.* Passivè verò sumptum *est id, quod à testatore hæredis fidei committitur, substituto tradendum*, Polman. *cit. num.* 522.

33 Item notetur, quòd substituere est in locum unius hæredis alterum statuere; per Laym. *cit. cap.* 9. *num.* 1. Aut, ut placet Polmano *num.* 537. substitutio est secundi hæredis nominatio in defectum primi.

Quatuor species substitutionis referunt DD. quæ apud Gloss. *in cit. cap. Raynutius, verb. Si absque liberis*, legi possunt. Nobis tangenda sunt nonnulla, quæ substitutionem fideicommissariam respiciunt, ut inde quæsito fiat satis.

34 Itaque substitutio esse potest directa, vel indirecta. Directa est, in qua sine ministerio instituti hæreditas sub conditione defertur substituto, ut si testator dixerit: *Instituo Petrum hæredem: si is hæres non fuerit, vel quia noluerit acceptare, aut quia morte præventus non potuerit, sit hæres Paulus.* Indirecta verò, quæ fideicommissaria dicitur, ea est, in qua hæreditas substituto defertur ministerio hæredis, qui à testatore gravatus est, ut partem, vel totam hæreditatem alteri restituat; quæ per Gloss. ibidem, fit hac, vel simili forma: *Instituo te hæredem, & rogo te, ut hæreditatem restituas Titio tali die, vel sub tali conditione, hoc est, si decesseris absque filiis*; atque ita substitutio potest fieri per *volo*, *mando*, vel *rogo*: ut ibidem Gloss. post quam Gonzalez *in* 2. *tit.* 19. *cap.* 8. *à num.* 2. scripsit fideicommissa non solùm reliqui verbis precativis, verùm & præceptivis, seu imperativis, ut, *mando, iubeo, præcipio.* Quo casu res ita vinculata dicitur, ut à possessore alienari non possit, sed tradenda est fideicommissario substituto, per Layman *num.* 4.

35 Frequentissima sunt huiusmodi fideicommissa per ultimam voluntatem ita vinculata, & instituta, ut ad conservandum splendorem, & bona gentilitia in familia, semper ad primogenitum spectent, & eo absque hærede masculo decedente, ad agnatum proximum natu maiorem pertineant, etiam cum exclusione fisci, ut per Gonzalez *cit.* 1. *c.* 8. *num.* 9.

36 Hęres fideicommisso gravatus post aditam hæreditatem sibi retinere potest trebellianicam, iuxtà alleg. *cap. Raynutius, & Raynaldus*; in quam computantur fructus post litis contestationem percepti, ut in *d. cap. Raynutius* & Gloss. *in ver. A tempore litis contestatæ.*

37 Cæterùm Trebellianica non deducitur, si testator detractionem à fidei-

com-

commisso prohibuerit, juxtà *Authen. sed non testator. Cod. ad leg. Falcid.* & dixit post alios Gonzalez *in d. 3. cap. 16. num. 11.* Item cessat detractio, cùm causa pia substituitur, ut tradit Engel. *num. 21.* Petra *sect. 4. num. 2.* Sperellus *decis. 34. num. 23.* & Tiraquell. *de privileg. piæ causæ privileg. 27.* Nam lex civilis non potest causis præiudicare. Ex quo patet ad quæsitum.

38 Sed quid, an in fideicommisso sub hac conditione, *Si hæres rogatus sine liberis decedat*, excludatur fideicommissarius per filios naturales? Quæsitum examinat Gonzalez *ubi sup. in 2. num. 10.* resolvens negativè ex eo, quòd verba conditionis sint accipienda in sensu proprio, & verò; atque ita mens testatoris accipienda est de filiis legitimis, non verò ex concubinatu susceptis. Quemadmodum defectum conditionis non inducunt filii adoptivi, quia creditur testator sensisse de veris filiis, *leg. fideicommissum 76. ff. de condit. & demonstr.* apud d. Gonzalez *num. 11.* Nisi testator expressiùs loquatur.

Quinimò Natal. Alex. *ubi sup. reg. 7.* advertit legibus esse constitutum, ut ab hæreditate excludantur filii ex illegitimo coitu progeniti. Cæterùm æquitas, jusque naturale postulat, ut parentes ipsis subministrent necessaria ad victum, & vestitum, iuxtà *cap. Cùm haberet, de eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adulter.* Verùm, ubi aliquid ultrà necessaria eis relinqueretur, deberent restituere legitimis hæredibus, cùm ipsi in detestationem criminis in bonis patris non succedant, *c. Cùm inhibitio, §. Si quis verò, de clandest. desponsat.*

39 At quid: *Si hæres rogatus, ut si sine filiis decesserit*, hæreditatem restituat N. substituto, professionem emittat in Religione approbata capaci bonorum in communi, an cesset substitutio, & substitutus excludatur, succedatque Monasterium?

Resp. Articulus non transit absque difficultate; quem examinat Gonzal. *in d. 2. n. 13. 14. & 15.* & resolvit ex tacita testatoris voluntate præferri Monasterium, & conditioni *si sine filiis decesserit*, tradit inesse favore Religionis aliam conditionem, *nisi hæres gravatus professionem emittat*; propterea Monasterium tacitè venit, & subintelligitur, vocatumque censetur.

Sperellus verò *decis. 153. num. 28.* recenset, opinionem, quæ substituto favet ad exclusionem Monasterii, esse ex frequentiori iudicio usu receptam, eamque ex æquitate esse alteri præferendam. Concordat Fagnan. *in 2. ad cap. In præsentia num. 30. de probat.* Considerari enim potest, quòd ubi testator loquitur expressè, non est locus conjecturis; cujus verba accipienda sunt vere, & in sensu proprio; & non fictè; adeòque intelligenda sunt de vera filiatione, quæ non potest verificari de Monasterio, quod solùm per fictionem, & juris interpretatione favore vitæ contemplativæ habetur loco filii, ut ibid. Sperell. *num. 30.* Videantur allegati, cæterique *in d. cap. Raynaldus.*

40 Certè absque nulla difficultate procederet quæsitum, si testator dispositionem istis, aut æquivalentibus verbis concepisset: *Voglio, e instituisco miei eredi i due miei figliuoli, e morendo alcuno de' detti miei figliuoli senza figli maschi legitimi, succeda l'altro à l'uno, e l'uno all'altro: e voglio, che si conservi la linea masculina; nel caso poi, che questa venisse à mancare, succeda la feminina.* Nàm tunc fideicommissum factum fuit, habita expressa ratione conservandi bona in sua linea, & familia; & quatenùs linea masculina deficiat, succedat fœminina, & alii de sua agnatione etiam collaterales. Quod non obtineretur, si uno filio decedente, alius ingrederetur Religionem, & Monasterium succederet, ut optimè Laym. *ibid.* Propter quod ex tacita conjectura testatoris censetur prohibita eorumdem bonorum alienatio; nam aliàs bona ipsius in familia, & agnatione perpetuò non conservarentur, sed distraherentur ad extraneos, contra præsumptam testatoris mentem, ad tradita per Sperell. *decis. 152. num. 104.* Lege Fatinell. *cit. resp. 70. per totum.*

41 Petitur. An valida sint pacta inita inter laicos, & Ministros Ecclesiarum sæcularium, vel Regularium, ut Ecclesia non possit retinere bona stabilia, quæ ad eam ex testatorum dispositione, vel alio modo pervenerint, sed debeat ea vendere?

Resp. Negativè. Nec difficultas esse potest quoad pacta respicientia Ecclesias, vel Conventus jam fundatos, inita absque solemnitatibus, *cap. Ambitiosæ de reb. Eccl. non alienan. inter com.* Etenim non est in potestate dd. Ministrorum Ecclesiis præjudica-

dicare, & disponere, ac renunciare juribus eisdem quæsitis. Quinimò absque beneplacito Apostolico non possunt repudiare legatum, donationem, aut hæreditatem locis piis factam; quia ministerio legis absque acceptatione, vel aditione dicitur in eis dominium translatum, Monacell. *p.1. form.* 15. *num.* 21. *tit.* 5.

42 Pariter quantum ad Ecclesias, & Conventus erigendos, similia pacta in hac materia apposita in limine fundationis non sustinentur, improbanturque ab jure Canonico, *cap. Adversus*, *cap. Non minùs*, *de immunit. Eccles.* tamquam restrictiva libertatis Ecclesiasticæ, quæ legibus laicorum, consentientibus etiam Ecclesiasticis, nullatenùs arctari potest. Ideò ut similia pacta valeant, est necessaria potestas Sedis Apostolicæ, quæ provideat juxta qualitatem facti, & circumstantiam negotii. Unde Sac. Congr. Conc. in una Salutarium 18. Septembris 1690. negavit reaperitionem Collegii per PP. Jesuitas faciendam cum pactis, & conditionibus, ut Collegium non posset habere bona stabilia; & quæ acquireret, deberet laicis vendere, Petra *cit. in comment. num.* 47.

42 Necessitas beneplaciti Apostolici est pariter necessaria, quando ad solvenda debita testatoris vendi debent bona aliqua ex hæreditate, ab eodem Ecclesiæ relicta, quoties hæreditas fuerit Ecclesiæ, vel loco pio incorporata, ut respondit S. Congr. Conc. in Salutarium 20. Septembris 1692. Monacell. *cit. par.* 2. *form.* 4. *num.* 12. *tit.* 14.

43 Quæritur. Cajus in sua ultima dispositione reliquit onus perpetuum Missarum celebrandarum in Ecclesia N. Hujus Ministri, & Rectores, irrequisita licentia ab Episcopo, vel Generali, aut Provinciali (si Ecclesia sit Regularium) illud acceptant; petitur, an acceptatio sit valida, & obliget ad implementum?

Resp. Affirmativè. Nam Constitutio Innoc. XII. *de celebrat. Missar.* exigens d. licentiam §. 3. prout *sup. cap.* 10. *num....* non continet clausulam irritantem. Et ita esse declaratum à Sac. Congr. Conc. sub 16. Januarii 1644. refert ex Pignatell. *tom.* 4. *consul.* 222. Monacellus *form. par.* 1. *form.* 8. *n.* 4. *tit.* 6. Sed acceptantes incurrunt pœnas *d.* §. *Inflictas*, Concordat Passerinus *tom.* 2. *de stat. homin. q.* 187. *art.* 4. *num.* 229. ubi dixit, quòd exigi licentiam in scriptis non sit de substantia actus, sed ad illius probationem. Verùm *n.* 1233. nimis laxè loquitur, scribens, quod Regulares acceptantes absque licentia Superiorum onera perpetua Missarum; non incurrunt pœnas ibidem præfinitas.

44 Cum hæredes, & executores testamentorum pias defunctorum dispositiones tempore ab jure præscripto non exequuntur, Episcopus ipsos cogere potest ad earum executionem, *cap. Nos quidem*, *cap. Si hæredes*, *cap. Joannes hoc tit.* Et in Trident. *sess.* 22. *cap.* 8. *de refor.* ibi: *Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati in casibus ab jure concessis omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quàm inter vivos, sint executores.* illud enim *tanquam*, &c. significat Episcopum his in negotiis utramque potestatem habere, tam ordinariam, quàm delegatam. In casu itaque negligentiæ administratorum, & executorum, Episcopus procedit eos compellendo, ut commissa impleant. Et Capitulum, Sede vacante, quoad hæc succedit in jurisdictione Episcopi, Fagnan. *cit. in cap. Joannes num.* 8. Et quatenus aliis mediis non proficiunt, possunt in subsidium uti censuris.

45 Atque ita inutile non foret, ut Episcopi etiam sub censuris imperarent omnibus Notariis testamenta recipientibus, ut legata pia in eis disposita sibi, vel suo Vicario infra mensem post mortem testatoris significarent, ut omnibus in regestis Cancellariæ adnotatis, nulla circa ea fraus committi posset.

46 Sed quid, an cum in testamento sit hæc clausula; *Juxta mentem, & voluntatem testatoris confessario extra Confessionem communicatam, &c.* teneatur Confessarius Regularis Episcopo aperire summam, & circa quæ sit distribuenda, ac rationem administrationis reddere?

Resp. Affirmativè, prout expressè Clement. *Religiosi, de testament.* ibi: *Religiosis etiam exemptis ad executionem cujuslibet ultimæ voluntatis circa ipsius executionis officium (quod utique non possunt, nisi à Superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta suscipere, etiamsi Prælationis fungantur officio) locorum Ordinariis debitum reddere; ipsique Ordinarii ab eisdem absque dolo, fraude, seu negligentia, de susceptæ exe-

executionis officio tenentur exigere rationem; illos quos circa id deliquisse repererint, in aliorum exemplum pœna debita (quocumque non obstante privilegio) punire. Quod in simili Sac. Congreg. Conc. rescripsit Archiepiscopo Mediolanen. apud Nicol. Flosc. *num.* 11. *ver. Testamentum*, Fagnan. *cit. ad cap. Tua nobis num.* 61. Regularis itaque requisitus ab Episcopo, vel Superiore, tenetur mentem testatoris, & summam distribuendam aperire; eique est fides adhibenda; dummodò juratus deponat, & concurrant probabiles conjecturæ de verisimili voluntate testatoris. Quatenùs verò resistat revelare, potest ab Episcopo puniri; estque ei interdicendum officium executoris. Redditusque erogandi sunt in pios usus arbitrio Episcopi, præsumptæ intentioni testatoris proximiores, *ibid.*

47 Quinimò possunt Superiores Ordinis Religioso d. officium interdicere, licèt voluntatem defuncti sincerè manifestaverit, ut ibid. Nicol. super quo tunc esset monendus Episcopus, ut posset providere.

48 Nec obstat, quòd commissionem acceperit secretò; quia licèt secretum acceptũ in Confessione Sacramentali nunquam liceat aperire propter arctam obligationem non frangendi sigillum Confessionis, hoc tamen non procedit in his, quæ secretò alicui extra Confessionem committuntur; quippè tenetur quis ea revelare, ac testimonium ferre quo ad ea, quæ secundùm ordinem juris ab eo ejusdem Superior exigit, D. Thom. 2. 2. *q.*70. *art.*1. *in corp.* D. Bonaventura *in* 4. *decis.* 21. *art.* 2. *quæst.* 3.

49 At quid dicendum, si verba testatoris sonarent in potestatem facultativam; ut si dixerit, *Possit, & valeat*? Et tunc tenetur voluntatem exequi. Nam in ultimis voluntatibus hujusmodi verba obligationem, & necessitatem inducunt, ut tenuit Rota in Romana quartæ 4. Junii 1668. coram Bourlemont; & idem dicitur de verbo precario, *Rogo, placeat, &c.* Quoniam hoc pariter retinet vim præcepti, & mandati, ad instar fideicommissi, eadem Rota *decis.* 78. apud Monacell. *append.* 1. *par. ad form. ad Const.* Gregorius XV. *Inscrutabili num.* 4.

50 Quatenus in testamentis ad pias causas opus sit judice, res agenda est coram judicio Episcopali, etiam si hæres sit laicus, qui in hac re forum Ecclesiasticum non potest declinare, Engel. *num.* 24. Ipse verò Episcopus pia legata non exequitur, ni si data hæredum & executorum mora, Farinell. *cit. resp.* 66. *num.* 11. ubi *num.* 2. dixit, quòd declaratio, & executio voluntatis testatoris spectat ad hæredem fiduciarium.

51 Quinimò Episcopus circa testamenta, & legata merè profana suam auctoritatem potest in subsidium interponere, dum Magistratus sæcularis justitiam administrare negligit, Fagnan. *cit. ad cap. Joannes n.6.* Committitur enim grave injustitiæ peccatum, quando justa voluntas defuncti non impletur; ratione verò peccati esse in Episcopis iurisdictionem etiam in laicos, dicitur *cap. Novit, de judiciis.*

52 Possunt Episcopi iuxta Trident. *sess.* 25. *cap.* 8. *de reform.* iusta, & rationabili causa relicta ad pias causas piis usibus applicare, quando præfixis à testatore non potest; sed ubi agitur de legatis pro celebratione Missarum, recurrendum est ad Sedem Apostolicam per *d. cap.* 10.

53 An autem Fratres Min. de Observ. possint esse executores testamentorum? Dixi *cap.* 17. *n.* 20. *& cap.* 30. *num.* 29. notavi, nec ipsos, neque ipsorum Ecclesias posse hæredes institui; de qua re legi potest Fagnan. *in* 5. *ad cap. Nimis prava num.* 41. Distinctio verò, an modo licito fuerit legatum relictum? militat solùm in legatis particularibus, non in successionibus, ibid. Fagnan.

Quatenùs verò instituantur hæredes, adiecta clausula, quòd si forsan aliquo modo sint incapaces d. hæreditatis, bona cedant Monasterio pro augmento fabricæ, & alimentis Fratrum; etiam sunt incapaces, ex resolutis à Sac. Congreg. Concilii apud *cit.* Fagnan. *num.* 45. Quæ super eo consulta, censuit simpliciter respondendum Fratres esse incapaces: quid autem faciendum sit de hæreditate, non esse Congregationis definire, sed adeundos iudices Ordinarios.

54 Religiosi expresse, vel tacitè validè professi prohibentur condere testamenta, *cap. Quia ingredientibus hoc tit.* Ingressus enim Religionem est sæculo mortuus, & nihil habet, unde testamentum facere valeat. Monachus namque est voluntatis expers, nec sui iuris est, de quo, quoad hoc verificatur, quòd non habeat, nec velle, aut nolle, propter votum obedientiæ,

per

per quod omne arbitrium proprium submisit Superiori, *cap. Non dicatis* 12. *quæst.* 1. *cap. Abbates* 18. *quæst.* 2. Gonzalez *in d.* 3. *cap.* 2. *num.* 17.

55 Ideò ubi Religiosus Apostata testatur testamentum ab eo conditum est nullum, omniaque ejus bona, sive per illicitam negotiationem, aut per aliud exercitium acquisita, vel alio jure ei delata, pertinet ad spolium favore Cameræ Apostolicæ, vigore constit. Gregorii XIII. *Officii la* 43. *Bullar. tom.* 2. dummodò extra clausuram etiam intestatus decedat. Dum autem ad Religionem revertitur, cum sit verè Religiosus, bona per eum acquisita Religioni incorporari debent, ut per Monacell. *form. par.* 2. *form.* 16. *num.* 12. *tit.* 15. Et si foret ex Ordin. Minor. de Observantia, vel Capucinor. deferenda essent ad Syndicum Apostolicum Conventus.

56 Testamentum nequeunt condere equites S. Joannis Hierosolymitani absque licentia Magni Magistri, etiam de bonis per eos acquisitis, Sperellus *decis.* 21. *num.* 41. *&* 66.

57 An autem Clerici possint de bonis testari?

Resp. Negativè de bonis, & redditibus acquisitis intuitu Ecclesiæ, ut dixi *c.* 44. *n.* 7. Id enim eis prohibetur, *cap. Ad hæc hoc tit.* Videatur Piasecus *prax. part.* 2. *cap.* 5. *art. ult. num.* 51. ubi *num.* 53. tradit eos testari posse de bonis, quæ proprio labore, seu industria, vel personali opera lucrantur, etiamsi quæsita sint per actus Ordini suo proprios: ut, si lucrentur aliquid ex celebratione Missarum, exercitio Capellaniæ, ex administratione Sacamentorum, vel concionando; hæc enim æquiparantur bonis patrimonialibus, ut per *cap. quia nos cum sua* Glos. *eodem tit.* Idem dicendum de quæsitis ex distributionibus quotidianis; quoniam hæ non computantur in fructibus beneficii, quia quæruntur pro labore personali, ut idem Piasec. ibidem, *&c. Consuetud. de cleric. non resid. in* 6.

Ubi verè aliquis Clericus absque testamento, & absque hærede decederet, non fiscus laicalis esset hæres sed Episcopus, etiam quoad patrimonialia, ad effectum disponendi juxta regulas Canonicas, ut respondit Sac. Congreg. Immunitatis *in Burgi S. Domnini* 26. *Augusti* 1669. Monacel. 2. *part. tit.* 14. *form.* 17. *num.* 11. qui 1. *part. Official. Cur. Eccl. form.* 19. *tit.* 10. *num.* 61. *citatis* Amostaz. *de caus. piis*, *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. *&* 5. & Rota coram Bourlemont. *in Cæsaraugustana Testamenti*, 14. *Febr.* 1678. §. *Etiam si*, asserit legata pia deberi ex testamento etiam nullo, tametsi hæres hæreditatem non adierit, aut hæredis institutio habeatur pro non facta, aut pro non scripta. Supponitur enim testatorem prædilexisse tale onus in suffragium suæ animæ: & ita legata pia semper sunt magis privilegiata. Nam semper est facienda interpretatio benigna de voluntate testatoris, quòd voluerit suffragiis animæ suæ omni meliori modo consulere.

58 Unde quamvis temporis inscriptio sit de necessitate testamenti scripti, ut ex *Auth. quod sine*, *Cod. de Testament.* notavit Nicol. *cit. num.* 8. hoc tamen non currit, cùm testamentum sit ad pias causas, ibidem.

59 Cùm apparent duo testamenta, & ignoratur, quodnam eorum sit prius, vel posterius, illud est credendum posterius, quod exhibet piam causam institutam, vel pia legata, hoc est, ad Dei, vel Sanctorum honorem, aut salutem animæ relicta, ibidem ex Tiraquell. *privileg.* 35. Quòd si in neutro causa, vel legatum pium reperiatur, utrumque propter incertitudinem cassabitur, ex observatis à Layman. *cap.* 4. *numer.* 2. & hæredes ab intestato succedunt.

60 Testamentum secundum rumpit priùs conditum, §. *Posteriore institut. quibus modis testament. infirm.* Layman. *cap.* 4. *num.* 2. etiamsi in primo fuerint adhibitæ solemnitates juris civilis, Layman. *ibidem*, & petra *dicta sectione* 3. *num.* 87. ubi *num.* 80. advertit, quòd secundum solemne prophanum revocat primum pium, si concurrant indicia, & conjecturæ revocationis; nec requiritur expressa derogatio, sed sufficit simplex voluntas contraria, prout ibidem, *nonnullis etiam Rotæ decisionib. cumulatis*. Nam per primum testamentum testator non transfert absolutè dominium, sed cum implicita subordinatione ad hoc, ut non aliter postea disponat, ut per Poncium *Theol. disput.* 54. *quæst.* 4. *conc.* 3. *numer.* 16.

16 An autem testamentum vitietur propter immutationem unius syllabæ, aut rasuram? Dicas negativè cum Gonzalez

in d. 2. tit. 22. c. 11. n. 11. leg. error. C. de testam. leg. in Legatis C. de legat. dummodò mens testatoris, & substantia non immutetur; quando enim nullus ex syllabæ immutatione oritur defectus immutatio non nocet, & testamentum sortitur effectum. In dubio autem, an mens testatoris per additionem, subtractionem unius syllabæ, aut rasuram fuerit alterata, est judicis competentis officium discernere, adeòut in illis ad pias causas Episcopus cognoscat, & in mere prophanis potest etiam judex sæcularis pronunciare.

§. UNICUS,

CODICILLUS.

1 Codicillus idem, ac parvus codex, seu scriptura accessoria ad testamentum, est *ultima voluntatis testificatio sine hæredis institutione, & solemnitate testamentaria*, Polman. *num.* 520. Dicitur *sine hæredis institutione*, quia codicillus non fit ad instituendum hæredem, sed potiùs fundatur super heredis institutione facta in testamento aut successione venientis ab intestato, propterquòd ei in codicillo aliquod alteri dandum, vel exequendum commendantur, *leg. hæreditatem C. de Codicillis*. Quarè codicilli præcipuè inserviunt ad legata relinquenda, ad sustitutionem fideicommissariam faciendam; item ad explicandum testamentum, addendo, vel minuendo, ut per Layman. *cap.* 8. *n.* 1.

2 Codicilli ad similitudinem testamentorum possunt fieri, scriptis, & viva voce per nuncupationem: in quibus declaretur ultima voluntas probanda, servatis servandis juxta superiùs dicta.

3 An autem codicillus fieri possit tam ab eo, qui testatus, quàm ab alio, qui intestatus decedit?

Resp. Affirmativè, cum Layman. ibidem *num.* 3. Et fieri potest non modò testamento jam condito, verùm & ante testamentum; per cuius factionem postea confirmatur, nisi expressè in eo revocetur: & ubi nullum testamentum postea sit factum, tunc codicillus videtur esse loco testamenti, quoad legata, tum pia, tum prophana exequenda per hæredem venientem ab intestato, *l. ab intestato, ff. de Codicill.*

4 Item potest quis non unicum tantùm, sed plures etiam codicillos facere, & omnes substituunt, dummodò unus alteri non contrarietur. Nam in casu, quòd opponantur posterior priorem censetur revocare, *leg. Cum proponatis, C. eod.*

5 Petitur. Quidnam operetur clausula codicillaris, quæ inseri solet in testamentis ut, *si hæc mea dispositio non valet, ut testamentum, volo, ut valeat vi codicilli.*

Resp. Operatur, ut tendat ad conservandam voluntatem testatoris, Sperell. *decis.* 146. *num.* 68. Item facit, ut, cùm testamentum non valet in vim testamenti, sustineatur ut codicillus, juxta text. *in cap. Illud §. fin. Cod. de jure codicill.* Item effectus illius clausulæ est, ut hæredes necessarii venientes ab intestato, censeantur gravati, ut extraneo in testamento minùs solemni hæredi instituto restituant, detracta portione legitima reliquam hæreditatem, ibidem Layman. à *numer.* 4. & Sperell. *num.* 67.

6 Hæc clausula: *valeat omni meliori modo*, adiecta in fine testamenti, habet vim codicillaris, per Bart. aliosve *allegat.* à Sperello *dec.* 144. *n.* 9. Sed aliquid plus non operatur, quàm in ipso testamento fuerit dispositum. Non enim ampliat omissum, cùm validitatem omissionis non respiciat, ibidem *n.* 45. Vid. etiam Monacell. *d.* 1. *p. num.* 29. ac alios DD. si maiora de testamentis, & codicillis desideres.

CAPUT LIV.

Officialis quoad Tribunal Regulare.

SUMMARIUM.

1 *Judex Ordininarius quis.*
2 *Et quis delegatus?*
3 *Et quis arbitrarius?*
4 *Jurisdictio delegati quando expiret*, usque ad 6.
7 *Visitatores Ordinis Minorum de Observantia habent jurisdictionem ad tres menses, & ibi alia.*
8 *Expirat jurisdictio judicis, quando sententiam pronunciaverit*, usquè ad 9.
10 *Delegatus tenetur de sua jurisdictione docere*, usque ad 15.

16 *Delegatus potest procedere adversus impedientes propriam jurisdictionem*, usque ad 19.
20 *Delegatus Principis potest alteri causam subdelegare*, usque ad 21.
22 *Delegatus ad universitatem causarum potest aliquam ex illis subdelegare.*
23 *Judex debet esse persona idonea, & gravis.*
24 *Delegatus præcedit Superiores in Provincia, vel Conventu respectivè.*
25 *Judex potest cognoscere de annexis, & connexis cum causa*, usque ad 26.
27 *De appellatione à subdelegato*, usque ad 29.
30 *Judex etiam Regularis debet servare, quæ jure divino, & naturali sunt necessaria*, usque ad 32.
33 *Servanda ab judice procedente per viam inquisitionis*, usque ad 39.
40 *Et procedente per viam denunciationis*, usque ad 45.
46 *Et procedente per viam accusationis.*
47 *Constare debet de corpore delicti*, usque ad 48.
49 *Observanda ab judice in examine testium*, usque ad 60.
61 *Agitur de examine rei*, usque ad 69.
70 *Agitur de tortura rei.*
71 *In Ordine Minorum non proceditur ad torturam sine consilio, & assensu PP. Definitorii: &* ibi *practica.*
72 *Responsa advocati fiscalis communicanda sunt advocato rei.*
73 *In causa per accusationem, vel exceptionem, est citandus accusator, vel exceptor*, usque ad 76.
77 *Formula sententiæ absolutoriæ.*
78 *Contra absolutum ex capite innocentiæ non potest ampliùs quoad idem delictum procedi.*
79 *Accusator non probans punitur.*
80 *In sententia potest describi delictum.*
81 *Ex quo loco ab Judice Regulari pœnæ infligendæ desumantur.*
82 *Non est de substantia, ut reus sententiam acceptet.*
83 *Formula appellationis.*
84 *An sit puniendus judex malè judicans?*
85 *Agitur de nullitate sententiæ.*

1 JUdex ab eo dicitur, ex quo ad formam iuris procedat ad condemnationem rei, vel absolutionem innocentis; estque vel Ordinarius, qui propter officium, aut dignitatem iure, vel consuetudine iurisdictionem habet, Gonzalez in 1. *tit.* 29. *cap.* 11. *num.* 8. & 14. Vel, ut loquitur Ameno *pract. part.* 1. *tit.* 1. *num.* 15. qui à lege datus est.

2 Vel est delegatus, qui nimirum non ab iure, sed iurisdictionem habet ex commissione Ordinarii, qui apud Gonzalez *num.* 5. describitur: *Est persona, cui causæ cognitio, vel executio committitur, nihil proprium habens, sed delegantis personam repræsentans.* Verba illa, *causæ cognitio, vel executio*, adhibentur, ut cognoscatur delegari posse, non solùm Principium, & medium, verùm & finem causæ, *cap. Super quæstionem de offic. deleg.* principium delegatur, cùm committitur solùm citatio, vel litis contestatio, *d. cap.* §. *Intentionis*. Medium, cum demandatur examen testium, totius causæ, seu cognitio negotii usque ad sententiam, *d. cap Super nos*, Finis, cum diffinitiva sententia, causa iam examinata, delegatur, *ibid.* §. *Verùm*. Illud *delegantis personam repræsentans*, ponitur, ut cognoscatur iudices delegatos repræsentare delegantes, quorum iurisdictione, & potestate utuntur. Et hinc patet, delegatos, ut delegantes honorandos esse, ut docet Donellus *cap.* 8. *lit.* *L.* apud Gozalez *num.* 7.

4 Vel arbitrarius, qui scilicet, neque à lege, neque à Principe, sed à partium assensu habet potestatem, Ameno *ibid. num.* 5.

4 Quæritur. Quando iurisdictio delegati expiret?

Resp. I. Expirat morte delegantis, secuta priùs, quàm delegatus receperit litteras suæ delegationis: vel, re integra, seu antequam delegatus incœperit iudicium, per Gonzalez *cit. c.* 20. *num.* 5. Piasecus *prax. part.* 2. *cap.* 4. *art.* 1. *num.* 28. Dicitur autem iudicium incœptum, vel per solam citationem interpositam, in qua tenor delegationis inseritur; alioquin esset nulla, per d. Piasec. vel per litis contestationem, ut per Gonzalez ibidem; sive creationem actuarii, qui inservire debet pro notario in fabricando processu. Hæc creatio est effectus iurisdictionis receptæ à Prælato delegante, qui regulariter in litteris commissionis dat facultatem sumendi personam sibi benevisam in notarium, seu scribam, dando

illi juramentum de fidelitate. Quinimmò, licèt id in litteris non exprimeretur, adhuc censeretur delegato data facultas creandi notarium; nam concesso officio, conceditur, quidquid est necessarium ad officium exequendum, per tradita ab Ameno *cit. q. 16. n.* 139. Cæterùm, si in Religione reperiretur notarius creatus, juxta *d.c.*38.*n.*34. per deputationem hujus à delegato non censeretur incœpta ejus jurisdictio, ut ibi probat *n.* 137.

5 II. Expirat jurisdictio in delegato, si re, vel causa adhuc integra, delegans deponatur ab officio, vel ipsum compleverit. Nam, cùm adhuc non acquisiverit jurisdictionem, eam conservare non potest, ut scribit Gonzalez *n.* 5. & habetur: *ex c. Quamvis de offic. deleg. in 6.* per hæc verba: *Jurisdictio, ex quo ipsa usus non extitit, non censeatur in eum efficaciter transivisse.* Et ideò ante illius usum in sui duratione pendet à jurisdictione delegantis, quæ ejus morte, depositione, aut terminatione officii desinit. Quod procedit, sive quis delegatus sit ad universitatem causarum, vel ad aliquod negotium particulare, quia semper verificatur, quòd non sit usus jurisdictione, ut ibid. Gonzalez.

6 Quinimmò, ubi plures causæ commissæ sint judici delegato in uno rescripto, & una ab alia non pendet, etiam recepta in una non perpetuatur jurisdictio in alia, si delegans moriatur, & officium absolvat, vel ab eo deponatur. Si verò una causa ab alia dependeat, & sint connexæ, per contestationem unius, vel incœptum judicium in una perpetuatur jurisdictio in alia: quia sub unica specifica delegatione continentur, Gl. *in c. Licet verb. re integra cit. tit.* ubi Panormitanus, & Gonzalez *n.* 6.

7 Ad hæc optimè sequitur, quod cùm Visitatores Ordin. Min. de Observ. non habeant jurisdictionem, nisi per tres menses per statuta Generalia, *c.* 8. §. 56. *num.* 11. (intra quos debent celebrare Capitulum) & per viginti dies, incipiendos ab ipsius celebratione, *ibid. num. fin. ver. Demùm*; si prorogationem jurisdictionis non petierint, & sequatur in illo trimestri mors Generalis (vel commissarii Generalis respectivè) non possint ampliùs Capitulum celebrare, & actum aliquem jurisdictionis exercere, ut *d. num.* 11. nisi à Papa, vel Sacra Congregatione, aut à Generali (si Visitator fuerit deputatus à commissario Generali) fuerit illis jurisdictio prorogata. Ameno *cit. num.* 32.

8 III. Expirat iurisdictio delegati (ac iudicis ordinarii) quando functus est officio suo, sive benè, sive malè, & sententiam pronunciavit, *c. In litteris d. tit.* quam mutare non potest: licèt ei permittatur, ut eam intra 24. horas explicet, & declaret, *l. Paulus, ff. de re judic.* si aliquid non benè expresserit. Ubi verò à sententia provocatum non fuit, licèt transeat in rem iudicatam, *cap. Cùm inter de re judic.* adhuc tamen tunc potest continuare suam iurisdictionem in exequenda sua sententia, *cap. Significasti cit. tit.* & ad executionem habet annum, *cap. Quærenti d. tit.* Et Gonzalez *cit. cap.* 9. *num.* 1.

9 Ita, pronunciata sententia, eius iurisdictio finitur, ut nec possit de nullitate sententiæ cognoscere, *cap. Ex litteris, cap. Quærenti de sent. & re judic.* ubi Engel. *jur. Canon. lib.* 2. *tit.* 28. §. 1. *nu.* 4. Et tunc sententia rescindenda est ab iudice superiori: qui meliùs causam cognoscat, & examinet, ac secundùm allegata, & probata procedat *ibid.* Engel.

IV. Expirat, si commissio à delegante revocetur; nam iudicium solvitur vetante eo, qui iussit iudicare, *l. Judicium, ff. de judic.* Fagnan. *in* 1. *ad cap. Cæterùm de rescript. n.* 71.

V. Finitur etiam delegati iurisdictio, si transeat tempus præfixum: nisi de communi consensu partium iurisdictio prorogetur, hoc est, ad aliud maius tempus extendatur, *c. De causis de offic. delegat.*

10 Quæritur. An delegatus teneatur de recepta commissione docere?

Resp. Affirmativè, *cap. Cùm in jure cit. tit.* ibi Gonzalez *cap.* 31. ubi dat repetentes, Fagnan. *cit. ad cap. Cùm jure eod. tit.* est textus *in Extravag. injunctæ de elect. inter com.* ibi: *Asserenti namque cum mandatis Principis se venisse, credendum non est nisi hoc scripto probaverit.* Quare omnes, iudices delegati, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, antequam iurisdictionem, seu officium exerceant, tenentur litteras suæ commissionis ostendere. Nam, cùm in quovis territorio præsumptio sit pro iudice ordinario, *cap. Sicut de re judic.* nullus alius creditur iudex in ea ditione, nisi probetur. Jurisdictio enim delegata, seu eius com-

commissio est quid facti, ideò non præsumitur, nisi probetur, *l. Si emancipati, C. de probat.* tum quia jurisdictio, & qualitas judicaturæ est accidentalis, nec provenit à natura, & potest competere uni, & alteri; proinde non præsumitur, sed est probanda, ut discurrit Fagnan. *in 1. ad c. Cùm in jure de offic. deleg. n. 6.*

11 Modus principalior, & præcipuus probandi jurisdictionem delegatam, est id per litteras delegationis docere, ut, aliis allegatis, ponderavit Gonzalez *n.*3. Fagnanus *ibid. n.9.* recenset alios modos, quibus possit jurisdictio probari. Vel per mandatum originale, *ut in l. sancimus, C. de diversis script.* Vel per exemplum ab originali solemniter sumptum, (solemnitas videatur, *cap. Cum. P. & cap. Instrumenta de fid. instrument.*) Vel si originale fuerit exemplatum in actis, ut est in usu apud nos. Hujusmodi exemplatio probat originale, adeout non sit opus illud ampliùs producere, ut ibid. Fagnan. *num.*11. allegans Innocentium, & Rotam.

13 Ameno loco ubi suprà *quæst.*13. *num.* 113. pro practica delegati ad aliquam causam (vel etiam ad visitandam Provinciam aut Conventum) ad effectum fundandi propriam iurisdictionem super visitandos vel examinandos, tradit, quòd debet ostendere litteras patentes suæ delegationis, & operari, ut publicè legantur, vel in Capitulo Fratrum ad hoc specialiter congregato, vel in publica refectione, ad quam saltem maior pars communitatis conveniat. Deinde iuxta monitum Passerini *Tribun. regul. quæst.*2. *num.*28. commissarii, & delegati faciant à superiore Conventus fideliter registrari patentales suæ delegationis in libro Conventus, in quo debent suam iurisdictionem exercere, ad hoc, ut si originale ipsarum iam colligatum cum processu, aliquo casu pereat, sit locus, ex quo authenticum transuptum compulsari, & trascribi possit.

14 Sed quid, si testis examinandus, est ex alio Conventu vocandus, an in citatione debeat inseri tota copia delegationis?

Resp. Nonnulli id censuerunt apud Fagnan. *c. cit. n.*16. sed hoc non esse opus ipse tradit ex Bartolo, Speculatore, & Butrio. Sufficit, quòd in citatione exponatur causa iurisdictionis, & dicat se esse delegatum. Verùm testi comparenti tenetur litteras delegationis ostendere. Formula citationis hæc esse poterit: *Citetur P. F. N. ad comparendum pro die &c. currentis anni 1709. in Conventu N. coram A. R. P. N. commissario delegato ad informandam Curiam, aliàs &c.* Fr. N. Actuarius.

15 Quatenus autem comparere renuat, scribatur in actis recusatio; & moneatur, assignato termino peremptorio ad obediendum, comminando censuram; quo elapso fiat decretum, eodem citato ad audiendam sententiam censuræ, vel dicendum contra, *quare, &c.*

16 Sed quid agendum delegato, si impediatur in executione suæ iurisdictionis?

Resp. Potest procedere adversùs impedientes, quia habet iurisdictionem cognoscendi, & procedendi in omnibus iis, in quibus impeditur sua iurisdictio pro expedienda causa sibi delegata: ut habet Glos. *in notabilib. ad cap. Quia de offic. deleg.* ibi: *Jurisdictio Iudicis extenditur ad omnes illis, qui jurisdictionem illius impediunt*: licèt de illis in litteris non fiat mentio; mandata enim iurisdictione, ea omnia commissa censentur, quæ necessaria sunt ad illius exercitium, ut rectè possit talis iurisdictio exerceri, *cap. Prætereà de offic. deleg.*

18 Quare contra impedientes potest de jure canonico, ut dixit Abbas, procedere per censuras, etiam si sint personæ extraneæ, vel sit Guardianus, aut Provincialis, ut per DD. allegatos ab Ameno *cit. à num.* 117.

19 Ubi *num.* 118. advertit, quòd non debet primo impetu æqualiter procedere contra Sacerdotes, sicut contra Laicos Conversos, aut simplices Clericos; nec æquali methodo adversùs Guardianum, & Provincialem, sicut contra cœteros Religiosos; sed exhibendo reverentiam dignitati Sacerdotali, vel officio Prælaturæ, iuxta tex. *in cap. Quia Pontificali de offic. deleg. in 6.* debet cum istis impedientibus suam iurisdictionem à levioribus censuris incipere, hoc est, ab *interdicto, vel suspensione à Divinis*, antequam ad excommunicationem (quæ est remedium extremum) deveniat. Moneantur priùs de obedientia sub pœna censurarum, & assignetur terminus peremptorius: quo elapso, citentur ad audiendum, & dicendum contra, quare non debeat

beat procedi ad excommunicationem adversus ipsos comminatam &c. & ubi non comparent, feratur sententia excommunicationis, eis intimetur, & inseratur in actis.

20 Quæritur. An delegatus possit causam sibi commissam subdelegare?

Resp. Affirmativè, si sit delegatus Papæ & Principis, & infirmitate, vel aliqua alia causa impeditus; ut expressè *cap. Si pro debilitate*, *c. Præterea de offic. deleg.* Fagnan. *ad c. Quoniam de rescript. num.* 1. Gonzalez *cit. cap.* 3. Piasec. *n.* 27.

21 Limitatur, nisi sit electa industria personæ: quando autem hæc censeatur electa, diximus *cap.* 30. *num.* 25. Et hìc addimus electam etiam reputari, cum delegatur potestas cum expressione nominis delegati, licet adiiciatur etiam nomen officii, aut dignitatis, adeout tunc non possit eam alteri subdelegare, ut scripsit Cabasut. *prax. lib.* 4. *c.* 1. *num.* 12. & simplex ministerium reputatur commissum.

22 Pariter delegatus ad universitatem causarum alicuis Conventus, vel Provinciæ, potest causam particularem subdelegare, ut per Glos. *in cap. Super quæstionem*, §. *Si vero in verb. Delegare de offic. deleg.* Fagn. *in* 2. *ad cap. Cùm causam de appellat. num.* 3. Nam, ut cum eodem notavit Ameno *cit.* §. 3. *num.* 29. delegatus ad universitatem causarum parificatur Ordinario. Glossa *in cap. Statutum* §. *insuper verb. Moderatas de rescript. in* 6.

23 Advertendum tamen, quòd ille, cui causæ delegantur, vel subdelegantur, debet esse persona, tunc idonea, & discreta, ad text. *in d. cap. si pro debilitate*, hoc est, ætate matura cum experientia rerum, nè sit in iudicando violentus (etas enim provecta & rerum experientia causat maturitatem in agendo): tum gravis, nè nimia familiaritas contemptum pariat: tum eruditione conspicua, nè in substantialibus judicii turpiter erret.

Hinc Ameno *tit.* 2. §. 1. *num.* 2. monet commissarios visitatores de Ordine Minorum de Obser. ut in Secretarios visitationis eligant Religiosos maturos, qui habeant requisita à legibus, ut in casu, quo ipsi aliquem Conventuum visitare non possint, eisdem illius visitationem subdelegare valeant, qualitates enim requisitæ in delegato, exiguntur in subdelegato, Glos. *ad cap. Hac constitutione in notabil. de offic. deleg. in* 6.

24 Notandum etiam, quòd delegato ad universitatem causarum, sive unius Conventus, vel Provinciæ, debetur præcedentia supra omnes, qui suæ delegationi subsunt: ex quo enim sit delegatus ad causarum universitatem, æquiparatur judici ordinario, & ut Superior respectu omnium, in quos, tum in capite, tum in membris habet jurisdictionem directivam, & coercitivam. Quapropter, & in omnibus, & per omnia præcedit respectivè Provincialem, & guardianum suæ delegationis. Quæ tamen non procedunt in delegatis à Provinciali ad causas particulares, ut per tradita ab Ameno *cit. q.* 18. *num.* 142. & 143. qui licèt sint aliorum judices, subsunt tamen in foro paterno correctioni Guardiani: nec Superiorem localem præcedere possunt, nisi adversùs eum debeant procedere.

25 Quæritur. Delegatus ad causam particularem, hoc est, ad cognoscendum de fornicatione, dum format processum, cognoscit emergere aliud delictum, furtum, v. g. pecuniarum, quibus mediantibus fornicatio fuit commissa: petitur, an possit de furto cognoscere?

Sciendum, quòd connexa, vel incidentia in causa duplicis generis sunt: alia tangunt jurisdictionem judicis, de quibus diximus *num.* 16. & alia sunt dependentia à causa, cum ea connexa: quod dupliciter contingere potest.

I. Ut ab ipsa dependeant, tamquam à qualitate ipsius inseparabili, quæ sine delicto cognosci non possunt.

II. Quòd sint separabilia à causa, & sine ea cognosci valeant.

Circa connexa, & incidentia primi generis, observandum est, an qualitas annexa inseparabiliter cum delicto transferat cognitionem de foro ad forum, vel non: si non transferat, ad plenè probandum delictum debet judex inquirere, etiam supra qualitatem; accessorium enim sequitur naturam principalis: atque ita cùm delegatus habeat facultatem inquirendi super delicto, quod est principale, censetur etiam eam habere super dicta qualitate, quæ est delicto accessoria. Ita, si in fabrica processus contra accusatum, vel denunciatum de furto reperiatur, quòd furtum fuit de re sacra, cum hæc qualitas (licèt mutet speciem

ciem delicti) non sit cognoscibilis separatim à furto, super ea quoque potest inquiri. Si verò qualitas transferat cognitionem delicti de foro ad forum, judex non potest ampliùs procedere. Ita, si in inquisitione super fornicatione reperiatur, quòd habita fuerit ex solicitatione in Confessione Sacramentali, vel abusu Sacramentorum, aut Sacramentalium, tunc judex tam Ordinarius, quàm delegatus, & subdelegatus ad unam, vel universales causas, non potest ampliùs inquirere, sed tenetur levare manum à processu, & denunciare Inquisitoribus: ad hæc advertant Judices, etiam Regulares, nè ex inadvertentia, & culpabili negligentia se immisceant in causis spectantibus ad Sanctum Officium, aliàs pœnis, ac censuris innodantur inflictis in Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Const. Pauli V. *Romanus la 26. Bullar. tom.* 3. ut notavit etiam de Bict. *Epitom. crimin. quæst.* 5. *prælud.* 5. *num.* 5. *&* 6.

26 Quantùm ad annexa secundę speciei delegatus non potest se ingerere in inquisitione illorum, aliàs excederet limites suæ commissionis, & conformam mandati, quod ei prohibetur, ut communiter DD. Quare in casu debet certiorare ordinarium delegantem, quòd emerserint indicia circa alia delicta ab eo, super quo fuit delegatus; & delegans, vel ipsorum cognitionem sibi reservet, vel novam facultatem tribuat delegato ad inquirendum de novo delicto, super quo apparuerint indicia. Ubi verò delegatus novam receperit delegationem super tali delicto, aptiùs operabitur, si ad evitandam confusionem processum ab alio separatum incœperit. Ameno *cit. quæst.* 14. *num.* 123.

Dubium fuit excitatum de delegato ad causam particularem; quia delegatus ad causarum universitatem potest super annexis, & connexis cognoscere, servata tamen limitatione, prout suprà.

27 Quæritur. An à subdelegato ad delegatum, an verò ad primum delegantem appelletur?

Resp. Vel delegatus totam jurisdictionem trastulit in subdelegatum, vel aliquid sibi de jurisdictione reservavit: ut, si subdeleget, donec commissionem revocet, aut sibi reservet sententiam, vel executionem psius.

In primo casu appellatur ad eum, qui dedit delegatum; nam tunc censetur se tota jurisdictione spoliasse. In secundo verò ad eum, qui subdelegavit, appellatur, quia virtute dictæ reservationis sibi aliquid de jurisdictione retinuit: & potestas tam revocandi, quàm ferendi, & exequendi sententiam, ad jurisdictionem pertinet; ideò ad eum est appellandum, *cap. Super quæstionem cit. tit. & cap. Si delegatus d. tit. in 6. cum sua Glos.* & Gonzalez *alleg. c.* 17. *num.* 9.

28 Limitatur I. Nisi à subdelegato appelletur, ex eo quòd non admittit exceptiones concludentes defectum jurisdictionis in delegato subdelegante: nam tunc non ad ipsum delegatum, qui negatur habere jurisdictionem, sed ad primum delegantem appellatur: nè aliàs appellans appellando ad eundem, quem jurisdictione fungi negat, contraria in judicio deducere videatur, contra text. *in c. Solicitudinem.*

29 II. Si delegatus sit excommunicatus, aut aliter impeditus: tunc enim à subdelegato non ad ipsum, sed ad primum delegantem est appellandum, *cap. Si is cui de appellat. in 6.*

30. Quæritur. Quænam ab judice Regulari procedendo in judicio debeant servari?

Resp. Omnia, quæ necessaria sunt de jure divino, vel naturali: de jure divino sunt, accusatio, denunciatio delicti, rei citatio, æqualitas judicis erga partes, testium pluralitas, & partis auditio. De jure verò naturali sunt hæc: judicis inimici recusatio, appellatio, defensiones legitimæ, juramentum de veritate dicenda, quod datur testibus; testium secreta interrogatio; quòd de delicto facti constet; quòd inimici repellantur ab accusando, & testificando, ita Peyrin. *in form. lit. D. cap.* 16. *num.* 2. ubi dat repetentes: nam jus divinum, & naturale, etiam Religiosos fovet, & providet, ne per ejus inobservantiam ipsorum fama deperdatur.

31 Nec obstat *cap. Qualiter il* 2. *de accusat. in fine*, ubi Pontifex decidit, quòd circa Regulares personas non est ordo juris omninò servandus. Non obstat inquam, quia ibi solùm permittitur, ut in Regularium judiciis non procedatur exactè, hoc est servatis apicibus, subtilitatibus, & solemnitatibus juris, ut declaravit Bonifacius IX.

Constit. *Ad augmentum la* 4. *Bullar. tom.* 1. indulgens, *ut rimulis, & apicibus ipsis postpositis, liberè procedere valeant secundum consuetudines approbatas, & generalia facta, & etiam facienda ipsius Ordinis instituta.*

32 Cæterùm licèt possint in eo omitti, quæ sunt puræ solemnitates juris, nequeunt tamen præteriti, quæ adjuvant substantiam judicii: ut in Clement. *Sæpè de verb. signif.* ibi: *Non sic tamen judex litem abbreviet, quin probationes necessaria, & defensiones legitimæ admittantur; citationem verò, ac præstationem juramenti de calumnia, vel malitia, sive de veritate dicenda, nè veritas occultetur per commissionem* (hoc est factam cum clausula, ut procedatur de plano sine strepitu, & figura iudicii) *intelligimus non excludi.* Vide quæ dixi *cap.* 17. *num.* 16.

Judex super crimine tribus modis procedere potest, per viam inquisitionis, denunciationis, & accusationis.

33 Quæritur. Ad procedendum per viam inquisitionis quæ sint necessaria?

Resp. Necessaria est clamorosa insinuatio, seu diffamatio; vel, quod clamores aliquid præcesserint, *c. Inquisitionis, §. Tertia de accusat.* Quæ diffamatio loco accusatoris succedit, ut per Fagnan. *cit. ad c. Qualiter & quando num.* 64. *de accusat.* Gonzalez *in* 5. *tit.* 1. *c.* 21. *n.* 10. Et tunc judex procedit ex officio proprio virtute diffamationis, non ad instantiam alterius inquisitionem promoventis: ubi enim infamia non clamat contra aliquem, non potest iudex contra ipsum inquirere, ut tradit Peyrin. *cit. in form. lit. P. c.* 9. *n.* 16.

34 Verùm, cùm dicitur ad inquisitionem de aliquo delicto debere præcedere infamiam, id est intelligendum, non de inquisitione generali, quam Prælati singulis annis in visitatione paternali facere tenentur; quoniam ad istam nulla infamia prærequiritur, sed illam Prælatus facit ex mero suo officio: sed de inquisitione speciali, ut ibid. Peyrin. *cap.* 15. *num.* 1. Et tanta nenecessitate præcedens infamia est necessaria, ut loco ipsius indicia non sufficiant, ut ex Sanchez *ibid.*

35 Ubi advertit alia indicia dici levia, alia gravia, & alia violenta; & plena. Prima communiter nihil probant. Secunda semiplenè probant, quia vehementia movent animum ad aliquid credendum. Tertia ita movent animum ad assentiendum rei, ut iudex eam veram putet, adeout ampliùs investigare non curet.

36 An autem indicia violenta ita probent, ut illa sola sufficiant ad movendum iudicem, ut possit ferre sententiam in criminalibus? Respondet negativè, quia potest semper subesse aliquod dubium: in criminalibus enim probationes debent esse luce meridiana clariores, ut scripsit Fagnan. *in* 1. *ad c. Ne innitaris n.* 357. *de const.* neque ad infligendam pœnam ordinariam sufficit, indicia esse vehementia, *c. Litteras de præsumpt.* sed probationes pro fisco, vel accusatore debent esse plenæ, & concludentes, iuxta *l. Sciant cuncti C. de probat. & c. Sciant cuncti* 2. *qu.* 8.

37 Diffamatio autem illius, qui de aliquo delicto est diffamatus probanda est per testes, qui interrogati, apud quos sit diffamatus, tenentur respondere, apud tales; & nisi eos nominent, non censentur reddere bonam causam sui dicti: ratio est, quia aliter sciri non potest, an illi sint viles, & malevoli, an verò fide digni; de quo ante omnia iudici constare debet, ut benè Fagnan. *ad d. c. Qualiter, & quando num.* 85. & Sanctoro *in sua practica tit. inquisitio* dixit infamiam debere in initio processus esse probatam, saltem per duos testes legitimos, ne acta sint nulla. Cæterùm, si testis interrogatus responderet, apud duos esse suspectum, ex hoc non esset probata diffamatio, quia per dicta paucorum non debet quis apud Judicem infamatus reputari: est textus *in d. cap. Inquisitionis, §. Quæsivisti:* ubi, *Qui propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debet.* Ideò, ut testis probet, debet addere in suo testimonio, quòd de hoc ipso, quod audivit ab illis duobus, clamat maior pars viciniæ, iuxta annotata à Glossa *ad d. c. verb. dicta paucorum.*

38 Notetur; quod Judex, ex quo sibi fuerint contra Titium scriptæ nonnullæ epistolæ anonimæ, & sine auctore, non potest procedere ad inquisitionem super contentis in dictis Epistolis, ut expressè text. *in d. cap. Inquisitionis, §. Tertia.* Nullam enim fidem merentur adversus eum, ut per Peyrin. *cit. c.* 16. *nu.* 12. ubi monet, litteras lacerandas, & comburendas esse, nec eis credendum. Quarum auctor est inquirendus, & ubi

& ubi apparuerit, pœna arbitraria puniendus est, per Glofs. *ibidem verb. in oculto*, & *c. Qui in alterum* 5. *q.* 1. ut hac forma malignantium malitia, bonorum Religiosorum fama non gravetur.

39. Si verò nomine certi auctoris fuerint epistole subscriptæ, tunc verificandum est, an ille talis litteras scripserit (supposito quòd ejus character non sit notus, & ubi invenitur scripsisse, procedendum est, prout de jure. Quo casu hujusmodi litteræ se habent loco denuntiationis, ut tenet Peyrin. *cit. num.* 20.

40 Quæritur. Quid necesse sit ad legitimè procedendum per viam denunciationis?

Plura servanda sunt: ex parte denunciantis requiritur. I. Quòd denunciatio detur in scriptis. II. Quòd adnotetur dies denunciationis, ut constare possit de fundamento processus, & quòd acta non sunt absque legitimo testimonio. Dies conducere potest ad valorem, aut nullitatem denunciationis: ut, si data fuisset tempore, quo judex erat suspensus ab officio, vel in quo denuncians erat inimicus denunciati, cum quo posteà rediit in amicitiam: quoniam tunc nec dari, nec recipi potest.

III. Quòd exprimatur nomen judicis, aut ipsius officii, ut, Ministri Provincialis, commissarii, Vicarii &c. ut hac forma sciatur, an judex sit competens, vel non.

IV. Quòd exprimantur locus, tempus, qualitates, & circumstantiæ delicti, & testes adducantur: omnia enim hæc sunt ita necessaria, ut, si non exprimantur, denunciatio sit ipso jure nulla, & nullus processus subsecutus: ut probat Clarus *qu.* 12. *vers. dixi num.* 9. Etenim, illis ommissis, denunciatio redditur incerta, & vaga: nec potest reus probando negativam coarctatam se tueri, aut testes de falsitate convincere.

V. Quòd exprimatur nomen delinquentis, & illius, contra quem commissum est delictum: quòd si ignoretur, debet describi, vel ab officio, ut Sacristæ, vel Janitoris, coqui &c. vel à statura, ætate, lineamentis, capillis: quod pariter est substantiale, nè unus pro alio condemnetur.

VI. De consuetudine servatur, quòd denunciator se subscribit, & nesciens scribere signum ✠ apponit. Hæc omnia recenset Ameno *cit. tit. q.* 95.

41 Ex parte judicis necesse est.

I. Quòd perpensa qualitate denunciantis, denunciati, & delicti, recognoscat, si sint de suo foro, vel non, & juxta notitiam admittat, vel repellat denunciantem; & quatenùs ad se pertinere videat, procedat ad decretum de admissione denunciationis, & de prosequendo processu, prout de jure.

II. Quòd denunciatio apponatur in actis.

III. Ut juramentum recipiat à denunciante de veritate dicenda. Quod implicitè includit juramentum de calumnia, & illi æquivalet, ut notavit Passerin. *Tribun. regul. quæst.* 12. *art.* 3. *num.* 7. Siquidem nec calumniatur, nec præsumitur habere animum calumniandi, qui jurat severum deponere. Licèt enim denunciator non possit esse testis in causa, in qua denunciat, ut probat Ameno §. 4. *num.* 22. optimum tamen est, ut per eum exhibita, & ab judice recepta denunciatio examinetur: tum ut pleniùs judex informetur de circumstantiis facti, ex quibus potest veritatem indagare; tum ut cognoscat, an denunciaverit ad instantiam alterius, qui est testis de visu: quia tunc testimonium instigantis debilitatur, nec potest cum alio teste, licèt integro, reum convincere, quia testis ille est verus, & voluntarius denunciator, licèt denunciaverit per alium; nec in ordine ad probandum alia ratio habenda est de illius testimonio, quàm de denunciatione facta ab eo, quem ipse instruxit; & sicut hæc non probat, sed instruit, ita nec illud, ut per Ameno *tit. ult. qu.* 1. *num.* 70. quare in praxi, ut judex cognoscat, an qui nunciationem exhibet, zelo charitatis moveatur, vel ab alio sit corruptus, instet, ut *denunciator dicat, à quo sciat denunciatum deliquisse: qua occasione dixerit, & quo fine &c.*

42 Advertendum, quod quando denunciatori est notum, tam delinquens, quàm delictum, & utrumque denunciat, & instat, ut serventur regularia instituta, & judex corrigat: judex procedit ad instantiam partis; cum denunciat solùm delictum, ignorans delinquentem, tunc iudex, ignorans contra quem debeat iudicium dirigere, tenetur procedere ex officio per inquisitionem, quę dicitur mixta, hoc est, specialis quoad delictum, & generalis quoad delinquen-

quentem, ut Ameno *in formul. sect.* 2. *num.* 8.

43 At petitur. An, si denunciator non probet, sit aliqua pœna puniendus per Judicem, apud quem denunciavit?

Resp. Vel denunciator judicialiter solùm denunciationem ponit, & testes assignat intendens aperire viam ad judicium, & ut judex ex officio possit faciliter crimen investigare; non tamen curat, quòd judex procedat, vel non: vel ulterius, denunciatione exhibita, & acceptata, instat apúd judicem, ut puniat denunciatum. In primo casu, si deficit in probatione, tunc propter infamiam irrogatam denunciato (denunciatio enim semper infamiam infert, ut in mox citando textu) debet pœna saltem extraordinaria emendari, nisi *suam innocentiam canonicè purgaverit, scilicet, quòd non calumniandi animo ad hujusmodi crimina proponenda processit*, ut est text. *in cap. Cùm dilectus de calumniator.* cum sua Glosa, *in verb. calumniandi*: ut hac forma cæteri simili pœna perteriti similia non attentent.

44 Pro secundo casu advertas, quòd denunciator, etiam ad vindictam, & non solam emendationem, non potest obligari ad se subscribendum ad pœnam talionis, quia talis subscriptio recessit ab aula, nec in praxi servatur sed ubi dolosus, sive calumniosus denunciator, vel accusator defecerit in probationibus, in pœnam extraordinariam condemnatur, ut tradunt Guazzin. *ad defens. reor. def.* 3. *c.* 3. *n.* 13. *ver. Sed circa illud &c.* 11. *n.* 2. Zuff. *de legitim. process. qu.* 27. *n.* 8. & concordat Perringh. *in jus Canon. lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 2. cum Engel. *in jus Canon. lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 2. quidquid dixerit Ameno *tit.* 9. §. 3. *num.* 12.

45 At, qua ratione in processu constabit, quòd denunciator intesterit apud judicem, ut puniat denunciatum, si in libello denunciationis nullam de eo instantiam fecerit, sed solùm dixerit *se denunciare*, quamvis posteà oretenùs stimulaverit judicem ad punitionem?

Resp. Judex providus in decreto admissionis denunciationis debet apponere, & addere instantiam oretenùs à denunciatore factam.

46 Quæritur. Quid observandum ab Judice sit, ut legitimè procedat per viam accusationis?

Resp. Priusquam judex procedat, debet accusationem acceptare; de quo debet in actis constare. Accusator autem debet in libello accusationis nomen accusati exprimere, individuando crimen, & tempus, quo fuit commissum, ac testes adducendo, per quos possit legitimè probari. Aliàs accusatio recipienda non est. Debet pariter accusato jurare se non malo animo ad accusandum moveri, ut probat Ameno *cit. tit.* 8. §. 3. *num.* 16.

Cùm accusatio præsentatur contra aliquem Prælatum, vel insignem personam, & judex non habet notitiam de vita, & conditione accusatoris, debet accusationem acceptare cum clausula, *si, & in quantum, & prout de jure &c.* & proinde priusquam inquisitionem contra accusatum incipiat, debet examinare duos, vel plures testes super fama ejusdem accusatoris: & ubi reperit accusatorem esse integræ vitæ, causam prosequatur, & informationes sumat super criminibus, de quibus in libello &c. Ubi verò accusator vir levis, tumultuosas, & diminutæ famæ appareat, accusationem repellat, & contra accusatum nullo modò debet procedere, nisi de delictis sit fama inter fratres; sed tunc non ad instantiam partis, sed per viam inquisitionis procedere potest, ut ibid. Ameno §. 6. *num.* 38.

47 Advertendum tamen est, ut notavit Peyrin. *cit. lit. P. c.* 13. *num.* 2. & Ameno *tit.* 10. §. 1. *num.* 2. quòd, ut judex ordinariè procedat, sive per viam inquisitionis, denunciationis, vel accusationis, debet priùs ipsi constare de corpore delicti, seu delictum fuisse commissum; delicta autem alia sunt *facti permanentis*, quæ post se relinquunt vestigia, ut est *vulnus homicidium, incendium, defloratio &c.* Quo ad ista ante incœptionem processus debet Judici constare per oculorum inspectionem, videndo vulnus, effectum incendii &c. Et quatenùs opus sit adhibere peritos Sæculares, debet judex licentiam petere à Superiore sæculari Ecclesiastico, vel Laico, cujus sint subditi, eos vocandi, & examinandi, quorum judicium est inserendum in actis, & interrogari debent, eis priùs delato iuramento de veritate dicenda.

Est autem coram testibus describendum corpus delicti cum omnibus suis qualitatibus, & circumstantiis: quo genere armo-

morum sit, vel videatur factum. Quibus omnibus positis, ubi agitur de vulnere subscribit vulneratus, deinde actuarius cum testibus.

Alia verò sunt *facti transeuntis*, hoc est, de numero eorum, quæ post se vestigia non relinquunt ut *adulterium*, *furtum*, *falsitas &c.* in istis debet per testes probari delictum fuisse commissum.

Constito autem de corpore delicti, aut per testes probato; quòd fuerit commissum, procedere potest contra delinquentem, & habitis indiciis sufficientibus, ipsum ad causam citare, & incarcerare, si sit de fuga suspectus, ut ibidem Peyrinus: tanta autem est necessitas, ut cognoscatur delictum, & de eo constet, priùs quàm de delinquente in specie inquiratur, ut, ea cognitione omissa, non servetur, quod est de substantia judicii, ut dixit Passerin. *cit. q.9. n.2.* Et subinde Ameno *n.2.* ubi dat concordantes, scripsit, quòd *Processus, in quo prius de corpore delicti, præcipuè facti permanentis, non constat, omninò sit nullus: &, si super ipso constitutus esset reus, etiam si confessus fuisset, nihil nocere possit confessio.*

48 Advertit ubi suprà Engel. *tit.* 1. §. 1. *num.* 21. quòd judicium non sit incipiendum à captura, & incarceratione accusati, nisi præmissa causæ cognitione, & præcedente saltem aliquali instructione, ac probatione delicti: & judex indebitè incarcerans potest per incarceratum coram illius Superiore de injuria conveniri, ut ibidem Engel. Et probatur ex *leg. nec Magistratibus, ff. de injuriis.* Ubi autem incarceratio fit non pro pœna, sed pendente accusatione, pro custodia, non debet tunc reus nimis duro, aut tertio carcere constringi: cum iniquum sit, sit ut priùs affligatur reus, & executio in ipsum fiat, quàm delictum probatum sit *l. 1. C. de custodia reorum.* Nisi hoc aliquando fiat post semiplenam delicti probationem, ad confessionem rei eruendam, ibid. *n.* 22.

Item observandum, quòd fiscalis, seu agens partes fisci, non ipse debet fabricare processus contra accusatos, vel denunciatos, sed debent per alium instrui. Eius partes sunt jura fisci producere, probationes favore denunciati, vel accusati adversùs fiscum exhibitas evacuare, infringere, & alia opponere, ac instare, ut testes examinentur, & repetantur. Licèt repetitio apud Regulares videatur non necessaria, nisi de ea instet advocatus rei dando interrogatoria, ut infr. *n.66.*

Procuratorem enim fiscalis succedit loco accusatoris, ut advertit Sperellus *decis.92. nu.2.* ideoque non potest, nec debet esse judex, & pars: pugnet pro fisco, sed caveat ne legem charitatis offendat.

49 Quæritur. Quid judex circa examen testium, observare debeat?

Resp. I. (Cùm testes, juramento de dicenda veritate non præstito, non probent, nec fidem faciant, *cap. Nuper de testib. & attestat.* quia in juramento consistit substantia depositionis, per Fagn. *in 3. ad c. Audivimus de relig. & venerat. n. 59.* & cum juramentum sit res facti non supponitur) ideò debent jurare, de quo debet constare in actis. Sacerdotes jurant tacto pectore, & cæteri tactis sacris litteris.

50 II. Quòd testes sigillatim, non turmatim interrogandi sunt, *cap. Inquisitionem §. 1. de accusat. cap. Venerabili de testib. & attest.* Ita Daniel interrogavit impudicos senes. Si enim testes simul exammentur, alter alterum instruit, & eundem sermonem omnes proferunt, Gonzalez *in 2. tit. 20. cap. 52. num. 4. allegat.* Farinac. *de testib. q.8.* Fagnan. *in 2. ad cap. Venerabili num. 5. de testib.*

51 III. Quòd testis unicus, quamvis legitimus, in judicio non probat, Fagnan. *cit. ad cap. Licet num. 15.* quia, ut ait sacer textus: *in ore duorum, vel trium stat omne verbum.* Unde, cum agitur de præiudicio alterius, commune est illud: *dictum unius, dictum nullius*, Sousa *Aphoris. quæst. unic. de testibus singul. sect. 1. num. 5.* Præsumptionem tamen facit, per Glos. *ad d. cap. verb. unius.*

52 IV. Quòd ad hoc, ut duo testes plenè probent, debent esse non solum fide digni, sed etiam contestes; itaut jurati deponant ex certa scientia de visu, de eodem facto, loco, tempore, personis, circumstantiis ad substantiam facti spectantibus, & necessariis, ut latè Peyrin. *cit. lit. T. cap. 3. num. 10.* allegans Spathar. *de mod. corrig. Reg. tr.7. cap.2.*

53 Unde est communiter receptum inter DD. Peyrin. *cit. num.6.* Gonzalez *ibid. cap.10. num.5.* quòd testes singulares non probant. Testes autem singulares sunt, qui deponunt supra diversis factis, itaut eorum

eorum depositiones in unum coniungi non possint: ut, si unus deponat Petrum furtum commisisse, alius Joannem percussisse; vel, unus dicat tale delictum fuisse commissum domi, alius in platea; vel, unus dicat fuisse patratum de mane, & alius de sero; vel unus mense Maii, & alius in augusto. Cæterùm si deponerent super eodem delicto iterabili, ut de adulterio &c. licèt non concordarent in tempore, aut loco; tamen plusquàm semiplenam probationem inducerent ut ibid. Peyrin.

54 Observandum tamen est ex Sousa *sect.2.nu.* 2. quòd tria sunt testium singularium genera: ut alii sint singulares singularitate obstativa; alii singulariter adminiculativa, & alii singularitate diversificativa. Singularitas obstativa ea est, quæ facit repugnantiam, & contradictionem in testium depositionibus; hæc fuit in testibus deponentibus contra Susannam, *Daniel.* 13. ubi agebatur de unico actu adulterii, & unus dicebat se vidisse eam *sub schino*, alius verò *sub pino*: & sic deponentes de aliquo particulari actu sibi invicem repugnabant, assignantes diversum locum delicti commissi & nihil probarunt.

55 Singularitas adminiculativa, seu cumulativa invenitur in dictis testium, in quibus non est repugnantia, vel contrarietas per diversa tamen media in eundem finem tendunt, & unus alterum coadjuvat) ut, si unus testis deponat Cajum esse fornicatum cum Lucia; & alius cum Francisca; licèt enim non sit plenè probata fornicatio cum una ex his duabus, tamen est benè probata fornicatio in specie. Ita pariter accusatur Frater de proprietate, unus testis deponit se eum vidisse die Lunæ cum crumena plena nummis aureis, alius testatur se eum vidisse die Martis cum moneta argentea, & tertius dicit se vidisse eum die Mercurii in Caupona expendisse pecunias: isti cumulantur, & plenè probant proprietatem in se, licèt actus proprietatis in individuo non sit plenè probatus: est utique tempus diversum, & species monetæ diversa, tamen sunt accidentialia proprietati, & æquè benè unus est proprietarius in auro, sicut in argento, & hoc die, quàm alio, ut Ameno *cit.tit.* 15. §. *6. num.*44. Pariter accusatur Clericus non Sacerdos celebrasse Missam, & unus deponit se eum vidisse Missam incipientem, & alius ipsam terminantem: hìc celebratio plenè probatur, quia, cùm simus in successivis, & in actibus continuatis, non est necesse, quòd, qui debent esse contestes, eodem tempore ipsum viderint; sed sat est, ut in diversis temporibus continuatis actùm videant Ameno *cit. nu.*49.

Et observat, quòd, si unus testis de visu deponat de delicto, & alius testetur se illud delictum audivisse de ore rei, tunc coniunguntur, & comulantur isti duos testes, & consurgit plusquam semiplena probatio; quia ex quo unus testis de visu semiplenè probet, alius de auditu aliquid addit, per Ameno *num.*47. cum concordantibus. Testes autem de auditu alieno regulariter nihil probant, nisi famam, si de ea examinentur nec faciunt ad judicium. Ameno *tit.* 15.*qu.*4.*n.*111.

56 Singularitas diversificativa datur, quando testes deponunt de diversis delictis ut si unus deponat de furto, alius de adulterio, & alius de blasphemia, hi etiam nihil omninò probant, quia in hoc magis consideratur, quòd sint singulares, hæc enim non sunt delicta, quorum unum inferat aliud. Gonzalez *cit.*

57 Item pondera, quòd sive testes sint ex officio ab judice, sive ad instantiam partis assumpti, in eorum examine debet notari cum nomine, & cognomine illorum, gradus, etas, Sæculi, & Religionis, & in fine depositionis (ea eis priùs lecta) debent se subscribere, & si nesciant scribere, apponant ✠ signum.

58 Item considera, quòd ut testes in judicio legitimè probent, necessè est eos vocare, vel citare. Nam si testis voluntariè se offerat non vocatus redditur suspectus, & non probat, *leg. Præsbyter*, *C. de Episc. & Cleric.* Et nihil refert, an vocetur ex munere judicis, an verò quia fuerit à parte productus: modò in processu notetur qua via fuerit ad judicium inductus ad judicis instructionem.

59 At quæritur. An testes examinati in inquisitione speciali, aut denunciatione, vel accusatione contra aliquem, adversùs eum probent ante litis contestationem, hoc est, priusquam reus citetur & respondeat accusationi sibi datæ?

Negat Glos. *in cap. Olim de lit. contestat. ver. Responsionem*, & Glossa *in notabil. ad cap. In nomine de testib. & attestat.* Gonza-

zalez *in cit. cap. 2. num.* 3. Fagnan. *ad d. cap. In nomine num.* 34. Carena *de offic. Inquisit. part.* 3. *tit.* 8. *§.* 5. *num.* 33. Peyrin. *d. cap.* 3. *num.* 11. ubi testatur de communi, & Portell. *respons. moral. cas.* 20. *in fine*, consuluit praxim, quòd, citato reo, iterùm testes examinati repetantur, quia jam examinati non possunt nocere reo, quantùm ad causam principalem, seu ad eum condemnandum, sed solùm quoad ipsum interrogandum, & etiam ad carcerationem, si timeatur de fuga. Unde in horum sententia testium repetitio est unum de substantialibus judicii.

60 Affirmant plures alii, quos cumulat Ameno *tit.* 7. *quæst.* 1. *num.* 14. sustinentes repetitionem testium esse tantùm solemnitatem juris, adeout acta sine partis citatione sint valida. Communis enim stylus, quem totus mundus servat, est, ut priusquam citetur reus, examinentur testes contra ipsum. Quæ consuetudo probatur à Trid. *sess.* 25 *c.* 6. *de ref.* 2. *verb. In criminalibus*. Cæterùm reus eos debet habere pro ritè examinatis, ex dicendis, *n.* 66.

60 Quòd si testis, qui deposuit in informatione summaria, in secundo examine eam retractet, vel deponat contrarium, standum est primæ depositioni, & non secundæ, per Glos. *in c. Per tuas*, *verb. Informare de probat.* & advertit Ameno *cit.* & Monacellus *for. p.* 2. *form.* 16. *nu.* 6. *tit.* 15. quia præsumitur, quòd secunda depositio facta sit per subordinationem procuratam à reo, vel ejus patrono. Tum quia, per primam depositionem est aliquid reo, vel fisco quæsitum, cui testis non potest præjudicare, ut ibi Monacellus.

Limitatur, nisi illicò se retractaret, aut oppositum deponeret, ut per Farinac. *q.* 66. *n.* 127. vel, nisi posteriùs dictum sit talibus conjecturis adminiculatum, ut excludatur præsumptio subornationis.

61 Advertendum est, quòd, si reus examinandus sit carceribus mancipatus, debet excarcerari, ut liberiùs possit veritatem fateri. Confessio enim à carcerato recepta metu tormentorum extorta dicitur, per Peyrin. *cit. litt. R. c.* 9. *n.* 14. Et si sit excommunicatus, debet absolvi ad effectum trahendi ipsum ad judicium, sed cum reincidentia: & ubi censura erit reservata, petenda est facultas Superiore, cui reservatur absolutio.

62 Examinatis itaque testibus sive à parte productis, sive ex officio assumptis, si ex eorum depositionibus certò constet, vel saltem per indicia sufficientia faciant semiplenam probationem delicti (quæ supponit probationem corporis ipsius delicti) debet judex procedere ad examen rei, & poterit hoc decretum, vel simile præmittere: *Quibus habitis, advertens P. Commissarius, quòd per præmissas depositiones apparet N. de N. homicidium commisisse, decrevit eum in rigoroso examine constituere, serv. servand. de jure. Acta sunt hæc &c. Fr. N. Actuarius.*

63 Deinde ad constituendum reum potest judex in primo constituto per infrascriptum, vel alium similem modum procedere, videlicet.

Die &c. Anno &c. *Constitutus personaliter coram P. Commissario N. de N. hac die &c.* cui *delato juramento corporali, tactis &c., vul acto pectore* (si sit Sacerdos) *de veritate dicenda, super quibus interrogabitur*: fuit interrogatus, ut infra: & primò solet interrogari de scientia suæ vocationis, carcerationis, de Conventu suæ collocationis, amicis, Fratribus &c. & postea de circumstantiis, & qualitatibus delicti, ex quibus judex potest devenire ad delicti cognitionem.

Ubi reus delictum negaverit, poterit judex contra ipsum sequentibus interrogatoriis procedere. Interrogatus, & monitus, ut velit omninò veritatem fateri super præmissis, maximè cum Curiæ constet per legitimos testes ipsum commisisse homicidium, de qualitate, ac modo, loco, & tempore: & poterunt arma ostendi, cum aliis admixta, ut ea recognoscat.

Ubi respondeat per verbum nescio, non recordor, urgendus est, ut respondeat per verba præcisa affirmativè, vel negativè; illud enim idem est, ac absolutè non respondere. Persistente verò in negativa poterit interrogari.

Interrogatus, quid dicet, si liquidò apparebit ex dictis, & depositionibus testium fide dignorum, ipsum commisisse tale delictum &c.?

Tunc ad convincendum reum de mendaciis, & ad disponendum ipsum ad veritatem dicendam, P. Commissarius *mandavit per me actuarium eidem legi alta, & intelligibili voce depositionem N. Testis habitam*

tam sub tali die, pagina &c. & præsertim in illa responsione incipiente, &c. & finiente. &c. Et totum notetur in actis. Qua depositione eidem lecta, & per ipsum benè audita, & intellecta, prout asseruit, fuit per P. Commissarium interrogatus: quid dicat, vel respondeat? & successivè, persistente in negativa, interrogetur.

Interrogatus, & monitus, ut velit se disponere ad veritatem fatendam super præmissis, præsertim cùm videat se testibus convictum, qui verisimiliter prædicta contra ipsum non dixissent, si vera non fuissent, & essent: si reus adhuc persistat in negativa, poterit legi alia alterius testis depositio. Quòd si adhuc sit pertinax, poterit interrogari, qualiter velit prædictos testes juratos, qui nullum ex depositione commodum sentiunt, ea deposuisse, si vera non essent? Quòd si adhuc in pertinacia sit obduratus, moneat, ut recogitet, quòd mendaciis, & perjuriis Deum offendit, & quòd se disponat ad veritatem spontè fatendam; aliàs in tortura debebit illam aperire. Et cùm hora esset tarda, & non potuerit examen expediri; P. Commissarius &c. *acceptatis &c. examen dimisit; voluntate illud continuandi &c. & interim lecta sibi depositione, ipsi subscripsit, & iterùm ad carceres fuit ductus, acta sunt &c.* Io N. ò deposto. *Fr. N. Commissarius. Ego N. actuarius.*

64 Pro secundo constituto, *die &c. loco &c. prout supra &c.* Quòd si in negativa semper persistat, moneatur omninò de veritate dicenda ad vitandam, & Dei offensam, & pœnam afflictivam torturæ. Quòd si sit pertinax, absolvatur examen *prout sup. &c.* Alia verò die procedatur ad tertium constitutum, servando eundem tenorem. Et ubi reperiatur obfirmatus in negativa, procedatur ad decretum de tortura, assignando ei terminum trium, aut quatuor dierum arbitrio judicis ad se defendendum, vel indicia purganda, ex dicendis *n.* 70.

65 Ubi verò reus, vel est convictus, vel sponte confessus, vel extra torturam ratificavit confessionem in tortura factam, in secundo, & tertio constituto interrogetur si velit prædictis confessatis, & dictis aliquid addere, vel minuere, vel potiùs ea tanquam vera ratificare, & approbare, & modò ratificet, & approbet: & respondens affirmativè, procedendum est infrascripto decreto.

66 Tunc P. Commissarius *acceptatis &c. dimisit examen, & mandavit, ut intra terminum sex dierum produceret ad sui defensionem quidquid habet adversus depositiones testium ad sui indemnitatem, vel provideat sibi de patrono, habitis tamen testibus pro ritè, & rectè examinatis, copias tradi &c. & absque præjudicio ulterioris processus, & examinis, quod ipse acceptavit, reservatis sibi exceptionibus, & repetitione quatenùs &c. & tam decreto, quàm ejus depositioni, quæ fuit eidem de mandato &c. lecta, se subscripsit.*

Io N. ò deposto, e accetto, come sopra N. Delegatus, N. Actuarius.

Tunc debet constare in actis de electione patroni, & quòd hic munus patrocinii susceperit. *Die &c. Cum N. reus significaverit se in patronum elegisse N. de N. P. Commissarius mandavit id in actis registrari.* Apparere etiam debet de acceptatione patroni, cujus officium est omnia agere ad tutelam sui principalis, opponendo contra legitimitatem testium, processus &c. instando, ut repetantur testes, dando interrogatoria, si opus sit: & testes adducti examinandi sunt super articulis productis.

66 Nonnullis placet, ad legitimandos testes contra reum examinatos, esse repetendos. Sed, ut etiam notavit Ameno, hæc est solemnitas, ad quam Regulares non tenentur. Sufficienter testes legitimari dicuntur, & processus de informativo curiæ transit in offensivum rei per ipsius declarationem, & acceptationem, quòd habet eos pro legitimè, & ritè examinatis, prout ex praxi in d. Decreto: vel potest citari ad similem declarationem faciendam, priùs vel postquam ejus patronus defensiones elaboratas præsentaverit judici, & hic cognoverit non esse relevantes contra depositiones testium.

De substantia judicii solùm est, ut repetantur testes, si reus contra eos, vel eorum dicta excipiat, & instet pro repetitione: quæ sit. Die &c. N. testis *alias examinatus in causa &c.* iterùm vocatus est, *cui &c. juravit &c. & interrogatus, an, quæ aliàs in præsenti causa in alio examine facto die &c. vera fuerint*, ac sint: *& examine ei lecto, & per eum benè audito, dixit vera esse &c.* Si verò examinetur testis ad instantiam rei, hoc exprimatur, & super articulis ab eo productis interrogetur.

67 Ab-

67 Abstineat judex ab interrogationibus suggestivis, quibus tam reo, quàm testibus suggeruntur responsiones, quia vitiant, & annullant processum, de quare Ameno *tit.* 15. §. 9. *num.* 75.

68 Cæterùm, cùm judex procedit in notoriis, non debet interrogare reum dubitativè, *an fecerit hoc*, sed assertivè, *notum est hoc fecisse*, ut probat Peyrin. *formular. lit. P. cap.* 18. *num.* 6. priùs tamen per duos testes debet probare notorietatem, & in processu declarare se procedere per viam notorii. Ideò testes deponere debent de visu proprio, hoc est, quòd erant præsentes, & viderunt id, de quo testificantur: & quòd ibi erat major pars communitatis, quæ videre potuit, quæ ipsi viderunt.

69 Ad notorium autem tria debent concurrere. Primum, quòd fiat in loco publico, in quo soleat convenire communitas: secundùm, quòd, quando committitur delictum, adsit major pars communitatis: tertium; quòd delictum fiat de die, non die nocte. Quoniam, si de nocte committitur, homines non possunt benè videre. Quæ sunt iuxta naturam notorii, quod dicitur facti: cùm illud sit, quod *se exhibet omnium oculis, vel conspectui maioris partis personarum alicujus loci, vel communitatis, ut nulla possit tergiversatione celari*.

70 Ponderabis I. Quòd nunquam reus est torquendus, nisi præcedant indicia sufficientia, vel diffamatio, quæ semiplenam probationem delicti faciant.

II. Quod non est torquendus convictus, & confessus; quia iam habetur veritas, & certitudo sufficiens ad condemnationem, ut notavit Ameno *tit.* 16. §. 6.

III. Quod pro delicto, pro quo non venit imponenda pœna corporis afflictiva, non est inferenda tortura, quia censetur hæc pœna gravior, quàm pœna delicto debita, & ita, ubi delicta punienda sunt tantùm privatione vocis activæ, vel passivæ, officiorum, suffragiorum &c. tortura infligi non debet.

IV. Quòd torquendo concedendæ sunt defensiones cum competente termino trium, vel etiam quatuor dilationum, cum spatio trium, vel etiam quatuor dierum pro qualibet ad arbitrium iudicis. Propterea est à reo sibi eligendus patronus, & iudex non potest ei denegare, quem elegerit; qui intra tempus præfixum debet elidere, evacuare, & purgare, quidquid productum fuit adversus reum, ut indè ad torturam, vel aliam condemnationem non possit deveniri. Propterea debet ei concedi copia actorum, & quidquid conducere potest ad tuendum suum principalem.

Absolutis autem defensionibus, & præsentatis, debet de eis in actis constare. Die &c. *præsentatæ fuerunt ab N. patrono rei N. &c. defensiones elaboratæ favore eiusdem, incipien. &c. & finien. &c. & ad mandatum P. C. fuerunt in actis registratæ &c.* N. actuarius.

71 V. in Ordine Min. de Observ. non potest iudex ad torquendum moveri, nisi de consilio, & assensu definitorum, & iuxta ipsorum votum debet procedere: ideò, ut PP. Definitorii instrui possint de meritis causæ, tam favore fisci, quàm rei, debent eisdem consignari processus offensivus contra reum fabricatus, ac defensiones ad eius favorem; quæ omnia debent ab uno quoque definitore diligenter ponderari, considerando, an defensiones prævaleant contra fiscum, & destruant indicia, & probationes adversus reum productas, adeòut non sit locus torturæ. Quinimmò, ut definitorium cautiùs procedat, debent PP. priùs consulere advocatum sæcularem, ad quem transmittenda sunt omnia, tam pro, quàm contra reum; qui, omnibus inspectis, debet suum sensum in scriptis redigere, & votum suum cum actis receptis consignare definitorio: illisque ab unoquoque de definitorio diligenter ponderatis, PP. simul conferant super meritis causæ; & subinde per calculos secretos albos, & nigros suam sententiam dicant. I. An reus, sit torquendus? II. An torquendus graviter, vel leviter? Ubi calculi erunt pares adeout nec albi pro negativa, nec nigri pro tortura vincant, non est reus torquendus, quia tenetur iudex inclinare ad favorem rei; & hìc etiam currit regula illa, quòd, *Actore non probante, reus absolvitur*, apud Fagnan. *ad dict. cap. Ne innitaris num.* 359. Si verò concludatur pro tortura, tunc à definitorio formandum est decretum, quòd *visis omnibus videndis in causa &c. tam pro, quàm contra reum, & inhærendo voto D. N. Consultoris, sumus in voto, quod N. reus, & semiplene de delicto convictus sit graviter, vel leviter torquendus: servat. tamen de jure*

ser-

servand. Quod est consignandum judici, à quo aliud decretum est faciendum: ut infra: & tunc *Pater Provincialis*, vel *commissarius inhærendo voto, & Decreto Definitorii decrevit P. N. rerum esse leviter torquendum*. Et. N. Actuarius. Consultor non debet esse patronus rei, quia est suspectus.

Advertendum. I. Quòd, si Provincialis instruat processum contra rerum, dum petit à definitorio consilium, non potest ipse eo casu suum calculum consultivum ferre, quia nullus consilium sibi dat.

72 II. Quòd si advocatus fiscalis respondeat probationibus ad defensam à patrono exhibitis, sunt huic ejusdem advocati responsa communicanda.

73 III. Quòd, si causa fiat per accusationem, vel exceptionem, præsentatis à reo defensionibus, debet citari accusator, vel exceptor ad effectum, ut per proprium advocatum respondeat contra defensiones rei, & ipsas impugnet, & alias producat, quæ sibi supersunt contra reum. Quòd, si accusator, vel exceptor novos testes, aut nova instrumenta produxerit contra reum, debet copia illorum tradi reo, vel hujus patrono, ut possit illis opponere exceptiones suas, & se defendere: adeout ultimo semper loco est ab judice audiendus reus vel ejus patronus.

74 Quæ omnia, servata proportione, servari debent in defensionibus concedendis ante sententiam; ad quam semper reus, vel eius patronus citandus est; aliàs, omissione citationis sententia esset nulla, quia est de substantia, *ad text. in Clement. Sæpè de verb. signif. & const. Clement. VIII. litium la* 18. *Bullar. tom.* 3. & notavit Peyrinus *lit. S. c.* 3. *num.* 2. & citatio facienda est pro certo die, & certa hora.

75 Et hìc advertendum, quòd in delictis, in quibus imponitur pœna corporis afflictiva, non potest reus etiam confessus suis defensionibus renunciare, ut dixit Glos. *in leg. non tantùm verb. acquiescit, ff. de appellat.* Riccius *prax. for. Ecclesiast. resolut. 6. num.* 4. quos cumulat, & sequitur Ameno *tit.* 20. §. 1. *num.* 9. Et quatenùs reus firmus sit in facienda renunciatione defensionum, non debet statim pronunciari sententia, sed tenetur judex assignare tempus, & terminum peremptorium ad defensiones faciendas: quòd si reus, sibi facta intimatione decreti, judicialiter dicat se renunciare defensionibus, poterit renunciationem acceptare; sed numquam est procedendum ad sententiam, donec tempus assignatum pro defensionibus expiret, ut per Ameno *ibid.* Tutius tamen est, ut judex ex officio alicui idoneo committat defensiones faciendas. Judex enim ex officio potest reo advocatum assignare, ut probat Gonzalez *cit. in* 1. *tit.* 32. *cap.* 1. *numer.* 18. Videatur Ameno *ibidem*: ex cujus formulario, & practica, ac ex alia P. Sanctorii fuerunt præmissa huc summatim reportata.

76 Advertit ex claro Fagnan. *cit. in d. cap. ne innitaris num.* 363. quòd ubi nihil ulteriùs superest agendum, tam ex parte accusatoris, quàm accusati, judex debet diligenter considerare processum tam offensivum, quàm defensivum, & rectè ponderare, quid ex ipsis processibus resultet: & quatenùs contra reum extent indicia, & probationes, quæ elisæ, & conquassatæ non fuerint; si reus est plenè convictus, vel confessus, condemnandus est; sed semper considerandum illud Ambrosii relati *in cap. Iudicat.* 3. *quæst.* 7. ibi: *Bonus judex nihil arbitrio suo facit, sed juxta leges, & jura pronunciat, statutis juris obtemperat, examinat causæ merita, non mutat, &c.* Ita tamen jus servare deberi, ut cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibeatur, ut statuit Trident. *sess.* 13. *cap.* 1. *de reform.* Sed non potest esse clementior lege, ut dixit Fatinell. *citat. respons. jur. respos.* 31. *n.* 11.

77 Ubi verò recognoverit probationes ad defensam illas accusatoris, vel pro fisco adductas elidere, & plenè infirmare, est reus absolvendus tamquam non *repertus culpabilis*, vel *de jure punibilis*, aut definitivè, *ex capite innocentiæ*, si intra terminum assignatum accusator aliud relevans non producat, quidquid in processu alias præcesserit: ut tradunt Covarruv. *lib.* 1. *variar. cap.* 1. *num.* 8. Clarus *in pract. crimin. quæst.* 62. *num.* 2. Spatharius *cit. tract.* 10. *cap.* 19. *num.* 2. & tunc judex poterit uti hac forma: *Viso per nos fabricato processu contra Fratrem N. super furto, de quo fuit apud nos accusatus, & gravatus, omnibusque contra ipsum deductis probationibus perpensis, & discussis; consideratis etiam*

ipsius

ipsius in contrarium probationibus; de voto etiam D. N. Consultoris, per hanc nostram definitivam sententiam, dicimus, ipsum pro hac causa coram nobis legitimè actitata non esse punibilem, nec culpabilem repertum, & ita dicimus, decernimus, & definitivè sententiamus, eumque innocentem declaramus atque à præfata imputatione absolvimus, & absolutum esse pronunciamus. In quorum fidem, &c.

Cùm autem contra reum sunt tot, & talia indicia, quæ ipse non potuit plenè evacuare, nisi per torturam, tunc absolvi debet, sed non definitivè, neque ex capite innocentiæ, sed apposita clausula: *Stantibus rebus, prout stant*: seu, *Ex hactenùs deductis*, ut per allegatos; & tunc iudex, mutatis mutandis, potest ea formula uti.

78 Adversus absolutum ex capite innocentiæ, sive iudex processerit ex officio, vel ad instantiam partis, non potest ampliùs procedi pro illo delicto, *Quibuscumq; etiam supervenientibus indiciis*, quia illa absolutio transit in rem iudicatam, & de re iudicata ampliùs iudicari non potest, ut pluribus cumulatis tradit Peyrinus *cit. lit. S. cap.* 1. *num.* 2.

Sed contra absolutum cum clausula, *Rebus sic stantibus*, vel, *Ex hactenùs, &c.* potest iterùm novis supervenientibus indiciis procedi. Cæterùm hujusmodi praxis non probatur à Claro *cit. quæst. 62. num.* 2. ubi de eo, qui purgavit indicia per torturam, dixit esse definitivè absolvendum. Et Spatarius *cit. cap.* 13. *num.* 6. censet, quòd inter Regulares semel absolutus cum clausula, *Rebus sic, &c.* non debet iterùm accusari, etiam supervenientibus magnis indiciis: cui adæret Peyrin. *num.* 3. concludens, quòd ad truncandas dissidiorum, & malignitatum occasiones, sit omninò definitivè absolvendus.

79 Notandum, quòd si reus in suis defensionibus ita perfectè evacuaverit indicia, quòd crimen nec semiplenè remaneat probatum, & constet de innocentia ipsius; accusator debet tamquam calumniator condemnari, quia non probavit, & de hoc in eadem sententia; per quam reus absolvitur, constare debet; sed quia non debet condemnari ante citationem ad sententiam, citari etiam debet accusator, & ei assignari terminus, ut producat vel contra reum alia vel dicat, quare puniri non debeat pœnis contra calumniatores præfixis, ut post Bartolum dixit Ameno *tit. ult.* §. 2. *num.* 8. Et ubi judex cognoverit reproducta nihil relevare, procedat ad sententiam absolutoriam rei prætensi, & condemnationem accusatoris; qui semper citandus est ad audiendam sententiam ferendam pro, vel contra reum, cùm habeat interesse in causa.

80 Ameno *tit. ult.* §. *6. num.* 53. monet in sententia esse recensendum delictum, etiam secundùm circumstantias, quæ conducunt ad ejus levitatem, vel gravitatem, & ad augendam, vel minuendam pœnam; tum ut appareat de rationabilitate sententiæ, & quòd pœna fuerit proportionata culpæ; tum ut in Ord. Fratr. Minor. de Observ. (in quo Processus non possunt ultrà semestre ab ultimatione causæ conservari, per stat. General. Ord. *cap.* 12. §. 23. *num.* 25.) habeatur notitia criminis, & delinquentis. Propterea statuta *cit.* injungunt, ut sententiæ originales conserventur in libro ad hoc deputato, ut possint inservire in causis expulsionis ab Ordine, aut exceptionis, repellendo condemnatum, aut à testimonio ferendo, aut ab adipiscenda dignitate.

81 Pœnæ Regularibus ab Judice Regulari infligendæ, desumendæ sunt ex statutis ipsius Religionis, non verò ex jure communi, aut aliundè; est textus expressus in Clement. *Religiosi*, §. *Quibus*, *de privileg. & d. Const.* Bonifacii IX. *ut sup. num.* 31. & in Decreto Clementis VIII. *de Apostatis*, ut in *Constit.* Urbani VIII. *la* 10. *Bullar. tom.* 4. in quo conveniunt DD. apud dict. Peyrin. *cap.* 3. *num.* 5. Ubi verò Regularia statuta non provident, recurrendum est ad Sacros Canones, & in horum defectum ad ius civile, vel legitimas consuetudines, aut legem municipalem, ut per Roderic. *resol.* 47. *n.* 3. apud d. Peyrin.

82 Non est de necessitate, ut sententia à reo acceptetur. Verùm si adepta illius notitia, intra decem dies non appellet, censetur appellatio deserta & sententia in rem iudicatam transit. Propterea ei semper est notificanda, & intimanda, ut possit appellare, vel non, si se gravatum sentiat; & hæc esse potest formula.

83 Patronus N. de N. comparet co-
„ ram N. &c. & sentiens à dicta sententia
„ suum principalem enormiter læsum, &
„ gra-

„ gravatum, à prædicta ad Sanctam Sedem „ vel Generalem, &c. salvo, & semper reser- „ vato jure dicen. de nullitate, his scriptis „ provocat, & reclamat, & appellat, pe- „ tens primò, secundò, & tertiò, instan- „ ter, instantiùs, & instantissimè, sæpè, „ sæpiùs, & sæpissimè de Apostolis res- „ ponderi; non solùm modo, & forma „ prædictis, sed & omni meliori modo, &c. „ salvo jure, &c. protestatur; &c. die, „ &c. præsentibus, &c. N.N. de N.

„ Tunc P. C. visis, &c. dictam appella- „ tionem admisit, Apostolos concessit &c. „ & in quantum omni meliori modo, &c. „ præsentibus, &c. Ad cujus mandatum fuit „ appellatio eadem die inter acta responsita. „ N. Actuarius. Vide *d.cap.*87. *num.*27.

Advertendum, quòd sententia suspensa per appellationem nullum interim operatur effectum, ac si lata non fuisset, Fatinell. *citat. resp.* 52. *num.*7. Sed adeas *dict. cap.*

84 At quæritur. An puniendus sit judex, qui fert sententiam nullam, & injustam?

Resp. Non est dubium peccare mortaliter, nisi fortè ex ignorantia inculpabili id fecerit. Si sententiam ferat per sordes, hoc est, ad sic judicandum moveatur per *pecuniam, gratiam, vel preces alterius, vel favore, vel odio*, ut explicat Gloss. *in notab. ad cap. Cùm æterni, de sent. & re judicat. in 6.* suspenditur per annum ab officiò; quòd si pendente illo anno, se immisceat Divinis, incurrit irregularitatem, à qua absolvi non potest, nisi per Papam. Roderic. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 40. *art.* 2. censet Judicem Regularem malè judicantem ex negligentia culpabili cum dolo, vel sine dolo, & ex imperitia, esse pęna arbitraria puniendum. Præsumitur autem cum dolo procedere, qui formam Sacrorum Canonum, juris civilis, vel Constitutionum Religionis apertè transgreditur. Ille verò reputatur procedere ex lata culpa, qui omisit facere, quod alii prudentes, & docti judices in simili casu facere solent. Quando ergo Judex Regularis malè judicat ex dolo, vel lata culpa (quia nec ipse voluit studere, ut sciret, quid de jure in causa est necessarium, nec voluit aliorum consilium petere) deponendus est; imperitia enim annumeratur culpæ, Gloss. *in c. Si homicidium, verb. Imprudenti* 23. *q.* 1. Secus si ex simplicitate id fecit, ut per eundem Roderic. allegat. à Peyrin. *lit. P. c.* 16. *num.* 16. de qua re, videri potest etiam Ameno *tit. ult.* §. 3. *numer.* 24. Monacellus *form. par.* 2. *form.* 1. *numer.* 27. *tit.* 1. tradit hodie de consuetudinem judices non sindicari de sententiis per imperitiam malè latis, sed solùm si per sordes, & corrupti pronunciarunt, & allegat Merlin. *decis. Lucen.* 1. *num.* 2.

85 De nullitate sententiæ agit ubi supra Engel. §. 1. *num.* 14. *tit.* 28. Ut nulla sit. I. Si lata sit ab judice incompetente. II. Si post lapsum instantiæ. III. Si post recusationem judicis suspecti. IV. Si contra rerum indefensum. V. Si lata post terminum delegationi præfixum VI. Si contra priorem sententiam, quæ transivit in rem judicatam. VII. Si sit contra *jus Legis*; ut si judex aliter judicet, quàm lege definitum, aut moribus receptum sit: aut contra *jus Legislatoris*; ut si judex contra allegata, & per eum probata judicet. Et *tit.* 27. §. 1. *num.* 15. tradit, quòd sententia contra jus legis lata, est ipso jure nulla, ut possit usque ed 30. annos, etiam sine appellatione impugnari; sententia verò contra jus litigatoris dicatur tantùm iniqua, & ipso jure sustineatur, ita ut, nisi condemnatus intra decem dies appellet, transitura sit in rem judicatam, *l.* 1. §. 2. *ff. quæ sententiæ sine appellatione rescindantur.*

86 Observat Fatinell. *cit. resp.* 28. *numer.* 20. quòd sententia absolutoria ab observatione judicii negotium principale non tangit, quia non absolvit à causa sed ab instantia, quam actor de novo inchoare potest; & quòd ubi in sententia reservatur jus meliùs agendi, lis salva, & integra manet; nulla autem in judicatum non transit, licèt aliàs non fuerit appellatum, idem *resp.* 8. *num.* 20.

Quæ sint satis ad summariam instructionem, quam intendimus pro Tyronibus Regularium, ad quorum manus forte pervenire non poterunt citati Passerinus, Peyrin. Spatharius, Roderico, Ameno, & Sanctoro, qui de judiciis Regularium expresse tractarunt. Et videri potest Petrus Amicus *de modo examinan. in caus. criminal.* apud Piasecum *prax. Episcop. in fine.*

CA-

CAPUT LV.

Officialis quoad Visitationem per Prælatos.

SUMMARIUM.

1 *Episcopi, & alii majores Prælati tenentur visitare proprias diœceses.*
2 *Prælati Regulares etiam debent suos Conventus, & Monasteria visitare.*
3 *Visitator non potest recusari, declara.*
4 *Episcopus potest visitare Ecclesias sæculares exemptas, usque ad n. 14.*
15 *Patronus potest in fundatione Hospitalis apponere clausulam, quod Episcopus non possit visitare, & ibi plura.*
16 *Authores, qui egerunt de Visitatione.*
17 *Visitatio per edictum, vel litteras circulares intimatur.*

§. I.

Visitatio Ecclesiæ Parochialis.

1 *Qualiter Episcopus recipiendus in visitatione Ecclesiæ Parochialis.*
2 *In visitatione fit absolutio defunctorum.*
3 *Visitatio incipitur à Tabernaculo SS. Sacramenti Eucharistiæ, & quæ sint ab Episcopo inspicienda.*
4 *Visitatur Oleum Sanctum.*
5 *Et Fons baptismalis.*
6 *Sacræ Reliquiæ.*
7 *Altaria.*
8 *Chorus, usque ad n. 9.*
10 *Sedes confessionales.*
11 *Corpus Ecclesiæ.*
12 *Sacristia, usque ad n. 13.*
14 *Campanile.*
15 *Domus Canonicalis.*
16 *Parochus, usque ad n. 19.*
20 *Libri Parochiales quando censeantur authentici, & probationem facere?*
21 *Visitantur etiam nonnulli ex cura, & de quibus interrogandi?*
22 *Absoluta visitatione, Prælatus ante discessum recitat in Ecclesia:* De profundi.
23 *Libri visitationis authenticè probant.*

§. II.

Visitatio Regularium.

1 *Prælatus visitaturus debet Fratres monere de futura visitatione.*
2 *Et subindè in Conventu visitando personaliter Fratribus collegialiter unitis debet visitationem intimare, usque ad n. 3.*
4 *In Ecclesiis Regularium regulariter Tabernaculum SS. Sacramenti retineri debet in Altari majori.*
5 *Acta visitationis cautè custodienda.*
6 *Interrogationes faciendæ Religiosis, usque ad 9.*
10 *Alia superaddendæ Fratribus Min. S. Francisci.*
11 *Visitantur cellæ, & officinæ.*
12 *Præstanda à Visitatore completa visitatione, usque ad n. 14.*
15 *Visitatores non debent subditos expensis gravare, usque ad n. 17.*

§. III.

Visitatio Monialium.

1 *Visitatio personalis Monialium fit ad crates.*
2 *Interrogationes Monialibus faciendæ, usque ad n. 3.*
4 *Visitatio localis clausuræ.*

1 QUod attinet ad visitationem per Prælatos, sive sæculares, sive Regulares, Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. *de refor.* statuit: *Ut Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam diœcesim per se ipsos, aut si legitimè impediti fuerint per suum Vicarium Generalem, aut Visitatorem, &c. visitare non prætermittant.* Et ubi propter latitudinem non poterit tota diœcesis eodem anno visitari, biennio tamen visitatio est complenda, ut ibid. Concilium. Nec semel tantum in anno, sed etiam pluries poterunt visitare; si necessitas, postulaverit, Fagnan. in 1. *ad cap. Conquerente, de offic. ordin. n.* 34.

2 Quòd verò ad visitationem à Prælatis Regularibus faciendam in Conventibus, & Monasteriis de proprio regimine, idem Trident. *sess.* 25. *de regular. cap.* 20.

 in-

iniungit Ordinum *Superioribus*, *quòd Monasteria, & Prioratus sibi subditos ex officio visitent*.

3 Nec Visitator potest recusari. Nam orta dubitatione: *An Episcopus visitans possit tamquam suspectus recusari*? S. Congreg. Conc. censuit: *Non posse, nec cum generalem visitationem aggreditur, nec cum ad specialem descendit; si modò sine strepitu, & figura iudicii procedens pœnas non imponat delictorum ordinarias, sed eas tantùm, quæ morum correctionem respiciunt, & modum corrigendi non excedat*, apud dict. Fagnan. *num.* 37. Concordant DD. non posse Visitatorem recusari, nisi judicialiter procedat in corrigendo; & in terminis de Visitatore Regulari ibid. Trid. hæc habet: *Teneantur quicumque prædictorum Ordinum Monasteriis præsunt, prædictos Visitatores recipere, & illorum ordinationes exequi*.

4 Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus potest visitare omnes Ecclesias sæculares exemptas, non obstantibus privilegiis, & consuetudinibus, prout disponitur *sess.* 7. *cap.* 8. *de refor.*

5 Item visitare potest quascumque Ecclesias sæculares intra fines suæ diœcesis existentes; etiamsi ad Regulares pertineant, & ab eis dependeant, dum tamen per sæculares eis deserviatur; & hoc vigore *d. cap.* 8. *sess.* 7. & tradit Ventriglia *prax. par.* 2. *annot.* 24. §. 1. *num.* 7.

6 Item, visitare potest omnes Ecclesias Curatas, Monasteriis Regularium unitas. ex *cit. sess. cap.* 7.

7 Item, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus visitare potest omnia Monasteria commendata, Abbatias, & Præposituras, in quibus non viget Regularis observantia, Trid. *sess.* 21. *cap.* 8. *de refor.*

8 Item, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus visitare potest Ecclesias omnes sæculares nullius diœcesis quantumcumque exemptas, & Sedi Apostolicæ immediatè subjectas, etiamsi in eis Prælatus inferior habeat quasi Episcopalem jurisdictionem. Hæc visitatio facienda est per Episcopum, cujus Ecclesia Cathedralis est proximior Ecclesiæ exemptæ, si id constet; aliàs ab eo, qui semel in Concilio Provinciali à Prælato illius loci electus fuerit, prout deciditur *sess.* 24. *c.* 9. *de reform.*

9 Item, potest visitare Ecclesias Regulares Virorum, & mulierum, quibus imminet cura animarum personarum sæculariũ, in eis, quæ ad curam animarum pertinent; & non solùm loca, sed etiam personas d. curam exercentes, etiamsi Regulares sint, circa res ad curam spectantes, Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 11. & dicendum *cap. sequenti*.

10 Item, potest visitare Ecclesias Parochiales, & Curatas subiectas Militibus S. Joannis Jerosolimitani, Ventrigl. *n.* 12.

11 Item, per se ipsum etiam auctoritate Apostolica visitare potest Capitulum Cathedralis, & aliarum maiorum Ecclesiarum, illorumque personas, Trident. *sess.* 6. *cap.* 4. *de reform.*

12 Item, potest visitare Hospitalia, & Confraternitates laicorum, dummodò non sint sub immediata regum protectione; nam tunc visitari non possunt sine regum licentia, Trid. *sess.* 22. *cap.* 8. *de refor.*

13 Item, visitare potest Confraternitates laicorum existentes in Ecclesiis Regularium, per *d. cap.* 14.

14 Item, visitare potest Moniales etiam de Regimine Regularium quoad clausuram; cæteras autem quoad reliqua, Trid. *sess.* 25. *cap.* 4. *de regul.* & dixi *cap.* 11.

15 At petitur. Si in fundatione Hospitalis, vel beneficii fuisset appositum, quòd Ordinarius non possit se intromittere in ipsorum visitatione, an Episcopus visitare possit?

Resp. Negativè, est textus expressus *in cap.* 9. Trid. *sess.* 22. *de refor.* ibi: *Nisi secus fortè in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ, expressè cautum esset*. Undè si in lege fundationis cautum sit, ut hospitale, vel locus pius non subsit Episcopo, Episcopus non potest se ingerere, ut per Fagnan. *in* 3. *ad cap. Ad hæc, de religios. domib. num.* 44. contra Ventrigl. *num.* 18. Cæterùm, ubi administratores hospitalis, vel alterius loci pii sunt negligentes in exequenda pia voluntate fundatoris, aut ut videat, an fideliter administrent, potest Episcopus rationes exigere, eosque compellere ad exequendam fundatoris voluntatem, etiamsi fundator hoc prohibuisset, Fagnan. *cit. num.* 59. quamvis hospitale absque authoritate Episcopi fuisset erectum; quia licèt tunc hospitale non sit locus Religiosus, & Ecclesiasticus, est tamen locus pius, cum ibi de-

degentes sint personæ miserabiles, quæ censentur esse sub protectione Ecclesiæ, ut per eumdem *num.* 56. ideò in casu negligentiæ administratorum potest Episcopus se immiscere, ut censuit Sac. Congreg. apud *cit. ad cap. Tua, de testament. num.* 16. Proindè habet authoritatem exigendi redditionem rationis ab illius administratoribus, unà tamen cum deputatis, quibus ratio reddenda est, Fagnan. *d. cap. Ad hæc nu.* 57. & legatur *ibid. c. de Xenodochiis n.* 18.

16 De visitatione egerunt copiosissimè Ventriglia *loc. cit.* Piasec. *prax. par.* 2. *cap.* 3. *ad art.* 1. *ad* 8. Fagnan. *cit.* Monacell. *form. par.* 1. *in append. ad epistolam eniclicam S. Congr. Episcop. num.* 36. *& par.* 2. *form.* 9. *tit.* 16. Gavant. *in manual. Episc. prax. compendiosa visitat. Episcopalis*; ad quos, & Pontificale Romanum Clementis VIII. *par.* 3. *tit. Ordo ad visitandas Parochias*, Lectores remitto; quoniam institutum nostrum non patitur hìc omnia, & singula referre; solùm aliqua ad visitationem Ecclesiæ Parochialis, Regularium, & Monialium spectantia, adnotata dabimus.

§. I.

Visitatio Ecclesiæ Parochialis.

1 NOtabis itaque, quòd priusquam inchoetur visitatio per Episcopum, solet publicari edictum, in quo significetur tempus visitationis, ne visitandi imparati reperiantur, nisi justa causa contrarium suadeat, ut ex Fusco alleg. Ventrigl. *n.* 28. Curatus autem, vel alius Rector Ecclesiæ visitandæ debet diem adventus Episcopi visitatoris populo denunciare, ad effectum, ut se præparet ad illum recipiendum.

Advenienti Episcopo cum Rocchetto, & Mozzetta, pulsantibus campanis, in porta Ecclesiæ (ubi paratum esse debet stratum cum pulvino) dignior ex Clero, vel Rector indutus Cotta cum Stola, & Pluviali albi coloris offert Crucem, quam Episcopus super tapetem genuflexus deosculatur; deindè stans capite cooperto ab eodem digniore incensatur. Subindè accedit ad Altare in quo est Sanctissimum Sacramentum, & super genuflexorium strato, & pulvinaribus ornatum orat aliquantulùm. Posteà ascendit ad Altare, ipsum deosculatur, & benedicit populo solemniter; & tandem (vel in medio Missæ) versus ad populum sedens proponit populo causam sui adventus, ut Rubr. *d. Pontificalis*. Hortaturque omnes ad manifestanda cum charitate, nulla tamen adjecta pœna, ut de Luca observat ad *loc. cit.* Ventrigl. *num.* 2.

2 Tandem Episcopus induitur amictu supra Rocchettum, Stola, & Pluviali coloris nigri, & Mitra simplici, & stans juxtà Altare, dicit: *Si iniquitates*, & cum suis prosequitur Psalmum: *De profundis*. Et facit absolutionem defunctorum ad castrum doloris (procedendo etiam ad cœmeterium) cum Cruce, candelabris, aqua benedicta, & incenso; aliis cantantibus Psalmos, & Responsoria, ut *in d. Pontific.* & apud Gavant. §. 8. *num.* 9.

3 Assumpta deindè Stola, & Pluviali albo, accensisque intorticiis, incipit visitationem à Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, quod priùs, & posteà incensat, ut *d. Pontifical.*

Unde I. Est visitandum Tabernaculum, in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur. Quod in Altari Majori (exceptis Cathedralibus) regulariter tanquam digniori, vel in alio conspicuo, & nobili collocari debet, decenter pro facultatibus loci ornato. Visitator advertere debet, an in eo sint duæ Pixides cum cuppa argentea intùs aurata, in quarum una conservetur SS. Sacramentum, & alia inserviat ad deferendum infirmis Viaticum: An res alia, vel Olea Sancta in Tabernaculo reponantur; nihil enim aliud in eo retineri potest: An Sanctissimum Sacramentum renovetur saltem singulis octo diebus: An in Tabernaculo sit Corporale, super quo collocetur Pixis cum Sanctissimo: An Conopæum album supra Pixidem: An Tabernaculum, tam interiùs, quàm exteriùs, sit veste serica ornatum: An claudatur clave aurata sericis cordulis appensa, & conservetur apud Capellanum, vel Parochum. An lampas continuò ante ipsum luceat: An sit baldachinum, deferendum supra Sanctissimum in Processionibus: An velum album gestandum supra Pluviale?

In visitatione SS. Sacramenti Visitator inquirere etiam debet, quomodo illud ad infirmos deferatur; & provideat illud deferri cum decenti numero luminum, sub umbella, & cum intorticiis, & campanula sonante, & mandet provideri de la-

laternis, ubi id necesse est, ad hoc ut hyberno, vel ventoso tempore lumina ventis non extinguntur, Piasec. *cit. num.* 27.

Ubi Rector, vel alius, cui competit, negligens sit in custodia Eucharistiæ, potest per Episcopum visitatorem puniri pœna suspensionis ab officio per tres menses, *cap. Statuimus, de custod. Eucharist. cap. Sanè, de celebr. Missar.* Sed pœna potest per Visitatorem minui, vel augeri ad ratam negligentiæ, & culpæ Rectoris, Ventrigl. *cit. num.* 34.

4 II. Visitatur Oleum Sanctum, & inquiritur, an decenter, & loco tuto custodiatur; si conservetur in fenestella à latere dextro Altaris, seu Evangelii, & propè illud, ut participet de eodem lumine lampadis; si sub firma clave, & clavis à Parocho conservetur. Vas debet esse argenteum, si facultates Ecclesiæ ferant, vel stamneum, non æneum propter erugìnem, neque vitreum propter periculum fracturæ. Si adsit gossippium; si singulis annis renovetur, & hoc per notulam Cathedralis constet; si adsit sacculus sericus ad ipsum deferendum.

5 III. Visitatur Fons bapatismalis (si in Ecclesia sit) ipseque describitur, ex qua materia sit; ejus ornatus: an clausus, an aqua clara, & illius quantitas; an sit vasculum ad fundendam aquam super caput baptizandi; linteum ad abstergendum: sal ubi asservetur, & quando benedicatur: lumen dum ministratur Sacramentum: parva mensa ad usum parandi necessaria pro ministrando baptismo. Interroget, an aqua tempore debito renovetur, & prior ponatur in sacrario. Inquirat de libro baptizatorum, & de forma scribendi batizatos.

6 IV. Luminibus accensis, adjuncta incensatione, visitantur Sac. Reliquiæ. Inspicitur armarium, in quo asservantur: an decens sit ipsarum inclusio in vasibus aureis, argenteis, vel vitreis mundis, & sigillo munitis. An sint certæ, & authenticæ, ab Episcopis approbatæ (cùm recipi non possint, priùs quàm ab Episcopo recognitæ sint, ex *Const.* Sixti V. *incip. Dominus, la* 88. *Bullar. tom.* 2.) Si sint Sanctorum ab Ecclesia approbatorum; aliàs Visitator debet prohibere, ne in Altari collocentur, & publicæ venerationi exponantur. Index psarum, qui confrontetur cum Codice antiquo; earum numerus, & qualitas à Visitato re describenda.

Quòd si Reliquiæ adeò fuerint antiquæ, ut non inveniatur authentica, debet Visitator permittere, ut habeantur in eadem veneratione, in qua hactenùs fuerunt, Ventrigl. *num.* 38.

Potest Magistratui ab Episcopo ex rationabili causa concedi una clavis Reliquiarum Sanctorum Patronorum Civitatis, S. Rit. Congr. 8. Maii 1604. apud eundem *nu.* 41. & Monacell. *form. par.* 1. *tom.* 1. *form.* 2. *num.* 47. *tit.* 5.

7 V. Visitantur Altaria. Perquiratur de altitudine, longitudine, & ornatu; si sit parva ara, seu lapis consecratus benè accomodatus; Crux, candelabra, tabella secretorum, cum In principio, & Lavabo; Icones cum Sacris Imaginibus ab Episcopo benedictæ; tres mappæ, quarum prima usque ad terram ab utroque latere pertingat, campanula, & tela stragula ad ipsa coperienda, completa celebratione; pallia omnium colorum; pulvinar saltem unum. Si Ecclesia est cooperta nudo tecto, injungatur, ut supra Altaribus aptetur umbella ex ligneis tabulis, vel tela.

Inquirat de oneribus ad Altaria, si compleantur; si habeant patronos, qui de necessariis provideant, ornent, & restaurent; quòd si assignato termino non implent, potest Visitator alteri patrono volenti ornare, & reparare, concedere, Sac. Congr. Episcopor, in Modenen. 16. Januarii 1604. *ibid. num.* 44. Si patronus se ingerat Sacramentorum administrationi, visitationi ornamentorum, aut fabricarum proventibus, nisi quatenus id ei ex institutione, & fudnatione competit, per Trident. *sess.* 24. *cap.* 3. *de refor.* & in fundatione id sibi reservasset.

8 VI. Si Ecclesia habeat Chorum, inspiciantur sedilia, si egeant reaptatione, si sit Breviarium, Antiphonarium, Graduale, Psalterium, & Martyrologium, & in recitatione Officii serventur Rubricæ Bræviarii. Interroget de numero Canonicorum, & beneficiatorum; si deferant insignia, quo indulto, & à quanto tempore; de redditibus, si horis debitis Divina celebrentur, si Chorus frequentetur. Inquiratur, an Canonici habeant distributiones, & an illæ, quibus privantur absentes, accrescant interesientibus juxta consuetudinem, Piasec. *loco cit. art.* 2.

art. 2. num. 14. vide supra *cap.* 44. *num.* 24. An discedat à residentia absque licentia Episcopi, diebus Dominicis, & Festis solemnibus, Tempore Adventus, Quadragesimæ, & in diebus Octavarum Nativitatis, & Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi Pentecostes, Corporis Christi. Si hoc comperiat contingere, debet prohibere, ne in futurum eveniat, Monacell. *tit.* 13. *par.* 2. *form.* 2. *num.* 65. Inquirat, an omnis Canonicatus habetat annexum Sacrum Ordinem, an interveniant per substitutum, Quod Ventrigl. *n.* 53. tradit fieri non posse.

9 Verùm Fagnan. *in* 1. *ad c. Cum omnes n.* 28. *de const.* refert decisum à S. Congreg. quòd non censetur absens, qui extra mœnia per medium milliare, vel circa in suburbiis pernoctat, & in loco præcipue, à quo possit ad servitium opportunè accedere. Notatque sublatam esse quamcumque consuetudinem inserviendi per substitutum; recensetque à Sac. Congreg. resolutum, posse Episcopum concedere facultatem Capitularibus se se invicem substituendi in servitio tum Ecclesiæ, tum Chori, dummodò non substituantur ii, qui eodem tempore servitio Ecclesiæ adstricti sunt, nec pro iis, qui absentes sunt. Legas Monacell. *d. tit.* 13. *n.* 64.

10 VII. Visitantur Sedes Confessionales, si sint sufficientes: in loco publico, & aperto: si clausæ, ne seculares in eis sedere possint: si laminis ferreis, spissis, & angustis foraminibus terebratæ, & benè undequaque hærentes cum asserculo versatili à lateribus, cujus repagulo facies Sacerdotis populo occultetur; si sit affixum transumptum Bullæ in Cœna Domini, & tabella casuum Episcopo reservatorum, & ex parte pœnitentium aliqua pia, & devota Imago.

11 VIII. Visitatur corpus Ecclesiæ. Si pavimentum, parietes, tectum, & ostium egeant reaptatione; si inveniantur defunctorum corpora in tumulis supra terram, mandet Visitator ea amoveri, & in profundis tumbis sub terram recondi, Tusc. *de visit. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 5. & diximus *sup. cap.* 48. *num.* 6. Si sit vas expositum pro aqua lustrali; & hæc renovetur quolibet octavo die. Si supra faciem exteriorem Ecclesiæ sit Crux, si sedilia pro celebrantibus.

12 IX. Visitatur Sacristia, & in ea recognoscitur, si sint paramenta omnium colorum, & vasa sacra necessaria secundum qualitatem Ecclesiæ, & populi. Si Calices habeant cuppas argenteas intùs auratas; si Patenæ sint exauratæ, suspendantur. Si sint Missalia juxta reformationem B. Pii V. & Rituale. Si sit locus cum genuflexorio, & tabella cum orationibus ad Missæ præparationem, ut Sacerdotes possint se præparare. Si sit Lavatorium cum manutergio pro Sacerdotibus volentibus celebrare, si sit Sacrarium.

13 Inquiratur, si tabella onerum Missarum retineatur appensa in loco patenti; si retineantur duo libri (non folia, quæ vento rapiuntur) in quorum uno notentur onera perpetua Missarum, & ipsorum adimplementa, cum anno, mense, & die respectivè; & in alio eleemosynæ Missarum manualium cum expressione anni, mensis, & diei, ipsarumque satisfactiones, non per alium scribendæ, quàm per Sacerdotem eodem die, in quo celebrat. Si sit capsula, in qua eleemosynæ Missarum reponantur, in fine cujuslibet mensis aperienda, juxta const. Innocentii XII. ut diximus *c.* 10. *n.* 9.

Quæritur, An Indulgentiæ sint veræ, vel expiratæ, aut revocatæ.

14 Visitatur Campanile; inquiritur, an campanæ sint benedictæ; & injungitur, ut campana pulsetur mane, meridie, & serò ad salutationem Angelicam.

Visitatur cœmeterium, an in eo sit Crux erecta, & benè clausum, ne usibus prophanis inserviat.

15 XI Visitatur domus Parochialis, in qua solet inhabitare Parochus, seu Rector, & ubi egeat reparatione, reaptatio injungatur.

16 XII. Visitatur Parochus; & I. Inquiritur, an diebus Dominicis, & festis inter Missarum solemnia explicet populo, quæ necessaria sunt ad salutem, quidve sequendum, & quid faciendum est ad obtinendam vitam æternam. Si annuntiet dies festos, & jejunia, si diebus Dominicis pueros instruat in doctrina Christiana; si Sacramenta ovibus requisitus ministret; si infirmis diligenter assistat, si habeat Breviarium, & Sacra Biblia, Coctam cum Stola, & Bireto.

17 Item ab eo petitur, an diebus festis sacrificium applicet pro ovibus, & si redditus sint pingues, an singulis diebus pro

populo sacrificet, iuxtà dicta *alleg. cap.* 10. *num.* 60.

18 Item, si admittat ad celebrandum sine licentia Episcopi Sacerdotes exteros, & vagos, qui cogniti non sunt.

19 Item, si habeat Archivium, in quo custodiantur scripturæ, & documenta pro negotiis Parochiæ. Si habeat quinque libros (qui Parochiales nuncupantur) in quorum primo describat statum, & numerum animarum Parochiæ, & triennio saltem renovetur. In secundo notet nomina baptizatorum, diem, annum, parentes, & patrinos. In tertio referat nomina confirmatorum, quo tempore, cum nomine Episcopi, qui eos confirmavit. In quarto reponat matrimonia contrahentium, cum expressione diei, mensis, & anni, ac testium præsentium. In quinto adnotet mortuos, & qua morte, & de sepultura ipsorum, in sua, vel alia Ecclesia.

20 Advertit Pax Iordan. *lucubrat. tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 20. *num.* 48. & post eum Monacell. *form. par.* 1. *tit.* 10. *de Parocho n.* 2. *in præfat.* quòd prætacti libri sunt authentici, & plenè probant, quantum ad ea, quæ spectant ad officium Parochi, per Piasec. *prax. par.* 2. *cap.* 4. *art.* 4. *num.* 27. Si tamen legaliter retineantur, sub qua ratione dicuntur retineri, si benè compacti, & cartulati, alium titulum non habent, neque aliquid aliud extraneum in eis annotatum reperitur.

Item interrogatur de redditibus, & bonis stabilibus Ecclesiæ Parochialis.

21 XIII. Visitantur plures incolæ oppidi, vel curæ, de vita, & moribus Rectoris: an diligenter officium suum exequatur, & Sacramenta administret; an resideat apud Ecclesiam in domo Canonicali; an in ea admittat viros facinorosos; an à Parochia frequenter discedat; an ludis, & venationibus occupetur; si quid dignum correctione reperiatur, corrigatur.

Si in Ecclesia sit erecta Confraternitas, visitatur; & inquiritur de documento erectionis; de operibus pietatis, ad quæ ex instituto, aut consuetudine Confratres adstringuntur; de decentia, & honestate saccorum; de oneribus Missarum, & Officiorum; de redditibus, & bonis, tam mobilibus, quàm immobilibus, de quibus inventarium est faciendum: si habeat Capellanos, pro quibus, & quoties celebrent. Exiguntur rationes, & computus ab administratoribus. Inquiritur, an Oratorium, Cappellam, vel Altare de necessariis provideant. An sint lites inter se se, vel cum Parocho; & præcipitur, ne Congregationes celebrent, & negotia tractent tempore, quo celebratur Missa solemnis, prædicatur Verbum Dei, & in Choro Divinum Officium recitatur.

22 Perracta visitatione, & omnibus expeditis, Visitator cum discedere voluerit, in suo habitu communi accedit ad Ecclesiam, & stans ante Altare in cornu epistolæ, dicit Psalmum: *De profundis* cum oratione, ut in *d. Pontifical.*

Hujusmodi, & similia arbitrio prudentis Visitatoris sunt in visitatione inquirenda. Cæterùm attendenda est locorum, & Ecclesiarum qualitas. Plenior instructio est apud allegatos.

23 Singula verò, quæ à Visitatore ordinantur, & statuuntur, integrè, & fideliter per Secretarium, vel Notarium Visitationis adnotanda sunt in libro, qui ad hujusmodi effectum plenè probat, per Romaguer. *ad Synod. Gerund. lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 6. *num.* 6. ubi dat concordantes.

§. II.

Visitatio Regularium.

1 Post hæc descendendo ad Visitationem per Prælatum Regularem faciendam in Conventibus, & Ecclesiis propriæ jurisdictionis; est advertendùm, quòd Prælatus per litteras encíclicas Superioribus, & Fratribus Conventuum directas, debet eos monere de imminenti Visitatione paternali, tum personali, tum locali.

2 Accedens autem ad Conventum visitandum recipi debet à Fratribus intùs Ecclesiam ad januam; & ante Altare Sanctissimi aliquantisper orare. Deindè ad cellam sibi paratam accedat; & subindè in loco Capituli, vel in Rectorio sermonem ad Fratres collegialiter unitos habens, Visitationem intimet, admonens omnes cum Sanctæ Obedientiæ merito, ut sibi non odio, sed zelo Regularis Observantiæ, & charitatis amore aperiant, quæ ad disciplinam Regularem conservandam, & promovendam conferunt. Quinimò juxta doctrinam

Pey-

Peyrini *in formulario litt. P. cap. 9. num. 7.* debet eis præcipere, ut manifestent manifestanda.

3 Quibus peractis, debet accedere ad Ecclesiam, & completa absolutione Defunctorum juxta Pontificale *loco alleg.* (quod Lantusca *in suo theatro Regular. ver. Commissarius, num.* 5. sub silentio relinquit) depositis Pluviali, & Stola nigri coloris, & assumptis illis coloris albi, incipiat visitationem(quod potest facere etiam extra Missam) à Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento; in cujus, & Olei Sancti, Reliquiarum Altarium, Ecclesiæ, Sacristiæ, & Chori Visitiatione, ea ad praxim, mutatis mutandis, deducat, quæ dedimus supra *à n.*3. usque ad *num.* 14.

4 Hìc advertas, quòd in Ecclesiis Regularium (quinimò & in Parochialibus) Tabernaculum SS. Sacramenti regulariter debet esse in Altari majori, tamquam digniori, ut sæpius decisum à Sac. Congregat. refert Nicol. Flosc. *ver. Eucharistia, num.* 20. semel in una Lucana 10. Februarii 1579. & iterùm in una Caserten. 28. Novembris 1594.

Postea se conferat ad cellam sibi paratam & vocatis singulatim Religiosis, incipiendo ab inferioribus, requisitisque de annis ætatis, & Religionis, de infra ponendis eos interroget? eorumque responsa in scriptis per se ipsum, vel per Secretarium, in Notarium creatum (juxta praxim Religionum) reducat: quibus ipsi subscribant.

Pro Visitatoribus Ordinis Fratr. Minor. de Observant. formulam tradit, ubi supra Lantusca, & aliam exscripsit Peyrin. citat. *cap.* 9.

5 Videant Visitatores, ne deposita à Religiosis publicent, vel Superiori manifestent, quæ eidem adversus ipsum fideliter in bonum Religionis aperuerint, aut subditis, quæ Superior contra eos in eundem effectum produxerit. Sciant se extrajudicialiter, & in secreto recepisse, & se reos facere ante Tribunal Christi propter malorum semina, quæ relinquunt, & motiva discordiarum.

Proinde licèt possint remedia necessaria apponere, & dignos emendari paternaliter, & charitativè disciplinæ Regularis augmentum corripere; nunquam tamen debent nomina relatorum palàm facere; atque ita deposita custodiant, ut cæterorum oculos fugiant, ut hac forma incommodis, & malis ex revelatione imminentibus occurrant.

6 Primò itaque inquirant. An divina officia horis statutis, tam de die, quàm de nocte, devotè, & cum observantia Sacrorum Rituum celebrentur.

Secundò. An singulis diebus fiat in communitate Oratio mentalis, & disciplina?

III. An cantetur Missa solemnis saltem diebus Festis, si propter penuriam Sacerdotum non possit qualibet die?

IV. An in Missis serventur cœremoniæ Ecclesiasticæ? Et an aliquis Religiosus defectuosus sit in celebratione Missæ?

V. An in Ecclesia Conventus quolibet die plures Missæ celebrandæ remaneant, & celebretur Conventualis?

VI. An recipiantur Missæ supra vires? Et an quolibet Mense fiat computas eleemosynarum pro Missis, & de harum satisfactionibus.

VII. An aliquis Religiosus sit negligens circa assistentiam Divinis officiis, & interessentiam exercitiis spiritualibus, Orationi mentali, & disciplinæ?

VIII. An omnes conveniant in Refectorio? Et an Superior eodem pane, eodem vino, & eadem pitantia sit contentus, ad præscriptum Decretor. Clem. VIII. *de ref. Regul.*

IX. An serventur jejunia Ecclesiæ, & Regulæ?

X. An Superiores impleant suum officium: cum infirmis charitativè se gerant; & an sanis necessaria tribuant, ac Hospites benignè suscipiant, & charitativè eos, & Fratres tractent?

XI. An bona, redditus, & eleemosynæ Conventus in ejusdem utilitatem, & Fratrum commoda expendantur? Et an Superiores sibi aliquid approprient?

XII. An sit aliquis Frater proprietarius.

XIII. An in Conventu recipiantur homines facinorosi? Et an conserventur arma? Et introducantur fœminæ?

XIV. An aliquis Religiosus aleis ludat?

XV. An Sacerdotes non impediti qualibet die celebrent, & Confessarii assistant in Ecclesia?

XVI. An Clerici, & Fratres Laici frequentent Sacramenta?

XVII. An

XVII. An statutis temporibus legantur in publica Mensa Fratrum Decreta, & constitutiones Apostolicæ? Circa quæ considera infrascripta.

7 „ Decretum S. Congr. Regularium, „ quo prorogatur Fratribus Minorib. tem- „ pus legendi Decreta de celebrat. Miss. ad „ dies decem.

„ Sac. Congregat. &c. benè annuit con- „ cedendam esse delationem pro dictis „ Fratribus legendi memorata Decreta in- „ fra Octavam à die præscripto in hujus- „ modi Constitutionibus, prout hujus vi- „ gore concessit, intra quem non incurre- „ re aliquam pœnam; eaque finita, & non „ adimpletis ordinationibus in prædictis „ Decretis contentis, in easdem pœnas in- „ currisse declaravit. Romæ diæ 20. No- „ vembris 1637. ex Regest. Cur. S. Franc. „ Transtyb.

Fr. Antonius Card. S. Honuphrii.

Cæsar Fachinetus Secretarius.

Item tempus legendi Decreta ad Sanctum Officium spectantia prorogatur, ut infrà: Die 22. Augusti 1638. *Sanctissimus tempus in Constitutione* (Sanctiss. D. N. sedulò) *circa publicationem faciendam Constitutionum, & Decretorum ad Sanctum Officium spectantium determinatum pro Feria 6. post Festum Assumptionis Beatæ Virginis extendit per totum Mensem Augusti Quam gratiam omnibus Regularibus suffragari voluit*. Lant. *Theat. Regul. ver. Congr. S. Officii n.* 4.

8 Et 7. Novembris 1668. *Sanctitas Sua prorogavit lectionem Decreti San. Mem. Alexandri Papæ VII.* incip. Licèt alias, *faciendam Kalen. Martii ad totum prædictum mensem*. Lant. *supplement. ver. Super regul. nu.* 7.

XVIII, An Novitii (si adsint) vivant, & educentur ad formam Decretorum Clementis VIII. *Cum ad Regularem*, editorum super educatione Novitiorum, ut sub *Constit.* 28. *Urban. VIII. Bull. tom.* 4. & an sit liber, in quo professiones ipsorum adnotentur?

XIX. An Lectores (si adsint) suum officium impleant, cum studentium profectu Et an Superiores studia foveant, Lectoribusque, & Studentibus faveant. Et an Concionatores eleemosynas Concionum sibi approprient?

XX. An in aromataria sint necessaria pro infirmis? Et an in infirmaria iisdem cum charitate ministretur?

XXI. An sciant aliquem Religiosum commisisse crimina, propter quæ sit Officio S. Inquisitionis denunciandus?

9 Circa quod observet Superior, quid sit in hac materia dispositum à Sede Apostolica in Constitut. Pauli V. Romanus *la* 26. *Bullar. tom.* 3. §. 3. Hæc sunt: *Volentes, & expressè mandantes, ut ipsi Religiosi possint, & debeant omnes etiam Ordinum hujusmodi Professores de hæresi suspectos Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus liberè denunciare, absque eo quod Superiores prædicti personas denunciandas, & causas perquirere, vel quoquomodo id impedire, vel causas retardare audeant, seu præsumant.*

§. 5. *Præterea ipsius Generalibus, Superioribus, & Prælatis, pari auctoritate præcipimus, & mandamus, ut &c. necnon Professores, Fratres, & Religiosos supradictos, quos hæresis labe infectos; vel suspectos etiam in visitatione esse noverint, absque alia consultatione cum propriis Superioribus facienda, eisdem Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus respectivè denuncient.*

§. 6. *Quòd si Generales, aliique prædicti præsentibus Litteris non paruerint, eos omnes privationis quarumcumque Dignitatum, seu Prælaturarum, vel Officiorum suorum Ordinum, vocis activæ, & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad easdem: necnon contra fautores hæreticorum, & impeditores officii statutas, & inflictas pœnas, aliasque censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis majoris latæ sententiæ, à qua nonnisi à nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere; eo ipso incurrisse.* Concordant cum iis, quæ habentur *in Const. Ne commissa Alexand. IV.* 22. *Bullar. tom.* 1.

10 Circa Fratres Minores Visitator debet etiam inquirere.

I. An retineant Legata perpetua Missarum, vel alia assignamenta, & alias præstationes certas, quæ habere, & quas retinere non possunt?

II. An Fratres contrectent pecunias; & an

an fiant quęstus pecuniarum in Ecclesia, vel extra; & an eleemosynæ pecuniariæ, etiam Concionatorum, recta ad Syndicum Apostolicum dirigantur; & an expensæ necessariæ pro Fratrum, & Conventus necessitatibus, per Syndicum fiat, vel Guardiani per se ipsos pecunias expendant?

III. An in Ecclesiis retineant cippos ad pecuniarum oblationem contra dispositionem Clementinæ *Exivi*, §. *Porrò*, *de verb. sign.* & an in Sacristia habeant capsulas pro Missis eisdem prohibitas à Sac. Congregat. Fratrum Minor. de Observ. præposita sub *Const. Injuncti post. la* 51. Urbani VIII. *Bullar. tom.*4. & à Sac. Congreg. Conc. prout supra *cap.*10. *num.* 9. Examinentur etiam libri administrationis, an sint benè compacti, & cartulati. Et interrogetur Syndicus Apostolicus de eleemosynis, & expensis.

11 Completa visitatione personali, visitantur Cellæ Religiosorum, auferendo superflua, & curiosa, & mandando, ut necessaria conferantur. Recognoscuntur officinę & maximè si adsit locus pro custodia vestimentorum pro Religiosis, juxta monitum S. Augustini in *Regula ad Servos Dei*, ibi: *Vestes vestras in unum habeatis sub uno custode, vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et sicut pascimur ex uno cellario, sic induimini ex uno vestiario.*

12 His verò completis, Visitator ponderet deposita, & recognita: abusus, congregatis Fratribus, reprehendat; & si opus est provisione aliqua, decretis, & ordinationibus in scriptis provideat, mandando Superiori locali punctualem executionem cum onere, ut de adimplemento tempore congruo doceat. Si Religiosus aliquis publicè deliquerit, publicè corripiatur: si verò privatim, & in secreto, paternaliter moneatur. Omnes ad charitatem, & concordiam exstimulet, super disciplina Regulari admoneat, & onus ædificandi populum bono exemplo proponat. Verba Augustini *loco cit.* in adhortatione adhibeat, ibi: *Orationibus instate, horis, & temporibus constitutis. Psalmis, & Hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.... Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentia escæ, & potus, quantùm valetudo permittat.... Non sit notabilis habitus vester, nec affectatis vestibus placere, sed moribus... Quando proceditis, simul ambulate: cum veneritis, quò itis, simul state; in incessu, statu, habitu, in omnibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem..... Lites, aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam.* Et similia.

13 Deinde omnibus flexis genibus, recitato *Confiteor*, Visitator dicens *Misereatur &c. Indulgentiam &c.* concedat generalem absolutionem à censuris, & dispenset super irregularitatibus juxta formulam, quam tradit Lantusc. cit. Aliam breviorem habet Hasbensis *Summ. quæst. verb. Visitator. Regularis num.* 462. & ex Sylvestro *verb. Confess.* 4. *q.*4. observat, quòd hæc absolutio, & dispensatio prodest, saltem pro censuris, & irregularitatibus dubiis, & oblitis, seu ignoranter incursis; & ad omnem inhabilitatem occultam, in foro conscientiæ tantùm, extendit Sigismundus à Bonon. *de elect. dub.* 95. *num.*3. *apud allegat.*

Peyrinus ad *Const.* 14. *Leonis X.* §.2. *num.* 12. advertit, quòd Visitatores Regularium, visitatione absoluta, possunt Religiosis illius Conventus concedere Indulgentiam plenariam ex Indulto Leone X. dato Fratribus Ord. Minor. Sancti Francisci. Quod loco cit. repetit Hasbensis. Sed istud nunc non videtur regere, nisi quis indultum speciale obtinuerit successivè ad tempora Pauli V. qui omnes Indulgentias Regularibus à suis Prædecessoribus concessas revocavit, & alias dedit, ut in eius *Const. Romanus la* 21. *Bullar. tom.*3. In qua §.17. in specie pro tempore Visitationis Generalis indulsit Indulgentiam plenariam Religiosis interessentibus orationi 40. horarum, si Visitator eam pro bono visitationis progressu collocare voluerit. Videatur Constitutio supra *c.* 25. *n.*1. Et hinc non est attendendum quid præfati speculativè scripserint pro non revocatione illius Indulgentiæ à Leone concessæ, ut asseritur, cùm revocatio clarè ex d. Constitutione appareat.

14 Quibus absolutis, & similibus expeditis, priusquam Visitator à Conventu discedat, accedat ad Ecclesiam, & in suo habitu communi stans ante Altare in cornu Epistolæ versus ad illud dicat Psalmum *De profundis &c.* & Antiphonam, *Si iniquitates &c. Pater noster*,

ster, cum solitis versiculis, cum Oratione.

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis, & famulabus tuis hìc, & ubique in Christo quiescentibus, da propritius veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Ut expresè in allegat. Pontifical. *loco cit. in fine.*

Nec opponatur, quòd disposita *in d. Pontific.* intelligenda sint de visitatione, quę fit ab Episcopis, vel aliis Visitatoribus Apostolicis.

Nam dicitur, proportionaliter applicanda esse etiam visitationi Regularium, & ab illorum Visitatoribus observanda: etenim Clemens VIII. *Const. Ex quo*, fronti ejusdem Pontificali præfixa, mandat, ut Pontificale etiam Regulares recipiant, & eo utantur.

15 Visitatores debent, quamcitiùs possunt, se expedire, ne subditos gravent, juxta text. Trid. *sess.* 24. *c.* 3. *de reform.* ibi: *Studeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. Interim caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosivè sint.* Ideò non debent se aliis negotiis occupare, quæ ad visitationem non pertineat, ut advertit Zerola *in praxi p.*1. *verb. Visitatio q.* 5. *vers. Præterea.* Nec possunt munera recipere, ut Trid. *loc. citat.* ibi: *Nec pecuniam, nec munus quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tamen victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderatèque, temporis tantùm necessitate, & non ultra erunt ministranda.*

16 Quæ proportione servata, observanda sunt etiam à Visitatoribus Regularibus: nam & ipsi gravamen non debent dare Monasterio, *cap. Cùm Apostolus, de censib.* & tenentur Canones observare, *cap. Ea quæ, de stat. Monachor.* §. *Porrò*: ubi Abbas *num.* 1. advertit, quòd Canones simpliciter loquentes extenduntur etiam ad Religiosos, Glos. *in c. Moniales, de purgat. canon.* & habetur expresè in Trident. *sess.* 25. *c.* 8. *de Regular.* ibi: *Teneantur Visitatores suæ Congregationis Monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere, & ea observare, quæ in sacris Canonibus, & in hoc Sacro Concilio sunt decreta.* Nec satis est, si Visitator frugaliter vixerit, si permittat, & velit, quòd sui opiparè, & lautè tractentur.

17 Cæterùm non est improbanda praxis, ubi hæc sit, quòd in primo accessu parentur Visitatori cibaria nonnulla super ordinaria, modò sint religiosa, & juxta vires; & subinde tempore permanentiæ una pitantia plùs aliis in Refectorio donetur, ut ita ex itinere, & propter assiduos labores fatigatus vires resumat, & conservet, Peyrin. *dict. cap.* 9. *form. num.* 9. Legatur etiam *cap. De Eulogiis* (quæ sunt munera, quæ deferunt subditi suis Prælatis) cum sua Glos. 18. *distinct.*

§. III.

Visitatio Monialium.

1 Circa Visitationem Monialium. In visitatione Ecclesiæ, Sanctissimi &c. servanda pariter sunt respectivè dicta §. 1. *num.* 3. *ad* 14.

Cęterùm visitatio personalis Monialium debet fieri ad Crates (non in fenestella pro Communione, aut loco, in quo excipiuntur Confessiones ipsarum) existente Visitatore extra clausuram, ad formam Constit. *Felicis Alexandr. VII.* quam dedi *cap.* 11. *num.* 2.

2 Interrogentur Moniales. I. An omnes non impeditæ assistant Choro tempore recitationis Divinorum Officiorum? Et Orationi mentali, & disciplinæ?

II. An singulis diebus audiant Missam?

III. An saltem semel in mense confiteantur, & sumant Eucharistiam?

IV. An omnes conveniant ad Refectorium? Et an tempore refectionis legatur aliquis liber spiritualis, & servetur silentium?

V. An serventur jejunia Ecclesiæ, & Regulæ?

VI. An Parlatoria frequententur? Et an ad loquendum cum exteris utantur loco pro audiendis Confessionibus designato?

VII. An Confessarius diligenter suum munus exequatur?

VIII. An ingrediatur Clausuram extra casus permissos? Et an intra Clausuram sumat refectionem, & ingredia-

diatur cum Socio, Cotta, & Stola?

IX. An intra Clausuram admittantur catuli, pueri, & puellæ cujuscumque ætatis?

X. An retineantur educandæ ultra tempus concessum à S. Cong.

XI. An in Monasterio pro Novitiis, & educandis sint loca separata?

XII. An habitus Monialium sit uniformis, & ad præscriptum Regulæ, juxta decretum Sac. Congreg. Episc. in Cæsanaten. 26. Septembris 1692. apud Monacell. *loc. cit.*

XIII. An sit capsa communis, in qua deponantur pecuniæ provenientes à Monialibus particularibus?

XIV. An sint deputatæ Ascultattrices, Janitrices, & Rotariæ, Moniales seniores, & prudentes?

XV. An Abbatissa necessaria ad victum & vestitum Monialibus conferat juxta praxim Monasterii?

XVI. An Abbatissa retineat librum administrationis cum adnotatione datorum, & acceptorum: & librum, in quo descripti sint redditus, & bona Monasterii: & sint optimè compositi, & cartulati?

XVII. An Moniales exteris cibos parent & munera mittant, recipiantvè absque licentia Abbatissæ?

XVIII. An Moniales frequentent parlatoria? Et an hæc claudantur tempore Quadragesimæ, & Adventus?

3 Videat etiam Visitator, an Mansiones ad usum Confessarii sint per parietes, & tectum separatæ à Monasterio juxta expressa in d. Constitutione Alexandri: & an Crates Parlatorii, & aliæ sint fixæ cum foraminibus spissis.

4 Intra Clausuram observet, an muri Clausuræ habent prospectum activum, vel passivum in domibus, vel è domibus Sæcularium: an sint sufficienter elevati, & sine fractura: & an ostium Clausuræ benè custodiatur, & seris ferreis sit munitum, & claves retineantur à Moniali deputata.

5 Et an in Cellis sint superflua statui Religioso? An retineant libros profanos, & amatoria tractantes, sive comedias, aut conspicilla, & picturas non sacras.

6 Quod tam Episcopus in propriis Monasteriis, quàm Visitator Regularis in illis de suo regimine possunt inspicere. Cætera sint arbitrio prudentis inspectoris, qui ubi nonnulla inveniat; quæ egeant provisione, de remedio sit solicitus, mandans illud adhiberi, & ad observantiam Regulæ Moniales hortetur, & ante discesum recitet in Ecclesia Psalmum *De profundis &c.* juxta dicta supra *§.* 2. *n.* 13.

CAPUT VLTIMVM.

Officialis quoad Visitationem Ordinarii respectu Regularium.

SUMMARIUM.

1 *Jus visitandi est de pertinentibus ad jurisdictionem.*

2 *Episcopus procedens etiam ut delegatus Papæ, non potest contra exemptos procedere, nisi id in litteris exprimatur.*

3 *Episcopi in Synodis Provincialibus, vel Diœcesanis non possunt aliquid statuere contra Regularium privilegia.*

4 *Conventus nunquam suppressi, in quibus de familia plures, quam sex Religiosi, commorantur, non comprehenduntur in Constit. Innoc. X. Ut in parvis la* 32. *Bull. tom.* 4.

5 *Dubia excitata super subjectione nonnullorum Conventuum jurisdictioni Ordinariorum.*

6 *Sacr. Congregat. responsa ad dicta dubia.*

7 *Alia dubia quantum ad Conventus post recuperatam exemptionem.*

8 *Responsa ejusdem S. Cong.*

9 *Conventus suppressi, deinde restituti, an censeantur restituti etiam quoad præcedentiam? Distinguas.*

10 *Ecclesiæ exemptæ, aliæ Sæculares, aliæ Regulares.*

11 *Episcopi visitant Ecclesias Regularium, quibus cura animarum imminet.*

12 *Episcopus non potest visitare Ecclesias Regulares nullius Diœcesis.*

13 *Nec personas Monasteriorum nullius Diœcesis.*

14 *Quas nec visitant inferiores Prælati.*

15 *Episcopus visitat Parochias Monasteriis unitas.*

16 *Epi-*

16 *Episcopi nequeunt visitare Altaria de jurepatronatus Laicorum existentia in Ecclesiis Regularium.*
17 *Et in quibus confraternitates Sacularium, eorumque Capellas.*
18 *An Episcopus in Ecclesiis Regularium, quibus cura animarum imminet, visitet loca solùm, quæ Ecclesiam ut curatam respiciunt?*
19 *Edictum Episcopale circa administrationem Sacrament. Pœnitentiæ per Regulares à Sacr. Congregat. moderatum. Et ibi, Episcopos non posse visitare Confessionaria, in quibus Regulares Confessiones excipiunt: & alia plura.*
20 *Regularis degens extra Claustra potest ab Episcopo visitari, & puniri; limita.*
21 *Regularis existens intra Claustra, sed extra cum scandalo populi delinquens, castigatur à proprio Superiore, Episcopo instante.*
22 *Regularis delinquens intra claustra cum scandalo populi, reputatur extra deliquisse.*
23 *Caput* Volentes, de privil. *Regularium exemptionem non lædit.*
24 *Ordinarii nequeunt sententiam excommunicationis in Regulares pronunciare; nisi eis sit concessum.*
25 *Declaratio Sac. Congr. quod Regulares conveniri debent coram suis Superioribus, vel Conservatoribus.*
26 *Mare magnum suffragatur in his casibus, in quibus adhuc durat exemptio.*
27 *Quando Episcopis indulgetur, ut contra Regulares procedant tamquam Sedis Apostolicæ delegati, exemptio non potest opponi: ubi plura alia.*
28 *Regularis sine obedientialibus repertus potest ab Ordinario puniri.*
29 *Conventus de novo erecti, quando subsint visitationi Ordinarii?*
30 *Episcopi non possunt visitare Monasteria, quibus cura animarum non imminet.*
31 *Episcopus in visitatione Clausuræ Monasterii Monialium non potest secum ducere Laicos.*
32 *Numerus personarum, quos Superiores visitantes d. Clausuram secum ducere valent.*
33 *Ordinarii locorum nequeunt visitare Monasteria Regularia eo prætextu quòd Superiores sint in eo negligentes.*
34 *Abbates Commendatarii non possunt se ingerere in visitatione Religiosorum.*
35 *Idem de Eminentissimis Cardinalibus, quoad Religiosos Ecclesiarum Regularium, quas habent in titulum.*

1 JUs visitandi est de pertinentibus ad jurisdictionem, ex Piasec. *prax. par.* 2. *cap.* 3. *art.* 1. *nu.* 1. & est textus in *c. Conquerente, de offic. ord.* Et quamquam olim Regulares subessent plenissimè jurisdictioni Ordinariorum, ut apud eum jura allata concludunt; hodie tamen, ut cum eodem advertit Panimolla *dec.* 84. adnotat. 1. *num.* 2. & transeunt Scribentes, sunt ab eorumdem jurisdictione exempti, & subsunt Papæ, qui est eorum Diœcesanus, & Judex Ordinarius; & proinde, ut notat Gloss. *ad cap. Nulla*, 93. *dist. in verb. Acephalos*, Acephali non dicuntur: ideò Episcopi in eos, vel nihil, vel tantùm possunt, quantum eis à Sede Apostolica permittitur, & conceditur.

2 Sed quæritur. An dum Episcopus procedit ut delegatus à Papa, possit procedere contra exemptos, si de exemptione nulla fit mentio in Litteris?

Respond. Negat Hostiensis *in cap. Grave de offic. ordin. num.* 2. *in verb. occasione literarum*, cum quo tran[illegible] Andr. *num.* 3. *in verb. transmissimus*, qu[illegible]quitur, & allegat Fagnan. *in* 1. *ad d. cap. Grave, de offic. ordin. numer.* 5. Quia in generali mandato non includuntur exempti ex defectu intentionis Papæ. Qui dum intendit esse procedendum contra Regulares exemptos, id exprimit. Et fuit praxis Trid. *sess.* 6. *cap.* 3. *de reform.* & *sess.* 25. *cap.* 4. & alibi sæpè. Et ita recedendum est à sententia Abbatis scribentis contrarium. Nisi iurisdictionem delegati aliquo modo impedirent, *c.* 1. *de offic. deleg.* Piringh. *lib.* 1. *tit.* 29. *num.* 75. & 76. & dixi *c.* 19. *n.* 30.

Hinc sequitur, quòd sententia, quam profert Ordinarius in exemptos, esse potest ipso iure nulla ex defectu iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ, per tex. *in cap. Grave*, ibi: *Nullam habens jurisdictionem ordinariam, aut etiam delegatam.*

Quod

Quod procedit, etiam si exempti citati non venerint, allegaturi suam exemptionem. Maximè si eorum exemptio sit notoria, sicut est exemptio Regularium, ut scripsit Fagnan. *d. loc. num.* 7. Sed lege *d. cap. num.* 28.

3 Sed petitur etiam, an Episcopi in Synodo Provinciali, vel Diœcesana possint aliquid statuere adversùs Regularium privilegia.

Respond. Negativè. Et cùm id tentant, lædunt jura Sedis Apostolicæ, cui Regulares immediatè subiiciuntur. Propter quod & ipsi nec tacitè, nec expresè possunt privilegio exemptionis renunciare, ut est textus in *c. Cùm tempore, de arbitr.* Nam non possunt præiudicare iuri d. Sedis. Quemadmodum dicitur de Clerico, qui absque sui Episcopi licentia non potest se subiicere alieno, & eius iurisdictionem prorogare, ut in *cap. Significasti, de for. compet.* Siquidem tunc obesset iuri proprii Episcopi, ut post Abbat. dixit Fagnan. in 1. *ad cap. Quod super his, de majorit. & obed. num.* 18. Et inde nec propter negligentiam in sua exemptione tuenda, Regulares exemptionem perdunt.

Neque valet, si allegetur, quòd consuetudo sit, ut Regulares subsint Episcopis. Quoniam Regularium privilegia habent clausulas derogatorias amplissimas, & decreta irritantia, quæ inficiunt titulum, & possessionem, ut concordant DD. in clausula decreti irritantis; consequenter tollunt omnem consuetudinem contra Regularium privilegia, ut ibi Fagnan. *nu.* 19. *& num.* 27.

Et facit maximè, quòd Synodus Provincialis, vel Diœcesana nullam habet authoritatem adversùs privilegia exemptorum. Siquidem privilegia Pontificum per quamcumque inferiorem potestatem infringi, & mutari non possunt, *cap. Cùm inferior, de majorit. & obedien.* Unde dixit Innocent. III. in Concilio Lateranen. ut in *cap. Ut privilegia, de privil.* ibi: *Privilegia, quæ quibusdam Religiosis Romana concessit Ecclesia, permaneant inconcussa.* Et Innoc. IV. in Conc. Lugdun. prout in *cap. Volentes, eodem tit. in* 6. decernit: *Libertatem, quam nonnullis Apostolica Sedes privilegio exemptionis indulsit sic integram observari, ut & illam alii non infringant, & ipsi ejus limites non excedant.*

Deinde accedit, quòd Synodus vulnerans privilegia Regularium adversatur Concilio Trident. *in sess.* 25. *cap.* 20. *de regul.* Constat autem Synodum Provincialem, vel Diœcesanam nullam potestatem habere statuendi contra Concilium generale, ut in *cap. Sancta Romana, de religios. domibus inter Extravag. Joann. XXII.* ibi: *Quos nec eis* (hoc est Episcopis) *concedere licuit contra formam Concilii generalis*, & ibi Glos. *in verb. Concilii*. Quare cùm Provincialia Concilia, priusquam publicentur, ex Constit. Sixti V. incip. *Immensa la* 74. *Bullar. tom.* 2. recognosci, ac emendari debeant à S. Congr. Conc. mos ejusdem Sacr. Congreg. fuit ex hujusmodi Synodis delere decreta omnia, quibus Regularium exemptiones, indulta, ac privilegia aliquo modo violantur: ut ibidem *num.* 25. refert Fagn. videndus.

Et tandem consideratur, multum dedecere; ut ab Episcopis violentur privilegia non revocata Regularium, qui eisdem subserviunt, & coadjutores existunt in prædicatione Verbi Dei, & Sacramentorum administratione, & in cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum, secundùm ea, quæ habentur in *cap. Ex authoritate* 16. *qu.* 1. Hinc Hostiensis exaggerat, valdè dolendum, quòd Episcopi non agnoscant Regulares esse coadjutores suos. Et Clemens V. Clement. *Frequens de excessib. Prælat.* Episcopis præcipit. *ut Religiosos charitativè tractent, & foveant, & sua jura, & privilegia inviolabiliter eis servent.* Vide Fagnan. *num.* 29.

4 Quibus præmissis. Quæritur, an Conventus nunquam suppressi, in quibus actu degunt de familia plures, quàm sex Religiosi, comprehendantur in Decreto Innoc. X. *Ut in parvis*?

Resp. Negativè, prout S. Congr. in hæc verba.

Sacra Congregatio super statu Regularium censuit, Conventus numquam suppressos, in quibus actu degunt de familia plures, quàm sex Religiosi, minimè comprehendi in Decreto sanctæ memor. Innocentii X. quod incipit, Ut in parvis; *ac proinde locorum Ordinarios nequaquam posse in vim dicti Decreti in hujusmodi Conventibus, aut illorum personis, nullam sibi jurisdictionem vindicare. Datum Romæ die* 29. *Novembris* 1657. *in regesto ejusdem Congregat. fol.* 325. Panimolla *dec.* 84.

dec.84. adnot. 2. num. 62. Et quia occasione alleg. Decreti, *Ut in parvis*, plures controversiæ oriebantur, ad eas sedandas fuerunt S. Congreg. infrascripta dubia proposita, ut sequitur.

Posito Decreto fel. rec. Innocentii Papæ X. super subjectione nonnullorum Conventuum correctioni, visitationi, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tanquam Sedis Apostolicæ delegati: contigit dubitari de infrascriptis.

1 *An Episcopus in Conventibus suæ jurisdictioni subjectis possit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam constituere.*

2 *An possit Episcopus à prædictis Conventibus Religiosos amovere?*

3 *An Regulares eorumdem Conventuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos liberos introitus, & exitus, & reddendas rationes administrationis.*

4 *An Episcopus in eisdem Conventibus se ingerere possit in his, quæ Regularem disciplinam concernunt?*

5 *An Ecclesiæ dictorum Conventuum, & Capellæ Grangiarum, in quibus degunt conversi pro agrorum cultura, ab Episcopo visitari possint?*

6 *An ipsæ Grangiæ, & Conversi in eis degentes subsint visitationi Episcopi?*

7 *Quod in Ecclesiis, seu Capellis Grangiarum, in quibus nullus degit conversus, an similiter subsint Episcopi visitationi?*

8 *An liceat Episcopo visitare Conventus, tam suppressos, & posteà restitutos, quàm non suppressos, ad effectum cognoscendi, an in illis re ipsa alantur sex Religiosi.*

9 *An Episcopus visitans hujusmodi Conventus suæ jurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes, possit à visitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia?*

10 *An jurisdictio Ordinariis locorum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, attributa in supradicto Decreto, competat Vicariis Generalibus Episcoporum, necnon Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatis proprium Territoriorum, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?*

11 *An Provinciales, & alii Superiores Regulares possint ejusmodi Conventus, jurisdictioni Ordinarii subjectos, & Religiosos in illis degentes visitare, corrigere, & punire, omnemque jurisdictionem in eos exercere, sicut poterant ante dictum Decretum.*

12 *Si Superior Regularis in causa prævenerit contra subditum degentem in aliquo ex eisdem Conventibus, Ordinario subjectis, fabricando processum, vel eum carceri mancipando, an Episcopus possit hujusmodi causam reassumere, ac Superiori inhibere?*

13 *Si è converso Episcopus prævenerit in causa contra Religiosum in tali Conuentu commorantem, an Superiori Regulari ea casu liceat illum amouere, & in alio Conuentu collocare; & si de facto collocauerit, an nihilominùs Episcopus possit causam prosequi, ac Religiosum sic amotum reuocare ad primum Conuentum.*

14 *Si Prouincialis, uel Superior localis uoluerit aliquem ex Fratribus à tali Conuentu remouere, an Episcopus prohibere possit.*

15 *Si à Conuentu primùm suppresso, ac deinde Religioni restituto, absint ex aliqua rationabili causa, & ad breue tempus, unus, uel plures, ex numero sex Religiosorum ibi degentium, an gratia restitutionis sit nulla, & Conuentus remaneat suppressus, ut priùs.*

16 *Quid si à Conuentu non suppresso similiter ex causa rationabili, & ad modicum tempus absit aliquis è sex Religiosis ibi existentibus, an durante tali absentia, Conuentus subjaceat jurisdictioni Ordinarii.*

17 *An Religioso illo redeunte, uel aliàs impleto numero sex Religiosorum, Conuentus recuperet pristinam exemptionem.*

18 *Si gratia restitutionis Conuentus suppressi reddatur nulla ex eo, quòd in illo ad formam Decreti cum effectu non alantur sex Religiosi, & posteà contigat, ut ejusmodi numerus impleatur, an gratia restitutionis Conuentus reuiuiscat.*

19 *Ad hoc, ut gratia restitutionis sit nulla, & Conventus denuò remaneat suppressus, propterea quòd in eo non sustententur sex Religiosi, an debeat præcedere declaratoria Episcopi super facto, prævia causæ cognitione.*

20 *An ab hujusmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apostolicam appellare ad effectum, tam devolutivum, quàm suspensivum.*

21 *Cùm ex Decreti præscripto quatuor Sacerdotes in his Conventibus degentes debeant*

beant esse maturæ ætatis, quænam dicatur ad hunc effectum ætas matura?

Sacr. Congregat. super statu Regularium ad singula dubia superiùs proposita, hunc in modum respondit, videlicet.

Ad 1. *Non posse.*

Ad 2. *Posse ex rationabili causa: commonito tamen priùs Superiore Regulari, ad quem pertinet, ut eosdem Religiosos assignet in aliis Conventibus.*

Ad 3. *Posse compelli.*

Ad 4. *Posse.*

Ad 5. *Posse.*

Ad 6. *Subesse.*

Ad 7. *Item subesse.*

Ad 8. *Minimè licere, antequam aliunde constet de fundamento intentionis Episcopi in deficientia numeri constituti.*

Ad 9. *Expedire, ut Sanctissimus Dominus Noster decernat, & declaret non licere Episcopo tales Conventus visitanti quidquam accipere procurationis nomine.*

Ad 10. *Competere.*

Ad 11. *Posse, sicut priùs, non tamen privativè ad Episcopum.*

Ad 12. *Non posse, nisi ex justa causa, veluti cum videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia severitate, vel indulgentia quid durius, aut remissius constituere, quàm causa deposcit, in quo ipsius Episcopi conscientia oneratur.*

Ad 13. *non licere Superiori Regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum à loco amovere, & si amotus fuerit, posse Episcopum causam prosequi, & illum quibuscumque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio sæculari, si opus fuerit, cujuscumque loci, in quo Religiosus ille reperiatur.*

Ad 14. *Non posse.*

Ad 15. *Gratiam ob id non esse nullam, cessante omni fraude, nec Conventum remanere suppressum.*

Ad 16. *Subjacere, durante absentia.*

Ad 17. *Recuperare.*

Ad 18. *Non reviviscere.*

Ad 19. *Debere ita procedere, nec ante declaratoriam licere Episcopo Conventus possessionem apprehendere, aut Religiosos inde expellere.*

Official. Cur. Eccl.

Ad 20. *Licere, ad effectum devolutivum tantùm, non autem suspensivum.*

Ad 21. *Ætatem maturam dici ad hunc effectum, completo anno quadragesimo.*

Declarationes suprascriptas SS. D. N. ad se relatas approbavit, & ab omnibus, ad quos pertinet, observari præcepit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ die 27. Julii 1655.

5 Quibus deinde accesserunt alia dubia, & declarationes, circa iurisdictionem Ordinarii in Grangiis Monasteriorum, illarumque Ecclesiis, & publicis Oratoriis, prout infra.

Posita Constit. fel. rec. Innoc. X. quæ incipit. Instaurandæ, *nec non illius Decreto incipien.* Ut in parvis, *contigit dubitari de infrascriptis.*

I. An Grangiæ ex d. Constit. Innoc. suppressæ, & ad statum sæcularem reductæ, illarumque Ecclesiæ, & publica Oratoria possint ab Ordinario visitari?

II. Et quatenùs possint, an hoc jus Ordinario competat privativè quoad Superiores Regulares, an verò cumulativè cum ipsis?

III. Et quid, si prædictis Ecclesiis Cura animarum incumbat?

IV. An Superiores Regulares possint in dictis Ecclesiis Curam animam habentibus nominare Vicarios ad Curam animarum exercendam, eosque ad nutum amovere?

V. An Grangiæ, seu membra alicujus Monasterii numquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex Religiosi, subsint jurisdictioni, ac visitationi Ordinarii loci privativè, an cumulativè cum Superioribus Regularibus.

6 Die 11. Septembris 1670. S. Congreg. super statu Regularium ad singula dubia superius proposita, in hunc modum respondit, videlicet.

Ad primum. Grangias, ut præfertur, suppressas, & ad statum sæcularem reductas, illarumque Ecclesias, & publica Oratoria posse ab Ordinario visitari, dummodò in iis Grangiis, quarum proprietas fuit reservata, vel restituta principalibus Monasteriis, idem Ordinarius nullo modo se ingerat in temporalibus.

Ad secundum. Quoad Ecclesias, & Oratoria publica jus visitandi competere Ordinario privativè; quoad conversos autem in eis degentes cumulativè: Ordinario scilicet,

licet, jure delegato, ad formam Sac. Concilii Trident. Regularibus verò, jure ordinario.

Ad tertium. Itidem quoad Ecclesias dictarum Grangiarum Curam animarum habentes, jus visitandi Ordinario competere privativè: sed quoad Conversos in eis degentes hoc jus competere cumulativè, nempè Ordinario, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, Regularibus verò auctoritate Ordinaria.

Ad quartum. Superiores Regulares posse hujusmodi Vicarios nominare, & illos ad nutum amovere, si Ordinarius loci ab initio illos deputaverit amovibiles.

Ad quintum. Grancias, seu Membra alicujus Monasterii, numquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex Religiosi, subesse jurisdictionis, ac visitationi Ordinarii loci, ac Superiorum Regularium cumulativè, videlicet, Ordinario, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, ex prædicto Decreto, Ut in parvis, *Regularibus autem jure ordinario.*

7 Et tandem circa jurisdictionem Episcopi in parvis Conventibus sequentes attendantur dispositiones.

„ Episcopus visitavit Conventum suæ „ jurisdictioni subiectum in vim Decreti „ fel. rec. Innoc. X. incipien. *Ut in parvis*, „ proptereà quòd tunc temporis ibi non „ erant de familia, nec re ipsa alebantur sex „ Religiosi; sed post absolutam visitatio- „ nem, sine ulla fraude à Superioribus Re- „ gularibus in eodem Conventu adaucta „ est familia, & impletus numerus sex Re- „ ligiosorum, sicque Conventus exemptio- „ nem recuperavit, iuxta declarationes S. „ Congreg. super statu Regularium, nem- „ pè decimam sextam, & decimam septi- „ mam inter impressas.

„ Hoc posito, consulitur S. Congreg. de „ infrastriptis.

„ Primò. An post exemptionem, ut „ præfertur, recuperatam Episcopus pos- „ sit huiusmodi Conventum visitare ad „ effectum, ut videat, an ordinatio- „ nes, & Decreta ab ipso edita in vi- „ sitatione præcedenti, fuerint adimpleta, „ nec ne?

II. „ Anbè possit Decreta non adimple- „ ta exequi, & pro illorum executione pœ- „ nas adiicere, & aggravare?

III. Et quatenùs possit: an hæc facultas, „ quæ ex dicto Decreto, *Ut in parvis*, com „ petit Episcopo, tamquam Sedis Aposto- „ licæ Delegato, expiret, lapso inte- „ gro anno à die publicationis Decre- „ torum?

IV. „ An Episcopus post exemptionem „ à Conventu recuperatam possit condem- „ nare, & punire, etiam pœna corporis af- „ flictiva Religiosum, qui pro delicto „ in Curia Episcopali fuerat inquisitus, & „ carceri mancipatus eo tempore, quo „ Conventus erat iurisdictioni Episcopi „ subiectus?

8 „ Die 19. Novembris 1671. S. Congr. „ super statu Regularium, ad singula dubia „ superiùs proposita respondit, ut sequitur „ videlicet.

„ Ad primum. Posteà quàm Conventus „ exemptionem recuperavit, Episcopum „ nequaquam posse illum visitare, etiam ad „ effectum, ut videat, an Decreta edita in „ præcedenti visitatione fuerint executio- „ ni mandata.

„ Ad secundum. Itidem non posse post „ huiusmodi exemptionem Decreta non „ adimpleta exequi, minusque pœnas ad- „ iicere, & aggravare pro illorum execu- „ tione.

„ Ad tertium. Jurisdictionem ex dicto „ Decreto, *Ut in parvis*, Episcopo at- „ tributam in Conventu non habente „ Religiosorum numerum ibi præscri- „ ptum, expirare eo ipso, quòd Con- „ ventus ob familiam sine fraude adau- „ ctam, & impletum numerum Reli- „ giosorum præfixum, exemptionem re- „ cuperavit.

„ Ad quartum. Cum contra dictum Re- „ ligiosum non solùm causa, sed etiam per- „ sona sit præventa, eo tempore, quo Con- „ ventus erat subiectus iurisdictioni Epi- „ scopi, & exemptio superveniens non in- „ venerit eum liberum, utique Episcopum, „ tamquam Sedis Apostolicæ Delegatum, „ posse huiusmodi causam tempore habili „ inchoatam prosequi etiam post exem- „ ptionem, & eumdem Religiosum con- „ demnare, & punire etiam pœna corporis „ afflictiva.

9 Quæritur: An Conventus Regularium suppressus, & postea restitutus ad primævum statum Regularem, censeatur restitutus quoad præcedentiam?

Distinguendum est. Vel Conventus fuit iniu-

iniustè, ut Hæreticorum conatu, vel hostili furore suppressus, & posteà restitutus; vel fuit motu Papæ suppressus,& postea ex mera gratia à Sancta Sede restitutus. In primo sensu restitutus intelligitur quoad omnia, & recuperat locum, & omnia primæva iura; quoniam tamquam iniustè suppressus, numquam fuit privatus sua possessione præcedendi, licèt per aliquod tempus caruerit exercitio. Et properteà redintegratio verissimè dicitur continuatio eiusdem status primævi. Et sub istis terminis dubium resolvitur à Sac. Rit.Congregat. 6. Novembris 1645. in Augustana præcedentiæ inter Minor. Conventuales (quorum Conventus fuerat ab Hæreticis Augustæ suppressus) & Fratr. Minor. de Observantia,quia post Conventualium expulsionem Conventum in dicta Civitate obtinuere:& fuit dictum, præcedentiam, tam in processionibus publicis, quàm in eis, quæ fiunt in tumulandis cadaveribus defunctorum, sessionibus, similibusve aliis, deberi Conventualibus, postea restitutis. Et hìc reddintegratio retrotrahitur ad tempus primæ erectionis. Rota coram Merlino *dec.* 303. Currit in hoc natura postliminii: quod est *jus amissæ rei recuperandæ ab extraneo, & in statum pristinum restaurandæ*, Gloss. *in cap. Prima actione ver. Postliminio*, 16. *quæst.* 3.

In secundo verò sensu, Regulares restituti non recuperant primæva iura, sed præcedentia in processionibus, & aliis actibus debetur præexistentibus; quia talis restitutio habetur pro nova fundatione. Sac Rit. Congregat. in Senogallien. 21. Januarii, & 1.Septembris 1696. Monacell.*form.*19. *par.* 1. *numer.* 14. *titul.*6. Nisi restitutio fiat plenariè quoad omnia, de quo text. *in cap. Quamvis, de rescript. in* 6. aliàs nequaquam, ut ibi in littera: *Cùm talis restitutio, ubi aliud non exprimitur,intelligatur fieri sine juris prajudico alieni*. Ideò licèt Regulares sint primi ratione Conventus, ad quem restituti fuerunt; sunt tamen secundi respectu ad restitutionem, & novam gratiam. Quapropter, nisi Pontifex in litteris expresserit, eos etiam restituere quoad præcedentiam, non possunt præcedentiam prætendere, prout ponderavit Gloss. *ad d. cap. Quamvis*, ibi: *Nisi Papa aliud diceret in restitutione: videlicet, quòd mè restituit ad datam, & prioritatem temporis, & vult gratiam meam valere, perinde ac si vocata non fuisset, etiam quo ad prioritatem temporis*.

10 Quæritur. An stante Decreto Conc. Tridentin. *cap.*8. *sess.*7. *de reformat.* ibi: „ Locorum Ordinarii Ecclesias quascum„ que quomodolibet exemptas, auctorita„ te Apostolica singulis annis visitare te„ neantur, & opportunis juris remediis „ providere .... appellationibus, privile„ giis, consuetudinibus, etiam immemora„ bili tempore præscriptis, Judicum depu„ tationibus, & illorum inhibitionibus pe„ nitùs exclusis: possint Episcopi visitare Ecclesias Regularium?

Respond. Negativè. Sed hìc ponderandum est, quòd Ecclesiæ exemptæ, vel sunt Sæculares, vel Regulares. Si Sæculares sunt, Episcopus potest eas visitare, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus. Quod procedit, etiamsi Ecclesiæ Sæculares sint commendatæ; & sive illis Cura animarum immineat, sive non, vt patet *ex cap.*8. *sess.* 21. *de reformat. verb. Nec non beneficia*. Si verò Ecclesiæ exemptæ sunt Regulares, ab Episcopis visitari nequeunt, juxta mentem Sac. Congregat. Concilii, quæ apud Fagn. *in* 3. *ad cap. Nullus, de Parochis nu.*34. *censuit, Decretum in cap.*8. *sess.*7. *quod tribuit facultatem Ordinariis visitandi Ecclesias quomodolibet exemptas, vindicare sibi locum in Ecclesiis Sæcularibus dumtaxat, non autem Regularibus; & Regulares censeri, etiam Monasterio unitas, si eis à Regularibus deserviatur*.

11 Sed limita, nisi eis Cura animarum personarum sæcularium immineat; quoniam tunc visitari possunt ab Episcopo, in cuius Diœcesi sunt sitæ: sed in his tantùm, quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent,ex *c.*11. *sess.*25. *de Regul. & Const. Inscrutabili Greg. XV. la* 18. *Bull. tom.* 4.

Limita 2. Nisi Ecclesiæ Regulares exemptæ sint commendatæ, & in eis Regularis observantia non vigeat. Quia Tridentinum dicto *cap.*8. *sess.*21. Episcopis, etiam tamquam Apostolicæ Sedis Delegatis, facultatem tribuit visitandi commendata Monasteria . . . . . *in quibus non viget Regularis Observantia; nec non Beneficia, tam curata, quàm non curata, Sæcularia, & Regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta*. Non sic, si in eis vigeat Regula-

 gula-

gularis Observantia, & curata non sint, *ver. Et si in eis vigeret*, ibi: quinimò etiam, dum curata non sunt, licèt commendata, & Regularis Observantia non vigeat, modò Capitibus suorum Ordinum subsint, juxta *cap.* 20. *sess.* 25. *de Regul.* ubi: *Quæ cùm Ordinum suorum capitibus subsint, declarat S. Synodus, in iis, quæ aliàs de visitatione Monasteriorum commendatorum definita sunt, non esse comprehensa*.

12 Sed quid, si Ecclesiæ Regulares sint in nullius Diœcesis Territorio?

Priùs noto. Quòd Ecclesiæ nullius Diœcesis sunt duplicis speciei; una species est illarum, quæ sunt in Diœcesi alicujus Episcopi, licèt habeant Prælatum inferiorem: alia verò species est illarum, quæ sunt in Territorio separato, & Prælatus inferior exercet plenariè jurisdictionem quasi Episcopalem.

Modò Episcopus non potest visitare Ecclesias Regularium, quæ sunt nullius Diœcesis in secundo sensu: quoniam Trid. *cap.* 9. *sess.* 24. *de reform.* se restringit ad Ecclesias Sæculares.

Quod procedit, etiamsi dd. Regularium Ecclesiis immineret Cura animarum, quia *sess.* 25. *c.* 11. *de Regul.* dispositio Trid. afficit Ecclesias sitas in Episcopi Diœcesi, ut expressè textus.

Quod item currit, sive sint Commendatæ, sive non: quia *cap.* 8. *sess.* 21. tribuens facultatem visitandi Monasteria commendata, loquitur de Monasteriis, & Beneficiis Regularibus exemptis, non verò nullius Diœcesis, ut ostendit text. ibi: *Etiam exempta*. Nomina autem *Exemptio*, & *Nullius Diœcesis*, sunt diversa: & à diversis non fit illatio. Et patet ex extensione, quæ de *dict. cap.* 8. postea facta fuit ad Ecclesias Sæculares nullius Diœcesis, ut in dicto *cap.* 9. *sess.* 24. ibi: *Etiam in iis Ecclesiis Sæcularibus*. Quare Sac. Congre-
„ gat. Concilii olim respondit: Archiepi-
„ scopum Urbinaten si sit proximior, pos-
„ se quidem visitare Ecclesias Sæculares, &
„ personas, sed Abbatiam ipsam Castri
„ Durantis, quæ Regularis est, licèt illi
„ Cura animarum incumbat, non posse vi-
„ sitare, utcumque personis Sæcularibus
„ commendari consueverit. Fagnan. *in d.*
„ *cap. Nullus num.* 39.

13 Sed quid pariter de personis Regularibus, an visitari ab Episcopis possint, si existant in Monasteriis nullius Diœcesis?

Resp. Visitationi Episcopi non subjiciuntur, quia *d. c.* 9. *sess.* 24. restringit se ad Ecclesias Sæculares.

Quod verificatur quoque, etiamsi Regulares nullius Diœcesis in Monasteriis, seu domibus Regularibus, aut aliàs Curam animarum personarum Sæcularium exerceant, quia Decreta Concilii, quæ Regulares submittunt jurisdictioni, & correctioni Episcoporum in his, quæ dictam Curam, & Sacramentorum administrationem respiciunt, restringuntur ad loca, quæ in Diœcesi Episcopi posita sunt, ut patet ex *cap.* 2. *sess.* 5. ibi: *Modo in Diœcesi sita sint*, & generaliter *in cap.* 11. *sess.* 25. *de Regul.* ibi: *In cujus Diœcesi sunt sita*. In quibus terminis loquitur etiam dict. Constitut. Gregor. *Inscrutabili*, ut declaravit Sac. Congregat. Concilii, respondendo dubiis excitatis super dict. Constitut. ad calcem ejusdem Bullæ. Quæ tertio loco interrogata: *An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos, tam Sæculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius diœcesis*.

Ad tertium, *censuit ejusdem facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius Diœcesis*. Qua propter sicut Episcopus nequit Regulares nullius Diœcesis visitare, ita nec ullam in eos exercere jurisdictionem. Propterea *Monachos SS. Trinitatis Caven.* Sacr. Congregat. censuit *non posse cogi ab Episcopo accedere ad publicas processiones, in vim cap.* 13. *sess.* 25. *de regul.* Tum quia non possunt dici exempti, cùm nunquam subjecti extiterint.

14 Sed an possint visitari, & corrigi per inferiores Prælatos?

Respond. Negativè, prout eadem Sacr. Congregat. censuit in responsione ad dicta dubia. Nam quarto loco consulta: *An eadem facultas competat inferiorbus Prælatis proprium Territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus*? Ad quartum censuit, *non competere*. Proinde in casu, quòd Regulares nullius Diœcesis delinquant in pertinentibus ad animarum Curam, & Sacramentorum administrationem, recurrendum est ad Sedem Apostolicam.

15 Quæritur, an Episcopus possit visitare Eccle-

Ecclesias Parochiales Monasteriis unitas, vel annexas?

Respon. Affirmativè, ex *cap.7. sess.7. de reform.* at nequit visitare Domos ipsarum Parochialium, in quibus non viget Regularis observantia, sed in eis habitant soli Parochi Regulares ab eodem approbati, ut aliàs respondit Sacr. Congregat. apud Fagnanum in 1. *ad cap. Grave*, *numer.* 16. *de Offic. Ord.*

Hìc nota, quòd aliquando Cura animarum incumbit principaliter ipsi Monasterio, de quo *dict. cap.* 11. *sess.* 25. Et aliquando Ecclesiis Parochialibus Monasterio unitis, de quo *cap.2. sess.5.* In quibus ex sententia Sacr. Congregat. non aliter sunt deputandi Regulares ad animarum Curam, quàm de consensu Episcopi, & prævio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo, & ad suorum Superiorum nutum amovibiles.

16 Quæritur, an Episcopus possit visitare Capellas, & Altaria, quæ sunt de jurepatronatus Universitatis, vel Laicali, existentia in Regularium Ecclesiis?

Respond. Negativè, juxta declarationem Sacr. Congregat. Concilii apud Fagnan. *dict. cap. Grave*, *num.* 48. & expressè Pignatell. *tom.*10. *consultat.* 39. *num.*9. Quæ censuit Episcopum visitare non posse Altaria, & Capellas Laicorum in Ecclesiis Regularium erecta; quibus curam animarum non incumbit.

Et procedit, etiamsi prędicta providerentur de omnibus necessariis ex redditibus, quia cum id fiat ex oblationibus, & eleemosynis solitis, nullatenus ad eam pertinent, sed ad eosdem Regulares; qui Ecclesiis inserviunt; ex text. *in cap. Theodosius*, *de statu Monachorum*, ac ex declaratione Sacr. Congregat. 31. Januarii 1642. apud Lezan. *summ. tom.* 2. *verb. oblatio capit.* 15. *num.* 27. Propterea nullum jus visitationis possunt prætendere Episcopi, etiam uti delegati Sedis Apost. vigore Const. *Inscrutabili*, Pignatell. *num.*11.

17 Quantùm autem ad Confraternitates Sæcularium, ipsarumque Capellas, & Altaria in Regularium Ecclesiis sita, an possint ab Episcopo visitari? Dictum est *capit.* 14. *num.*6.

19 Oritur dubium, an stante Sacr. Congregat. Concilii Decreto in Calce ad dict. Const. *Inscrutabili*; quo fuit responsum dubio: *An liceat Episcopis visitare Altaria Regularium Ecclesiarum, quibus Cura animarum personarum Sæcularium non incumbit; aut loca, ubi in eisdem Ecclesiis asservatur Sanctissima Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur Confessiones Personarum Sæcularium?* Ad primum respondit; *Episcopis non licere in vim ejusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum Cura personarum Regularium, nec loca, ubi in eisdem Ecclesiis asservatur SS. Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi Confessiones personarum Sæcularium audiuntur*: possit Episcopus visitare omnia Altaria Ecclesiæ Regularis, cui Cura animarum incumbit?

Respond. Affirmativè, prout declaravit Sac. Congregat. Concilii in Cesenaten. 23. Septembris 1690. contra PP. Cassinenses: tenet Cardinal. de Luca *de jurisdict. discur.* 17. *nu.*3.

19 Quæritur. An edictum Episcopale super casibus reservatis, in quo inter cætera injungitur, quod Confessarii Regulares Confessiones audiant in habitu, quo utuntur in Choro, eisdemque prohibet pœnitentes auscultare extra Confessionarium, & extra cratem ligneam, idque januis apertis dumtaxat, & in Confessionariis à suis Visitatoribus intra præfatum terminum approbandis: neve in propriis ædibus accedant ad infirmos pro Sacramento Pœnitentiæ ministrando absque licentia Episcopi, vel Curati, minùsque certas personas utriusque sexus ante ortum, & post occasum Solis auscultent: & si fenestella, vel lastra fuerit devastata, sive ejus foramina dilatata. Confessarii suspensi remaneant, cum impositione pœnæ suspensionis, & pecuniariæ cuilibet Confessario, si talia edicta non recipiat, & illa inviolabiliter per singula capita non servaverit: deroget privilegiis Regularium, ideòque sit corrigendum, expurgandumque?

Resp. Hac de re S.C.S.R.E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, *censuit, præfatum edictum moderandum, & corrigendum esse, prout præsentis Decreti vigore moderatur, ac corrigit*, prout infra. *Quoad habitum, quo uti debent Regulares in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, declaravit sufficere, si audiant cum habitu eorum ordinario, & Stola, juxta decretum aliàs emanatum*

ſub die 20. Junii 1625. à Sac. Congreg. Viſitationis Apoſtolicæ. Quoad locum mandavit auſcultari in Eccleſia, & intra crates; quando tamen neceſſitas, vel rationabilis cauſa aliter non ſuadeat; ac etiam in Sacrario, vel alio decenti loco poterunt audiri; ſuper quo & declaravit, non licere Epiſcopis neque per ſe, neque per ſuos deputatos viſitare Confeſſionaria, ſive loca Regularium, ubi Confeſſiones audiuntur, nec etiam ad effectum videndi, an ſint juxta ipſorum Decreta; ſed hoc relinquendum eſt omninò visitationibus ſuorum Superiorum. Similiter inhærendo aliis Decretis ab eadem Sacr. Congregat. emanatis, & præcipuè 13. Septembris 1641. noluit teneri Regulares petere licentiam ab Epiſcopo, vel Curato accedendi ad infirmos pro Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando, ſed ſufficere, ſi poſteà fidem habitæ Confeſſionis in Domo eorumdem infirmorum relinquant. Inſuper mandavit, tolli omninò ab eodem edicto verba illa, quibus de certo genere perſonarum fit mentio. Voluit ſiquidem, ut loquatur abſolutè, ac ſimpliciter de omnibus, nulla facta ſpeciali mentione, ita ſcilicet, quòd nemini adminiſtretur tale Sacramentum ante ortum, nec poteſt occaſum Solis, niſi tamen neceſſitas, vel rationabilis cauſa aliter ſuaſerit: in quo caſu voluit, & licere, & cum omnibus. Ulteriùs præcepit pœnas omnes, tam ſuſpenſionis, quàm pecuniarias, ab eodem edicto tollendas, caſſandas, & eſpungendas eſſe. Et ita, utraque parte informante, hac die &c. apud Pignatell. *tom.* 10. *conſul.* 71. *num.* 6.

Decretum Congregationis S. Viſitationis Apoſtolicæ.

DE Mandato Sanctiſſimi Dom. N. Urbani Papæ VIII. vivæ vocis oraculo ei facto, juſtis de cauſis præcipit omnibus, & ſingulis Confeſſariis, tam ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis etiam de neceſſitate exprimendæ Regularibus, quocumque nomine nuncupatis, cujuſvis gradus, & dignitatis in ſuo Ordine, ne impoſterum tam Virorum, quàm Mulierum, cuiuſlibet qualitatis, vel conditionis exiſtant, præterquam ſi gravi infirmitate detenti, vel detentæ ſint, Sacramentales Confeſſiones in illorum, ſeu illarum, vel etiam alienis ædibus audiant, niſi de licentia Illuſtriſſimi Cardinalis Urbis Vicarii, ſeu Reverendiſs. Dom. eius Viceſgerentis, in ſcriptis concedenda (exceptis tamen Illuſtriſſimorum & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium, & Principum virorum ſæcularium, videlicet Oratorum Regum, & magnorum Principum, necnon & Ducum, ac Rom. Pontif. qui fuerunt, vel pro tempore erunt Nepotum) hoc etiam addito, ut iidem Confeſſarii in mulierum hujuſmodi ſacramentalibus Confeſſionibus audiendis, cubiculi januam apertam, ac velum levatum, ſemper habeant, ita ut conſpici, non autem audiri poſſint; ſacramentumque Confeſſionis hujuſmodi Confeſſarii ſæculares cum ſuperpelliceo & ſtola; Regulares verò cum ſtola miniſtrent in Eccleſia, niſi ex rationabili cauſa audire aliquos in Sacrario, ſeu alio decente loco, quandoque occurrat. Contrafacientes non ſolùm ſuſpenſionis à Confeſſionibus audiendis, verùm etiam alias pœnas arbitrio ejuſdem S. Congregationis eo ipſo incurrant. Inſuper Confeſſariis hujuſmodi ſub eiſdem pœnis injungitur, ut ſi eos vigore facultatum eis conceſſarum, Confeſſiones infirmorum hujuſmodi in privatis domibus audire contigerit, Parochum dictorum infirmorum, ante, vel ſaltem eadem die, qua Confeſſionem audierint, abſolutionemque infirmis impartiti fuerint, certiorem reddere debeant. In quorum &c. Dat. Romæ in loco ſolitæ Congregations die decima Julii 1625.

20 Quæritur. An Epiſcopi poſſint viſitare, corrigere, & animadvertere in Regulares delinquentes extra Curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem?

Reſpond. Ex ſequentibus reſolvas, & nota: ſi loquamur de Regulari degente extra clauſtra, & ibi delinquente, decrevit Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 3. *de refor.* ibi: *Eccleſiarum Prælati*, ut infra, *Nemo Regularis extra clauſtra degens, etiam ſui Ordinis privilegii prætextu, tutus cenſeatur: quominus ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato, ſecundùm Canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.*

Quod procedit etiam in Regulari exiſtente extra clauſtra ad erectionem Monaſterii de ſui Superioris licentia: cùm licentia operetur ſolùm, ex Sperello *deciſ.* 38. *numer.* 19.

mer. 19. ne committatur apostasia, non verò, quin ab Ordinario pro excessibus puniri possit. Hoc idem apud eundem firmant alii, & resolutum traditur à Genuen. *prax. cap* 59. *numer.* 2. ac Barbosa in Trident. ad *d. cap.* cum limitatione à Sacr. Congregat. Concilii, ut infrà: *Regularis manens extra claustrum de licentia Superioris, etiam in Domo destinata ad erectionem Monasterii, nisi in dicta Domo sit Regularis Observantia, ut saltem vivat sub superiore conventualiter, potest puniri ab Ordinario*, Sperell. *num.* 21.

Sed non verificatur in Regulari, qui degit in Domo Parochiali Monasterio unita, in qua Curam animarum exercet, & Sacramenta administrat, qui ab Ordinario loci puniri non potest, nisi delictum commissum concernat dictam Curam, & Sacramentorum administrationem, prout olim respondit Sacr. Congregat. Concilii apud cit. Barbosa ibidem *num.* 4. & Fagnan. *ad d. cap. Gravæ, num.* 35. quia censetur degere intra Claustra.

Benè verò de Regulari, qui de sui Superioris licentia manet in aliquo membro, vel grangia sui Monasterii pro Religionis servitio; qui si delinquit, ab Ordinario etiam puniri potest, juxta *resp. S. Congr. ad sextum supra sub num.* 6. Neque enim cum Superioris licentia eximit ab jurisdictione Episcopi sed hæc est cumulativè in Ordinario, & in Superiore Regulari; quidquid dixerit Barbosa *cit. num.* 2. allegans Riccium, & Ciarlinum.

21 Si verò sermo sit de Regulari degente intra claustra, sed extra ita notoriè delinquente, ut populo scandalum præbeat, idem Tridentin. *sess. citat. de Regul. capit.* 14. disponit: *Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterii degit, & extra ea notoriè ita deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus, à suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.*

Ad cujus observantiam Clemen. VIII. edidit Const. incipient. *Suscepti muneris la* 39. *Bullar. tom.* 3. in qua propè medium habetur: *Motu* &c. *omnibus, & singulis cujuscumque Ordinis, & Instituti Regularium, etiam Mendicantium Superioribus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac privationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum eo ipso incurrendis pœnis præcipimus, & mandamus, ut juxta prædictum Decretum quilibet ipsorum Regularium &c.* ubi tenorem Decreti allegat, & infra: *Cæterùm si Superior in Regularem delinquentem non animadvertit, quinimò, si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca extra Diœcesim, ut præfertur, transmiserit, volumus, & simili motu, atque authoritate decernimus, ut Superior, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ, ac privationis dignitatum, & officiorum obtentorum, necnon & sub inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac ulteriùs privationis activæ, & passivæ vocis, ad quas à nemine, præterquam à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum Regularem delinquentem à loco, ad quem transmissus fuit, revocare, & in quo deliquit constituere, seu sistere teneatur.*

Quòd si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentes similiter statuimus, ut Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, ut præfertur, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, prædictum Concilii Decretum omninò exequi, & in Regularem delinquentem severè animadvertere possit, & debeat &c. non obstantibus &c.

22 Nota, quòd Regularis delinquens in Ecclesia, seu Monasterio, cum populi scandalo, censetur extra Monasterium delinquere; super quo Sperellus *d. dec.* 38. *nu.* 15. refert Sac. Congregat. Concilii Decretum: quæ ad dubium: *An regularis delinquens notoriè in Ecclesia, seu Monasterio sui Ordinis, in quo degit, ita ut populo scandalo sit, dicatur delinquere extra claustra, ut locus sit dispositioni Conc. cap.* 14. *sess.* 25. *de Regular. Censuit delinquere extra Claustra, si in Ecclesia Monasterii delinquit; nisi clausis portis Ecclesiæ, & solis Regularibus in ea existentibus, fuerit commissum delictum: si vero intra claustra Monasterii, vel Ecclesiæ interioris delictum sit commissum, ex verbis Concilii non videtur procedere d. cap.* 14. *quod expressè dicit, extra claustra; tamen si scandalum*

sit notorium populo, ex identitate rationis idem videtur.

Nota etiam, quòd Episcopus potest procedere ad summariam informationem de delicto à d. Regulari extra claustra commisso, ex dispositione S.C. apud Donat. *prax. tom. 1. p. 2. tract. 13. qu. 54. num. 11.* Quæ ad dubium: *An Episcopus, statim habita notitia delictorum, possit capere informationem, & illam ad Superiorem delinquentis remittere, ut nequeat de illo delicto ignorantiam præsumere?* Respondit, *posse*. Informatio est statim, hoc est, absque mora sumenda, & delinquens quamprimùm cum copia actuum remitti debet ad suos Superiores; ex provisione S. C. apud d. Donatum *num.* 7. ad dubium sibi propositum, ut infra. Quando Regularis extra Claustra notoriè delinquit: *An detinendus sit in carceribus ab Episcopo, donec processus in Curia Episcopali conficiatur, eoque compilato, instante Superiore, remittendus sit ad Superiorum unà cum his probationibus, quæ habentur?* Sac. Congreg. respondit, *statim remittendum esse, etiam posito, quòd Superior nullam instantiam faceret*. Cæterum illud *statim* non physicè, sed moraliter accipiendum est. Piasecus *prax. part. 2. cap. 3. art. 6. sub num.* 23. tempus remissionis restringit ad viginti horas. Sperellus verò: ubi supra, & post eum Panimol. *dec.* 84. *adnot.* 3. *num.* 6. cum communi DD. ad duos dies limitant; & diutiùs per Piasecum, & alios apud Antonellum *de reg. Eccles. lib. 7. cap. 18. numer.* 4. detinere non suspectum de fuga, vel in casu ab jure non permisso, infert excommunicationem Canonis, juxta Gloss. in Clemen. *Frequens de excess. Prælat. ver. Capiunt*. Ex quo colligas, quòd Regularis deprehensus in delicto, ubi timetur de fuga, potest juxta Trident. *sess.* 25. *de refor.* ab Episcopo capi per suos Ministros, & recta duci ad suum Superiorem, cum instantia, ut intra certum tempus eum puniat.

23 At urgent: Regularem existentem intra claustra, & extra ipsa delinquentem, esse ab Episcopo puniendum, videtur concludi *ex cap. Volentes, de privileg. in 6.* innovato à Trident. *sess. 7. cap. 14. de reformat.* occasione cujus sequens dubium excitatur. An Regulares ratione *delicti commissi*, seu *contractus initi*, aut *rei existentis extra locum exemptum*, subjiciantur Ordinariorum jurisdictioni; & an ligentur excommunicatione Episcopi edicta proposita?

Quantùm ad primum exemptio in similibus fuit Regularibus à nonnullis Episcopis controversa. Qui considerarunt: vel privilegia exemptionum fuerunt dd. Regularibus data ante *dict. cap. Volentes*, vel post; si ante, fuerunt posteà eadem privilegia restricta per *dict. cap.* ut locum non habeant in tribus casibus ibi exceptis, hoc est, cùm exempti *delinquunt, seu contrahunt, aut res litigiosa* est in loco non exempto; quod procedit, quantumcumque exemptiones sint amplæ, prout significat textus in illis verbis: *Quantumcumque sic exempti gaudeant libertate.*

Si verò privilegia fuerunt concessa post d. Caput: cùm illud editum fuerit in Concilio Lugdunensi, non valent privilegia exemptionum, nisi in eis Concilio generali fuerit expressè, & specialiter derogatum, *cap. Ex parte, de Capell. Monachor. §. Cùm autem.*

Quinimò, quamvis fuisset in illis dicto Concilio specialiter derogatum, adhuc non subsisterent, quia, per Trident. fuerunt sublata; nam *d. cap.* 14. mandat in causis exemptorum servandum esse alleg. *cap. Volentes.* Tridentino posteà successit Constit. Pii IV. incip. *In Principis la* 94. *Bullar. tom.* 2. in qua amplissimis clausulis derogatur privilegiis, exemptionibus, & indultis in favoré quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium, locorum, ac personarum Regularium, in his, quæ Decretis Tridentini Concilii adversantur. Et post Concilium confirmationes privilegiorum non solent concedi, nisi cum clausula: *Dummodò Decretis Concilii Trid. non sit contraria*. Et ita videtur, Regulares non posse se privilegiis tueri adversùs ordinariam jurisdictionem, nisi cùm delinquunt, seu contrahunt, aut res, de qua contra ipso agitur, sita est in loco exempto.

24 Sed his non obstantibus, dicendum est, tam prædictam Decretalem, quàm Decretum Triden. Regularium exemptionem non afficere. Non obstat Decretalis, quia Regulares sunt exempti cum specifica expressione *delicti commissi*, seu *contractus initi*, aut *rei litigiosæ*, etiam in loco non exempto, & expressa derogatione d. Decretalis, ut in Const. Sixti IV. *la 6. in Bull. to.* 1. incip. *Regimini*, Mare magnum appellata (seu collectio privilegiorum) edita pro Ord. Min.

Min. ubi § .9. hæc sunt: *Et ne prætextu Constit. Innoc. Papæ IV. quæ incip. Volentes, locorum diœcesani, & alii Ordinarii, &c. districtiùs inhibemus, ne quisquam absque dictæ Sedis speciali commissione, & auctoritate, in personas, domos, & loca dict. Ordinis Fratrum Minorum, utpotè prorsùs exempta, aliquas excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias specialiter, vel generaliter, quomodolibet promulgare, aut in personas, & loca hujusmodi aliquam præeminentiam, superioritatem, &c. & jurisdictionem quomodolibet exercere præsumant, etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei, de qua ageretur, ubicumque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat.* Idem exemptionis privilegium cum prætacta clausula habetur pariter in Constit. *Regimini*, ejusdem Sixti, *la* 7. ibi Mare magnum item nuncupata Frat. Prædicator. Aliique Regulares habent simile privilegium, ut notavit Fagnan. in 5. *ad cap. Tuarum, de privileg. num.* 19. Ibique ponderandum est illud, *Ubicumque*, quod omnem locum tam exemptum, quàm non exemptum comprehendit.

Quapropter cum Regulares generaliter sint specialiter privilegiati, etiam ratione delicti perpetrati, contractus initi, ac rei sitæ in loco non exempto, sequitur non includi sub dispositione *dict. cap. Volentes*; nec in Decreto Concilii Trident. *sess.* 7. *cap.* 14. quod illud innovat, & servari tantùm jubet in ordine ad eos, qui exempti non sunt, cum specifica expressione illorum trium casuum.

Nec obstant verba in calce capitis apposita: *Privilegiis, exemptionibus, conservatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adversus præmissa nequaquam valituris.* Quoniam hæc referuntur ad duos casus, ibi proximè enunciatos; nec tollunt privilegia, sed solùm declarant illa non prodesse in casibus *mercedum*, nimirùm, *& miserabilium personarum*. Quinimò etiam in illis est observandum, Decretum restringi ad Regulares existentes extra claustra, ibi: *Extra Monasterium degentes.*

Nec super eo est ampliùs dubitandi locus, si textus Trid. ponderentur; & maximè *cap.* 5. *sess.* 14. *de reform.* ubi decernitur. Primò, ut litteræ conservatoriæ nemini suffragentur, quin in causis criminalibus, & mixtis possit coram Episcopo suo accusari, & conveniri, & contra eum inquiri; & procedi. Secundò, præscribitur certa forma in causis civilibus observanda. Tertiò, in causis mercedum, aut miserabilium personarum jubet observari dict. decretum *sess.* 7. *cap.* 14. Quartò tandem, præservantur privilegia Regularium his verbis: *Regularia loca, eorumque personæ in præsenti canone minimè comprehensæ, sed exemptæ omninò sint, & intelligantur.* Ex quo contextu apertissimè colligitur, Regulares degentes intra claustra, nec ratione delicti in causis criminalibus, nec ratione contractus, aut rei sitæ, in causis civilibus posse coram Episcopo accusari, aut conveniri; sed eorum exemptiones salvas permanere. Estque clarus textus *in cap.* 14. *sess.* 25. *de regul.* & aperta mens Sac. Congreg. Conc. Quæ aliàs conquerenti Episcopo Mantuano, quòd Regulares pro contractibus, vel debitis non sinerent se in prima instantia coram locorum Ordinariis conveniri, censuit, *Si hi Regulares extra claustra Monasterii degant, servandum esse, quod dicitur sess.* 7. *cap.* 14. *Si intra Monasteria maneant, conveniendos esse coram Superioribus, vel Conservatoribus eorum, non autem coram Ordinariis; ut alibi.*

25 Subsecuta est deindè alia ejusdem Congreg. declaratio, ut infrà: *Expositum fuit à Procuratore Ord. Carmelit. quod in Hispaniarum Regnis, quidam Ordinarii locorum contenderent Religiosos intra claustra degentes, coram ipsis Ordinariis conveniri debere in causis civilibus, cap. Volentes, de privileg. in 6. comprehensis, propter illos innovationem à Concil. Trident. factam sess. 7. cap. 14. eosque in prima instantia coram ipsis Ordinariis conveniri debere, ex Decreto ejusdem Trid. sess. 24. cap. 20. de reform. Ipsa censuit, neque in Constitutione generali in Concil. Lugdunensi edita, quæ incip. Volentes, neque Decreto Conc. Trid. cap. 14. sess. 7. comprehendi Regulares; ideòque eos juxta eorum privilegia coram suis Superioribus, vel Conservatoribus esse conveniendos; nec non Decretum ejusdem Concilii loco dict. c. 20. sess. 24. ad Regulares non pertinere, nec eorum conservatorias imminuere, nec quoad primam illorum instantiam aliquid novi inducere.*

Quàm

Quam declarationem posteà observari mandavit Paulus V. Constit. incip. *Religiosorum*, *la* 34. *in Bullar. tom.* 3. decernens irritum, & inane, quidquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Ex quibus patet ad rationem in oppositum. Præsertim quia quoad hoc privilegia Regularium non adversari Trident. jam satis constat. Et proindè Const. Pii IV. hìc non applicatur, ex Fagnano ibid. in fine. Videatur Barbosa in Trid. ad *d. cap.* 14. *sess.* 7.

26 Quantum ad secundum in dubio prætactum. Jam vidimus supra *num.* 24. in privilegiis Regularium expressè inhiberi Ordinariis, ne absque speciali commissione Sedis Apostolicæ præsumant in personas Regularium promulgare aliquam sententiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti specialiter, vel generaliter. Et quatenùs promulgent non ligant, prout in d. Mari magno expressiùs habetur. Quod nunc etiam suffragatur in his casibus, in quibus adhuc durat eorum exemptio. Et in dubio, vel obscuritate privilegii recurrendum est ad Sedem Apostolicam pro declaratione, juxtà Constit. Clem. X. *Superna* 7. *Bullar. tom.* 5.

27 Propterea cum Litteræ Apostolicæ, & Tridentinum committunt Ordinariis, ut procedant per censuras, vel pœnas, tamquam Sedis Apostolicæ delegati, frustrà Regulares opponunt privilegia exemptionis; nam Papa nunquam aliquem ita eximit, quin possit per se, vel suos delegatos procedere. Inde est commune apud DD. quòd dum Pontifex constituit aliquem delegatum contra exemptos, non est opus, ut derogetur privilegio exemptionis; nam Papa nullum à sua jurisdictione eximit.

Considerari hìc etiam potest, quòd in casibus particularibus debent ponderari circumstantiæ; an sit casus, in quo Episcopus vigore Tridentini, aut Constitutionum Apostolicarum habeat iurisdictionem in Regulares; & tunc poterit etiam eorum Ecclesias interdicto locali supponere. Cùm verò essemus in casu, in quo eis talis iurisdictio non daretur, ut si ageretur de delicto Religiosi intra claustra, non respiciente casus exceptos, ut curæ animarum, administrationis Sacramentorum, immunitatis Ecclesiasticæ, &c. tunc interdictum apponere non posset. Cæterùm si occurreret casus; in quo concurreret delictum à populo in eorum Ecclesia commissum, & ea abutente, tunc ratione scandali, & punitionis populi sibi subjecti posset dictam Ecclesiam interdicto subjicere; non obstantibus privilegiis, quòd non possint censuris affici, nisi à Papa; quia mens concedentis privilegium fuit quidem privilegiare exemptos, non verò, ne populus Episcopo commissus puniri non valeat ea pœna, quam Episcopus judicat congruam, illi interdicendo Ecclesiam, qua abusus est, ut optimè Card. de Luca apud Petra *comment. ad Const.* 2. *Anastasii IV. sect.* 3. *num.* 14.

Advertendum, quòd Prælatus Regularis non potest interdicto supponere Ecclesiam sibi subjectam, licèt valeat suos subditos Regulares censuris coercere, ex eo, quod ipsa censura interdicti localis respicit potiùs punitionem populi, qui Ordinario loci, non autem Superiori Regulari subditus est, ut apud eundem plures; & in terminis emanavit à Sac. Congregat. Episcop. decretum in Neapolitana in causa inter Abbatem Canonicorum Regularium Sancti Petri ad Aram, & Cardinalem Archiepiscopum, dum ille processit ad interdictum Ecclesiæ Monialium, nuncupatæ; *Regina Cœli*, eidem subjectæ; & Sac. Congregat. dubio disputato, resolvit, *Pro nullitate, & actus temeritate*, Cardin. de Luca, *disc.* 99. *de jurisd.*

Caveant etiam Regulares: dum censuris contra Religiosos sibi subditos procedunt, ne monitoria, aut cedulones affigant foribus Ecclesiæ, aut muris ea parte, qua respiciunt extra clausuram, quia hujusmodi loca censentur esse extra territorium ipsorum, & de territorio Ordinarii, in quo ipsi jurisdictionem non habent.

Quæritur. An Episcopus procedere possit adversùs Regulares bis in die celebrantes?

Resp. Affirmativè, & quidem etiam censuris, juxtà Tridentin. in *Decret. de obser. & evit. in celebr. Miss. sess.* 22. Res enim est certa; nam nulli Sacerdoti, etiam sæculari, licet (excepto die Nativitatis Domini, juxta text. in *cap. Consuluisti, de* ce-

celebrat. Missar.) bis in die celebrare, ut habetur ex *cap. Te referente eod. tit.* ibi: *Cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat; nam & valdè est felix, qui celebrat dignè unam*. Quod sanè importat præceptum, non consilium, contra Ameno *de pœn. tit.* 8. §. 3. *num.* 29. ubi nimis laxè, & contra praxim Ecclesiæ, ac Sacros Canones. scripsit quemlibet Sacerdotem ex causa necessitatis posse licitè bis in die celebrare; propter quod etiam fortè fuit à Sac. Congreg. indicis proscriptus. Lege Gonzalez *in* 3. *tit.* 8. *cap.* 3. *num.* 2. ubi exponit illud, *Nisi causa necessitatis*, ut *in d. cap. Consuluisti*, & Fagnan. *in* 5. *ad c. In ordinando, de simon. num.* 33. ubi refert à Sac. Congreg. Conc. 28. Februarii 1602. mandatum fuisse Episcopo Vicen. ne licentiam ullam bis in die celebrandi ullo modo concederet.

28 Quæritur. Regularis sine sui Superioris facultate, & in scriptis recepta, à suo Conventu recedens, ad aliquem locum se confert: petitur, an possit ab Episcopo puniri?

Resp. Affirmativè, per expressa à Trid. *in cap.* 4. *sess.* 25. *de Regul.* ibi: *Nec liceat Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertur sui instituti puniatur*. Vide, quæ dico supra *c.* 5. *num.* 12. *&* 13. de eo, qui irreparabili gravamine vexatus ad Superiorem recurrit.

29 Quæritur. Erigitur de novo Conventus, in quo ex consuetis eleemosynis, vel redditibus non possunt competenter sustentari saltem duodecim Religiosi: petitur, an subsit jurisdictoni, & visitationi Ordinariorum?

Resp. Affirmativè, prout expressè *in Const. Nuper, de celebrat. Missarum*, §. 16. *deinceps*. Quam refero supra *cap.* 10. *num.* 9.

30 Quæritur. Episcopis in dict. Const. *Inscrutabili* Gregor. XV. & Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 11. subiiciuntur Regulares curam animarum exercentes, adeòut possint eos visitare, & corrigere, si delinquant in pertinentibus ad dict. curam: petitur, an possit etiam visitare Monasteria, in quibus ipsi Regulares degunt?

Resp. Negativè, Super quo Pignatellus *tom.* 7. *consult.* 8. *num.* 26. refert Sacr. Congr. Conc. declarationem, ut infra: *Regulares curam animarum exercentes in Monasteriis possunt ab Ordinario visitari, non autem ipsa Monasteria, præter ea loca, & res, quæ pertinent ad curam animarum*.

31 Quæritur. An Episcopus in visitatione clausuræ Monasterii Monialium possit secum ducere laicos?

Resp. Negativè, juxtà declarationem Sacr. Congreg. Episcoporum, & Regularium, quæ prohibuit laicos ullo modo intervenire posse visitationi Monasteriorum Monialium, ut in Tarvisina 20. Novembris 1601. etiam si essent Officiales Monasterii, ut in Januen. 16. Januarii 1607. & in Lucana 22. Januarii 1616. in regesto *fol.* 2. *&* 3. apud Fagnan. *in* 1. *ad cap. Ut juxta, de offic. ordin. num.* 23. Idemque constat ex declaratoria Gregorii XIII. *Dubiis sub la* 28. *tom.* 2. ubi: *Nos* &c. *declaramus omnes tam sæculares, quàm Regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, & paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis comitat*. Ubi ponderandum per illud, *Religiosis personis comitati*, excludi laicos.

Sed quoniam in dicta declaratoria Gregorii non determinatur numerus personarum, quas Prælati possunt secum ducere intra septa Monasterii Monialium, oritur dubium, quot Visitatores possint assumere?

32 Super quo respondetur, ubi sermo sit de Visitatoribus Regularibus, numerus præfinitur in *Const.* Felicis Alex. VII. quam refero *cap.* 11. *num.* 2. ubi §. 5. statuitur: *Si visitet Generalis, possit secum habere duos socios: si alius à Generali, unum tantùm, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii*. Si verò Episcopus visitet, nullus numerus est in Gregoriana, aut Alexandrina determinatus. Verùm debet attendi ad illa verba, *Et paucis comitati*. Et cum significatio illius verbi, *Pauci*, in iure sit varia, relinquitur arbitrio iudicis, ut notavit Gloss. *in cap. Statutum*, §. *Insuper*, *in verb. paucis*, *de rescriptis*

ptis

ptis in 6. & in cap. Cupientes, §. *Ad quæ*, *in verb. Contradicentium*, *de elect. eodem lib.* ibi: *Sed quot dicemus paucos? hoc relinquam arbitrio judicantis*. Quinimò observat Fagnan. *ad dict. cap. Ut juxtà num.* 30. Gregorianam recipere interpretationem positivam à Clemet. *Attendentes*, §. *Ipsos autem*, *de statu Monachor.* In qua numerus personarum, quas Episcopus potest secum ducere, ad octo taxatur. Quapropter si plures introduceret, certè pœnas Constitutionis non evaderet. Sed quia posset dubitari, an dicta Constitutio Gregor. restringat numerum personarum concessarum in d. Clementina, ideò Episcopi, ut securiùs procedant, debent paucioribus esse contenti.

33 Quæritur. An Episcopus possit visitare Monasteria Regularium eo prætextu, quòd eorum Superiores sint negligentes?

Responsio patet, ut infrà: *Sac. Congreg. Card. Conc. Trident. interpretum censuit*, *non licere Ordinariis locorum Monasteria Regularium eo prætextu visitare*, *& corrigere*, *quòd illorum Superiores admoniti intra sex menses*, *illa non visitaverint*, *vel correxerint*, *nisi eadem Monasteria*, *vel sub Commenda existant*, *ex Decreto cap.* 8. *sess.* 21. *vel suorum Ordinum capitibus non subsint*, *ac se se in Congregationes redigere neglexerint*, *juxta cap.* 8. *sess.* 25. *de Regul.* Die 20. Februarii 1616. ex Piasec. *cit. art.* 6. *num.* 32.

34 Quæritur. An Abbates Commendatarii possint in Monasteriis Regularium commendatis se ingerere in iis, quæ concernunt Regularia instituta, & disciplinam Regularem?

Videtur affirmandum propter clausulam adjectam litteris Apostolicis; quæ expediuntur super Monasteriorum Commendis: *In quibus hujusmodi Monasteriorum cura*, *regimen*, *& administratio tam in spiritualibus*, *quàm temporalibus*, *eis plenariè committitur*.

Verùm hoc non obstante, negativa est certa, ad textum Decreti Concilii Trid. *sess.* 25. *cap.* 20. *de regul.* & expressè legitur dispositum ab Innoc. X. *Const. Pastoralis*, *la* 62. *Bullar. tom.* 5. quoad Commendatarios Monasteriorum Ord. Cistercien. Quæ fuit innovata ab. Alex. VII. *Const. Exponit*, *la* 6. *ibid.* ubi statutum, ac declaratum est, quòd obtinentes Monasteria in Commendam, etiamsi fuerint S. R. E. Cardinales nullam in Monasteriis sibi commendatis quoad eorum Monachos jurisdictionem exercere possunt.

Nec obstat ratio in contrarium. Nam resistit dispositiva Constitutionis ejusdem Alexandri, ibi §. 2. *Tenore præsentium declaramus*, *decernimus*, *ac statuimus*, *non licere Commendatariis Priores*, *Sub-Priores*, *aut Officiales Claustrales instituere*, *ac destituere*, *visitare Monachos*, *eosdemque corrigere*, *nec facultates eisdem in litteris Apostolicis concessas*, *& expressas*, *prout supra*, *ad ea*, *quæ institutum Regulare concernunt*, *ac tenore prædictorum privilegiorum*, *& Sacri Concilii dispositione*, *Monastico regimini relinquuntur*, *trahi posse*, *ac debere*. Similia habentur *in Const. Sacrosancti*, *la* 32. *ejusdem Alex.* edita favore Monasteriorum Camaldulensium. Ideò clausula illa, *in quibus*, intelligenda est quoad cætera, quæ regularem disciplinam, & institutum regulare non respiciunt.

35 Juxta quæ dicendum pariter, Eminentissimos DD. Cardinales habentes hìc Romæ in titulum Ecclesias Regularium non posse se immiscere in iis, quæ concernunt Regularia instituta, ut dixit Nicol. Flosc. *ver. Cardinalis sub num.* 13. De iurisdictione Cardinalium in suis titulis agit Fagnan. in 1. *ad cap. His quæ*, *de majorit. & obedient. num.* 19. *& seqq.* Et *in.* 5. *ad cap. Ne pro dilatione*, *de pœnit. & remiss. num.* 42. refert ipsos in suis titulis habere iurisdictionem quasi Episcopalem, sed uti non posse facultatibus, quæ à Concilio *sess.* 24. *cap.* 6. Episcopis sunt tributæ, ut declaravit Sanctissimus; quia licèt habeant in suis titulis iurisdictionem quasi Episcopalem, ibi tamen non sunt verè, & propriè Episcopi.

36 Quare in Ecclesiis Regularium proprii tituli possunt de spectantibus ad celebrationem Missarum inquirere, de redditibus Ecclesiæ rationem exigere, sacras supellectiles, & alia, quæ respiciunt servitium Ecclesiæ titularis, & circa cultum Divinum, visitare, ac inspicere, iuxtà *Const. Leonis X. Supremæ*, *la* 7. *Bullar. tom.* 1. *& Const. Sixti V. Religiosa*, *la* 55. *Bullar. tom.* 2. Ipsos verò Regulares in pertinentibus ad Regularem disciplinam, & Regularia instituta, utpotè exemptos, visitare, vel corrigere ne-

nequeunt; nam ad hunc effectum habent proprios Superiores, per quos secundùm Ordinis statuta diriguntur, & in observantia continentur. De qua re agit etiam Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 117. *num.* 93.

37 An autem Episcopi possint se ingerere circa bona Regularium, extra claustra vagantium? Videri potest Constitutio Gregorii XIII. *Officii Nostri* 43. *Bull. to.* 1. in qua declaratur, bona Regularium extra claustra Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, & Regularium locorum degentium, quocumque jure, & actione ad eos pervenerint, spectare ad Cameram Apostolicam.

Quæritur. *An Vicarius Capitularis possit visitare clausuram Monasteriorum Monialium de regimine Regularium?*

Resp. Affirmativè cum Gavanto *man. verb. cap. Sede vacant. in addit. num.* 19. Antonello *de regim. Eccles. lib.* 4. *cap. ult.* §. 2. *num.* 20. Monacello *tom* 3. *formular. tit.* 1. *form.* 41. *num.* 30. Ventriglia *prax. tom.* 2. *annot.* 15. §. 1. *num.* 19. Pelizzario *de Monialib. cap.* 10. *sect.* 1. *sub sect.* 1. *num.* 6. contra Nicol. Flosc. *verb. Vicar. cap. num.* 73. & Diana *coord. tom.* 3. *tract.* 5. *resol.* 37. *num.* 4. Doctores allegati cum Piaseco *prax. in procem. num.* 22. considerarunt, quòd jurisdictio, quæ à jure, vel Concilio est in perpetuum commissa muneri, & dignitati Episcopali non in bonum Episcopi, sed subditorum, in quos ipsa exerceri debeat, sit in perpetuum tradita, & potiùs habet vim ordinariæ, quàm delegatæ, quæ ipsis concordantibus transit ad Capitulum, Sede vacante, & ab eo transmittitur in Vicarium, quem eligit. Jurisdictio autem commissa Episcopis circa clausuram Monialium, ab jure, & consilio procedit, ab jure quidem, ut *in cap. Periculoso, de stat. regul. in* 6. à consilio etiam, ut in Tridentino *cap.* 5. *sess.* 25. *de regul. & monialib.* & inde perpetua est, & ad Capitulum transit; atque ita Vicarius capitularis poterit visitare clausuram dictorum Monasteriorum, & ea alia præstare, quæ posset Episcopus, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, vel *Sedis Apostolicæ auctoritate*; quidquid dixerit Bruno Cassa ingr. *de privil.* & Bannius *theol. moral. p.* 1. *tr.* 11. *quæst.* 24.

Nec obstat, quòd Rota in una Burgen. visitationis coram Orano 1. Junii 1588. dixerit, Capitulum Sede vacante posse visitare etiam Monasteria Monialium non exempta, non autem exempta; quia Rota procedit quoad Monasteria exempta immediatè Sedi Apostolicæ subiecta, de quibus disponit Tridentinum *dict. sess. c.* 9. non verò de illis, quæ à Regularibus gubernantur. Imò allegatus Ventrigl. tradit, quòd verior sententia sit, posse Capitulum, Sede vacante, etiam dicta Monasteria Monialium immediatè subiecta Sedi Apostolicæ per suum Vicarium visitare; nec aliter præsumendum est de mente Concilii, ne Moniales ipsæ tempore Sedis vacantis careant Gubernatore, & Superiore, & allegat Garzia *de benefic.* 5. *p. cap.* 7. *sub num.* 47. Tambur. *de jur. Abbatiss. disp.* 23. *q.* 4. *num.* 4.

Quæ autem alia possit, vel non, Vicarius Capitularis, referunt allegati, eos videas, cùm meum non sit hìc illa recensere.

38 Hic nota, quòd Fratres Ordin. Minor. qui ad Episcopatum, vel alias superiores Dignitates promoventur, tenentur libros, & alia, quæ habent tempore promotionis, Ordini medio Generali, vel Provincialibus respectivè resignare, *Const. Ex parte, la* 5. Alexan. IV. *Bull. tom.* 1.

39 Concludendum, quòd licet Regulares quantum ad plura sit exempti ab jurisdictionem Episcopi, in nullo tamen eximuntur ab jure reverentiali, cùm ipsis debeant reverentiam exibere, juxta text. *in Const. Dum intra* 22. *Leonis X. Bull. tom.* 1. in qua Pontifex eos §. 23. sic alloquitur: *Eosdem insuper Fratres in virtute Sanctæ Obedientiæ monemus* (hoc est, præcipimus) *ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita, & nostra, ac Apostolicæ Sedis reverentia congruo honore, & convenienti observantia venerantur.* Reverendissimos verò Episcopos monet, ut infrà: *Ipsosque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ Dei Nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitativè tractent, ac benignè foveant, seque illis minime difficiles, aut duros, vel morosos, sed potiùs faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exibeant, ac in omnibus prætactis* (de quibus Constitutio) *tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta beni-*

nignitate recipiant , eorumque jura omni cum charitate custodiant, atque defendant . Ut tam Episcopi, quàm Fratres præfati (quorum opera veluti Lucernæ ardentes supra montem positæ omnibus Christi fidelibus lumen præber e debent (ad Dei laudem, Fidei Catholicæ exaltationem, populorumque salutem de virtute in virtutem proficiant.

40 Regulares itaque limites exemptionis excedere non possunt, ut ex *alleg. cap. Volentes*. Episcopi verò eis privilegia à Sancta Sede concessa, adhuc subsistentia , & non revocata, eis servare debent; ex d. *Clement. Frequens*, & *Const. Leonis*. Dixi *adhuc subsistentia* , & *non revocata* ; quia revocata iam recesserunt ab esse, & tanquam non fuisse censentur.

41 Quæ omnia, & singula humillimo obsequio submitto infallibili iudicio, & lituræ Apostolicæ Sedis. Quatenus verò sit opus , quidquid Catholicæ doctrinæ consonum non sit, sincera corde promptè retracto. *Ut quicumque ista lecturi sunt , non me imitentur errantem, sed in melius proficientem* ; ut loquar phrasi Augustini *in prolog. ad lib. retract.*

L A U S D E O.

INDEX

INDEX
RERUM MAXIME NOTABILIUM.

Primus numerus marginalem, secundus paginam præmonstrat.

A

Abbas. Commendatarius non potest se ingerere in visitatione Religiosorum, 34. p. 460.
Abbatissa. Eligitur per vota secrata, 1. p. 1.
Electa per vota ex ignorantia non secreta non sustinetur, 3. p. 2.
Triennium officii non excedit, & post triennium vacat, 6. ibi.
Electa pro secundo triennio, ex gratia Sac. Congreg. pro tertio eget alia dispensatione, 6. p. 3.
Superiores non habent suffragium in electione, 7. ibi.
Episcopus potest assistere cum Superiore electioni Abbatissæ Monasterii exempti 8. ibi.
Cum Episcopo non assistit Vicarius, Notarius, vel Cancellarius, nisi sit consuetudo, ibi.
Vota accipiuntur, & adnotantur à Superiore Regulari, 9. p. 3.
Abbatissa exempta à Regulari confirmatur, 11. pag. 4.
Confirmationi annuali cum Regulari non assistit Episcopus, ibi.
Tertia Soror est ineligibilis, 12. ibi.
Quæ in Monasteriis de regimine Frat. Min. careant voce in electione, 14. p. 5.
Electio Abbatissæ facta interventu pecuniæ est simoniaca, 28. p. 397.
Abbatissæ non competit jurisdictio spectans ad claves, & dependens ab Ordine. 29. ibi.
Abortus. Procurans abortum fœtus animati est irregularis, 28. p. 285.
Absolutio. Absolutus in mortis articulo à censura reservata, cessante impedimento, se præsentat reservatori, 10. p. 7.
Quæ electionibus præmittitur, dirigitur ad præsentes, 18. p. 309.
Prælati Regulares non absolvunt suos subditos admittentes Mulieres intra Claustra Conventuum, 28. p. 312.
Nec ingredientes Clausuram Monialium. 29. ibi.
Neque Moniales sibi subditas violantes Clausuram, ibi. p. 313.
Absolutiones quæ fiunt tempore visitationis, cadunt super censuris dubiis, vel oblitis, 30. p. 313.
Accessus. Ad Monasteria Monialium sine licentia est Clericis, & laicis interdictus, p. 9.
Vide verb. Allocutio.
Accusatio. In libello accusationis exprimitur delictum, & delinquens, 46. p. 426.
Accusator. Debet respondere defensionibus à reo productis, 73. p. 432.
Actor. Eo non probante, reus absolvitur, 71. pag. 431.
Actus. Frequentia plures actus importat, 15. pag. 109.
Super numero actuum inducentium consuetudinem judex pronunciat, ibi. & seq.
Actus Ordini deputatus dicitur, cujus potestas datur in collatione ipsius, 21. p. 284.
Actus ex sua natura aptus ad homicidium concludit irregularitatem, 39. p. 286. & seqq.
Ætas. Ordinatus ante ætatem legitimam est suspensus, 10. p. 275.
Computatur ab hora nativitatis, 12. ibi.
Matura 40. annum petit, 6. ad 21. p. 449.
Alchimia. Clericis prohibita, 30. p. 264.
Alienatio. Parochi non possunt alienare bona Ecclesiæ Parochialis, 20. p. 297.
In alienatione est necessarius assensus Apostolicus, 1. & 4. p. 349. & seqq.
Sine quo res Ecclesiarum non oppignorantur, 15. p. 353.
Alienantes sine eo incurrunt censuram reservatam, 19. p. 354.
Requiritur etiam in alienatione Capellæ, & sepulturæ, 22. p. 355.
De licentia Episcopi possunt alienari terrulæ, & vineolæ, 13. p. 352.
Allocutio. Cum Monialibus absque licentia est Regularibus interdicta, 3. p. 9.
Etiam per quodcumque modicum temporis spatium, 4. ibi.
Licentia obtineri debet ab Episcopo, etiamsi eam Superior Regularis juxtà consuetudinem concesserit, 5. p. 10.
Ad alloquendum cum Abbatissa est necessaria licentia Ordinarii, 17. p. 12. & 6. p. 86. & seqq.
Regularis eget licentia etiam sui Superioris, 18. pag. 13.
Concionatores extra actum concionum nequeũt Moniales alloqui, 4. p. 10. & 6. p. 86. & seq.
Altare. Nisi lapideum consecratur, 21. p. 35.
Quando censeatur execratum, ibi.
Tribus mappis tegitur, 7. p. 438.
Semel violatum, iterùm est cõsecrandũ, 12. p. 33.
Privilegium celebrandi in Altari portatili est sublatum à Tridentino, 79. p. 74. & 87. p. 76.
Episcopus non visitat Altaria de jurepatronatus laicorum, existentia in Ecclesiis Regularium, 62. p. 205.
Nec Altaria Ecclesiarum Regularium non curatarum, 16. p. 453.
Altare privilegiatum. Indulgentia Altaris privilegiati cum certo numero Missarum tempore

Ad-

Adventus, & Quadragesimæ suspenditur, si non celebrentur, 1. ad 1. p. 13.
Excipitur casus infirmitatis, ad 2. ibi.
Suspenditur etiam ob absentiam Canonicorum, ad 3. ibi.
Missæ de festo duplici celebratæ in Altari in perpetuũ, vel ad tẽpus privilegiato, suffragantur, ac si Missæ defunctorũ celebratæ fuissent, 3. p. 14.
Indulgentiæ pro Altaribus privilegiatis non suspenduntur anno Jubilæi, 5 p. 15.
Annatæ. Solutio annatarum non est simoniaca, 37. p. 388.
Annus. Probationis debet esse completus omninò, 4. p. 265.
Et continuus, 16. p. 267.
Naturalis, non civilis, 3. p. 265.
In bissextili expectatur dies, quæ additur, 15. p. 266. & seq.
Anno Sancto non suspenduntur Indulgentiæ pro defunctis, 5. p. 15.
Apostata. Distinguitur à vago, & fugitivo, 1. p. 16.
Licentia præsumpta excusat ab apostasia, 5. p. 17.
Ad apostasiam requiritur, ut elongatio à Conventu sine licentia sit mortifera, 6. ibi.
Appellatio. In appellationibus interponendis recurritur gradatim, 19. p. 19. & seq.
Suspendit jurisdictionẽ judicis inferioris, 2. p. 21.
In ea exprimitur gravamen in scriptis, 3. ibi.
Nisi appelletur à definitiva, 4. ibi.
In interlocutoria causa specificãda est, 5. p. 21. & seq
Tempus ad prosequendam appellationem est annus, & ex causa biennium, 10. p. 23.
Appellatio non suspendit censuram latã, 11. ibi.
In causis visitationis, & correctionis morum admittitur appellatio quoad effectum devolutivum, 18. p. 24.
Censura contra appellantem lata non potest per judicem appellationis relaxari, nisi causa cognita, 21. p. 24.
A Romano Pontifice ad Concilium Generale appellatio non datur 7. p. 214.
Servanda in appellatione in materia electionis, 19. p. 309.
Approbatio. Ad confessiones est declaratio habilitatis ad eas audiendas, 1. p. 5.
Vide in verbo Confessarius, Episcopus, Examen, Regulares & Sacerdos.
Aqua. Daiconus benedicens aquam est irregularis, 20. p. 35.
Archivium. Authoritate legitima debet esse deputatum, 30. p. 109.
Jus archivii quibus competat, ibi.
Aristocratia. Supremam regendi potestatem ponit in Nobilibus, 10. p. 223.
Arma. Lictores Curiæ sæcularis non possunt armis spoliare Clericos, 21. p. 157.
Aromataria. Regulares nisi pro usu proprio retinent aromatarias, 31. p. 264.
Clerici Regulares, & sæculares non possunt sine licentia Papæ exercere officiũ aromatariæ, ibid.
Auxilium. Extraordinarium est necessarium ad vitanda omnia venialia collectivè, 11. p. 363.
Attestatio Exhibenda super adimplemento onerum Missarum, 39. p. 59.

B

BAculus. Pastoralis Episcoporum jurisdictionem limitatam significat, 1. p. 360.
Baldachinum. Episcopo visitaturo Clausuram Monialium non erigitur, 11. ad 4. p. 80.
Regulares debent Episcopo Baldachinum erigere, & quando, 34. p. 134.
Personæ sæculares non possunt extollere Baldachinum in Ecclesiis, 4. p. 194.
Baptismus. An baptizati ab hæreticis sint irregulares, 21. p. 284.
Bellum. Justum requirit legitimam potestatem, & titulum, 31. p. 285
Sacrum est, quod fit contra Infideles authoritate Papæ, ibid.
In bello occidens, vel mutilans est irregularis, 31. p. 285.
Benedictio. Ecclesiastica solemnis fit juxta formulas Ritualis, Missalis, aut Pontificalis, 1. p. 30.
Simplex Sacerdos non potest facere benedictiones rerum constitutivas, 4. ibi.
Ecclesiæ iterùm consecrantur, si ex toto, vel simul parietes decrustentur, 7. p. 31.
Non deperditur consecratio ex dealbatione Ecclesiæ, ibi.
Consecratio, & reconciliatio Ecclesiæ consecratæ pollutæ est actus Ordinis Episcopalis, ibi.
Simplex Sacerdos ex delegatione Episcopi potest reconciliare Ecclesiam polutam, quæ fuit benedicta, non consecrata, ibi.
Ecclesia polluitur violenta sanguinis effusione, 9. p. 32.
Et seminis, 10. ibi.
Et an per copulam conjugalem, ibi.
Polluitur sepultura excommunicati publicè denunciati, 11. p. 33.
Polluta Ecclesia, censetur pollutum cœmeterium ab Ecclesia non remotum, 12. ibi.
Regulares possunt benedicere ova. 25. p. 37.
Beneplacitum Apostolicum. Est principalior solemnitas requisita in alienatione rerum Ecclesiarum, 4. p. 350.
Non requiritur in bonis, quæ servando servari non possunt, 8. p. 351.
Nec in locatione ad triennium, 9. ibi.
Est necessarium in alienanda summa considerabili pecuniæ, 10. ibi.
Non verò in alienatione, quæ fit ex necessitate juris, & regulæ, 12. p 352.
Beneficium. Beneficiati. Permutare sua auctoritate unũ beneficium cum alio est simonia, 17. p. 283.
Resignare beneficium coram Ordinario sub condi-

ditione, ut detur tertiæ personæ, est simonia, 18. ibi.
Beneficia collativa authoritate Episcopi eriguntur, 6. p. 381.
Beneficia curata, & simplicia, 5. ibi.
Beneficiatus debet pro celebratione Missæ tribuere alteri eleemosynam congruam secundùm morem Civitatis, 8. p. 57.
Laici non possunt conferre beneficia Ecclesiastica, 5.6.& 7. p.207.& seqq. & 15. p. 383.
Beneficium Clerico debet esse sufficiens pro congrua sustentatione, 24. p. 278.
Beneficia Ecclesiastica non sunt instituta ad sustinendas dignitates sæculares, 14. p.345.& seq.
Beneficiati debent de necessariis suppellectibus providere Ecclesias beneficiorum, 14. ibi.
Beneficium est jus perpetuum percipiendi redditus Ecclesiasticos, 7. p. 381.
Beneficiatus possessor malæ fidei tenetur distributiones restituere, 33. p. 348. & seq.
Beneficium datur propter officium, 10. p. 382.
Requirit canonicam institutionem, 13. p. 383.
Bibliotheca. Est locus à Superiore deputatus cum libris, & armariis, 21. p. 111.
Surripientes furto libros ex Bibliothecis Fratr Min. ligantur excommunicatione reservata Papæ, ibi. p. 112.
Bigamia. Requirit consummationem matrimonii, 13. p. 283.
Bigami sunt irregulares, 12. ibi.
Cum eis Episcopus non dispensat, 15. ibi.
Nec Regulares cum suis subditis, 16. ibi.
Bona. Transeunt ad Ecclesiasticos cum oneribus certis, & invariabilibus, 1. p. 38.
Et cum onere decimarum, si à laicis solvebantur, 2. ibi.
In catasto descripta, dum perveniunt ad Ecclesiasticos, ab onere collectarum eximuntur, 13. p. 41.
Bona privata Clericorum non possunt oneribus laicalibus onerari, 10. p. 40.
Quæ inter immobilia numerétur, 14. p.352.& seq.
Bona empta ex redditibus Ecclesiæ spectant ad Ecclesiam, 17. p. 345.
Brachium sæculares. Potest invocari à conservatoribus ad exequendas suas sententias, 16. p. 96.
Bulla Cœnæ. Episcopi non possunt absolvere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ, 26. p. 312.
Nec Prælati Regulares suos, 24. p. 311.
Parochus debet abere transumptū ipsius, 24. p. 297
Derogat omnia privilegia sibi contraria, 24. p. 311. & 26. p. 312.

C

CAlix. Alienans Calices sine consensu Apostolico, excommunicatur, 19. p. 354.
Notabiliter exauratus perdit consecrationem, 22. pag. 35.
Campana. Regulares possunt Campanas pulsare, priusquàm pulsentur majoris Ecclesiæ, 2. p. 49.
Die Sabbati Sancti priùs pulsare debent campanæ Ecclesiæ majoris, ibi.
Campanæ non possunt pulsari in Oratoriis privatis, 73. p. 72.
Tempore interdicti pulsantur campanæ ad excitandum populum ad salutandā B.M.V. 10. p. 190.
Et in solemnitate Natalis Domini, & Corporis Christi, 11. ibid.
Et ad vocandos interdictos ad concionem audiendam, 10. ibi.
Canonici. Cathedralis possunt eligi Conservatores Regularium, 2. p. 93.
Non verò Collegiatæ, 6. p. 94.
Sepeliuntur in Catherali, 11. p. 373.
Non possunt substitui, qui servitio Ecclesiæ sunt eodem tempore obstricti, 9. p. 439.
Canonizatio, & Beatificatio. Est de reservatis Romano Pontifici 1. p. 360.
Probandæ sunt virtutes in gradu heroico, & miracula 4. p. 361.
Incorruptibilitas, & fragrantia an præbeat indicium sanctitatis, 31. & 32. p. 367. & seq.
Duo miracula sufficiunt ad beatificationem &c. 33. p. 368.
Capella, & Capellani. Capellæ ad ornàtum Ecclesiæ sine dote erigi possunt, 1. p. 46.
Patronus Capellæ tenetur providere de paramentis, 2. ibi.
Arma demonstrant fundationem Capellæ, 5. p. 46. & seqq. & 35. p. 22.
Concessiones Capellarum quoad usum facti fieri debent de consensu capituli, 10. p. 48.
Capellani, & Beneficiati debent celebrare in loco electo, 46. p. 62.
Capellania collativa, quæ, 6. p. 381.
Capellania aliquando exigit, ut Capellanus sit actu; aliquando verò, ut sit aptitudine Sacerdos, 62. p. 69.
Capellani, & Beneficiati tenentur applicare Missam pro Fundatoribus, nisi applicatio sit expressè relicta eorum liberati, 69.
Capellani Monialium possunt celebrare Missam de Sancto, de quo Officium à Monialibus recitatur, 64. p. 70.
Capellania amovibilis non dat titulum ad Ordines, 2. p. 193.
Capitulum Regulare. Exeunt à loco capituli inter Electores non computantur, 3. p. 305.
Præses capituli non possunt functiones capitulares suspendere, 4. ibi.
Capitula præsumuntur inchoata, dum vocales sunt in Conventu ad electiones deputato, 5. ib
Præses non potest privare vocales voce activa, vel passiva, ipsis non citatis 49. p. 127.
Sententiæ per mensem ante capitulum debent pronunciari, 50. ibi.
Apud Observantes Sancti Franc. electio Provincialis debet fieri die sequenti ad Congrega-

gnationem vocalium, p. 305.
In eo Ordine possunt Prælati Generales prorogare Capitula ad sex menses ultrà triennium, ib. pag. 306.
Præses, qua præses, non habet votum in electionibus, 51. p. 128.
Nec est de substantia electionis, 54. ib.
Capsa. In ea reponuntur eleemosynæ Missarum, 34. p. 58.
Fratrib. Min. de novo prohibita, 45. p. 61.
Carcer. Ab indebita carceratione appellatur, 19. p. 24.
Ad custodiã nimis durus esse non debet, 48. p. 427.
Cardinales. Audientes Missam in Oratoriis DD. Cardinaliũ implent præceptũ Ecclesiæ, 75. p. 73.
Cardinales non possunt extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere Altare ad celebrandum, 86. p. 76.
Possunt à Regularibus eligi Conservatores, 4. p. 93. & seq.
Decedentes Romæ quando sepeliantur in Ecclesia titulari, 9. p. 372.
Repræsentant personas SS. Apostolorum, ibid. p. 373.
Non se ingerunt in visitatione Religiosorum illorm Conventuum, quorum Ecclesias habent in titulum 35. p. 460.
Castratus. Qui sibi virilia amputavit, vel amputari permisit, est irregularis, 19. p. 284.
Castitas. Non ferro, sed Religione quæritur, 19. p. 284.
Casus reservati. Atrociora crimina reservantur, 15. p. 7.
Reservatione inferioris Sacerdotis jurisdictio restringitur, 1. p. 5.
Ab eis Regularis sine licentia non absolvit, 3. ibi.
Indiculus sex casuum reservatorum Sedi Apostolicæ, 7. p. 6.
In articulo mortis nulla est resevatio, 8. ibi.
Absolventes à casibus reservatis sine facultate excommunicantur, & aliis pœnis reservatis ligantur 13. p. 7.
Prælati Regulares possunt certos casus sibi reservare, 39. p. 314.
Facultas ordinaria absolvendi ab illis non est in Superiore locali, 40. p. 315.
Nonnulli Confessarii deputantur à Prælatis in Conventibus pro absolutione à reservatis, ibi.
Causa. In qua Episcopus personam Regularis prævenit, eam prosequitur, 8. ad 4. p. 450.
Causidici. Criminales sunt irregulares, 7. p. 282.
Cæcus. Est ad Prælaturas ineligibilis, 8. p. 306.
Censura. Trahit secum executionem, 15. p. 18. & seq.
Cessatio à divinis non est censura, 16. p. 92.
Ignorantia excusat à censura, nisi sit crassa, vel affectata, 10. & 11. p. 320.
Ligatus censura exercens actum Ordinis Sacri est irregularis, 21. p. 284.
Census. Vitalitius non computatur inter bona immobilia, 11. p. 352.
Chirurgia. Exercens artem Chirurgiæ est irregularis, 40. p. 287.
Chrisma. In benedictione Pixidis non adhibetur, 18. p. 35. & seq.
Chronica. Probanti juspatronus, 36. p. 201.
Faciunt fidem, 37. p. 369.
Cippi Fratribus Minoribus prohibitis, 22. p. 112. & 10. p. 442.
Citatio. Potest fieri ad domum, 23. p. 169.
Citatio testis absentis, 14. p. 421.
Claustrum. Regularis extra claustra degens, & delinquens, punitur ab Ordinario, 20. p. 454.
Intra claustra degens, sed extra cum scandalo populi delinquens, corrigitur à suo Superiore, Episcopo instante, 21. p. 455.
Clausula. Decreti irritantis annullat actum factum contra ejus tenorem, 2. p. 2.
Dummodò in Ecclesia septem Missæ celebrentur; & de ejus effectus, 1. p. 13.
Ad septennium, importat tempus ordinationum concessionis, 2. ibi.
Usque ad beneplacitum, operatur, ut gratia mortem concedentis expiret, 13. p. 28.
Intra breve tempus moraliter, quantum temporis importet, 47. p. 62.
Ad Episcopum, qui nomine Sac. Congreg. Missas reducat, operatur, ut Vicarius Generalis non possit eas moderari, 50. p. 65.
Sensus clausulæ, *In tua vel familia p æsentia*. 74. pag. 73.
Clausula, *Capta informatione extraiudiciali, &c.* non operatur, ut sint omittenda necessaria ad judicium 11. p. 95 & 16. p. 110.
Clausula. Quibus eligitur industria personæ, 25. p. 248.
Clausula, *Arbitrio tuo*, intelligitur de arbitrio ratione regulato, 18. ibi. & 15. p. 276.
Clausula, *Dummodò Sacris Canonibus &c.* quid importet, 30. p. 249.
Sensus clausulæ, *Magistro in Theologia*, 34. p. 250.
Clausula, *Reservato assensu Sedis Apostolicæ, nec aliter, nec alio modo*, nõ liberat à pœnis, 17. p. 353.
De licentia tamen Superiorum, intelligitur de licentia Generalis & Provincialis, 30. p. 279.
Si hæres gravatus sine filiis decesserit, non excluditur substitutus fideicommissarius à filiis naturalibus, 38. p. 414.
Clausura. Episcopus ad custodiendam clausuram Monialium potest uti censuris, 6. p. 11.
Visitat clausuram exemptarum, etiam sine assistentia Superiorum Regularium, 9. ibi. & 1. p. 77. & 7. p. 79.
Generalis, vel Provincialis semel tantùm in anno ingrediuntur clausuram, causa visitationis localis, 2. p. 77.
Urgente necessitate ingrediendi pluries in anno, est necessaria licentia Ordinarii, §. 2. ibi.

Superior Regularis debet per se ipsum interiorem clausuram visitare §. 3. ib.
Visitatio est absolvenda ante occasum Solis, ib.
Non potest visitator in Monasterio sumere refectionem, §. 4. p. 78.
Generalis potest secum duos socios assumere, 3. §. 5. ib.
Visitatio personalis Monialium fit extra clausuram §. 8. ib.
Episcopus imponere potest excommunicationem circa aperitionem ostii clausuræ, 8. p. 79.
Episcopis in visitatione clausuræ non licet quoscumque indeterminatè secum ducere, 12. ad 5. ib. & 31. p. 459.
Moniales non tenentur excipere Episcopum cum Cruce, & Cantico Benedictus, 12. ad 6. & 7. p. 80.
Habentes licentias ingrediendi clausuram, eis uti non possunt, nisi in casibus necessariis, 14. ib.
Monialis ascendens supra tectum Monasterii violat clausuram, 17. p. 81.
Licentiæ ad ingrediendū clausuram Monialium non exequuntur absque ipsarum causa, 18. ib.
Nomine clausuræ veniunt dormitoria, claustra, & officinæ, 20. ib.
Introducentes pueros, & puellas in Monasteriorum clausuram, sunt excommunicati, 22. p. 256. & seqq.
Monialis ponens se toto corpore extra clausuram eam violat, 20. p. 81.
Ingrediens clausuram absque licentia, pro absolutione recurrit ad S. Pænitentiariam, 15. p. 81.
Clericatus. Probatur litteris, & testibus, 14. p. 154.
Clericus. Non potest se obligare ad collectas, 16. p. 42.
Bonæ famæ potest pernoctare ultra triduum in Conventibus Minor. de Obser. 21. p. 105.
Conveniēdus est corā proprio Episcopo, 3. p. 152.
Beneficiatus convenitur pro beneficio coram Episcopo loci beneficii, 4. p. 152.
Primæ tonsuræ habitum, & tonsuram non deferens privatur eo ipso beneficio Ecclesiastico, 9. p. 153.
Repertus cum armis est exemptus à potestate laica, 15. p. 155.
In causa propria potest esse accusator, cum protestatione, quod non intendit sanguinē, 9. p. 282.
Potest in bellis Sacramenta ministrare, 36. p. 286.
Quando perdat privilegium Clericale, 7. p. 318
Prius est esse Clericum, quàm beneficiatum, 14. p. 383.
Codicillus. Inservit ad explicandum testamentum, 1. p. 418.
Fieri potest viva voce, 2. ib.
Etiam à decedente intestato, 3. ib.
Clausula codicillaris, *Si hæc mea dispositio non valet*, &c. 5. ib.
Illa, *Valeat omni meliori modo*, in fine testamenti habet vim Codicillaris, 6. ib.
Collectæ. Non descendunt ad Ecclesiasticos cum bonis de novo acquisitis, 6. pag. 39. & 11. p. 40.
Non solvuntur pro fructibus, 19. p. 43.
Collecta est onus principaliter impositum personis cum respectu ad res, 12. p. 41.
Clerici non possunt se obligare ad solvendas collectas, 16. p. 42.
Colloni. Ecclesiasticorum sunt exempti ab oneribus laicalibus, 18. p. 43.
Nisi habeant bona propria, 20. p. 44.
Coloni agrorum mensæ Episcopalis gaudent privilegio fori, 21. ib.
Color. Paramentorum non potest ad libitum variari. 18. p. 151.
Commissarius. Delegatus ad universitatem causarum cæteros præcedit, 24. p. 422.
Commissio. Facta dignitati transit ad successores, 20. p. 246.
Commodum. Pacisci de commodo electionis est simonia, 22. p. 396.
Communicatio privilegiorum. Non extenditur ad officia Sanctorum, 13. p. 149.
Ex sola privilegiorum communicatione non additur Litaniis, & Confiteor nomen Fundatoris, 14 ad 3. p. 150.
Non suffragatur quoad privilegia revocata, 14. p. 191. 8. p. 275.
Concilium. Decreta Concilii Generalis non sunt infallibilia, antequam à Papa confirmentur, 3. & 4. p. 213.
Judicium Episcoporum in Conciliis non est ultimò decisivum, 4. ib.
Patres in Conciliis petunt confirmationem à Romano Pontifice, 6. p. 214.
Decreta Conciliorum, posita confirmatione, dicuntur acta Papæ, 5. p. 214.
Concilium Pisanum, 12. p. 216.
Concilium Constantiense, 13. ib.
Concilium Basileense, 16. p. 217.
Tridentinum revocat privilegia sibi contraria, 6. & 8. p. 274.
In Conciliis præservatur authoritas Romani Pontificis, 3. p. 219. & 7. p. 274.
Concionator. Regulares possunt prædicare in suis Ecclesiis etiam tempore, quo prædicatur in Parochiali, sub 14. ad 7. p. 36.
Nequeunt in eis prædicare sine benedictione Episcopi, & non pro suis egent etiam licentia, 1. 2. 5. & 9 p. 82. & 83.
Episcopus potest examinare Concionatores Regulares, 9. ib.
Superiores tenentur in conscientia suos subditos istituendos Prædicatores examinare, 10. p. 84.
Concionatores Regulares non acquirunt sibi stipendia Concionum, 12. ib.
A Monialibus urbis accipiunt pro stipendio duos Julios, si sint capaces, 16. p. 85.
Munus concionandi committitur constitutis

saltem in ordine Diaconatus, 17. ib.

Concubina. Judex laicus non potest procedere contra concubinam Clerici pro delictis cum eo patratis, 20. p. 157.

Conferentia. Regulares non Parochos nequit Episcopus compellere, ut intersint conferentiæ casuum conscientiæ, 21. p. 133.

Confessarius. Electus à privilegiato non potest eum absolvere à reservatis, 9. p. 6.

Regulares egent approbatione ab Ordinario loci pro confessionibus sæcularium, 1. p. 25. & 49. ad 9. p. 137.

Experimentum in examine totius scientiæ moralis probat idoneitatem generaliter, 8. p. 26.

Electus vigore Bullæ Cruciatæ eget approbatione Ordinarii, 11. p. 27.

Item electus vigore Jubilæi, 12. p. 28.

Confessus Regularis approbato satisfacit præcepto de annua confessione, 2. p. 357.

Regulares tempore Paschali possunt confessiones audire, 10. p. 359.

Non est simoniacus denegans absolutionem nolenti sibi restituere, 32. p 387.

Confessarius Regularis debet Episcopo reddere rationem dispositionis sibi factæ à testatore, 46. p. 415.

Confessarius folicitās est denunciandus, 19. p. 133.

Confessarius Monialium. Non ingreditur Clausuram Monasterii, nisi ad ministranda infirmis Sacramentum Pœnitentiæ, Extremam unctionem, & commendandam animam, 4. §. 9. p. 78.

Non pernoctat propè Monasteria Monialiũ, 5. ib.

Episcopus recognoscit distātiam necessariā inter mansiones Confessariorũ, & Monasteria, 6. p. 78.

Approbatur ab Ordinario loci, 2. p. 86.

Approbatus pro uno Monasterio, non censetur approbatus pro omnibus aliis, 4. ib.

Extraordinarius debet toties ab Episcopo approbari, quoties deputatur, 5. ib.

Ingreditur Clausuram cum Cotta, Stola, & socio, 19. p. 81.

Ordinarius est approbandus pro toto tempore deputationis, 7. p. 87.

Per triennium solùm audit Confessiones in eodem Monasterio, 8. ib.

Tam ordinarius, quàm extraordinarius debet esse ætatis 40. annorum, ib.

Extraordinarius bis, aut ter in anno est Monialibus offerendus, & de accessu Ordinarii ad Monasterium pro eo tempore, 9. ib.

Loca deputata ad audiendas confessiones, & ministrandam sacram Communionem, aliis negotiis non debent inservire, ib.

Confessarius non potest ingredi Clausuram ad peragendum officium funeris, ib.

Moniales vigore Jubilæi non eligunt Confessorem Sacerdotem non approbatum, 10. p. 88.

Possunt Episcopi pro suis Monasteriis deputare Confessores Regulares, 12. ib.

Non eligitur à Monialibus Confessarius independenter à suis Superioribus, 11. ib.

Confessionarium. Non visitatur ab Episcopo in Ecclesiis non curatis Regularium, 18. p. 453.

Confraternitas. Forma erigendi Confraternitates, 1. p. 89.

Confraternitas SS. Sacramenti institui potest in quacumque Ecclesia Parochiali, 3. ib.

Circa quæ Episcopus possit visitare Confraternitates erectas in Ecclesiis Regularium, 6. p. 90.

Tenetur providere Altaria de necessariis, 6. ib.

Cordigerorum Confraternitas erigitur à Conventualibus in suis Ecclesiis, 7. ib.

Vbi ipsi non sunt, eam erigunt PP. Min. de Observ. 8. p. 91.

Consilium. Sibi nullus dat, 71. p. 431.

Consensus. Regularium præstandus est capitulariter, 10. p. 101.

Differentia inter requirere consilium, & consensum, 17. p. 111.

Conservatores. Qualitates eligendorum in conservatores, 2. p. 93.

Possunt conservatores eligi non judices, & quando, 7. p. 94.

Conservatores tenentur documentum exhibere electionis in Curia Episcopali, 8. ib. & 46. ad 6. p. 136. & 53. ad 3. p. 138.

Per quinquennium durant, 9. p. 94.

Possunt procedere, etiam quando Regulares sunt actores, 10. ib.

Cognoscunt de manifestis, 11. p. 95.

Non procedũt criminaliter, sed civiliter, 15. p. 96

Possunt uti censuris, 16. ib.

Sed non contra Episcopos, 17. ib.

Debent uti Notario Curiæ Episcopalis, 18. ib.

In quibus non sint exempti ab jurisdictione Ordinarii, 19. ib. & seq. p. 97.

Procedunt etiam quoad bona existentia extra diœcesim, 20. p. 97.

Et contra arrestātes animalia Regularium, 21. ib.

Guardiani non possunt eligere Conservatores, 23. ib.

Conservatores impediti possunt alium subdelegare, 24. p. 98.

Excedentes limites sui officii per annum suspenduntur, 22. p. 97.

Constitutio. Contra Constitutiones Papales non allegatur non usus, 9. p. 153.

Consuetudo. Ecclesiæ præjudicialis est corruptela, 5. p. 351.

Per quam libertas eligendi tollitur, non valet, 23. p. 311.

Contractus. Alienationis bonorum Ecclesiæ absque Beneplacito Apostolico est nullus, 1. pag. 349. & 13. p. 352.

Etiam si sit conditionalis, *Si Papa consenserit*, 17. p. 353.

Contractus simoniaci nulliter celebrantur, 44. p. 390. 40. & 41. p. 399.

Conventus. Recuperans exemptionem non visitatur ab ordinario, 8. ad 1. p. 450.
De novo recipiuntur, si in eis duodecim Religiosi sustentari possint, 24. p. 53. & 2. p. 99.
An Conventus suppressus, & posteà restitutus redeat ad primæva jura, 9. p. 450.
Nunquam suppressus, in quo sunt plures, quàm sex Religiosi, non est de jurisdictione Ordinarii, 4. p. 447.
Conventus fundantur sine præjudicio aliorum Regularium, & jurium Parochialium, 2. p. 99. & 6. p. 100.
Regulares non possunt se opponere translationi Conventus, 9. p. 101.
In receptione Conventus Religionis suppressæ audiendi sunt Regulares præexistẽtes, 23. p. 105.
Loca, in quibus unus, vel duo Religiosi commorantur, non gaudent privilegio Conventuum. 55. ad 15. p. 137.
In Conventibus de sua jurisdictione Episcopus non potest Superiores deputare, 4. ad 1. p. 448.
Correctio. Moderata gignit amorem, 42. p. 315.
An in causis correctionis morum detur appellatio, 18. p. 24. & 3. p. 436.
Percussio titulo correctionis facta non inducit censuram Canonis, 9. p. 318.
Crux. In associatione cadaverum una sola Crux defertur, 9. p. 143.
Capitulum Cathedralis potest ingredi Ecclesias Regularium, Cruce erecta, 11. p. 144.
Reformati, & Discalceati S. Francisci incedunt sub Cruce Min. de Obser. 5. p. 300.
Cultus. Publicus non adhibendus absque auctoritate Pontificis, 1. p. 360.
Beneficiati, Sacerdotes, & Concionatores debent primario intendere cultum Divinum, noo stipendia, 47. p. 390.
Curia. Stylus Curiæ facit jus, 32. p. 280.
Custodia. Negligens in custodia Eucharistiæ suspenditur ab officio, 3. p. 437.

D

DEcima. Regulares solvunt decimas Parochis pro bonis illis gravatis, 2. p. 38.
Moniales tenentur ad decimas, 3. p. 39.
Non verò Mendicantes non possidentes, 4. ib.
Declarationes. Sac. Congr. Conc. habent vim legis generalis, 9. p. 341.
Defensiones. Legitimæ sẽper sunt salvæ, 49 p. 127.
Reo ante torturam conceduntur, 70 p. 431.
Et ante sententiam, 74. p. 432.
Definitor. Habet jurisdictionem ordinatam ad munera spiritualia, 2. p. 392.
Delictum. Occulto publico facto, Ecclesia habetur pro polluta, 7. p. 31.
Vnum nocens delinquenti, & aliud communitati, 15. p. 172.
Facti permanentis relinquit post se vestigium, 47. p. 426.
Democratia. In Democratia suprema potestas regendi est penès Nobiles, & plebejos, 11. p. 223.
Denunciator. Jurat de veritate dicenda, 41. p. 425.
Non probans punitur pœna extraordinaria, 43. & 44. p. 426.
Denunciatio. Datur judici in scriptis cum expressione loci, delicti, delinquentis, 40. p. 425.
Diœcesis. A Pontifice assignantur diœceses Episcopis, 8. p. 215.
Episcopi visitare debent proprias diœceses, 1. p. 435.
Non habent facultatem in personas nullius diœcesis, 13 p. 452.
Dies festi. A Regularibus in suis Ecclesiis cum jejuniis annunciantur, 24. ad 1. p. 36.
Regulares debent servare festa ab Ordinariis præcepta, 1. p. 146.
Diebus festis de licentia Episcopi nonulla fiunt ob necessitatem, 4. p. 147.
Ecclesia noviter erecta eadem die non celebrat festum, quod celebrat antiquior in loco, 6. ib.
In festo S. Joseph, occurrente feria v. in Cœna Domini, celebrantur plures Missæ, 10. p. 148.
Sacerdotes sæculares in festis Regularium se conformant paramentis, & ritui, quibus utuntur Fratres, 15. ad. 1. p. 150.
Idem de Regularibus celebrantibus in Ecclesiis sæcularibus, ad 2. 3. & 4. ib.
Dignitas. Ecclesiastica est præeminentia in gradu cum jurisdictione, 3. p. 93.
Personatus èst præeminẽtia sine jurisdictione, ib
Archidiaconus, & Archipresbyter sunt constituti in dignitate Ecclesiastica, ib.
Illa Romani Pontificis est suprema in Orbe, 8. p. 215.
Dignitas non moritur, 20. p. 246.
Dimissoria. A Regularibus conceduntur subditis ad Episcopum diœcesanum, 2. p. 273.
Ordinatus absque illis est suspensus, 10. p. 275. & 17. p. 277.
An debeant concedi à Ministro originis, vel domicilii, 22. ib.
Dispensatio. Ordinati ante ætatem, & abq; indulto extra tempora, egent dispensatione, 32. p. 280
Episcopus dispensat cum ordinato sine dimissoriis, ib.
Et cum promoto per saltum, si non ministraverit, ib
Non dispensat cum bigamis, 15. p. 283.
Nec Regularis cum suis subditis, ib.
Papa dispensat super irregularitate proveniente ex defectu membrorum, 20. p. 284.
Episcopus dispensat in irregularitate proveniente ex delicto occulto, nisi proveniat ex homicidio voluntario, & delictum sit deductum ad forum contentiosum, 42. p. 287.
Non dispensat, nec absolvit in casibus post Concilium Sedi Apostolicæ reservatis, ib.

Dispensat super irregularitate proveniente ex mutilatione, 45. ib.

Distributiones. Dantur pro rata servitii, 20. p. 346.

Absentes cum causa ab jure canonizata eas lucrantur, 24. & seqq. p. 347.

Domicilium. Natura domicilii ad effectum suscipiendi Ordines, 26. p. 278.

Dominium. Rerum Fratribus Minorum relictarum est apud Sedem Apostolicam, 31. & 34. p. 113. & 114.

Etiam illud pecuniarum, quæ sunt apud Syndicum, 32. ib.

Beneficiati sunt domini redditUum beneficiorum, 2. p. 342.

Donatio. Facta à Patre Monasterio, in quo eius filius est Novitius, non valet, 28. p. 270.

Vt valida sit, facta à Novitio, debet esse infra duos menses ante professionem de licentia Episcopi, 23. p. 269.

Dos. Dotans competenter Ecclesiam jam fundatam acquirit juspatronatus, 8 p. 196.

Non verò ex parvo augmento dotis, 11. ib.

Ecclesiæ sine dote non debent consecrari, 1 p. 46. & 7 p. 196.

E

Ecclesia. Non ædificatur, nisi Episcopus locum assignet, & primum lapidem ponat, 5. pag. 3-.

Debent haberi necessaria pro luminibus, & stipendiis Ministrorum, 5. ib. & 1. p. 46.

Consecratur ab Episcopo loci, aut ab alio de illius licentia, 7. p. 31.

Ædificatio Ecclesiæ pro sola celebratione Missæ impediri non debet, 5. ib.

Sæpè onus reparandi Ecclesiam transit ad Rectorem, 4. p. 46.

Ecclesiastici. Sæpè tenentur observare, quæ leges civiles præscribunt, sed non ex vi legum civilium, 28. p. 159.

Non tenentur contribuere pro taxa imposita à laicis, 31. ib.

Inter Ecclesiasticos, & laicos onera Reipublicæ compensantur, 32. ib.

Non ligantur ad pœnam taxatam à Principe pro damnis illatis ab animalibus. 32. ib.

Possunt vendere res ex suis fundis collectas, etiam ad minutum, 11. p. 259.

Nec de indirectò possunt gravari oneribus laicorum, 22. p. 261.

Electi in Syndicos non eximuntur à jurisdictione Ordinarii, 9. p. 403.

Edictum. Episcopi prohibens allocutionem, & ingressum in clausuram, quando extendatur ad Monasteria exempta, 10. p. 11.

Laicorum nec indirectè debent præjudicare immunitati Ecclesiasticæ, 22. p. 261.

Electio. Non valet appellatio, ut non fiat electio, sed ut non fiat, nisi Canonica, 4. p. 21.

Superiores non possunt electionem ad aliquos coarctare, 2. p. 117.

Alternativæ non valent, nisi sint à Sede Apostolica approbatæ, ib.

Electio indigni est ipso jure nulla, 3. p. 118. & 2. p. 304.

Manifestare suum votum infraudem electionis, eam non irritat, 13. p. 120.

Contempti possunt instare, ut electio irritetur, 15. ib.

Exeuntes à loco Capituli non computantur in numero electorum, 17. p. 121. & 3. p. 305.

Vota debent esse determinata, 18. p. 121.

Schedula alba in urna non invalidat electionem, ibi.

Suffragaturi in electionibus debent esse in sacris constituti, 20. ib.

Electio canonica debet esse à majori parte capituli, 21. p. 122.

Ante electiones præmittuntur tractatus consultorii super qualitatibus eligendorum, 43 p. 125.

Electus ante confirmationem non potest administrare, 55. p. 129.

Electio confirmatur ab immediato Superiore, ib.

Facta post lapsum terminum præfixum est nulla, 56. ib.

Absolutio, quæ electionibus præmittitur, est cum reincidentia, 59. p. 130.

Electores, qui suffragati sunt in capitulo non eorum culpa nullo, suffragantur in nova electione. 61. ib.

In dubio, an Electori competat votum, admittitur cum protestatione, ib.

Promittere, vel recipere pro electione aliquod pretio æstimabile, est simonia, 1. p. 392.

Electio est annexa rei spirituali, 12. p. 394.

Elemosyna. Ex integro alteri tradenda est, cui celebratio ab alio Sacerdote committitur, 14. p. 52. 29. ad 10. p. 57.

Nova potest recipi, quãdo oneribus susceptis potest intra modicum tẽpus satisfieri, 29. ad 11. ib.

Non potest recipi ab obligatis ad celebrandum ratione beneficii, &c. ad 4. p. 56.

Ecclesiæ habentes redditus, nihil ex elemosynis Missarum sibi retinere possunt ratione expensarum, ad 7. ib.

Episcopus. Concedit licentiam alloquendi Moniales, 5. p. 10.

Potest excommunicationem imponere contra accedentes ad Monasteria Monialium, 6. p. 11.

Ex causa iterum examinat Regulares simpliciter approbatos in examine rigoroso, 9. p. 27.

Successor potest examinare approbatos à Prædecessore, 9. p. 27.

Potest Ecclesias dirutas in prophanos usus, non tamen sordidos, convertere, 21. p. 35.

Missas reducit, præservata ei facultate in erectione beneficii, 29. ad 1. p. 56.

Numerum Missarum celebrandarum præscribit, cum

cum id tribuēs eleemosynam non fecit, ib. ad 2
Non compellit Regulares ad ostendendos libros, in quibus adnotantur celebrationes Missarum, 49. p. 64.
Potest visitare Oratoria privata, 73. p. 72. 77. p. 73.
Extra domum propriæ habitationis non erigit Altare ad celebrandum, 86. p. 76.
Non potest absolvere Moniales delinquentes etiam secretò circa clausuram, 21. p. 81. & seq.
In visitatione clausuræ secum non assumit laicos, 31. p. 459.
Potest à Regularibus eligi conservator, 4. p. 93. & seqq.
In Ecclesiis Regularium non curatis non exercet functiones Pontificales habentes annexam jurisdictionem, 30. p. 134.
Potest censuris procedere adversus Regulares in casibus, in quibus ei per Trident. & Constitutiones Apostolicas conceditur, 37. p. 135. & 62. p. 138.
Aliàs non, 24. p. 456.
Potest denunciare Regularem aliàs excommunicatum, 38. p. 135.
Sumit summariam informationē de delicto commisso à Regulari extra claustra, 22. p. 455. & seqq.
Cogit hæredes ad implendam voluntatem testatoris, 44. p. 415.
In testamentis prophanis potest in subsidium se interponere, 51. p. 416.
In materia immunitatis non potest allegari suspectus, 19. p. 56.
Non visitat Confessionaria in Ecclesiis non curatis Regularium, 18. p. 43. & 19. p. 453.
Potest coadjuvare proclamata Principū, 30. p. 159.
Judicat, an quis commiserit crimen, propter quod ei immunitas non suffragatur, 3. p. 164.
Non concedit facultatem recognoscendi corpus delicti in Ecclesiis, 21. p. 168.
Visitat Ecclesias exemptas sæculares, 10. p. 451.
Non verò Regulares, nisi eis immineat cura animarum, ibi.
Nec si sunt nullius diœcesis, 12. ibi.
Purificat legata modo illicito facta, 21. p. 235.
Procedit aliquando ut Ordinarius, sæpè ut Delegatus, 20. p. 246.
Episcopi sunt protectores pauperum, & Monasteriorum, 8. p. 340.
Et subrogati loco S. Apostolorum, 37. p. 461.
Non possunt recipere resignationes beneficiorum sub conditione, ut dentur tertiæ personæ, 18. p. 383.
Nec aliquid accipere in permutatione beneficiorum, concessione licentiarum audiendi Cofessiones, quæstuandi, sepeliendi cadavera, &c. 48. p. 390.
Non concedit licentiam celebrandi bis in die, 27. p. 458.
Epistola. Anonimæ non creditur, 38. p. 424.
Enciclica favore Mendicantium non possidentium 23. p. 45.
Eques. Etiam Sancti Lazari, Stephani, & Calatravæ, gaudent privilegio fori, 35. p. 160.
Error. Communis non sufficit, ut gesta ab aliquo valeant, 13. p. 245.
Eucharistia. Non potest fidelibus ministrari in Missa in nocte Nativitatis Domini, 65. p. 70.
Nec in Missis de Requiem, 68. ibi.
Tempore expositionis SS. Sacramenti non celebrantur Missæ de Requiem, 67. ibid.
Fidelibus non præbentur plures particulæ, 68. ibi.
SS. Sacramentum publicè non exponitur à Regularibus absque licentia Episcopi, 28. p. 134.
Tempus præfixum ad implendum præceptum Communionis Paschalis, 1. p. 357.
In die Paschiatis nequeūt Regulares ministrare in suis Ecclesiis, sæcularibus Eucharistiam, 11. p. 359.
Apud Regulares asservatur in Altari majori, 3. p. 441.
Quolibet octavo die renovatur, 3. p. 437.
Episcopus non visitat locum, in quo in Ecclesiis Regularium non curatis asservatur SS. Sacramentum, 18. p. 453.
Excommunicatio. A reservata non absoluit, nisi excommunicator aut alius de ejus licentia, 4 p. 5.
Sacerdos excommunicatus denunciatus, nec in articulo mortis potest absolvere, 19. p. 8.
Vinculum excommunicationis est à potestate clavium tollendum, 11. p. 23.
Regulares contrafacientes Cōstitut. *Felici*, Alex. VII. incurrunt excommunicationem ipso facto, 6. §. 12. p. 78.
Excommunicatio Bullæ Cœnæ adversùs Ecclesiasticos admittentes laicos ad eligendū, 32. p. 123.
Excommunicatio major annullat electionem faciendam, 11. & 12. p. 307. & seqq.
Et imposita sub pœna absque addito non incurritur ipso facto, 25. p. 270.
Major privat majoribus bonis, quàm minor, 17. pag. 192.
In integram communitatem non fertur, ibi.
Examen. Qualitas examinis rigorosi pro approbatione ad Confessiones, 8. p. 26.
Examen per concursum requiritur in collatione Parochialis, 6. p. 290.
Quoad Regulares sufficit solum examen, 7. p. 291.
Præsentati. A laicis examinantur, 22. p. 199.
Exempti. Nonnulli casus, in quibus Regulares sunt de jurisdictione Episcopi, 2. ad 34. p. 131.
In mandato generali non comprehenduntur exempti, 2. p. 446.
Regulares exemptionis limites non debent excedere, 40. p. 462.
Ipsi Episcopi privilegia non revocata servent, 39. p. 461.
Circa Episcopos jure reverentiali Regulares tenentur, ibi.
Regulares sunt specialiter exprimendi, 49. p. 64.
Exempti non possunt renunciare privilegio exemptionis, 3. p. 447.

Exequiæ. Quoad tempus humationis cadaverum est servanda Synodus, 1. ad 1. p. 140.
Cadavera sepelienda apud Regulares non priùs deferuntur ad Parochiam, ad 3. ibi.
Regulares non conguntur ad associanda cadavera sepelienda in suis Ecclesiis, ad 4. ibi.
Parochus tenetur associare cadavera sepelienda apud Regulares, ad 5. ibi.
Eo recusante intervenire, possunt Regulares ea deferre ad suas Ecclesias, 6. ibi.& num. 13.
Non potest Parochus unius diœcesis propter transitum per suam Parochiam occasione deferendi ab alia diœcesi cadaver sepeliendum apud Regulares aliquid prætendere 2. ibi.
Parochus proprius defuncti transeundo per Parochiam alterius diversæ etiam diœcesis transit cum Stola, & Cruce elevata, ibi.
Ad associanda cadavera sepelienda apud Regulares nō sunt vocādi omnes de Capitulo, 3. ad 1. p. 141
Non facit officium in Ecclesiis Regularibus, 5. ib.
Non exigit majorem eleemosynam ab exteris tumulandis apud eosdem, quàm à civibus, ib. ad 3. p. 141. 8. p. 372.
Non compellit hæredes defunctorum ut tot Clericos sæculares vocent, quot Regulares, 4. ibi.& num. 13. ad 9. 145
Differentia candelarum distribuendarum associantibus cadaver pendet ab arbitrio hæredum, 4. p. 141.& 13. ad 3. p. 144.
Parochi majorem eleemosynam non exigunt ab hæredibus defunctorum sepeliendorum apud Regulares, 6. p. 142.
Regulares non possunt sine consensu Parochi deferre per Parochiam Religiosum in Conventu defunctum, 7. p. 143.
Defuncti extra Conventum possunt de nocte ad ipsum deferri, etiam inconsulto Parocho, ibi.
Ad Parochum spectat declarare viam, per quam deferatur cadaver 8. ibid.
Capitulum non potest intervenire funeribus, invitis hæredibus, nec ad suum libitum taxas facere 10. ibi.
Capitulum Cathedralis potest ingredi Ecclesias Regularium cum Cruce elevata, & assistere usque ad humationem cadaveris cum Cappa, & Rocchetto, erecta tamen sola Cruce Ecclesiæ tumulantis, 11. p. 144.
Confraternitates in associatione cadaverum non deferunt propriam Crucem, 12. ad 1. & 2. ibi.
Parochus non cogit hæredes, ut imponant singulis Sacerdotibus sæcularibus associantibus cadaver, quòd Missas celebrent, ibi. ad 9. p. 145.
Neque exigit, ut in Ecclesia Parchiali faciant omnes functiones, quæ fiunt apud Regulares occasione funerum, ad 7. ibid.
Neque impedit, ne tempore debito cadavera deferantur ad sepeliendum apud Regulares, ad 5. pag. 144.
Vide *V. Crux, Quarta, Sepultura & Stola.*

F

Falcidia. Non deducitur, nisi solutis debitis, legatis piis, & expensis fueris, 16. p. 411.
Factiones. Irritant electiones, 42. p. 125.
Familia. Religiosorum in Conventibus ponenda ad ratam eleemosynarum,& redditum, 21. p. 53
Pœnæ ipsam augentium, 23. ibi.
In Conventibus de novo fundandis debet esse numerus 12. Religiosorum, 24. ibi.
In suppressis, vel non suppressis sex, 4. pag. 447. & 7. p. 450.
Impleto numero sex Religiosorum recuperatur exemptio, ibi. ad 17. & ibi. ad 3.
Familiares. Cardinalium, Episcoporum,&c. gaudent privilegio fori, 34. p. 160.
An Episcopus possit suos familiares ordinare, 27. p. 279
Fautores. Ad eos recurrere est Regularibus prohibitum, 20. p. 309. & 310
Ac recipere etiam spontè oblatos, ibi.
Fideicōmmissum. Relinquitur non modò verbis imperativis, sed etiam precativis, 34. p. 413.
Filius. Illegitimus excluditur ab hæreditate, 38. p. 414.
Ei debentur necessaria ad vitam, ibid.
Fiscus. Non est hæres bonorum Clerici morientis intestati, & sine hærede, 57. p. 417.
Patres Advocati Fiscalis, 48. p. 427.
Fons bapismalis. Potest ab Episcopo erigi in Ecclesiis sub Plebania, 3. p. 288. & seqq.
Formula. Appellandi à definitiua, 4. p. 21. 83. p. 433. & seq.
Attestationis exhibendæ circa implementum onerum Missarum 70. p. 71.
Juramenti præstandi ante electionem, 48. p. 126.
Citandi violatores immunitatis Ecclesiasticæ, 23. p. 169.
Protestationis præmittendæ à Fratr. Minor. de Obser. occasione legatorum cum, vel sine onere, 37 p. 241.
Creandi Notarios per Regulares, 35. p. 314.
Citandi testem absentem, 15. p. 421.
Forum. Advenæ, peregrini, & scholares sortiuntur forum pœnitentiale in loco in quo sunt, 16. pag. 28.
Modi, quibus quis forum sortitur, 4. p. 152.
Bona patrimonialia Clericorum mutant forum, 10. p. 40.
Fratres Capuccini. Habent in suis Ecclesiis Indulgentiam Portiunculæ die 2. Augusti, 14. p. 183.
Non conferunt habitum Mulieribus de tertio Oreine, 10. p. 406.
Fratres Conventuales. Habent Indulgentiam Portiunculæ in suis Ecclesis, 14. p. 183.
Conferunt habitum iis de tertio Ordine, 12. p. 406.

Fratres Minores. Non possunt ad Tribunalia Sæcularia appellare, 20. p. 20.
Superiores ipsorum non consecrant suas Ecclesias nec eas benedicunt, 13.p.33.
Etiam simplices Sacerdotes deputati à Capitulo Generali benedicunt ornomenta Ecclesiastica pro suo usu, 14. p.34.
Sunt exempti à gabella molituræ, carnis, vini, fœni, & paleæ, 22. p. 44.
Littera Congreg. Oeconomicæ super exemptione ipsorum ab oneribus, & gabellis, 23. p. 45.
Bona stabilia, nec redditus habent, 24.p.45.
Sunt incapaces legatorum cum onere Missarum, nisi præstationes sint ab hæredibus faciendæ, 9. p.47.& seq.
Nequeunt retinere capsulas pro asseruandis eleemosynis Missarum, 45.p 61.& 22.p.112.
Non possunt recipere stipendia concionum, 13. pag. 48.
Concionatores instituuntur etiam in Capitulis Provincialibus, 10. p. 84.
Ipsorum vestitus, 2 p.106.& 5. §. 2. p. 107.
Nequeunt politicè pecunias contrectare, 7. §. 4. pag. 108.
Sunt inegligibiles non observantes vitam communem, 11. §.8. p. 108.
Electio aliàs facta est irritanda à Generali, 12. §. 9. & 14. ibi.
Non possunt habere agros, & domos, 18. p. 111.
Benè verò hortos moderatos, ibi.
Non vineas, ibi.
Promoti ad Episcopatum bona Religionis secum non deferunt, 38. p.461.
Visitatorum jurisdictio tribus mensibus durat, 7. p.420.
Non possnt esse executores testamentorum, 20. pag. 111.
Nec administratores bonorum, 13. p. 108.
Possunt habere bibiliothecas, 21.p.111.
Nequeunt facere quæstus pecuniarum, 22. p 112.
Possunt asservare victualia, 22.p. 112.
Ubi de Syndico Apostolico, 23.ibi.
Non possunt vendere,& emere in sensu proprio, 46.p.115.
Nec in fundatione Conventus exigere, vel pacisci de annua præstatione, 47.p.116.
Præsidens, & Provincialis aliquando habent decisivum, 51.p. 128.
Nonnullæ electiones apud eos fiunt per ballotationem,& aliæ per schedulas, 52. ibi.
Provincialis eligi debet die sequenti ad congregationem vocalium, 56. p. 129. & 6. p. 306.
Idem de Congregationibus intermediis ib.
Non possunt expellere sæculares confugientes ad eorum Conventus ad effectum gaudendi immunitate, 27. p. 170.
Habent privilegium celebrandi solemni ritu suas festivitates tempore interdicti, 13.p.190.& seq.
In Indiis Occidentialibus possunt extra tempora promoveri, 4. p. 274.
Reformati, & Discalceati S.Ftancisci sunt ejusdem Ordinis cum Observantibus, 7.p.301.
Generalis potest prorogare Capitulum Provinciale ad sex menses ultra triennium. 7 p. 306.
Reges fidi relictas possunt alienare sine assensu Apostolico, 12.p.352.
Non commodant sacra supellectilia, nisi de consensu Capituli, 29. p.356.
Abusus Fratrum circa sacra supellectilia, 28. pag.238.
Non possut alienare ornamenta Ecclesiastica, ibi.
Nec hæredes institui, 29.ibi.
Nec sunt capaces legati universalis, 31. p.239.
Non possunt habere stabilia, 35.p.240.
Vicarii Provinciales possunt ad Professionem admittere, 4.p.328.
Habent in suis Ecclesiis Indulgentiam Portiunculæ applicabilem etiam per modum suffragii, 7.p.181.
Secretarii à Visitatoribus assumendi graves, 23. p. 422.
Procurator, & Commissarius Curiæ eligùntur per ballotationes de sexennio in sexennium, 1. p.400.
Conferunt habitū iis de tertio Ordine, 12.p.406.
Practica definitorii pro voto torturæ, 71. p.431.
Sententiæ originales confrevantur in libro deputato, 80.p.433.
Processus ultra semestre non asservant, ibi.
Fratres Prædicatores. Confraternitates Rosarii erigit Magister Generalis ipsorum per se, vel per alios, 10.p.91.
Fratres de tertio Ordine. Habent in suis Ecclesiis Indulgentiam Portiunculæ, 14.p.138.
Conferunt habitum de tertio Ordine, 10.p.406.
Fraus. Super fraudibus ab Ecclesiasticis commissis cognoscit Judex Ecclesiasticus, 18. p.260.
Per conjecturas probatur, 16. p.394.
Fructus. Ecclesiæ vacantis reservantur Prælato successori, 3. p. 207.
Usurpantes fructus,& bona Ecclesiæ excommunicantur, 4. ibi.
Fructus rei alienatæ absque solemnitate restituuntur, 21. p. 354.
Beneficiorum a Collatore vendi non possunt, 12. p. 382. & seq.
Post litis contestationem computantur in Trebellianicam, 36. p. 413.
Functiones. Parochiales ab juribus merè Parochialibus distinguntur, 17. p. 294.
Ex illis nonnullæ admittunt cumulativam etiam cum Regularibus, 18. ibi.
Capitulares quales 6. p. 305.
Furnus. Eum habere possuut Ecclesiastici, 16. pag. 260.

G

Gabella. Ecclesiastici non tenentur ad gabellas ex fructibus de suis fundis collectis, p. 40.
Imponentes gabellas personis Ecclesiasticis ligantur excommunicatione Bullæ Cœnæ. 16. p. 42.
Requisitas à Sacris Canonibus, ut Ecclesiastici teneantur gabellæ pro publica Annona contribuere, 21. p. 261.
Imposita emptori, indirectè gravat vendentem, 23. p. 262.
Galeota. Religiosi transmissi ad triremes ad tempus, eo elapso, redeunt ad Religionem. 35. p. 177.
Ob infamiam facti sunt irregulares, ibi.
Magister triremium excedens in percussione Clerici ligatur censura Canonis, 9. p. 319.
Galidus. In potestate Ecclesiæ est gladius spiritualis, & materialis, 2. p. 211.
Gladius excommunicationis cum circumspectione exercendus, 16. p. 96.
Glossa. Sæpè alterat sensum verborum, 1. p. 106.
Grangia. Duæ Grangiarum species, 82. p. 75.
Episcopus visitare potest Ecclesias Grangiarum, ad 5. 448. & ad 2. p. 449.
Conversi existentes in Grangiis subsunt visitationi Episcopi, ad 6. p. 448.
Episcopus nequit se ingerere in temporalibus Grangiarum, ad 1. p. 449.
Gravamen. Irreparabile est actus irretractabilis, habens annexum factum, quod infectum esse non potest, 15. p. 18.
Tortura, carcer, & censura sunt gravamina irreparabilia, ibi.
Gratia. Morte concedentis non deperditur, 13. pag. 28.
Nisi sit ad beneplacitum, ibi.
Guardianus. Non potest eligere in Confessarium Religiosum non approbatum à Generali, vel Provinciali, 32. p. 313.
Nec absque facultate absolvere suos subditos à reservatis in Provincia, 40. p. 315.
Aut à censura Canonis, 21. p. 323.

H

Habilitas. Corporis necessaria in eligendo ad Prælaturam Regularem, 8. p. 306.
Habitus. In proprio audire possunt Regulares confessiones, 19. p. 453.
Pronunciare, an habitus sit Clericalis, spectat ad Judicem Ecclesiasticum, 8. p. 153.
Nullus extra Ordinem potest deferre habitum Fratrum Minor. & Prædicator. 1. & 3. p. 160. & seq.
Pueri, expleto sexto ætatis anno, nequeunt habitum Religiosum ex devotione deferre, 4. p. 161.
Prælati Ord. Prædic. & Minor. concedunt illum suæ Religionis volentibus sepelliri cum eodem, 5. ibi.
Est prohibitum examen de vera forma habitus S. Francisci, 7. & 9. ibi.
Tertiariis, & oblatis intra Claustra existentibus non est dandum habitus, nisi expleverint annum 20. ætatis, 12. p. 162.
Hæres. Est fundamentum Testamenti, 1. p. 408.
Potest acceptare, vel repudiare hæreditatem, 20. pag. 411.
An gravatus restituere hæreditatem detrahat Trebellianicam, 36. & 37. p. 413.
Hæresis. Non purè interna vigore Jubilæi non absolvitur à simplici Confessario. 18. p. 8.
Episcopus non potest absolvere lapsos in hæresim, 26. p. 312.
Hæretici. Non subeunt mortem propter fidem Christi, 29. p. 367.
Nec pariter habent fidem supernaturalem, ibi.
Historia. Facit fidem humanam, 35. p. 368.
Signa probantia Historicum non esse fide dignum, 36. ibi.
Heros. Quis judicandus, 7. p. 362.
Heroicitatis indicia qualia, 8. ibi.
Homicidium. Proditorium, quando committatur? 12. p. 166.
Occidens injustum aggressorem est irregularis, 29. p. 285.
An casuale inferat irregularitatem in non prævidente, 38. p. 286.
Hora Canonica. Beneficiati eas non recitantes non faciunt suos fructus Beneficii, 10. p. 382.
Hospitale. Sub Regum protectione sine eorum licentia non visitatur, 12. p. 437.
Nec si fundator prohibuerit, 15. ibi.
Hospitium. Conditiones necessariæ pro Hospitiis, 7. p. 100.
Hypotheca. Generali obligantur omnia bona debitoris, 16. p. 353.

I

Jesuitæ. In locis missionum gaudent indulto Altaris portatilis, 79. p. 74.
De quo per communicationem privilegiorum non participatur, 80. ibi.
Habent privilegium, ut extra tempora promoveantur ad Ordines Sacros, 4. p. 274.
Illegitimi. Sunt irregulares, 17. p. 283.
Possunt habere in Religione officia oneris sine dispensatione, 22. p. 310.
Per Professione legitimantur quoad Ordines, non quoad Prælaturas, 17. p. 283.
An Regulares illegitimi possint in Capitulis legitimari? &c. 39. p 314.
Imago. S. Augustini depicta sub habitu Discalceatorum suspenditur, 10. p. 162.
Illa B. V. M. in Processionibus sub Baldachino de-

deferri poteſt, 13. p. 326.

Immemorabilis. Centenaria habetur pro immemorabili, 32. p. 200.

Probatur per teſtes, ib.

Immunitas Eccleſiaſtica. Non tribuit facultatem aliena ſurripiendi, 21. p. 97.

Crimina excepta, in quibus ipſa non ſuffragatur, 2. p. 164.

Judicium, an crimen ſit ex exceptuatis, eſt Epiſcopi, 3. ib.

An gaudeant debilitantes membrum, 6. ib.

Mutilans, vel occidens in Sacriſtia, quando gaudeat immunitate, 7. p. 165.

Mutilans, & occidens in Monaſterio; gaudet immunitate in Eccleſia, 8. ib.

Cum agitur de præjudicio immunitatis, extenſio non permittitur, 8. ib.

Mandans homicidium gaudet immunitate, 9. ib.

Exiſtens extra Eccleſiam occidens in Eccleſia immunitate non privatur, 10. ib.

Occidens, vel mutilans in Eccleſia ex pura rixa gaudet immunitate, ib.

Occidenti ſpe immunitatis aſſiſtit immunitas, 11. p. 166.

Occidens proditoriè proximum ſuum perdit beneficium immunitatis, 12. ib.

Aſſaſſini non ſunt ſub protectione immunitatis, 13. ib.

Hæretici propter crimen hæreſis, immunitate non gaudent, 14. p. 167.

Immunitas protegit etiam Judæos, & Gentiles, 15. ib.

Cenſuratis immunitas ſuffragatur, ib.

Reis criminis læſæ Majeſtatis immunitas non aſſiſtit, 16. ib.

Extractus de manibus lictorum gaudet immunitate, ibi.

Gregoriana ligat etiam manus Judicis Eccleſiaſtici, 17. ibi.

Punire ad correctione in loco immuni non eſt prohibitum, 18. ibi.

Religioſus delinquens in Monaſterio, & fugiens ad Eccleſiam, poteſt ad correctionem extrahi, 19. p. 168.

Extractus à loco immuni, eidem eſt reſtituendus, 20. ibi.

Porticus Eccleſiæ gaudet Immunitate, 25. p. 169.

Idem de ſcalis, & atrio, Hoſpitali, Eccleſia non benedicta, 16. p. 157.

Non gaudet platea Eccleſiæ, 25. p. 169.

Nec Grangiæ Regularium, 26. ib.

Nec apothecæ Laicis locatæ, 25. ib.

Benè verò Palatium Epiſcopi, 16. p. 167.

Incorrigibilis. Expellitur à Generali, & Provinciali, ſervatis de jure ſervandis, 3. p. 171. & 12. ib.

Expellendi ſuet probandi in carceribus per tres menſes in jejunio, & pœnitentia, 2. p. 170.

Ad incorrigibilitatem trina exigitur monitio, & trina delictorum punitio, 16. p. 173.

Carceratio debet eſſe coutinua, & completa, 21. p. 174.

Poteſtas expellendi nec à Generali poteſt alteri delegari, 23. ib.

Patres eligendi pro negotio expulſionis debent eſſe graves, & docti, 24. ib.

In caſu paritatis votorum Provincialis non habet deciſivum, 26. p. 175.

Expellendo eſt aſſignandus advocatus, 28. ib.

Ordinarius non poteſt examinare ſententiam expulſionis, 32. p. 176.

Superiores debent ſingulis annis ejectos requirere, & emendatos ad Religionem recipere, 33. p. 177.

Ejecti tenentur ad obſervantiam ſubſtantialem votorum, 34. ib.

Redeuntes ad Religionem non reſtituuntur ſtatim ad eoſdem gradus, & præcedentias, 35. ib.

Indicia, Gravia ſemiplenè probant, 35. p. 424.

Vehementia non ſufficiunt ad pœnam ordinariam, 36. ib.

Indulgentia. Senſus clauſulæ Brevibus Indulgentiarum adjectæ: *volumus autem, ut ſi alias Chriſti fidelibus &c.* 4. p. 15.

Indulgentiæ à Paulo V. conceſſæ Regularibus utriuſque ſexus, 1. p. 178.

Revocatæ per confirmationes privilegiorum non ſunt revalidatæ, 2. p. 179.

Non ſunt revocatæ conceſſæ viſitantibus Eccleſias Regularium, 3. p. 180.

S. Franciſcus obtinet à Chriſto Domino Indulgentiam Portiunculæ, 5. ib.

Hæc non revocatur anno Jubilæi, 6. p. 181.

Indulgentia perpetua quotidiana viſitantibus Eccleſiam S. Mariæ Angelorum, 8. p. 182.

Et Eccleſiam S. Franciſci Aſſiſii, 9. ib.

Ad lucrandam Indulgentiam Portiunculæ eſt viſitanda S. Capella, 10. ib.

In materia Indulgentiarum non attenduntur opiniones Scribentium, 11. ib.

Indulgentia Portiunculæ non poteſt per viam communicationis obtineri, 14. p. 183.

Indulgentia, Templo diruto, ceſſat, 22. p 184

Conceſſa Coronis, & Medaliis non acquiritur, niſi res ſit apud volentem eam lucrari, 23. ib.

Non transfertur cum feſto, 25. p. 184. & 185.

Conceſſa Eccleſiis Fratr. & Monial. obtineri poteſt à viſitantibus Eccleſias Monialium deregimine Epiſcoporum, 26. p. 185.

Apocripharum Indulgentiarum Indiculus, 27. ib.

Indulgentia plenaria ſemel tantum in die lucrari poteſt, 29. p. 187.

De Indulgentiis pro coronis S. Birgittæ, & crucibus S. Turibii, 30. ib.

Indultum. Aſcendendi à ſtatu Laicali ad Clericatum de licentia Superiorum, 30. p. 279.

Infamia. Probanda eſt per teſtes, 37. p. 424.

Ipſa prævia ptoceditur per viam Inquiſitionis, 33. ib.

Infirmus. Monendus est, ut tertia die infirmitatis confiteatur. 23. p. 297.
Relinquenda in ejus domo fides auditæ confessionis, 19. p. 453.
Injuria. Inferens censuram Canonis debet esse realis personalis, 3. p. 317.
Judicium, an sit levis, vel gravis, est Episcopi, 12. p. 321.
Inquisitio. Non proceditur ad inquisitionem, nisi præcedat infamia, 34. p. 425.
Dicta paucorum non probant diffamationem, 37. ibi.
Inventarium. Hæres non conficiens inventarium tenetur supra vires hæreditatis, 20. p. 411.
Nisi hæres sit Ecclesia, vel causa pia, 21. ib.
Investitura. Est immissio in possessionem feudorum, 11. p. 209.
Ritus, quo fiebat, 12. ib.
Investituræ sunt Ecclesiasticis prohibitæ, 13. ib.
Irregularitas. Sacerdos celebrans in Ecclesia polluta non efficitur irregularis, 8. p. 32.
Sacerdos non privilegiatus benedicens ornamenta sacra est irregularis, 19. p. 35.
Irregularis non est eligibilis ad Prælaturas, 17. p. 308.
Non debet initiari prima tonsura, 1. p. 281.
Irregulares ex defectu rationis sunt energumeni, amentes, & epileptici, 2. 3. & 4. p. 281. & 282.
Irregularitas inducitur etiam ex delicto occulte, 41. p. 278.
Neophiti, & illiterati sunt irregulares, 5. p. 282.
Ex defectu famæ sunt irregulares istriones, de usuris, & simonia convicti, & infames, 6. ib.
Ex defectu lenitatis, qui in criminalibus se immiscent, 7. ib.
Ex defectu libertatis sunt servi, 11. ib.
Habens manus tremulas est irregularis, 19. pag. 284.
Hæretici, Schismatici, & Apostatæ à fide sunt irregulares, 21. ib.
Item ab Hæreticis baptizati, ib.
In bello adhortantes ad strenuè pugnandum quando sint irregulares, 35. p. 286.
Interdictum. Interdicto populo non intelligitur interdictus Clerus, 4. p. 188.
Tempore interdicti quæ Sacramenta possint ministrari, 5. p. 189.
Non suspenditur contractus Matrimonialis, benè verò solemnis benedictio danda Sponsis, 8. ibi.
Interdicti licitè ingrediuntur Ecclesiam causa Orationis, 10. p. 190.
Regulares tenentur servare interdicta, 12. ibi.
Privilegia ante Trid. conc. ssa Regularibus quoad suspensionem interdicti in suis festivitatibus sunt revocata, 12. ib. 14. p. 191.
Differt à cessatione à Divinis, & aliis censuris, 17. p. 192.
Interdicti non possunt eligi ad Prælaturas, 16. p. 308.
Interstitia. Episcopus etiam cum Regularibus dispensat super eis, 16. p. 277.
Iter. Religiosi simul debent in itinere procedere, 12. p. 443.
Iubilæum. Vigore istius non potest pœnitens absolvi ab hæresi non purè interna, nisi expressè facultas concedatur, 18. p. 8.
Nec ab excommunicatione incursa ob violatam immunitatem Ecclesiasticam, ib.
In Confessario est etiam pro eo tempore necessaria approbatio, 12. p. 28.
Iudex. Delegatus non habet jurisdictionem ab jure, 2. p. 419.
Docet de sua jurisdictione, 10. p. 420.
In territorio præsumptio est pro judice ordinario, ibi.
Vt procedat, debet priùs constare de corpore delicti, 47. p. 426.
Per sententiam definitivam functus est officio suo, 1. p. 21. 8. p. 420.
Quam non mutat, ibi.
Sed eam potest declarare, ibi.
Judex Laicus detinens Clericum in carcere incidit in sententiam Canonis, 16. p. 155.
Delegatus Principis, & ad universitatem causarum, potest subdelegare, 20. & 22. p. 422.
Delegato debetur præcedentia juxta qualitatem delegationis, 24. ib.
Cognoscit de annexis, & connexis inseparabilibus à delicto, 25. ib.
Judex Regularis debet servare omnia substantialia ad Judicium, 11. p. 95. 30. 31. & 32. p. 423.
Ferens sententiam per sordes suspenditur ab officio. 84. p. 434.
Malè judicans ex dolo, & lata culpa, deponitur, ib.
Iudicium. Non incipit à captura, nisi præmissa causæ cognitione, 48. p. 427.
Iuramentum. Est electionibus præmittendum, 43. p. 125.
Non est de substantia electionis, 44. pag. 125. & seq.
Non est jurandum cum restrictione mentali, 45. p. 221.
In eo consistit substantia depositionis, 49. p. 427.
Iura parochialia. In ædificatione Ecclesiarum semper sunt præservanda, 5. p. 30.
Differunt à functionibus Parochialibus, 17. p. 294.
Iurisdictio. Delegata quando expiret, 4. pagin. 491.
Non præsumitur, sed probatur, 10. pagin. 420.

Vsurpans sibi jurisdictionem Ecclesiasticam excommunicatur in Bulla Cœnæ, 2. p. 152.
De jurisdictione Episcopi in Conventibus parvis, 4. p. 447.
Iuspatronatus. Est spiritualibus annexum, 47. p. 203.
De ejusdem acquisitione, 6. p. 195.
Tres possunt esse patroni ejusdem Ecclesiæ, ib.
Non acquiritur sine consensu Episcopi, 8. p. 196.
An ex augmento dotis acquiratur, 11. ib.
Laicus habet quatuor menses ad præsentandum: Ecclesiasticus sex, 12. p. 197.
Tempus ad præsentandum currit à die scientiæ vacationis, 15. ib.
Lite non absoluta intra tempus statutum, Episcopus confert beneficium sine præsentatione, 16. ib.
Cùm quæstio est inter Episcopum, & Patronum, Episcopus tempore litis ponit Oeconomum, 17. p. 198.
In qua Parochiali de jurepatronatus requiritur forma examinis per concursum, 20. 21. 22. 23. & 25. p. 198. & seq.
Agitur de probatione jurispatronatus facienda à personis potentibus, 38. & seq. p. 201.
Et de illa facienda à personis privatis, 27. & seq. p. 199.
Jurapatronatus cum quasi possessione irritantur à Trid. 37. p. 201.
In mixto non requiruntur probationes necessariæ in personis potentibus, 43. p. 202.
Vendi non potest, 47. p. 203.
Nec donari Laico sine assensu Episcopi, 48. ib.
In creditorem non transit, 49. ib.
In hæreditario hærede præsentant per stirpes, 51. ib.
In gentilitio præsentatio fit per capita, 53. ib.
Usufructuarius habet jus præsentandi, 54. ib.
Gentilitium transit ad hæredes extraneos, 58. p. 204.
Præsentatus à majori parte, est præferendus, 60. p. 205.
Juspatronatus activum, & passivum, 61. ib.
Patronis præfigitur tempus ad reaptanda Altaria, & Capellas, 66. ibi.
Ius Regalia. Est jus custodiæ, & depositi, 2. p. 206.
Non tribuit jus conferendi beneficia Ecclesiastica, 7. p. 208.
Regalia est in sequelam ad investituras, 9. ib.
Jure regaliæ non gaudent, qui carant privilegio Apostolico, 15. p. 209.
Extensio regaliæ prohibita, 16. p. 210.
Privilegium juris regaliæ non operatur, ut quis possit fructus Ecclesiæ vacantis consumere, 15. p. 209.
Iustus. Sentit motus concupiscentiæ, 10. p. 363.

L

Laicus. Protegens electiones non assistit in aula Capitulari, 29. p. 123.
Admittentes laicos ad interessendum electionibus Ecclesiasticis, privantur officiis, & jure suffragandi, 31. ib.
Tollens libertatem ab electoribus Ecclesiasticis ligatur excommunicatione Bullæ Cœnæ, 31. ib.
Non potest sedere in Presbyterio, dum celebrantur Divina Officia, 3. p. 194.
Pax in Missa est danda laicis post omnes de Choro, 3. ib.
Lampas. Semper accensa debet teneri ante Altare, in quo est SS. Sacramentum, 68. p. 139.
Lectores. Et Magistri in Theologia egent approbatione ab Ordinario, ut audiant confessiones sæcularium, 3. p. 25.
Lectores verè jubilati Minor. de Observant. possunt exequi Litteras Sacræ Pœnitentiariæ, 34. p. 250.
Legatum. Est implendum per totum tempus præfixum, p. 226.
In legatis ad pias causas facilis est extensio, ib.
Priùs debetur, etiam non servatis in testamento juris civilis solemnitatibus, 11. p. 410.
Relictum pro monachandis puellis non potest aliis dari, 26. p. 412.
Compositio in materia Legati prohibita, 11. p. 229. & 14. p. 232.
Legatum Frat. Ord. Min. Fratres Minores sunt capaces legatorum bonorum mobilium, quæ unica præstatione adimplentur, 7. ad 1. p. 227.
Syndicus potest pro eis officium Iudicis implorare, ad 2. ib.
Valet legatum factum Sacristiæ, vel fabricæ Ecclesiæ, vel Conventus, 8. ad 1. p. 228.
Legatorum præstationes sunt expendendæ in usus à testatoribus præfissos, ad 3. ib.
Syndicus potest eas in judicio exigere, ad 2. ib.
An Fratres sint capaces annorum legatorum cum onere celebrationis Missarum, 9. ad 1. pag. 228. & 18. p. 234.
An possint præstationes recipere ab hæredibus testatorum, 11. p. 229. 12. & 13. p. 231. & 15. p. 232. & 36. p. 240.
Non possunt extinguere legata, 9. p. 228.
Nec ea in judicio per se, vel alium exigere, 11. p. 229.
Sunt capaces legatorum pro Divino Cultu, 16. p. 233. & 27. p. 237.
Et per modum eleemosynæ ad emendam pitantiam, 16. p. 233.
Fratrum cautela tenenda circa legata eis relicta, 24. p. 236.
Quando legatum censeatur modo licito factum, 38. p. 241.

Do-

Doctrina D. Bonaventuræ in hac materia, 19. p. 235.
Legitima. Debetur filiis legitimis ex bonis Patris defuncti, 18. p. 411.
Lex. Pœnalis ad vitanda peccata admittit extensionem, 2. p. 9.
Ecclesiastici nec quoad vim directivam tenentur ad observantiam legum Laicalium, 23. p. 158.
Vt obliget, sat est promulgatio in Curia Principis, 9. p. 358.
Lex Laicorum, etiam consentientibus Ecclesiasticis, non potest præjudicare libertati Ecclesiasticæ, 42. p. 415.
Decreta S. Congr. Conc. habent vim legis generalis, 9. & 10. p 341.
Leges à Pontifice editæ habent vim obligandi independenter à populi acceptatione, 7. p. 222. & seq.
Libertas. Est de substantia electionis, 1. p. 117.
Libri. Tractantes controversiam de non interrupta successione filiorum S. Francisci prohibentur, 8. p. 162.
Quando dicendum constare aliquem scripsisse, 34. & 35. p. 368.
Parochus debet habere quinque libros, 21. p. 297.
Qui probant quoad spectantia ad suum officium, 20. p. 440.
Sicut illi visitatorum, 23. ib.
Libri retinendi in Sacristia pro annotatione onerum celebrationis Missarum, 33. p. 58.
Apochryphi ab Ecclesia non recipiuntur, 2. p. 220.
Licentia. Data usque ad beneplacitum, morte concedentis expirat, 13. p. 28.
Alloquendi Moniales uni Regulari data non extenditur ad socium, 11. p. 11.
Confessarii Monialium pro tempore deputationis, & ipsorum Superiores Regulares non egent licentia Ordinarii alloquendi Moniales, 13. & 14 p 12.
Non petitur à Regularibus pro audienda confessione infirmi, 19. p. 453.
Audiendi Confessiones non expirat morte concedentis, 9. p. 27. & 13. p. 28.
Littera. Litteris Episcopi creditur, 30. p. 199.
Litteræ patentes docent delegationem, 11. p. 421.
Littera Apostolica. A Papa eduntur, 1. p 242.
Variis modis falsari possunt, 2. ib.
Quando rasura inducat falsitatem, 4. p. 243.
Pœnæ falsantium, 4. ib.
Vtentes Litteris ab aliis falsatis, pœnis, subjacent 6. p. 244.
Impetrantes Litteras per subreptionem, vel obreptionem, non subjacent pœnis falsariorum, 8. ib.
Etiam Episcopi falsantes Litteras Apostolicas sunt excommunicati, 10. p. 245.
Litteræ falsæ jurisdictionem non conferunt, 12. ibi.
Littera S. Pœnitentiariæ. Falsantes eas Litteras incurrunt pœnas falsariorum, 4. p. 243.
Directæ Magistro in Theologia &c. debet esse Magister in aliqua universitate, 24. p. 250.

M

Manus. Habens manus tremulas non potest celebrare, 19. p. 284.
Martyrium. Martyr dicitur testis fidei, 26. p. 366.
Martyrii duplex causa, 27. p. 367.
Delet etiam originale, 28. ib.
Causa non pœna facit Martyrem, ib.
Probato Martyrio, debet etiam constare de miraculis, 30. ib.
Matrimonium. Regulares non possunt in suis Ecclesiis publicare matrimonia, 24. ad 6. p. 36.
In matrimonio requiritur plena libertas, 15. p. 332
Celebratum coram Parocho intruso est nullum, 14 p. 246.
Subsequens matrimonium legitimat filios antea natos, 17. p. 283.
Cautela à Parochis adhibenda circa interessentiam matrimoniis vagorum, 13. p. 293.
Pecunia in dispensationibus non solvitur ut pretium ipsarum, 36. p. 388.
Medicina. Nequit ab Ecclesiasticis exerceri, 28. p. 263.
Medicus. Infirmi Christiani non possunt uti Medico Judæo, 22. p. 297.
Profert judicium, an sanatio sit miraculosa, 22. p. 3 6.
Mendicantes. Sunt exempti à gabellis, & oneribus laicalibus, 17. p. 42.
Non potest prohiberi, quin eis eleemosynæ erogentur, 1. p. 339.
Merces. Confertur concionatoribus pro labore concioni extrinseco, 14. p. 85.
Meritum. Beneficia conferenda juxta merita personarum, 24. p. 385.
Merito non habitu Regulares placere debent, 12. p. 443.
Miraculum. Ostendit sanctitatem, 13. p. 363.
Triplex genus miraculorum, 14. p. 364.
Signa veri miraculi, 15. ib
De probatione ipsius, 16. 17. 18. 19. 20. 21. 23. & 24. p. 366.
Probandum utrumque extremum, 15. p. 364.
Effectus sequens ad sanationem non officit rationi miraculi, 23. p. 366.
Miraculum tribuitur Sancto, erga quem major est fervor devotionis, 24. ib.
An instrumentum naturæ præjudicet miraculo, 23. p. 366.
Metus. Cadens in virum constantem dicitur justus, 10. p. 330.
Invalidat professionem, 13. & 15. p. 331.
Nisi proveniat ab intrinseco, 9. p. 330.
Quid de metu reverentiali, 14. p. 331.
Item coactio, ib.

Du-

Durante causa metus, durat metus, 15. p. 332.
Missa. Licitè non celebratur, nisi in Altari consecrato, 21. p. 35.
Regulares possunt in suis Ecclesiis celebrare ante Parochum, 24. ad 5. p. 36.
Non possunt admittere vagos ad celebrandum in suis Ecclesiis, 6. p. 50.
A quo electio Capellani in Ecclesiis Regularium sit facienda, 8. p. 47.
Anticipatè non celebratur pro eo, qui primò dederit stipendium, 4. p. 50.
Pro reductione Missarum recurritur ad Sedem Apostolicam 11 p. 51
Bona mobilia relicta pro celebratione Missarum in bonis immobilibus investiuntur 15. p. 52.
An obligatus ad celebrandum pro sola officiatura possit ab alio aliud stipendium accipere, 62. p. 69
In nocte Nativitatis Domini post primam Missam non celebrantur immediatè aliæ duæ, 65. pag. 70.
Die Sabbati Sancti non possunt celebrari Missæ privatæ, 66. ibi.
An in duplicibus celebrentur Misæ de Requiem 67. ib.
Instructio pro praxi attestationis faciendæ circa implementum onerum Misarum, 70. ib.
Visitatores, & Provinciales per authentica documenta tenentur docere de vigilantia super observantia decretorum, 40. p. 49.
Misæ sunt celebrandæ in Ecclesia electa à benefactore, 45. p. 61.
Quando de licentia Episcopi possint alibi celebrari, ibi.
Defraudans aliquem una Misa pe.cat mortaliter 47. p. 62.
Misæ celebrantur de Sanctis in Martyrologio descriptis, 8. p. 147.
Tempore interdicti posunt celebrari Mise januis clausis, & campanis non pulsatis, 11. p. 190.
Moderamen. Inculpatæ tutelæ quid, 9. p. 319.
Excusat à censura Canonis, ib.
Non ab irregularitate, 30. p. 285.
Molendinum. Accesus ad illud Episcopis à Laicis non inhibendus, 19. p. 261.
Monarchia. Supremam imperandi potestatem in uno nobilissimo ponit, 14. p. 22.
Monasterium. Non succedit in fideicommiso ad exclusionem substituti, 39. p. 414.
Episcopi sunt Monasteriorum protectores, 8. p. 340.
An visitent Monasteria sub prætextu, quòd Superiores sint negligentes, 33. p. 460.
Cura animarum sæpè principaliter incumbit Monasterio, & aliquando Parochiali Monasterio unitæ, 15. p. 452. & seq.
Monialis. Non potest intra septa exorcizari, 16. pag. 81.
Debet saltem semel in mense confiteri, & Eucharistiam sumere, 1. p. 86.
Puellæ habitum Monialium non accipiunt, nisi completo 15. ætatis anno, 1. pag. 251.
Ad professionem non admittuntur, nisi anno probationis, & 16. ætatis completo, 2. ib.
Tertia Soror in eodem Monasterio privatur voce activa, & passiva, 3. ibi.
Puellæ monachandæ debent secum dotem afferre, 13. p. 253.
Dotes novitiarum decedentium in anno probationis non acquiruntur Monastrio, 14. p. 254.
Novitia emittens professionem propter infirmitatem, non completo anno probationis, si convalescat, iterùm debet, eo absoluto, profiteri, 15. ibi.
Moniales non posunt dotes recipere ante professionem novitiarum, 17. ibi.
Episcopus non potest de uno ad aliud Monasterium transferre Monialem, 20. p. 255.
Supranumeraria semper est talis, 25. p. 257.
Moniales non posunt in morte de propriis cellis disponere, 26. ibi.
Numerus Monialium, etiam in Monasteriis Regularibus subjectis, taxatur ab Episcopo, 24. pag 256.
A quo in Ecclesiis exemptorum non visitatur SS. Sacramentum, & Confessionalia, 11. ad 2. p. 80.
Monitio. Præmittitur declaratoriæ excommunicationis, 24. p. 169.
Monitiorum Non affigitur à Prælato Regulari contra suos subditos ex parte exteriori clausuræ, 27. p. 458.
Mulieres. Posunt à Regularibus in suis Ecclesiis admittit ad purifinationem, 24. ad 9. pag. 36. 18. pag. 294.
Non posunt ingredi claustra Regulariũ, 11. p. 101
Et quando Sacristias? 14. p. 102.
Posunt claustra ingredi tempore processionum, 17. p. 103.
Admittuntur ad testificandum in testamentis, 7. p. 409.
Munus. Ab obsequio etiam, & à lingua inducunt simoniam, 2. 23. & 24. p. 396.
Munera non recipienda in vsitatione, 15. p. 444.
Largitio munerum Regularibus prohibita, 27. pag. 257.

N

N*Egatio*. Antecedens privat potentia, 45. pagin. 126.
Negotiatio. Mercatura est Ecclesiasticis interdicta 2. p. 258.
Eis non prohibetur non lucrativa, 3. ibi.
Requisita à Sacris Canonibus, ut Ecclesiastici teneantur ad onera communitatis, 10. p 359.
Capturantes ementes ab Ecclesiasticis offendunt libertatem Ecclesiasticam, 26. p. 262.
Vide ver. Ecclesiastici, Molendinum.

Notarius. Non potest conficere contractum conditionalem in alienatione rerum Ecclesiasticarum, 18. p. 353
Praxis ipsius in conficiendis instrumētis circa cōcessionem Capellarum,& Sepulchrorū, 24.p.355
Prælati Regulares possunt deputare in Notarios Religiosos sibi subditos, 34. p. 314.
Notarii nihil possunt recipere propter licentiam administrandi Sacramenta, colligendi eleemosynas &c. 84. p. 391.
Notarium. Tria requirit, 69. p. 431.
Novitius. Ut Clericus recipitur anno 15. ut conversus, completo ætatis anno vigesimo, 11. p. 162.
Tempus in anno probationis computatur de momento ad momentum, 9. p. 266.
Existens de licentia Superioris extra Conventum novitiatus validè non profitetur, 17. p. 267.
Infirmus curandus in Conventu novitiatus, 18. ib.
Novitius debet professionem emittere in Conventu designato, 20. p. 268.
An Provincialis de Ord. Min. de Observ. suffragetur super idoneitate novitii, 33. p. 271.
Cùm vota sunt paria, novitius intelligitur exclusus, 34. ibi.
Confessarii novitiorum ex scientia confessionis non possunt novitiis suffragium denegare, 35. ib.
Recipiendi in novitios non debent ab Ordinariis examinari, 24. p. 335.
Excedens 30. ætatis annum recipi potest, 8. p. 330.
Novitiatus ex justa causa fieri potest partim in uno & partim in alio Conventu designato, 21. p. 269.
Renunciationes novitiorum fiunt intra duos menses ante professionem, 23. ibi.
Non sortiuntur effectum, nisi secuta professione, 24. ibi.
An à novitiis quidquam recipi possit, 25. p. 270.
Novitio ab eunti, à Religione restituitur valor habitus, 29. ibi.
Observantes, & Capuccini nequeunt pro alimentis novitiorum quidquam à novitio recipere, 30. p. 271.
Beneficium Clerici novitii non confertur, nisi post professionem, 31. ibi.
Denegantes suffragium novitio habili, peccant mortaliter, 32. ibi.

O

Obsequium. Conferre, vel expectare beneficium propter obsequium, est simonia, 23. p. 385.
Occultum. Non est, quod per duos testes probari potest, 32. p. 280.
Ex delicto occulto incurrit irregularitas, 42. p. 287
Oculus. Carens oculo sinistro prohibetur celebrare, 19. p. 284.
Odium. In odium simoniæ quis punitur sine culpa, 14. p. 39.
Oeconomus. Vacantes Sede Episcopali, constituitur Oeconomus, qui fructus percipiat, 3. p. 207.
Provisio Oeconomi, Sede vacante; spectat ad Capitulum, 5. ibi.
Debet esse persona Ecclesiastica, ibi.
Officium Oeconomi est fructus Ecclesiæ vacantis conservare, 10. p. 208.
Officium Divinum. Communicatio privilegiorum non extenditur ad officia Sanctorum, 13. p. 149.
Recitandum semel in mense, non recitatur in Adventu, Quadragesima &c. 14. ibi.
In festivitate Natalis Domini, Corporis Christi &c. tempore interdicti possunt alta voce, & januis apertis divina officia celebrari, 11. p. 190.
Oleum Sanctum Conservatur apud Altare majus à parte Euangelii, 4. p. 438.
Quolibet anno renovatur, ibi.
Onus. Differentia inter onera realia, personalia, & mixta, 1. p. 37.
Coloni Ecclesiasticorum sunt exempti ab oneribus laicalibus, 18. p. 43.
Bona privata Ecclesiasticorum non possunt à laicis oneribus gravari, 10. p. 40.
Onera Missarum sunt perpetua, 69. p. 70.
Relicta in Ecclesiis Monialium aliò transferuntur, 23. p. 256.
Non possunt recipi absque licentia Superiorum, 17. & 19. p. 52.
Recepta absque licentia sunt implenda, 43. p. 415.
Oratio. Dicenda in fine visitationis, 14. p. 443.
Opinio. Eligens opinionem minùs probabilem de sua jurisdictione invalidè absolvit, 19. p. 246.
Oratorium. Privatum non habet jus Sacri Asyli, 73. p. 72.
Nec in festo possunt celebrari Missæ absque indulto Sedis Apostolicæ, 71. & 73. p. 72.
Publici, & privati discrimen, 72. & 73. ibi.
Audientes Missas in Oratoriis satisfaciunt præcepto, si in indulto comprehenduntur, 75. p. 73.
Indultum Oratorii privati suffragatur etiam mutando habitationem, 76. ibi.
Non expirat morte Papæ, 78. p. 74.
An Regulares in Claustris possint habere Oratoria, 79. ib. n. 81. p. 74.
In Oratoriis privatis non potest celebrari in diebus Resurrectionis, Pentecostes, &c. 84. p. 75. & n. 86. p. 76.
In eis ultra Missam concessam in indulto non potest alia celebrari, nec illa post meridiem, ib.
Ordo. Episcopus conferens Ordine tempore interdicti efficitur irregularis, 9. p. 189.
Examinat etiam Regulares promovendos, 1. pag. 272. & seq.
Pœnæ contra Superiores non servantes in hac re decretum Clem. VIII. 2. p. 273.
Ordinati contra præscriptum in decreto sunt suspensi, 3. ibi.
Privilegium ascendendi ad Ordines extra tempora nō suffragatur per communicationē, 5. p. 274.
Ordinatus absq; indulto Apostolico extra tēpora est suspēsus ab ordine malè suscepto, 9. & 10. p. 277

Episcopus cum aliquo temporis intervallo ordinat ex indulto extra tempora in tribus diebus festivis, 15. p. 276.
Reclamans contra validitatem professionis, pro tunc ad Ordines non promovetur, 31. p. 280.
Ordinatur furtivè, qui contra Canonum statuta Ordines suscipit, 33. ib.
Titulus patrimonii non extinguitur per acquisitionem beneficii, 35. p. 281.
Ordinatus cum titulo fiduciario non potest patrimonium reddere Benefactori, 35. ib.
In collatione Ordinum Episcopus cęreum licitè recipit, 29. p. 386.
Novitii ad Ordines sacros nequeunt promoveri, 31. p. 280.
Vide v. Dimissoria, & Patrimonium.
Ornamenta Ecclesiastica. Non possunt à Regularibus benedici, nisi habeant privilegium à Sede Apostolica, 13. p. 33.
Habentes privilegium, non possunt eo uti in iis, in quorum benedictione adhibetur Sacra Vnctio, 15. p. 34.
Paramenta Ecclesiastica perdunt benedictionem cum inepta sunt servitio sacro, 21. p. 35.
Vetustate consumpta in cinerem rediguntur, & reponuntur in sacrario, ib.
Secundum majorem partem refecta egent nova benedictione, 22. ib.
Ligna Ecclesiæ in profana ædificia non convertuntur, 22. p. 35.
Nec vasa, & vestes sacræ ad usus profanos commodantur, 23. p. 36.

P

P*Actum*. In beneficialibus prohibitum, 4. p. 381. 25. p. 385.
Non valet in vendendis ab Ecclesia bonis relictis à testatoribus, 41. p. 414.
Tacitè pacto consentire in assecutione beneficii est simonia, 25. p. 385.
Parochia. Distincto populo, & certis finibus constituitur, 2. p. 288.
Parochialis providetur de idoneo reperto in examine per concursum, 6. p. 289.
Occurrente vacatione Parochialis, Episcopus vocat per edictum ad concursum, 8. p. 290.
In Parochiis, quæ conferuntur Regularibus, sufficit examen sine concursu, 7. ib.
Quid si Parochia esset pleno jure Monasterio unita, 8. p. 381.
Parochus. Remittens beneficium non potest absq; approbatione Confessiones excipere, 15. p. 28.
In aliena Diœcesi Confessionem sui Parochiani non excipit, 16. ib.
Tenetur celebrare pro suis ovibus, 60. p. 63.
Non est amovibilis, 1. p. 288.
Debet esse constitutus in anno 25. ætatis, 4. p. 289
Et habere scientiam sufficientem, 5. ib.
Onera Parochi, ib.
Official. Cur. Eccl.
Tenetur personaliter residere in Parochia, 9. p. 291
Ad acquirendum jus Parochiale attenditur habitatio de præsenti, 12. p. 293.
Successor in Parochia tenetur solvere pensiones tempore Prædecessoris decursas, 14. ib.
Privādus titulo, aut fructibus, priùs citatur, 9. p. 291
Vide v. Residentia.
Parvitas materiæ. Non admittitur in simonia 46. p. 390.
Nec in anno novitiatus, & ætate ad Professionem, 9. p. 266.
Patrimonium. Bona assignata Clerico in titulum Patrimonii gaudent privilegio bonorum Ecclesiasticorum, 9. p. 39.
Non possunt alienari sine licentia Episcopi, ib. & 10. p. 40.
Patrimonium ad cujus titulum quis ordinatur, debet esse sufficiens ad congruam sustentationem, 34. p. 281.
Vide v. Ordo.
Patronus. Potest in fundatione jurispatronatus sibi nonnulla reservare, 2. p. 193.
Non habet locum in Presbytero, 3. p. 194.
Ponit in Capella insigna, 5. p. 195.
Nequit tenere clavem suæ Capellæ, 64. p. 205.
Præfigitur ei tempus ad reaptanda Altaria, 66. ib.
Inter propria jura non habet jus sepulturæ, 67. ib.
Non se ingerit in perceptione fructuum, beneficii, 4 p. 207.
Nec in visitatione ornamentorum, 7. p. 438.
Discrimen inter Patronum Laicum, & Ecclesiasticum. 12. p. 197.
Pauperes. De loco testatoris aliis præferuntur, 30. p 413.
Pignus. Pignoratio est species alienationis, 15. p. 353.
Bona Ecclesiæ oppignorari non possunt sine assensu Apostolico, ib.
Peccatum. Excommunicatio major non incurritur nisi propter peccatum mortale, 12 p. 32.
Absque speciali privilegio non possunt vitari omnia peccata venialia collectivè, 11. p. 363.
Venialia alia ex genere suo, alia ex levitate materiæ, & alia ex subreptione, ib.
Pecunia. Ea sibi viam parare ad beneficium est simonia, 25. p. 385.
Pensio. In reservatione pensionis potest committi simonia, 15. p. 293.
Ad mortem Pensionarii extinguitur, 7. p. 381.
Pensionarius tenetur recitare officium B. M. V. 15. p. 293.
Clericalis quæ, 14. p. 393.
Percussio. Levis, gravis, & enormis, 12. p. 320.
Pia causa. Quæ sit, 15 p. 345.
Est privilegiata, 11. p. 410.
Pluviale. Vsus ipsius non est signum jurisdictionis, 11. p. 326.
Pœna. A Regularib. desumitur à statutis, 81. p. 433.
Talionis recessit ab aula, 44 p. 426.

Imposita absque ulla declaratione pro foro interno statim incurritur, sed pro foro externo est necessaria declaratio delicti, 20. p. 310.
Est reordinativa culpæ, 21. ib.
Pœnæ simoniæ confidentialis, 43. p. 389.
Pœnitens. In foro pœnitentiæ est accusator, testis, & reus, 15. p. 294.
Podagrosi. Sũt ineligibiles ad Prælaturas, 10. p. 307.
Pontifex Romanus. Potest præcipere actus merè internos, 39. p. 389.
Ad quem spectat approbare Regulas Religiosorum, 24. p. 113.
Ipsius forum nulli declinare fas est, 5. p. 153.
Habet potestatem indirectam in temporalia Principum, 1. & seq. p. 211.
In sua ditione est Rex, & supremus Dominus temporalis, 6. p. 212.
Aliquando Reges, & Imperatores deposuit, ib.
Infallibilitas Decretorum Conciliorum est immediatè ab ipso, 5. ib.
Est caput visibile Ecclesiæ, 8. p. 214. & 215.
Ipse congregat, & confirmat Concilia, 6. p. 215.
Est supra Concilium Generale, 1. & seq. p. 212.
Est Ordinarius Regularium, 1. p. 446.
Est supra jus positivum Ecclesiasticum, 1. p. 218. & 219.
Est infallibilis in decidendis dubiis fidei, & morum, etiam extra Concilium, 1. p. 220.
Et in decidendis factis connexis cum jure, & quæstionibus facti dogmatici, 5. p. 222.
Vt Decreta, & Leges Pontificum ligent, non egent populi acceptatione, 7. ib.
Influit jurisdictionem in alios, 14. p. 224.
Est Monarcha Ecclesiæ, 14. ib.
Est infallibilis etiam in beatificatione, 3. p. 360.
Sepelitur in conditoriis supra terram elevatis, 7. p. 372.
Vide v. Concilium.
Postulatio. Ordinatur ad jus spirituale, 30. p. 398.
Postliminium. Rem in pristinum statum reponit, 9. p. 450.
Præcedentia. Est jus occupandi digniorem locum, 1. p. 297.
Inter Regulares in processionibus ex quibus attendatur, ib. & 8. p. 29.
Est danda Ordini habenti priùs Conventum in loco, 5. p. 300. & 7. p. 301.
Confraternitates præcedunt juxta usum antiquiorem saccorum, 2. p. 298.
Inter Moniales attenditur à die professionis, 13. p. 303.
Regularis transiens ad statum Clericalem præcedit à die transitus, 12. ib.
Incorporato debetur à die incorporationis, 9. p. 302.
Novitii Clerici in anno probationis non præcedunt Laicos, 11. ib.
Præceptum. Capitale Regulæ Fr. Min. 6. p. 108.
Sumentes Eucharistiam in Ecclesiis Regularium nõ satisfaciunt præcepto Ecclesiastico, 11. p. 359.
Qui Regularibus confitentur, præceptum Confessionis implent, 2. p. 357.
Audientes Missam in eorum Ecclesiis satisfaciunt alteri de Missa audienda, 3. p. 49.
Preces. Ambitiosæ quales, 33. p. 397.
Pro indigno simoniam inducunt, ib.
Non porriguntur pro adipiscendo Episcopatu, 34. ib.
Interpositæ, ut beneficium conferatur, sunt simoniacæ, 22. p. 384.
Prælatura. Est gradus honorificus, cum jurisdictione, 22. p. 310.
Ad Prælaturas digniores eligendi, 1. p. 304.
Excommunicati, suspensi, interdicti, & irregulares sunt ad Prælaturas ineligibiles, 11. p. 307. 15. 16. 17. p. 308.
Prælatus Regularis. Liberatus à captivitate præcedit juxta conditionem officii, 8. p. 302.
Valent gesta à Prælato canonicè electo, licèt propter delictum occultum sit Prælatura privatus, 21. p. 310.
Per eum est restituenda disciplina Regularis, 42. p. 315.
Est in Generali, & Provinciali facultas ordinaria absolvendi à reservatis in Religione, 40. ib.
Quam nonnullis in Conventibus debent communicare, ib.
Circa subditos humanus esse debet, 2. ib.
Absolvit proprios subditos se se percutientes, 20 p. 323.
Excipitur Superior localis, 21. ib.
Vide v. Bulla Cœnæ, Absolutio.
Pretium. Simoniacum à manu, lingua, & obsequio, 16. p. 383. 22. & 24. p. 385.
Dare temporale pro spirituali non tanquam pretiũ, sed ut motivũ conferendi, est simonia, 25. ib.
Pretium aliud legale, & naturale aliud, 14. p. 259.
Non augendum propter juspatronatus, 47. p. 203.
Prima tonsura. Ad eam non confirmatus promotus eget dispensatione, 14. p. 276.
Ipsa fit transitus ad statum Clericalem, 1. p. 281.
Princeps. A Pontifice potest deponi, 2. & seq. p. 211.
Nequit beneficia Ecclesiastica conferre, 7. p. 208.
Nec fructus vacantis Ecclesiæ in suos usus convertere, 5. p. 207. & 15. p. 209.
Privilegium. Personale, cum persona extinguitur, 15. p. 12.
Communicatio privilegiorum non suffragatur in iis, quæ specialem mentionem requirunt, 80. p. 74. & 14. p. 191.
Nec quoad revocata à Sede Apostolica, 14. p. 191.
In obscuritate privilegii recurritur ad Sedem Apostolicam, 44. p. 136.
Duplici phrasi à Trid. revocatus, 35. p. 249. & 8. p. 274. & seq.
Privilegiati habentes locũ in Conciliis possunt à Laico cogi ad officia cõmunitatis, 22. in 3. p. 158.
Privilegia non revocata debent Episcopi Regula-

gularibus servare, 3. p. 447. & 40. pag. 462.
Privilegium Canonis. Violantia est triplex, 3. p. 317.
Quinam à Canone protegantur, 4. ib.
Propinatio veneni Clerico, vel Monacho infert censuram, 3. p. 318.
Mandans percussionem Clerici, vel ipsam ratam habens, ligatur censura, 6. ib.
Et Clericus consentiens percussionis, 7. ib.
Et privata authoritate percutiens Clericum traditur potestati Sæculari, ibi.
A censura excusat moderatè percutere ad correctionem, sed non per Laicam personam est faciendum, 9. ib.
Excusatur percutiens Clericum in ipso actu turpi repertum uxore, matre &c. ib. p. 319.
Episcopus in nonnullis casibus potest absolvere à censura Canonis, 13. p. 321.
Et Capitulum, Sede Vacante, 14. p. 322.
Prælatus Regularis non absolvit suum subditum, qui percussit Clericum Sæcularem, 15. ibi.
A quo absolvatur Regularis percutiens Regularem alterius Ordinis, 18. p. 323.
Moniales exemptæ absolvuntur ab Episcopo, vel Prælato Regulari, cui subsunt, 19. ibi.
Superior localis non potest absolvere Religiosum sibi subditum, 21. ib.
Qui per jocum Clericum percutit, non ligatur censura, 9. p. 319.
Pueri habentes vsū rationis, cēsura innodātur, ib.
Factum debet esse externum consummatum, ut censura liget, 2. p. 316.
Sufficit vestes animo injurandi tangere, ib.
Regulares à Generali, vel Provinciali absolvuntur, 20. p. 323.
Privilegium fori. Clerici etiam Primæ Tonsuræ eo gaudent, 6. p. 153.
Et in Sacris constituti, quamvis habitum, & tonsuram non deferant, 8. ibi.
Clericus pensionarius non deferens habitum, & tonsuram, eo privatur, 10. ibi.
Repertus sine habitu, solitus tamen ipsum deferre, ab eo protegitur, 12. p. 154.
Clericus privatus privilegio fori, non est privatus illo Canonis, 17. p. 155.
Clerici conjugati gaudent privilegio fori, 18. ib.
Factus Clericus post patratum delictum, etiam pro eo gaudet, 19. p. 156.
Judicium, an Clericus habitum in fraudem reassumpserit, spectat ad Episcopum, 19. ad 2. p. 156.
Personæ gaudentes privilegio fori, 34. p. 160.
Probatio. Clericatus probatur etiam per testes, vel litteras, 14. p. 154.
Concludens probatio simoniæ consurgit per indubitatas præsumptiones, 34. p. 399.
In criminibus debet esse luce meridiana clarior, 36. p. 424.
Processio. Regulares tenentur accedere ad processiones solemnes, 2. 4. & 5. p. 324.
Extra ambitum suarum Ecclesiarum faciunt processiones de licentia Episcopi, 3. ibi. & 6. p. 25.
Distantes ultra medium milliare à Civitate accedunt ad processiones, ubi est consuetudo, 8. ib.
Etiam Regulares facere possunt extra claustra processionem infra octavam Corporis Christi, sed horis distinctis, 9. ib.
Processiones Regularium non debent transire per Ecclesias Monialium, 12. p. 326.
Processus. Facti permanentis non incipiendus, nisi constet de corpore delicti, 47. p. 426.
Annullatur propter interrogationes suggestivas, 67. p. 431.
Apud Min processus non conservantur ultra semestre, 80. p. 433.
In Curia Episcopali compilatur processus super delicto à Religioso extra claustra commisso, 22. p. 455. & seq.
Professio. Legitimat pro Ordinibus, non pro Prælaturis, 17. p. 283.
Est cōtractus ultrò, citròque obligatorius, 1. p. 327.
Ad validam requiritur libertas, ibi.
Peccant recipientes ad professionem ante 16. annum ætatis completum, 2. ib.
Debet emitti in manibus potentis Ordini incorporare, 3. p. 328.
Tacita non est à Tridentino sublata, 6. ib.
Professus nulliter, quando tacitè professionem ratificare dicatur, 7. ibi. & seq.
Laici validè emittunt professionem ante annum vigesimum ætatis, 8. p. 329. & 330.
Emissa metu mortis est valida, 9. p. 330.
Non reclamans intra quinquennium non censetur ratificare professionem, etiam si suscipiat Sacros Ordines, 16. p. 332.
Causæ nullitatis professionis produci debent coram Ordinario, & Superioribus Conventus Novitiatus, 17. p. 333.
Professio ab initio nulla ratificatur absque novo consensu Religionis, ib.
Ad professionem requiritur consensus majoris partis Capituli, 19 & 20. p. 334.
Receptus pro Laico in Novitiatu potest ad statum Clericalem transire, 21. p. 335.
Laicus professus pro transitu ad Clericatum est examinandus super Litteratura, 22. & 23. ibid.
Vide v. Metus.
Proposito. Reprobatæ propositiones adversus primatum Romani Pontificis, 17. p. 210.
Et Quietistarum, 6. p. 222.
ac Jansenii, 5. ib.
Et illa tribuēs D. Paulo primatū Ecclesiæ, 15. p. 225
Et quòd Papa non habeat potestatem indirectam in temporalia Principum, 4. p. 212.
Protestatio. Adiecta libro præservat Authorem ab errore, 38 p. 369.
Illa Authoris operi adiecta, 14. p. 462.
Puella. Non recipitur in Monasterio educanda nisi de licentia S. Congr. 4. & 7. 251. & seq.
Cum Superiore recipiente vota non assistit Vicarius

riu Generalis, 5. ibi.
In receptione Superior non habet votũ, 6. p. 252.
Moriens in Monasterio, in eo non sepelitur, 8. ib.
Vide v. Monialis.

Q

Quarta funeralis. Solvitur juxta consuetudinem, 1. & 2. p. 336.
Non solvitur de candelis, quæ dantur ad manus Fratrum, 5. & 6. p. 337.
Ad eam tenentur Conventus erecti 40. annis ante Trident. 7. p. 338.
Parocho incumbit probare Regulares teneri ad solvendam quartam, 9. ib.
An Conventus fundati post publicationem Concilii teneantur ad quartam, 10. p. 339.
Debetur Parocho ob funus translatum, 12. ib.
Solvitur Parocho, qui defuncto solitus fuit Sacramenta ministrare, 13. ibi.
Questu. Non fit extra districtũ Conventus, 2. p. 339.
Licentia quæstuandi præsumitur data in erectione Conventus, 4. p. 340.
Extra diœcesim est opus cõsensu Ordinarii 6. ibi.
Episcopus potest impedire superfluas quæstuationes, 7. & 8. ib.

R

Recursus. Ad Superiorem in casu injusti gravaminis, 12. p. 18.
Cautela pro Religiosis recurrentibus, 18. p. 19.
Gravatus à Superiore locali non potest recurrere ad Judicem conservatorem, 19. ib.
Apostoli non conceduntur ad legitimandos recursus Religiosorum, 9. p. 22.
Reditus. Clerici sunt domini redditūum Ecclesiastiorum, 3. p. 342.
Ex bonis Ecclesiasticis possunt pro se necessaria sumere, 5. p. 343
Tenentur superfluum ex redditibus in pias causas erogare, ibi.
Possidentes patrimonium possunt de redditibus beneficiorum vivere, 9. ib.
Congrua sustentatio non est restricta ad arctam vivendi formam, 12. p. 344.
Empta ex redditibus benficii spectant ad Ecclesiam, 17. p. 345.
An consanguineis possint aliquid dare, 13. p 344
Religiosus assumptus ad Episcopatum est administrator fructum beneficii, 18. p. 346.
Redditus annui computantur inter immobilia, 17. p. 233.
Regimen. Ecclesiæ non est Aristocraticum, 10 p. 223
Nec Democraticum, 11. ib.
Benè verò Monarchium, 14. p. 224.
Monarchium est pacis amicum, ib.
Dignior pro regimine nõ est sanctior, vel doctior sed magis idoneus ad regendum, 47. p. 126.
Regula S. Francisci. S. Franciscus interdixit glossas in sua Regula, 1. p. 106.
Instructio super præceptis Regulæ danda emissuris professionem, 10. §. 7. p. 108.
Persona intepofita nomine Fratrum expendit pecunias 28. p. 114. & seq.
Modi congruentes ipsi Regulæ quinam sint, 26. pag. 355.
Indulta contraria Regulæ revocantur, 2. p. 106.
Vestimentum Fratrum in Regula præscribitur, 5. §. 2. p. 107.
Regulares. Reverentiam Episcopis exibent, 39. p. 461.
Existens intra Claustra non convenitur coram Ordinario, 24 p. 456.
Non possunt renunciare privilegio exemptionis, 3. p. 447.
Sunt coadjutores Episcoporum, ibi.
Non opponunt exemptionem adversus delegatum Papæ, 27. p. 458.
Bona degentium extra claustra pertinent ad Cameram Apostolicam, 55 p. 417. 37. p. 461.
Ab Episcopis charitativè tractandi, 39. ib.
Degentes in claustris capturati à Curia Episcopali ad suos Superiores remittũtur, 22. p. 455. & seq.
Delinquentes in Monasterio cum scandalo populi censentur peccare extra, ibi.
Eorum exemptio est notoria, 2. p. 446.
In Italia non absolvunt à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, 7. p. 6.
Pro reservatis Episcopo egent hujus licentia, 5. ib.
Approbati in Diœcesi B. egent alia in Diœcesi A. 5. p. 26.
Sine approbatione Episcopi possunt audire confessiones eorum, qui sunt sibi commensales, 10. pag. 27.
Non approbantur ab Episcopis, nisi à Superioribus eis præsententur, 18. p. 29.
An excipiens confessionẽ Regularis alterius Ordinis debeat esse approbatus ab Episcopo, 19. ibi.
Subditi tenentur celebrare secundum intentionem Prælati, 57. p. 67.
In claustris Oratoria debent in locis decentibus erigere, 81. p. 74.
Absque obedientialibus non recedunt à Conventibus, 13. p. 18.
Absque illis reperti possunt ab Episopis puniri, 28. p. 459.
Non possunt alienare res sine licentia S. Congr. 3. p 350.
Decedentes extra claustra de ea deferuntur, 29. ad 10. p. 36.
Quæ sacramenta in suis domibus sæcularibus non ministrent, 57. ad 17. p. 138.
Cum causa possunt suspendi ab audiendis confessionibus, 60. ad 2. ibi.
Possunt à suis Prælatis cẽsuris coerceri, 27. p. 458.
Regularis promotus ad Episcopatum non desinit esse Religiosus 17. p. 345.

Mi-

Minor.de Observ.& Capuccini constituunt speciem eorum nihil proprii habentium, 22. p. 45.
Vide v. Claustrum, Episcopus, Examen.
Reliquiæ. Ab Episcopo recognscendæ, 6. p. 438.
Sine Beneplacito Apolico non alienantur, 14. pag. 353.
Reus. Ante sententiam auditur, 50. p. 127.
Excommunicatus ante examen absolvitur cum reincidentia, 59. p. 130.
Examinatur extra carceres, 61. p. 429.
Ei conceditur patronus, 66. p. 430. & 70. p. 431.
Torquendo conceduntur defensiones, ib.
Judex potest ei patronum assignare 75. p. 432.
De rei absolutione, 77. & 78. p. 432. & seq.
Residentia. An in Parochia suppleatur per substitutum, 9. p. 291.
Parochus nectempore noctis potest abesse à Parochia, ad 2. p. 292.
Causæ excusantes à continuitate residendi, 10. ibi.
Pro absentia ad duos mensse est necessaria licentia Episcopi, 11. ibi.
Beneficiati debent personaliter residere, ut fructus percipiant, 20. 21. 23. p. 346. & 38. 39. pag. 348.
Restitutio. Recipiens distributiones extra casus permissos tenetur restituere, 33. pag. 347. & sequent.
Idem de possessorem malæ fidei, 34. p. 348.
Emens res Ecclesiæ absque solemnitate eas restituit, etiam ante sententiā judicis, 20. & 21. p. 354.
Accipientes à beneficiatis non tenentur restituere 16 p. 345.
Simoniacè recipiens beneficium, debet etiam fructus restituere, 45. p 390.
Beneficiatus non recitans Horas Canonicas restituit fructus beneficii ad ratam omissionis ante sententiam judicis, 10. p. 382.
Pretium receptum simoniacè simonia mentali restituitur, 40. p. 389.
Sed non ei qui dedit, 44. p. 390.
Retinens partem eleemosynæ receptæ pro celebratione, tenetur restituere, 48. p. 63. & seq.
Ritus. Quo exponitur privatim SS. Sacramentum, 28. p. 134.
Decreta S.R.C. sunt regula Sac. Rituum, 16. p. 150.
Roma. Communis Patria, 4. p. 152.
Rota. Ejus votum in materia Legatorum Fratr. Minor 27. p. 237.
Rubrica. Sunt regula proxima Rituum, 17. p. 151.
Præceptivæ obligant sub mortali, 18. ib.

S

Sacerdos. Extra articulùm mortis non potest absolvere à reservatis Episcopi, & Sedi Apostolicæ, absque speciali commissione, 8. p. 6.
Non approbatus non absolvit à venialibus, 10. p. 27.
Neque a Mortalibus aliàs confessis, 17. p 29.
In mortis articulo, præsente approbato, non approbatus non potest confessiones excipere, 13. pag. 28.
Regulares debent benignè in suis Ecclesiis recipere Sacerdotes sæculares, 5. p. 50.
Exteri, & peregrini non admittuntur ad celebrandum, nisi visis testimonialibus, 6. ibi.
Sacerdos sæcularis ex debito celebraturus certis diebus in Ecclesiis Regularium providet de necessariis 7. ibi.
Bis in die non potest celebrare, 48. pag. 390. & sequent.
Excommunicatus denunciatus non potest in articulo mortis absolvere, 19. p. 8.
Sacra Congregatio Rev. Fabricæ. Potest sibi vendicare proprietatem legatorum directè relictorum Fratrib. Minor. 9. p. 228.
Elapso biennio, & hæredibus non solventibus potest exigere præstationes nō solutas, 11. p. 229.
Sacramentum Eucharistiæ. In Parochialibus, & à Regularibus asservatur in Altari majori, 4. p. 441.
Religiosis ægrotis extra Conventus, vel hospitia, à Parocho administratur Extrema unctio, & Viaticum, 8. p. 358.
Vide v. Eucharistia.
Sacrificium. Est in eo triplex valor, generalissimus, specialis, specialissimus, 52. p. 65.
Valor ipsius quoad applicationem, & effectum non est infinitus 56. p. 66.
Valor specialis est debitus danti stipendium, 53. pag. 65.
Sacristia. Habens Altare ad celebrandum dicitur Capella Ecclesiæ, 12. p. 33.
Mutilans in Sacristia, in qua est Altare ad celebrandum, non gaudet immunitate, 7. p. 165.
Sanctum Officium. Judex conficiens processum, si emergat casus ad S.Officium spectans, desistit, & denunciat Inquisitoribus, 25. p. 422.
Reprobavit folia cum titulo, *Lotto spirituale &c.* 31. p. 187.
Prælati Regulares non possunt impedire suos subditos, ne S. Officio denuncient denunciandos, 9. p 442.
Et ipsi eos denunciare tenentur, ibi.
Sanctus. Ut quis in Ecclesia militanti habeatur pro Sancto, requiruntur, merita, & miracula, 4. p. 361.
Sanitas. Miraculosa reddenda statim, & cum totali virium restauratione, 13. p. 364.
Scandalum. Propter scandalum, & delictum potest Episcopus Ecclesias Regularium interdicere 27. p. 458.
Scriptura. Authentica, quæ sit, 18. & 30. p. 196.
Secretum. In confessione Sacramentali acceptum non licet aperire, 48. p. 416.
Sedilia. Ad ponenda nova sedilia in Ecclesia sæculari est necessaria licentia Episcopi, 18. p. 85.

Se-

Sedes laicorum debent esse extra presbyterium, 3. p. 194.
Senes. Vegeti sæpè sunt aptiores pro regimine, 8. p. 306.
Sensus. Naturalis, & obvius est, quem verba exprimunt, 2. p. 220. & 5. p. 222.
Sententia. Definitiva ponit finem causæ, 14. p. 18.
Nulla rescinditur à Superiore Judice, 9. p. 420.
A sententia privationis Parochiæ ob non residentiam non datur appellatio quoad suspensivum, 9. p. 291.
Nulla non transit in rem judicatam, 85. p. 434.
Absolvens ab observatione judicii non absolvit à causa, ib.
Lata contra jus legis est nulla, ib.
Definitoria fertur de voto consultoris, 77. p. 432.
Hic ille esse non debet, qui elaboraverit defensiones favore rei, 71. p. 431.
Sepultura. Ecclesiæ Regularium habent jus sepulturæ, 8. p. 370.
An illi possint renunciare, 2. ib.
Debet esse remota ab Altaribus, 5. p. 372.
Episcopi, inelecta sepultura, sepeliuntur in Cathedrali, 12. p. 374.
Vbi sepeliendus habitans æquè principaliter ruri, & in Civitate, 13. ibi.
Sæculares decedētes in Monasteriis Regularium non sepeliuntur in Ecclesia Conventus, 14. ib.
Religiosus expulsus potest sibi eligere sepulturam, 19. p. 376.
Confratres sepeliuntur in Parochiali, nisi sepulturam alibi sibi eligant, 20. ibi. & 30. ad 7. pag. 379.
Pater eligere potest sepulturam filio impuberi, & quid de matre, 22. p. 376. 24. p. 377.
Decedens sine electione sepulturæ sepelitur in sepulchro majorum, 23. p. 376. 30. ad 8. p. 379.
Electio sepulturæ alterius voluntati non committitur, 27. p. 378.
Clericis, & Religiosis est prohibitum inducere ad eligendam sepulturam in suis Ecclesiis, 28. ib.
Electio sepulturæ non præsumitur, 30. ib.
Valet electio facta coram Parocho cum duobus testibus, ib. ad 1. & 5.
Volentes cum habitu Religioso sepeliri, ex hoc præcisè non sepeliuntur apud Regulares, ib. ad 9. p. 379.
Cadavera fidelium insepultura non relinquenda ob mortuaria non soluta, 13. p. 144.
Patroni non habent jus sepulturæ, nisi in fundatione illud sibi reservent, 67. p. 205.
In Ecclesiis exterioribus Monialium non sepeliuntur corpora virorum, vel mulierum, 9. p. 252
Agitur de sepultura tēpore interdicti, 6. & 7. p. 189
Vide v. Cardinales.
Sigillum. Personarum in dignitate Ecclesiastica est authenticum, 28. p. 199.
Corruptum, & incognitum non probat, 29. ib.
Confessionis nunquam frangendum, 48. p. 416.
Notitia indignitatis habita ex confessione Sacramentali non præjudicat eligendo, 4. p. 115.
Silentium. Obsequioso non satisfit Constitutionibus Apostolicis, 4. p. 221.
Simonia. Tria ad simoniam necessaria. 2. p. 380.
Non est accipere stipendium pro celebratione Missæ, 61. p. 68.
Nec pro concionibus, 14. p. 85.
Nec dotes à monachandis, 13. p. 253.
In venditione jurispatronatus committitur simonia, 47. p. 203.
Jus percipiendi fructus beneficii est invendibile, 11. p. 382.
Est simonia conferre aliquod pretio æstimabile pro resignatione, & permutatione beneficii, 10. ib.
Et recipere expensas factas in assecutione beneficii, 20. p. 384.
Et redimere vexationem à potente concurrere ad collationem juris spiritualis, 22. ib. 25. pag. 396. & seq.
Simonia non est exigere, quæ de jure debentur, 31. p. 386.
Commmitti potest in resignatione pensionis, 15. p. 293.
Fundare beneficium, ut sibi conferatur, est simonia, 30. p. 386.
Item resignare beneficia in confidentiā, 35. p. 387.
Hæc cōmittitur per accessum, & ingressum, &c. ib
Simonia realis inducit excommunicationem Papæ reservatam, 43. p. 389.
Non verò mentalis, 38. p. 388.
Benè verò cōfidentialis, & aliæ pœnæ, 43. p. 389.
Provisus simoniacè etiam ignoranter, tenetur beneficium dimittere, 8. & 14. p. 393. & seq. 41. p. 399.
Simonia tolli simonia non potest, 18. p. 365.
Singularitas. Testium triplex, 54. p. 428.
Spirituale. Juspatronatus unde dicatur spirituale, 1. p. 193. & 47. p. 203.
Et qua ratione electio, 1. p. 392.
Quid veniat per spirituale positum in definitione simoniæ, 2. p. 380.
Statutum. Laicale non ligat Ecclesiasticos, 16. p. 42. & 25. p. 262.
Eos gravans per indirectum, revocandum, vel declarandum, ib.
Temporis varietate variatur, 5. p. 210.
Stipendium. Plura pro eodem sacrificio non recipiuntur, 12. p. 51.
Non recipiendum pro labore intrinseco connexo cum celebratione, 61. p. 68.
Exibens servitium, ut loco stipendii recipiat beneficium, est simoniacus, 23. & 24. p. 385.
Stola. Cum ea Parochus non ingreditur Ecclesias Regularium, 3. ad 2. p. 141.
Et audiuntur confessiones, etiam per Regulares, 19. p. 453.
Subornatio. Invalidat electionem, 33. p. 123.
Prohibetur etiam, ut eligatur dignus, ib.
Subreptio. Quid importet, 9. p. 291.

Substitutio. Est secundi hæredis nominatio, 33 p. 413.
In fideicommissaria hæreditas defertur substituto ministerio hæredis, 34. ibi.
Substitutus. Substituto non præjudicant filii naturales, 38. p. 424.
Nec Monasterium, in quo hæres professionem emittit, 39. ibi.
Suffragium. Etiam unius pecunia venditum totam electionem corrumpit, 16. p. 394.
Illud excommunicati ignorantibus nō nocet, ibi.
Suffragia absentium non suppleiitur per procuratorem, 19. p. 19. & seq.
Surdus. Est ineligibilis ad Prælaturas, 10. p. 307.
Suspensio. Privat exercitio officii Ecclesiastici, 17. p. 192.
Suspensus ab ordine Sacerdotali potest exercere officium Diaconatus, 22. p. 284.
Ab ordine inferiori suspensus, & a superiore suspensus intelligitur, 23. p. 285.
A divinis incurrit irregularitatem, si exerceat actum Ordini sacro proprium, 25. ibi.
Non potest eligi ad Prælaturas, 15. p. 308.
Nec potest eligere, ibi.
Suspensio ab Ordine indefinitè privat quovis Ordinum usu, ibi.
Sustentatio. Congrua, quæ sit, 12. p. 344.
Syndicus Apostolicus. Potest pernoctare in Conventibus Frat. Min. 22. p. 105.
Vsus Syndici non est dispensatio in Regula Frat. Min. 9. §. 6. p. 108. & 25. p. 113.
Nomine Romanæ Ecclesiæ recipit eleemosynas pecuniarias, & ejusdem authoritate eas expendit, 28. p. 113. & 34. p. 114.
Non permittendum, ut plus apud eum deponatur, quam necessitas Fratrum ferat, 30. p. 113.
Syndicus est Oeconomus Sedis Apostolicæ, 28. ibid.
Generalis, & Provincialis nominant Syndicos, 36. p. 114.
Et Procurator, & Commissarius Curiæ pro suis officiis, 1. p. 400.
Instructiones dādæ Syndicis à Fratribus, 40. p. 115
Fratres non possunt à Syndicis computus juridicè exigere, 44. p. 115.
Gaudet privilegio fori, 2. p. 400.
Convenitur corā judice conservatore, ibi & §. 1
Est exemptus à represaliis, 5. p. 403.
Nequit cogi ad munia communitatis, 4. p 402.
Non potest alienare Capellas, & sepulturas Fratrum, 27. p. 355.
Nec bona stabilia pro Fratribus retinere, 35. p. 240.
Nec pro illis hæres institui, 33. ibi.
Nec cum hæredibus se componere, 34. ibi.
Conventus, præter Syndicum, possunt habere substitutum, 8. p. 403.
Si Syndicus sit persona Ecclesiastica, non eximitur à jurisdictione Ordinarii, 9 p. 403.
Synodus. Diœcesana caret authoritate adversus privilegia Regularium, 3. pag 447.
Regulares non Parochi non possunt ab Episcopo compelli, ut accedant ad synodum, 20. p. 133.
Diœcesana vulnerans ipsorum privilegia adversatur Tridentino, 3. p. 447.

T

Tabella. Onerum Missarum retinenda in Sacristia, 32. p. 58.
Tempus. Ad appellandum præfixum, 7. p. 22.
Prorogatum pro Lectura Decretor. de celebrat. Missar. 7 p. 442.
Et pro Lectura eorum ad S. Officium spectantium. ibi. & 8.
Quinquennium præfixum ad reclamandum contra validitatem professionis, 16. p. 332.
In testamentis ad pias causas non est de necessitate, 58. p. 417.
Quantum temporis importet illud, intra breve tempus, 47. p. 62.
Tertiariæ. Habentes qualitates requisitas gaudent privilegio fori, 3. p. 404. 4. p. 405.
Sepeliuntur in proprio sepulchro, 3. §. 5. p. 404.
Proteguntur à privilegio Canonis, 5. p. 405.
Tertiarii Degētes in propriis domibus possunt tēpore interdicti admitti à Regularibus in suis Ecclesiis, dū divina officia celebrātur, 15. p 192.
Non gaudent privilegio fori, 1. p. 403.
Forum professionis formula, 9. p. 405.
Subjiciuntur Conventualibus, & Observantibus, 12. p. 406.
Testamentum. In quo Fratres Min. de Obser. instituuntur hæredes, est nullum, 32. p. 239.
Morte confirmatur, 1. p. 408.
Nuncupativum fit viva voce, 3. ibi.
In condito ad pias causas hæres est causa pia, 5. p. 409.
Impugnari non potest ex defectu septem testium, 6. ibid.
Testes sunt solùm de probatione, 8. ibi.
Religiosi nō possunt condere testamēta, 54 p. 416
Nec Clerici de bonis Ecclesiasticis. 57. p. 417.
Secundum testamentum rumpit prius factum, 60. ibid.
Rasura non vitiat testamentum, si substantia non varietur. 61. ibi.
Testis. Secularis non examinatur à Regulari, nisi de licentia Superiorum illius, 47. p. 426.
Repetitio testium ex parte fisci est solemnitas, ex parte rei est de substantia, 66. p. 430.
Quando legitimari censeantur, ibi.
Unicus non probat, 51. p. 427.
Item non juratus, 16 p. 365. & 49. p 427.
Testes seorsim examinantur, 17. p. 3 5. 50. p. 427.
Ut sint contestes, debent concordare in substantialibus, 19. p. 365.
Titulus. Gesta cum titulo colorato, quando sint valida, 13. p. 245. & 21. p. 310.

Or-

Ordinatus cum titulo fiduciario quis dicatur, 36. p. 281.
Vide v. Cardinales.
Tolerantia. Non infert consensum Sedis Apostolicæ, 27. p. 262. & seq.
Nec inducit approbationem, ib.
Tortura. Prærequirit semiplenam probationem, 70. p. 431.
Torquendo dantur defensiones, ib.
A decreto de tortura datur appellatio, 16. p. 59.
Transactio. Est species alienationis, 3. p. 350.
Transitus. Ad aliam Religionem fit de licentia Sedis Apostolicæ, 25. p. 335.
Item ad Ordinem Militarem, 26. p. 336.
Translatio. Annunciatio B. M. V. occurrens feria 6. Parasceves, & Sabbato Sancto, transfertur ad fer. 2. post Dominicam in Albis, 9. p. 148.
An translatio Conventus impugnari possit, 9. p. 101.
Trebellianica. Est quarta pars hæreditatis, quæ deducitur à fideicommissis, 31. p. 413.
Hæres gravatus fideicommisso sibi retinet Trebellianicam, 36. ib.
Non deducitur, si causa pia substituatur, 37. ib.
Tunica. Sanctus Franciscus in secundo capitulo suæ Regulæ permittit, iis qui voluerint habere duas tunicas, unam cum caputio, & aliam sine caputio, 48. p. 116.

V

V*erbum, Possit, & Valeat*. In ultima voluntate inducit obligationem, 49. p. 416.
Vexatio. Quando licitè redimatur, 21. p. 384. & 25. p. 396. & seq.
Vicarius Capitularis. Potest ex causa licentias audiendi confessiones revocare, & approbatos iterùm examinare, 14. p. 28.
Non potest se ingerere circa ea, quæ competunt Episcopo jure delegationis, 24. p. 247.
Potest visitare clausuram Monasteriorum Monialium de regimine Regularium, 37. p. 461.
Vicarius Generalis. Habens speciale mandatum potest ingredi Monasteria Monialium de regimine Regularium pro visitatione clausuræ, 9. p. 79.
Potest à Regularibus eligi Conservator, 4. p. 93. & seq.
In quo habeat idem Tribunal cum Episcopo, 22. p. 247.
Circa plura eget speciali mandato, 23. ib.
In causis delegatis Episcopo non procedit, nisi illi subdelegentur, 24. ib.
Eget speciali deputatione, ut absolvat ab iis, ad quæ à Trid. cap. 16. sess. 24. Episcopis datur facultas, 42. p. 287.
Habet jurisdictionem in Conventibus suppressis, ad 10. p. 449.
An delegatio facta Vicario transeat ad successorem, 29. p. 248. & seq.
Vigilia. S. Matthiæ occurrens feria 3. Baccanalium non anticipatur, 11. p. 149.
Occurrens vigilia S. Joannis Baptistæ in die Corporis Christi anticipatur feria IV. 12. ib.
Vir. Constans quis dicatur, 10. p. 330.
Viri nequeunt ultra triduum pernoctare in Conventibus Frat. Min. de Obser. 20. p. 104. & seq.
Vis. Absoluta, & coactio, omnem consensum excludit, 12. p. 331.
Visitatio. Episcopus non potest in Ecclesiis Monialium exemptarum visitare Oleum Sanctum, SS. Sacramentum, Confessionalia, & sepulturas, 11. ad 2. p. 80.
Visitationi præmittitur absolutio defunctorum, 2. p. 437. & 3. p. 441.
Visitator. Non potest recusari, nisi judicialiter procedat, vel modum excedat in corrigendo, 5. & seq. p. 436.
Non gravat subditos, 15. & 16. p. 444.
Diligentiæ pro visitatione Ecclesiæ Parochialis, 3. & seq. p. 437.
Interrogationes faciendæ Regularibus, 6. p. 441.
Et Monialibus, 2. p. 444.
Visitatori cibaria quomodo parandam, 17. p. 444.
Virtutes Theologicæ. Deus illis colitur, p. 361.
Fides præsupponitur dilectioni charitatis, 6. p. 362.
Quid sit Deum gratis amare? ib.
Fides, & Spes Charitate formatæ, 5. p. 361.
Fides est fundamentum justificationis, 29. p. 367.
Imperium virtuale charitatis quid importet, 7. p. 362.
Voluntas. Testatrix in uno potest esse perfecta, licèt quoad alia non sit, 12. & 13. p. 410.
Est omnino implenda, cum de ea constat, 8. & 9. p. 409. & seq.
Bis exploratur in monachanda, 10. 11. & 12. p. 253.
Votum. Regulares non possunt commutare vota Summo Pontifici reservata, 11. p. 7.
Nec vota promissoria jurata, & perseverantiæ, ib.
Emittens votum simplex castitatis, debitum petere non potest, 10. p. 33.
Solemnizatur per professionem Religiosam, & susceptionem Ordinis Sacri, 1. p. 327.
Solum propositum non constituit votū, 10. p. 405.
Votum simplex castitatis non includit alia duo paupertatis, & obedientiæ, 3. §. 3. p. 404.
Valet emissum metu mortis, 9. p. 330.
Jesuitæ post emissa vota simplicia sunt verè Religiosi, 31. p. 280.
Uxor. Sepelitur cum viro, 26. p. 377.
Potest sibi eligere sepulturam, ib.

FINIS.

Matthæus
Officialis
Cur. Eccl.